Digitized by Google

Digitized by Google

FCC
12861

~~93. 5.~~

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI PONTANI
E SOCIETATE IESV

PROGYMNASMATVM LATINITATIS, SIVE DIALOGORVM

Liber Quartus, ſeu Libri tertij pars poſterior,

CVM ANNOTATIONIBVS,

DE VARIIS RERVM GENERIBVS.

Editio noua, & poſtrema recognitio.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſar. Maieſt. & permiſſu ſuperiorum.

De la Libreria del Coll.o Imp.l de M.d

FRANCOFVRTI,
Impenſis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNWETTERI.

M. DC. XXX

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

JOANNI OTHONI, EPISCOPO AVGVSTANO,

IACOBVS PONTANVS
è Societate Ieſu,

S. P. D.

DIuina quadam ſorte mihi tributum atq; conceſſum autumo, Joannes Otho Illuſtriſſ. vt dum ſeſè aperit annus ſæculi huius quartus vltra nonageſimum, poſtremus dialogorum meorum fœtus, reliquis aliquanto maior, & varietate materiæ vberior, è latebris in lucem conſpectumq; hominum emerſus, pedem proferre inciperet: quem omnino viſum eſt faciendum, vt ad C. T. omnia fauſta, felicia, ſalutaria comprecatum, deinde ſemet ipſum non vſui & fructui

Digitized by Google

FCC
12 861

~~93. 2~~

86-%0750

Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI PONTANI
E SOCIETATE IESV

PROGYMNASMATVM LATINITATIS, SIVE DIALOGORVM

Liber Quartus, ſeu Libri tertij pars poſterior,


CVM ANNOTATIONIBVS,

DE VARIIS RERVM GENERIBVS.

Editio noua, & poſtrema recognitio.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſar. Maieſt. & permiſſu ſuperiorum.

De la Libreria del Coll.o Imp.l de M.d



FRANCOFVRTI,

Impenſis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNWETTERI.

M. DC. XXX.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

JOANNI OTHONI, EPISCOPO AVGVSTANO,

IACOBVS PONTANVS
è Societate IESV,

S. P. D.

DIuina quadam ſorte mihi tributum atq; conceſſum autumo, Joannes Otho Illuſtriſſ. vt dum ſeſe aperit annus ſæculi huius quartus vltra nonageſimum, poſtremus dialogorum meorum fœtus, reliquis aliquanto maior, & varietate materiæ vberior, è latebris in lucem conſpectumq; hominum emerſus, pedem proferre inciperet: quem omnino viſum eſt faciendum, vt ad C. T. omnia fauſta, felicia, ſalutaria comprecatum, deinde ſemet ipſum non vſui & fructui

Digitized by Google

tantum, ſed mancipio & nexui, idq́, ſi modo non aſpernabere, in locum xenioli cuiusdam verecundè oblatum tranſmitterem. Grandiora & exquiſitiora offerant, non inuideo, quibus ea copia eſt, quique montes auri, & culti iugera magna ſoli poßident: ego, cui ruſculum aratur exiguum, quaſi humiliore hoſtia te colo: & quãdoquidem thura non habeo, tanquam mola ſalſa, agreſtium ſcilicet pietatem æmulatus, ſtudeo venerari. Nec ineuntem hunc ſolum, verùm pleroſq́, omnes etiam conſequentes annos, quibus ſpiritum ducturus es, candidos, & vt poetæ loquuntur, terque quaterq́, felices quis tandem tibi voluntate ſumma nõ optauerit, qui didicit (didicerunt autem iampridem mortales multi) quanta cum dignitate, & commendatione perſonam iſtam pontificiam, abhinc fermè triennium mirifica bonorum omnium gratulatione tibi impoſitam tuearis, atq́, ſuſtineas? Celerrimus eſt virtutis curſus,

quæ

Digitized by Google

quæ ad ſeſe explicandam, & in oculos, in aures, in ſermones hominum diffundendam haud ſanè longinquitatem deſiderat. Cùm decanatum Auguſtæ gereres, collegiumq; tuum vigilanter ac ſapienter gubernares, itaq́; viueres, vt abs te moderationis, & honeſtatis exempla peterentur, videbat iſtuc, & vrebatur quodammodo Eiſtadienſis Eccleſia: nec ante conquieſcendum ſtatuebat, quàm te magiſtrum ſibi, atq; rectorem in ſinum ſuum accepiſſet. Sed enim eius quanquam religioſa vota ad irritum ciciderunt: quando nullis vel hortatibus commoueri, vel precibus inflecti, vel argumentationibus deuinci expugnariq; potuiſti, vt epiſcopatum bonum opus, & vltro delatum capeſſeres: tantum aberat, vt eum per te ambitioſius concupiſceres. Credo quod perſpiciebas ſagaciſſimè, quanta eſſet, iſtis præſertim duriſſimis Reipub. Chriſtianæ temporibus, huius ſanctiſſimæ profeſſionis magnitudo, ac tibimet

Digitized by Google

bimet minimè omnium placebas. Quippe vt ſublimis eſt honos paſcere, & cuſtodire gregem, quem princeps paſtorum acquiſiuit ſanguine ſuo: ſic, ſi quis ad omnes eius partes animo ſe & cogitatione cõuerterit, inueniet laborioſum difficileq; munus. Veruntamen ſicut fuit voluntas in cælo, ita factum eſt. Quod enim vitare magnoperè contendiſti, hoc certè vitare nequiuiſti: & cùm hîc elapſus eſſes, paulò pòſt alibi piè captus hærere debuiſti. Debuiſti, inquam, niſi diuino nutui manifeſtò ſeſe exerenti repugnare parum laudabili exemplo inſtituiſſes. Non igitur tu epiſcopatum, ſed epiſcopatus te quærebat, te inſequebatur, quoad fugientem comprehendit, & in ſede Auguſtana diuinitus tibi ſeruata, diuis hominibusq; approbantibus collocauit. Cæterùm de tua in Deum religione ſingulari, de modeſtia, parſimonia, continentia, ſobrietate quid dicam? lucent hæ inſtar luculentiſſimæ facis ſupra

can-

candelabrum poſita, & omnes, qui in domo ſunt, ſplendoris ſui claritate perfundunt. Ne porrò mala quapiam lingua rem ſecus interpretetur, meq; blãdius quàm verius de tuis ornamentis prædicare exiſtimet, ſi faciam longius (ſunt enim, qui, niſi quod ipſi fecerint, nihil rectum putant, & quidquid aliis additur, id ſibi detrahi iudicant) cùm hac ipſa pluribus diſſerere, tum reliqua ſuperſedebo attingere. Tibi vt hoc volumen inſcriberem, perpulit me, fateor, quo ſum erga te ſtudium, & merita in noſtros tua nec rara, nec mediocria. Quamobrẽ nos ea memoria tenere, & te ſuſpicere, atq; imis ſenſibus colere, publicè vt oſtenderem, conſilium fuit. Deum vehementer etiam atq; etiam oro, vt quoniam populo eius es neceſſarius, & laborem non recuſas, te quàm diutiſſimè ſuperſtitem ac ſoſpitem eſſe iubeat. Vale. Auguſtæ, Idibus Ianuarij,

 clɔ. Iɔ. XCIV.

BENEVOLO, ET ERVDITO LECTORI.

EN accipe, mi LECTOR, variarum mearum partem alteram, ſiue (quod tu forſitan mauolès) poſteriorem Tertii. Ad cuius confectionem ita ſentias velim, me priſtinam curam, ſollicitudinem, ſtudium, laborem, induſtriam, aſsiduitatem ſuppeditaſſe: nec vllas, quanquam toties multæ interuenere, moleſtias ſubterfugiſſe, quo minus data tibi promiſſa patrarem, & quæ habebam inſtituta abſoluerem. Ea omnia ſi cum vbertate communis emolumenti compenſabuntur (cuius me amantiſsimum eſſe crebrò teſtificatus ſum, & vt nullus teſtificer, res ipſa loquitur) haud pœnitendum me laborum ſuſceptorum percepiſſe fructum, & exſpectationem deſiderii mei cumulatè expletam arbitrabor. Nam quod tandem mu-

nus

Digitized by Google

nus aut maius, aut ſalutarius Reipub. attulerim, quàm ſi inſiſtam, ſummaque ope adnitar erudire adoleſcentes, qui ſe ad Humanitatis literas conuerterunt, & noſtra perlegere animos induxerint? erudire, inquam, eorumque non ſolùm cor, omnium cogitationum conſiliorumque fontem, verumetiam linguam, cordis tanquam lumen, imaginem, nuntiam & interpretem formare: atque illud quidem ad rectè ſapiendum, hanc autem ad commodè, diligenter, & bene loquendum (quarum rerum coniunctione nihil ſtatuo in hominum vita verſari ſplendidius, nihil prædicabilius) eadem opera pro tenuicula facultate mea excolere? Quia verò hæc duo latiſſimas habent regiones, nec ad plurima modò, ſed diſſimillima quoque accommodari & poſſunt, & debent, quid eſt quapropter verear, ne plures futuri ſint, qui me tam multa, & diſcrepantia in dialogis conſcribentem reprehendant, quàm adeò non pauca, diuerſaque prætermittentem accuſent? Ego contra ex officio prudentis eſſe conſtituo, cum in qualibet actione ſeruare modum, tum po-

Digitized by Google

tiſſimùm in ſcribendo non omnia profundere: nec ad vltimas rerum metas velle procedere: quando in nullo ſcientiarum genere tam planæ, ſtabiles, directæ, apertæque inueniuntur viæ, vt illis longius ingredientes, facile queant aut offenſionis alicuius, aut prolapſionis, aut errationis periculum euitare. Quin à nobis item, vt fert humana conditio, ſiue dormitantibus interdum, & peccata quæ μνημονικὰ ἁμαρτήματα vocantur peccantibus, ſiue hallucinantibus, quædam miſſa ſunt in libros hactenus in publicum proditos, quæ doctiorum, ſi qui fortè vigiliolas noſtras non contempſerunt, vngue notata fuiſſe non abſonũ fidei ducimus. Ea vbi monuerint, & vt moneant rogamus, ad caſtigationem vocabimus ſimul cum illis, quæ per noſmet deprehenſa, poſt deterſas maculas vultum nitidiorem adeptura confidimus. Ad hanc cõfeſſionem inſigne facinus Hippocratis, verè & arte, & facundia inſignis, cùm me magnopere incitauit, tum vnamquamque naturam ingenuam, nec magis ſuæ gloriæ ineptè ſtudioſam, quam alienæ vtilitatis laudabiliter cupidam

Digitized by Google

dam meritò incitet, qui errata ſua ipſemet memoriæ prodendo cenſuit, *more ſcilicet, magnorum virorum*: vt ait Celſus lib. 8. hoc de illo narrans, & *fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio: præcipue in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Et hæc quidem Celſus perſapienter, quod omnes fatebuntur. De his ipſis excellentibus viris, audiamus etiam quid nos moneat Quintilianus. *Legentes non ſibi perſuadeant, omnia, quæ magni auctores dixerunt, eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt.* Hoc minutis auctoribus quanto debet eſſe ſolatio? Hippocrateum igitur factum quinimmo magnorum virorum, nobis, qui cum illis collati vmbræ corporum ſumus, inuitamento erit, vt ne erubeſcamus nos hominum ſimiles confiteri: id eſt, lapſos alicubi, & labi poſſe: & meminerimus, vnum eſſe Deum *μόνον σοφόν*, qui decipi non poteſt. Cùm hoc tamen imbecillitatem noſtram ſummo alienam vitio cenſeamus licet, ſi non imitemur ſcriptorem librarium

rium

Digitized by Google

rium idem vſque peccantem, quamuis monitum: nec citharœdum, ſemper eadẽ chorda oberrantem: quorum ille caret venia: hic riſum debet, iudice Horatio, à quo in eodem libro illud peritè, & humaniter dictum:

Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Caue porrò mireris, cur non dederim hîc dialogos de argumentis nonnullis, quorum in præfatione primi voluminis mentionem feci: nec ideo ſuſpicere, me propoſiti redditum immemorem: aut putes mancum tibi opus offerri. Exempli cauſa poſuimus, vt planius oſtenderemus, quæ poſſet in extremo volumine tractari rerum varietas. Atqui illorum loco inuenies alia, quæ ibidem non nominauimus. Omnino fidem liberaſſe videmur hoc ipſo, quod capita multa, vtique rerum diuerſarum plena, hiſce duabus partibus comprehendimus. Et cum ſuper ſingulis claſſibus primæ Tertii ſeorſim diſſeruerimus, quod id lectori pergratum, & optatum fore crederemus, nihil impedit, cur non in veſtibulo, & tanquam propylæo huius ſecundæ idem inſtitutum ob eundem finem teneamus.

DE

Digitized by Google

DE ARCHITECTONICIS.

MVLTVM profectò intereſt, quibus ab auctoribus linguam latinam petere contendamus: & vtrum opinemur vnum alterúmue omnia, quorum vſus indiget, an omnia neminem poſſe ſubminiſtrare. Eligendi ſunt quos legamus, & è puris fluminibus bibendum libentius, quàm è turbidis, ac limoſis. Puriores conſtat eſſe vetuſtiores illos, ſub quibus hæc lingua quaſi mediam ætatem ſuam egit, & in ipſa maturitate ſua eximiè floruit. Poſt quæ tempora paulatim defloruit, atque conſenuit: & quemadmodum ſenibus contingere cernimus, quorum corpora feſſa æuo fatiſcunt, multis incommodis circumueniuntur, & ægritudinibus affligun-tur: ſic illa proprios etiam veluti morbos, & vitia pertulit, donec ad extremum ſuo quodam elata funere, in congreſſibus apparere deſiit, & in ſolis libris, atque gymnaſiis remanſit. Veruntamen à principe omnium latinorum Cicerone, à Salluſtio, Cæſare, Liuio, à Virgilio, Horatio, Plauto, Terentio, & aliis

Digitized by Google

aliis probatiſſimæ notæ haud quiſquam ita locupletatus inſtructuſque receſſerit, vt ei nullo in genere ſit defutura oratio. Id nos manifeſtius cùm aliâs, tum præterea in hiſce dialogis quodammodo fabricandis, experiundo comperimus: quibus etſi non omnem quæ poterat, attamen non aſpernandam rerum verborumque diuerſitatem incluſimus. Gloriari nequeo, me Ciceronis monumenta, aliorumque eiuſdem ordinis, quos tu lector animo præcipis, lectitando contriuiſſe: non quenquam illorum octauum deſcripſi, nec memoriæ commendaui, vt Thucydidem Demoſthenes. At iſtuc citra arrogantiam affirmauerim, me illos nec infrequenter, nec oſcitanter legiſſe. Cùm autē de re ruſtica molirer ſcribere, ad Varronem, Columellam, Palladium ire me auxilia petitum oportuit: hi enim numerantur ſcriptores ruſtici: &, quod gaudeas, admodum latinè loquuntur. Sic cum de architecturæ rationibus, accommodatè ſcilicet conſilio meo diſputare meditarer, Vitruuium prius, & nonnihil eius explanatorem Philandrum, & Leonem Baptiſtam Albertum euolui, quàm accederem ad

ſcri-

ſcribendum: ſiquidem hi in iſto materiæ genere elaborarunt. In iiſdem tantum offendi verborum ſimplicium, coniunctorumque à nobis ignoratorum, & tamen locutioni quotidianæ perneceſſariorum, vt neſciam magiſne inſcitiæ ſummæ miſertus, an fœdiſſimæ ſocordiæ indignatus fuerim. Quotuſquiſque ianuam ſaltem, per quam aſſiduè ingreditur, & regreditur explicare, & eius partibus debita ac propria vocabula tribuere didicit? Cui notus intergerinus paries, quem in die aſpicit vel decies? Quis nouit diſpluuium tectum, lapidem quadratum, rediuiuum, ſuggrundia, podium, arenatum, mille alia? Eadem de aliis claſſibus quaſque ſuſcepimus, quaſque prætervecti ſumus veriſſimè dixerimus: mirabilem eſſe noſtram inſcientiam, & propemodum inexplicabilem egeſtatem: cuius mali cauſſam primam & pœnè ſolam eſſe video, quod iis duntaxat libris, qui in ſchola adoleſcentulis nobis explanantur, puta epiſtolis, & orationibus aliquot Tullianis, vno & altero libro Virgilianæ Æneidos, Ouidio de Triſtibus, & aliquot, ſi fortè, paginis commenta-

riorum

Digitized by Google

riorum Cæſaris, aut Liuii contenti ſumus: de aliis quos vix de nomine nouimus, euoluendis neutiquam laboramus. Hinc quod facere omnimodis, & quàm creberrime oportebat, tam auerſus ab exercitatione ſcribendi, & loquendi animus: & vtrobique tanta infantia, hæſitatio, verborum ſermonumque barbaries, & agreſtis immunditia: vt ſi quis priſcorum ab inferis exiſtens nos audiret, rudere, non loqui diceret. Nec tamen nihil illis, quos protuli ſcriptoribus architectonicis reliqui: ſed pro eorum copia, & diuitiis perpauca, pro magnitudine ignorantiæ noſtræ permulta mutuatus ſum, & ad ſtudium talia quoque lectitandi, linguæ perficiendæ, & expoliendæ, addictam præſertim Humanitati iuuentutem excitare, quantum in me fuit, non peperci.

DE RE POLITICA.

POST homines generatos ſerius vrbes ædificatæ ſunt: quibus conditis iura magiſtratuſque, ſanctumque ſenatum legerunt, vt Maro cecinit de Carthaginenſibus. Ergo ſecundùm

tundum carmen Maronianum ita euenit, vt tripartita euaſerit noſtra hæc per politica progymnaſmata diſſertatio. Agimus quippe de magiſtratibus, quorum veterrimus, & maximus, & nobiliſſimus eſt rex: nec de ciuilibus tantùm, verum etiam de diuinis, quos noſtri Eccleſiaſticos appellitare conſueuerunt: ſed Romanis duntaxat, non etiam Chriſtianis. Agimus ſeparatim de ſenatu, cuius prouidentia, vigilantia, auctoritate, iuſtitia populus nititur, quique honores mandat iis, quos idoneos gerendis honoribus arbitratur. Agimus de legibus, quod eſt ius ſcriptum, ad ciuilem communionem perinde vt aqua, & ignis neceſſarium. Sed de his ea ratione agimus, vt à Romana Repub. pæne nunquam oculos deiiciamus: quando ſapientius ordinatam ac temperatam in terris nullam inuenimus. Excuſſimus aliquot ſcriptores, qui commentariis eam ſuis illuſtrarunt: ſumpſimus quæ placuerunt, & ea ipſa conuenienter ſcopo noſtro coarctauimus: nec enim ſumus iſtiuſmodi rerum tractatores, aut profeſſores, nec videri volumus.

At verò dum ſupellectilem ſermonis veſtigamus, veſtigatamque ſcriptura amplecti conamur, aliter nequimus, quin eas tradamus: atque hoc ipſum niſi diſtinctè, ac diſtribute præſtemus, linguæ ipſi percipiendæ offi- cimus: eſt enim confuſio mater obſcuritatis: obſcuritas autẽ cognitionibus inimica. Quicunque igitur rebus Romanis ſolent delectari, hoſce dialogos, & qui ſequuntur, militares cupidius legant, ſuamque voluptatem honeſtiſſimam vel nouis addiſcendis accumulare, vel veteribus recognoſcendis renouare ſtudeant.

DE RE MILITARI.

SATIS iam conſtitutis ordinatiſque ciuitatibus, de inuadendis aliorum finibus, imperioque proferendo, ac dilatando cogitatum eſt. Ex quo natum initium rei militaris: ad quam more noſtro exſequendam Vegetius præcipue, & eius explanator, atque illuſtrator Godeſcalcus Steuechius, homo liberaliſſime eruditus, non paruo mihi ſubſidio adiumentoque fuerunt. Vtinam ne periiſ-

periiſſent ſcriptores diſciplinæ bellicæ, Cato Cenſorius, Cornelius Celſus, Frontinus, Paternus, & alii complures, quos eundem Vegetium non ſit incredibile ſub manu habuiſſe, & conſuluiſſe: quamuis eos nominare prætermittat: perſpicue noſceremus, quaſi quæ aſpectu obeuntur, quam ſpatioſo pateret ambitu ars bellandi: quamque amplam, glorioſam, ſalutarem negotiorum humanorum, partem militaris ſcientia complecteretur. Eſt profectò non belluarum ſolùm, quibuſcum nullam mentis & intelligentiæ particulam communicauit mundi fabricator, ſed hominum quoque, ſi cauſſa adſit, decertare viribus, & hoſtibus bona, fortunas, exiſtimationem, vitam, ſanguinem eripere. Verùm eodem fato fuerunt quo Liuius, Trogus Pompeius, Dio Nicæus clariſſimi hiſtorici, Feſtus Pompeius eruditiſſimus Grammaticus: quorum libris, qui inde epitomas excerpſerunt, interitum indigniſſimum conciliarunt. Iam ſi cuipiam paulò craſſioris Mineruæ mirandum apparebit fortaſſe, me de architectura auſum conſcribere, qui nun-

quam caſulam ædificarim: de poteſtatibus, qui nec Quæſtor, nec Ædilis, quid dicam Prætor, Conſul, Dictator aliquando fuerim: de re militari, qui pugnam nullam pugnauerim: pugnauerim autem? immò qui tanquam Plautinus Soſia ſi pugnaretur maximè, ego fugerem maximè, vt mihi Mars in pedibus eſſet, huic ita occurram: me item de nautica re locutum, nec vidiſſe tamen pelagus: & de morbis ac medicamentis explicaſſe, nec ludum frequentaſſe medicorum, aut ægroti cuiuſpiam adhuc vel vrinam inſpexiſſe, vel venam tentauiſſe: & de re culinaria fabulatum, nec in vita cocum egiſſe: & poſtremo de re funebri compoſuiſſe colloquia, nec vnum quidem cadauer ſepeliuiſſe, aut pollinctorem aliquando egiſſe. Quid ergo eſt? quid eſt? Lege ſis præfationem in dialogos Ruſticos prima parte Variarum: faxo quieſcat admiratio.

CLASSIS hæc, ſeu ordo iſte rerum non eſt tam inops ac ſterilis verborum & locutionum, quam parum attentè conſideranti, ac perpendenti videri queat. Vtilis ſanè ad cognoſcendum quà rebus, quà verbis, non minus quàm reliqui: etſi in eo, vt in aliis, adhibere longitudinem vel noluimus, vel nequiuimus. Minus eſt ſpecioſa ſeries. At neque culinaria, exceperit aliquis, eſt admodum ſplendida. Verum quidem: ſed inſuper etiam non ſuis partibus, quemadmodum aliæ, diuiditur. In iſta ſcriptione mihi profuit Gregorius Gyraldus, cuius fertur liber de re nauali (vt alius de vario ſepeliendi ritu, quo in funebribus me vſum ſcito) & Lazarus *Bayſius*, cuius item eodem argumento libellum habemus. Demum è Grammaticis, & parœmiographis loquendi formas, & vim adagiorum declaraui. In deſcriptione tempeſtatis, ac naufragii, quæ accidere potuerunt, & ipſum genus propoſitum habui.

Digitized by Google

DE RE CVLINARIA.

MILLE coquendi modos, & delicioſiſſimam ciborum diſſimilitudinem, atque ob id infinita inſtrumenta coquinaria, hominum gulæ excogitarunt: gulæ, dico, per quas quamdiu deſcendit, tamdiu ſentitur cibi ſuauitas: vt idcirco ille collum gruis ſibi precaretur. Immò profectò ne tandiu quidem. Et in potibus, poculiſque ſimiliter iam pridem non neceſſitati, ſed voluptati, & intemperantiæ cœptum eſt inſeruiri. Hinc vſque adeo amplificata illa pars ſermonis, quæ ad ventrem pertinet. Quod cùm perſpiceremus, deeſſe noluimus, quin eam quoque in hunc librum adderemus. Scriptum ab Ariſtotele, hominem ad duas res natum eſſe, ad intelligendum, & agendum: & extant libri, qui, quæ intelligamus, quæ agamus docent. Atqui ingentia eduntur iam volumina, quæ curioſiſſimè, & luxurioſiſſimè coquere doceant: vt videatur non ſatis dixiſſe Ariſtotelem, qui tertium hoc affirmare debuerit, hominem etiam ad comedendum eſſe natum. Tales libros conſuluiſſe me

non

Digitized by Google

non inficior, & aio profeciſſe: non vt cocus fierem, ſed vt coci muneribus deſcribendis, & tractanda culinaria alios, cum vſus veniſſet, ad pure ac propriè loquendum inſtituerem. Quæ de Oeconomo, & Obſonatore diſſerui, cum rebus culinæ coniuncta ſunt, & eius quaſi παρένδειγμα cenſeri poterunt.

DE RE MEDICA.

IN percenſendis morbis, & enumerandis illis, quæ chirurgica vocantur, & olim tractabantur etiam à medicis (ſiquidem non alii medici, quam qui chirurgi: nec chirurgi, quàm qui medici) viſus ſum mihi parcipromus fuiſſe, poſtquam nitidiſſimum auctorem Cornelium Celſum legi. Sed quod initio dixi, præſtat non omnia vſque ad vltimum perſequi. In hanc ſeriem decreueram coniicere nomina partium humani corporis tam internarum quam externarum, & inſcribere progymnaſma Anatomen: ac niſi me fallit animus, quaſi ſub aſpectum ſubiecta tam admirabili, & diuina conſtructione humani corporis, lectorem non medic-

criter delectaſſem: verùm partim ne produ-ceretur volumen, partim alia de cauſſa vo-luntatem immutaui, quam tibi pro me in-dicet volo verbis ſuis inter medicos puden-tiſſimus, & inter ſcriptores terſiſſimus, lima-tiſſimus atq; floridiſſimus Cornelius Celſus. *Partium naturalium apud Græcos vo-cabula & tolerabilius ſe habent, & acce-pta iam vſu ſunt, cum communi ferè me-dicorum volumine atque ſermone iactẽn-tur: apud nos fœdiora verba, ne conſue-tudine quidem aliqua verecundius lo-quentium commendata ſunt, vt difficilis hæc explanatio ſit, ſimul & pudorem, & artis præcepta ſeruantibus.* Poſituram, & figuram humani corporis explanat pulcher-rimè idem lib. 8. cap. 1. In cæteris ſperare poſſum, neminem de obſcuritate conqueſtu-rum. Quod non temerè ſcribo, quoniam pro certo ſcitur, obſcuram eſſe medendi ſci-entiam, etiam ob id, quod græcis vocabulis refertiſſima eſt. Proinde illud prædicam græcæ linguæ oſoribus, eos veluti ſi per te-

nebras

nebras ſine lumine incederent ſæpius pedes offenſuros in rebus ad medicandum pertinentibus, quicunque iatricographorum ſcripta legere voluerint. Neque fieri poſſe, vt de morbis ſuis aut proprie, aut intelligenter loquantur ipſi, aut alios, præſertim medicos, loquentes intelligant. Galenum, Hippocratem, Dioſcoridem, Auicennam non legi: ſi interdum ſententias eorum afferam, aliorum fide eas recitantium afferam. Recentiorum quorundam libellis ſi vterer, idque intra modum, ſatis factum fore lectori, finem meum perſpectum habenti, omnino putaui.

DE RE FVNEBRI.

MORS eſt vltima rerum linea, quæ nullum caput fugit: moriendum omnibus, quicunque nati ſunt. Quamobrem cum priore parte colloquia fecerimus de primis rerum lineis, quæ ſunt quatuor principiorum genera, vnde res omnes ad ortus cientur, atque adeo cœlum, & mundus ipſe, vt eſt à Deo conditus (nam Deus ipſe nullo

eſt in ordine reponendus, & exſuperat non ſolum quamcunque naturam, verumetiam omnem ſenſum, & à ſemetipſo tantum capitur) par viſum nobis, etiam de hac poſtrema linea contexere dialogos: & tametſi in medio multa reliquiſſemus, quia mens nunquam fuit, ſub ſtylum omnia deuocare, ſaltem extrema noſtra non tacere: ſiquidem Chriſtianam militiam ſectamur: Chriſtianos autem æquius eſt de morte & occaſu huius lucis cogitare, loqui, ſcribere, quàm eos, qui aut credunt, aut olim crediderunt animos cum corporibus extingui, & omnia morte deleri, atque, vt aiunt ſacratæ literæ, vnum eſſe interitum hominum & iumentorum. Mihi ſpes magna fuit, quamquam in triſti materia, non defuturam lectori iucunditatem, ex perceptione nimirum antiquitatis, cuius quidem mores in procuratione funerum, quem in cognoſcendo non delectent? Sunt autem tam multi, & varii variarum gentium, vt totis libris vix poſſint explicari. Præterea iſtuc quoque non pono in deſperatis, poſſe aliquem iſta lectione rerum

fune-

Digitized by Google

funerearum & doctiorem, & moribus meliorem fieri.

DE MISCELLIS.

APERVI antea rationem, quare poſtremo loco miſcellos dialogos adiungerem, & id denuo facturum recordor fuiſſe pollicitum: qua ſponſione nunc exeo: &, ſi forſitan animum tuum priora defatigarint, offero diuerſorium, in quo requieſcat. Scis enim nihil æquè ad leuandos animos, vt varietatem conducere. Interim hîc quoque antiquarium te reddere ſum conatus. Fas erat in hac claſſe progredi vel trecenta millia: capit enim diuerſitatem omnem, & eam eius inſcriptio promittit, confuſam tamen, & indiſtinctam: ſed confidebam, quod mihi placuiſſet & de argumentis, & de numero, id tibi ſimiliter placiturum. Deus vota ſecundet. Interea valebis mi optime, & candidiſſime lector, & me amabis: & ſi hoc volumen tibi, perinde vt prius magnum, immò enimuerò maius etiam videbitur, recordare quid in epiſtola quadã Plinii legeris. *Statuas, ſigna, pictu-*

Digitized by Google

picturas, hominum denique, multorumque animalium formas, arborum etiam, ſi modò ſint decora, nihil magis quàm amplitudo commendat: idem orationibus euenit: quin etiam voluminibus ipſis auctoritatem quandam & pulchritudinem adiicit magnitudo.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

PROGYMNA-
SMATVM.

DE RE ARCHITE-
CTONICA.

1. Præconium *architecturæ, partes, modellus.* PAG. 1.
2. *Architectus deſcriptus.* 6
3. *Ædificiorum primordia, progreſſus genera.* 10
4. *Ædificiorum partes communes.* 14
5. *Structuræ principia, ſeu copia ad ædificiorum comparationes neceſſaria.* 31
6. *Ædificationes operum publicorum, ac primum urbis.* 39
7. *Arx, templum, monaſterium, curia, ædes magiſtratuum, ærarium, forum.* 56
8. *Academia, theatrum, balnea, noſocomium, carcer, cloaca.* 70
9. *Via, caſtra, nauale, portus, pontes, ſepulchra.* 87
10. P*riuata ædificia.* 93
11. *Examen architectonicum. ſeu analyſis architecturæ.* 95

DE RE POLITICA, SIVE POTESTATES.

12. *De magiſtratu* ὡς ἐν παραλελεγμένοις *diſputatum, & de regali dignitate* 100
13. *Conſultatio Perſica, de optimo genere imperii.* 111
14. *Sacra Romanorum poteſtates, ſiue ſacerdotia.* 120
15. *Senatus Romanus, & ſenatuſconſultum.* 141
16. *Ciuiles Romanorum poteſtates libera Repub.* 154
17. *Ciuiles Romanorum poteſtates mutata Repub.* 181
18. *Miniſtri magiſtratuum.* 188
19. *Num ſint è Repub. perpetui magiſtratus.* 193
20. *Meliora eſſe legum imperia: tum de legibus vniuersè, mox de Romanis.* 196

DE RE MILITARI.

21. *Togæ militiæq; comparatio.* 206
22. *Armamentarium ſeu inſtrumentum militare.* 212
23. *Probatiſſimus miles.* 227

24. Ro-

24. *Romanorum virtus, & diſciplina militaris.* 241
25. *Artes imperatoria, ſeu officium Imperatoris.* 256
26. *Strategemata, & apophthegmata militaria.* 269
27. *Milites glorioſi.* 277
28. *Vrbis Troia excidium.* 285
29. *Triumphus Romanus, & ouatio.* 299

DE RE NAVALI.

30. *Vita nautica.* 311
31. *Inuentio, notatio, multiplex vſus, materia, genera nauis.* 319
32. *Nauium partes, & armamenta.* 325
33. *Magiſteria, miniſteria nautica, & tutela nauium.* 329
34. *Loquendi forma, & prouerbia à rebus nauticis.* 332
35. *Tempeſtas, ſiue naufragium.* 335

DE RE CVLINARIA.

36. *Oeconomus.* 341
37. *Obſonator.* 343
38. *Cocus.* 345
39. *Coquinaria partes.* 348
40. *Coquinaria amplitudo: & epulum ſeu lautitia ruſticana.* 351
41. *Iuſſa, & vituperatio culinaria.* 354
42. *Quaſita.* 358
43. *Coculus ebrius.* 360
44. *Syluula culina vocum.* 362
45. *Eſculenta, ſeu res cibaria.* 364
46. *Secunda menſa, & poculenta.* 370

DE RE MEDICA, ET MORBIS.

47. *Morborum agmina, & laus medicorum.* 373
48. *Pracepta tuenda ſanitatis, & conſeruatiua partes.* 379
49. *Medicamenta ſimplicia.* 385
50. *Medicamenta compoſita.* 388
51. *Morbidi duo, & laus podagra.* 391
52. *Phlebotomia, ſeu miſſio ſanguinis.* 396
53. *Moroſitas agrotantium.* 400
54. *Chirurgica querimonia.* 402
55. *Apologiſmus pro medicis.* 405
Elegantiarũ, pracipuè Cornelii Celſi, ſpicilegium, per locos cõmunes. 409

DE RE FVNEBRI.

56. *Æquo libentiq́; animo è corporum vinculis euolandum, & defunctos vita moderatè lugendos.* 417
57. *Curatio corporis exanimi, priuſquam efferretur.* 425
58. *Funerea veſtimenta, & tempus luctui praſinitum.* 428
59. *Apparatus & pompa funerum.* 432
60. *Floſculi, herba odorifera, ſerta, corona quibus anima exuti cohoneſtantur.* 436

Digitized by Google

61.	*Mortuos terra commendandos, & cœmeteria.*	441
62.	*Genera, materia, forma ſepulchrorum.*	446
63.	*Legitima ſepultura negata, & exhumatio.*	449
64.	*Quæ ſolerent vna ſepeliri.*	452
65.	*Epitaphia, ſculptura pyramides, columellæ, cruces ad ſepulchra.*	454
66.	*Inferiæ, ludi funebres, bene precari mortuis.*	459
67.	*Oſſium humanorum ſalutaris contemplatio.*	462

MISCELLA PROGYMNASMATA, SIVE CHAOS.

68.	*Gnomica, ſeu philoſophorum ſapienter dicta.*	465
69.	*Quatuor philoſophorum familiæ.*	272
70.	*Mores gentium.*	486
71.	*Sacrum florilegium.*	505
72.	*Supplicia ſanctorum Martyrum.*	523
73.	*Sales.*	528
74.	*Priſci ritus.*	535
75.	*Formularum veterum ecloga.*	546
76.	*Chronica, ſiue explicationes temporum.*	560
77.	*Venatio, aucupium, piſcatus.*	573

FACVL-

Digitized by Google

FACVLTAS ET PRIVILEGIVM R.P. PROVINCIALIS SVPERIO-ſis prouinciæ Rhenanæ So-cietatis Ieſu.

CVm ſacra Cæſareæ Maieſtatis decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſerio firmiterque inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos intra ſacri Romani Imperii, Regnorum & Dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, aut forma, ſiue in toto ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum patrum audeat, vel præſumat, concedo ego Ioannes Copperus Societatis Ieſu, per prouinciam Rhenanam ſuperiorem prouincialis, Ioanni Theobaldo Schônvvetter, Typographo Francofurtenſi, facultatem excudendi Progymnaſmata P. Iacobi Pontani, in quorum Fidem hoc & teſtimonium manu mea ſubſcriptum & ſigillo munitum dedi Herbipoli 19. April. 1629.

IOANNES COPPERVS.

Locus Sigilli.

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMATUM LATINITATIS, SIVE DIALOGORUM LIBRI TERTII

Pars Poſterior, SIVE LIBER QUARTUS.

DE RE ARCHITECTONICA.

PROGYMNASMA, SIVE DIALOGUS PRIMUS.

Præconium architecturæ, partes, modellus.

MESSIUS, DRUSUS.

MESSIUS. Frequens ego in eam cogitationem venire ſoleo, mi Druſe, & tibi ſæpius eandem oboriri divinare libet, architecturam noſtram artificio, impenſa, pulchritudine, magnificentia, perennitate ſtructurarum reliquas artes anteire omnes, quæ quidem citra vſuram manuum, ſola ingeniorum applicatione ſollertiaque quod intendunt moliri atque perficere nequeunt, & eò, μηχανικαὶ appellitantur. Verùm hæc quondam fuere: haud ſecus, quàm tot alia alibi præclariſſima & maxima, quæ hoc noſtro æuo aut nulla ſunt: aut cum multa lucis ac nobilitatis ſuæ imminutione ſunt. D. Sæpius, vt dicis, iſta ego mecū: nec minus ſæpe illud, quod à Tullio ſcriptum legere memini, cùm è pueris exceſſiſſem. Oratorum laus, inquit, ita ducta ab humili venit ad ſummum, vt jam, quod natura fert in omnibus ferè rebus, ſeneſcat, breuique ad nihilum ventura videatur. Commutemus vocem primam, vt ſit, Architectorum: omnia deinceps iiſdem, ac totidem verbis de noſtra natione pronunciauerimus. A tuguriolis pauperibus, & anguſtis caſulis ad domunculas & ædiculas: ab his ad domos & ædes capaciores: ab ædi-

bus ad vicos: à vicis ad oppida, ad magnas vrbes proceſſit gradatim ædificatio. Si in plura ſæcula genus hominum propagabitur, verendum fortaſſe, ne deſertis vrbibus rurſum in agris, montibus, ſyluiſque diſperſum ac diſſipatum beſtiarum ritu vitã ſibi producat, & ad primæuas ædificatiunculas reuertatur. Tam infeſtis concurritur odiis: fraudes, doli, inſidiæ veritatem, fidem, pudorem ſubuerterunt. Ardent bellis ciuilibus prouinciæ: hoſpitum reuerentia periit: ſoceri à generis malè metuunt: in diem, & ex rapto à multis viuitur.

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas.

M. Malum iſtuc non temerè in metu habes. Interim ſi quis omnium ſæculorum ſpectata ſerie artem in qua nos ſtudemus excellere, laudibus exornare volet, non erit diu in conquirendis locis argumentiſque occupatus. D. Non erit: docere ſiquidem in promptu eſt, publicè priuatimque opportuniſſimam, gratiſſimam eſſe mortalibus, & dignitate certantem cum primis. Haud enim principiò vagos, & palabundos homines alia res quàm tectorum parietumque neceſſitas & commoditas congregauit, atque unà continuit. Solis ardores nimios defendere, mordentia frigora pellere, labentes de cælo tempeſtates arcere neceſſariò debuerunt: id ſine habitationibus & receptaculis quî tandem aſſequerentur? an more talparum ſub terra ſibi cubilia foderent? Hæc ipſa corporum tuendorum neceſſitudo communium propriarumque vtilitatum deinde quaſi parens fuit. Certè in amplis vrbibus inclytarum familiarum nomen, & memoria vetuſtate abiiſſet, niſi penates patrii eas tanquam in gremio auorum ſuorum ſeruauiſſent. Geſtationes, vehicula, natationes, thermæ, aquæductus, trophæa, delubra, & alia quàm plurima ad curationem valetudinis, ad exercitationem religionis, ad fructum poſteritatis quoque non mediocriter pertinentia, noſtræ artis inuenta ſunt. Rupes præcidere, montes perfodere, conualles complere, paludes exſiccare, oſtia curſuſque fluminum dirigere, naues, pontes, portus ædificare, noſtræ demum artis opera ſunt: ſine quibus ad alias gentes aditus ſæpe non patuiſſet: regna transmarina ſemper incognita & inexplorata manſiſſent: nec vllum inſulanis cum mediterraneis commercium extitiſſet: nec orbis cum orbe contraxiſſet. Tot rebus quibus vitæ vſus indiget careremus: non varios fructus, non aromata, non gemmas & lapillos haberemus: non mores peregrinos, & variorum inſtituta populorum noſſemus: non tam multiplici rerum notitia excelleremus, & quod negligendum non eſt, prudentia tantùm non valeremus. Quid? ad patriam defendendam, ad libertatem tutandam, ad opes conſeruandas, ad decus retinendum, augendum & firmandum, nónne tormenta, & machinæ multimodæ, turres, arces, propugnacula poſtulantur? at hæc architectura ſuo iure vendicat: cuius potiſſimùm ope vrbes diu circumſeſſæ oppugnatæque, tandem expugnatæ & capti-

captiuæ factæ ſunt. Nam quæ militem quantumuis tunica coopertum adamantina, & telis inſtructiſſimum nihili pendebant, fretæ ſuis viris atque viribus, baliſtas, arietas, catapultas; quarum emiſſionibus percuſſionibuſque mœnia lacerabantur, tectaque perrumpebantur, contemnere neutiquam potuerunt. Probauit ſe in obſidionibus architecti ingenium, à quo etiam obſeſſi ſalutem & incolumitatem ſæpenumero petiuerunt. Si nos ad expeditiones conuertamus, plures victorias architectorum peritia, quam Imperatorum prudentia comparatas, crebriuſque hoſtem illorum machinationibus, abſque horum armis, quam iſtorum ferro abſque illorum conſilio victum: & nonnunquam tantillis copiis, nullo deſiderato milite, ingentes exercitus ſuperatos ac deletos inueniemus. M. Omnia tibi nimio libentius aſſentior: & cùm hæc permagni facio, tum illa quoque miranda duco: quod neminem video, qui, ſi facultas modò non deſit, non præſeferat, palamque oſtentet ædificandi ſtudium. Enimuero illud præter alia mira miror maximè, cur in architectonicis cogitationibus adeò libenter & iucundè verſemur, & ſi quid ædificatorium commentari potuerimus, non quieſcamus, donec id enunciauerimus. D. Natura, vſus & opportunitatis hominum cupida, nos tacita videtur huc impellere. M. Quid quod non rarò foris alia curantes agenteſque, intus, id eſt, cum ipſa mente aliquid architectamur, extruimus, aut deſtruimus? In ædificiis alienis inſpiciendis & conſiderandis quàm diligentes, & curioſi ſumus? Altitudines, latitudines, formas, ſymmetrias, lumina perpendimus, & pro ſuo quiſque iudicio adiungenda, adimenda, mutanda notamus: ac non rogati etiam ſuper his monemus, quò pulchrius & commodius euadat ædificium: quibus rebus quanquam ad nos nihil pertinent, tamen recreamur, & probè deſcripta, ac bellè condita dulci quodam ſenſu intuemur. Fit item neſcio quo modo, vt operum, & in primis publicorum laudes vitiaque admodum pateant, in promptuque ſint: in quibus non tam ad ſe trahit quod pulchrè poſitum, & omni ex parte abſolutum, & admirandum, quam alienat, & ad deſpiciendum mouet, quod indecens, & imperfectum eſt. Iam quis memoriæ ſuæ poſt mortem tam reperitur inimicus, vt non delectetur eam per ædificationem immortalem quodammodo reddidiſſe? non enim præſens duntaxat, ſed futura etiam, & duratura multis ſæculis gloria in ædificando quæritur: arbitranturque, ſe in regia ſedere, qui domicilium paulò inſignius ædificatum colunt. Commendantur à prudentibus, qui cum cõmoditate ſpeciẽ in extructionibus ornatumq; coniungunt, & in hoc pecuniæ ſuæ fructũ collocãt: nã & ſibi ſuiſq; dupliciter proſunt: & vrbis dignitatem atque elegantiam cumulant. Delon inſulam magis aſpectu ſuo, & auguſta fani ſpecie, quàm Apollinis oraculo celebratam aiunt. Ex parietinis & reliquiis antiquæ illius magnificentiæ hoc à nobis impetrarunt hiſtorici, vt eorum narrationes fidem & auctoritatem habeant: quo etiam Romanæ Reipub. & veteris imperij per multum creuit exiſtimatio. Quem porrò vlla in ætate

potentem ac ſapientem extitiſſe Principem legimus, cui inter primas curas extendendi nominis, quærendæque apud poſtera ſæcula perpetuitatis res ædificatoria non fuerit? Quid verò non debet Reſpub. noſtræ ſcientiæ? per quam hoc adipiſcitur, vt in amœnitate, & ſalubritate otium ſuum, in lucris negotium agat: vtrobique autem & abſit à periculo, & decus conſequatur. Eò minus mirum videbitur, ſi non poſtremum in his architectum duxerimus, qui cum de humano genere bene mereantur, honores ab eo, & præmia ampliſſima percipiunt. Is cùm ſit omnium commoditatum inuentor, & ei plurimum à communi deberi conſtet, illud tamen in ambiguo relinquitur, à qua nam hominum conditione, à qua Reipub. aut ciuitatis parte, à publicis ne, an à priuatis, à ſacris, an à profanis, ab otio, an à negotio, à ſingulis, an à genere vniuerſo plus ei debeatur. D. Dici hæc ſummatim poſſent, opinor, ſi quis à nobis artificibus artis noſtræ aliquam laudationem expeteret: nec valde in hoc oratoris lingua egeremus. Nam vnumquemq; in eo quod ſciat, ſatis eſſe diſertum Socrates aiebat.

Quomodo autem alicui interroganti partes eius ſex breuiter explicaremus? Sex enim conſtituuntur, vt noſti. Ordinatio, græcè τάξις, diſpoſitio διάθεσις, eurythmia, ſymmetria, decor, diſtributio ſiue œconomia. M. Sic agerem cum huiuſcemodi interrogatore. *Ordinationem volumus eſſe modicam membrorum operis commoditatem, ſeparatim, vniuerſæq; proportionis ad ſymmetriam comparationem. Diſpoſitionem aptam rerum collocationem:* cuius tres ſunt ideæ ſiue ſpecies: ichnographia, ortographia, ſciographia, ſeu ſcenographia. Ab operis veſtigio prima vocabulum ducit: ea in ſolis arearum formæ deſcribuntur. Vulgò planam formam nominant, quæ circini, & regulæ modicæ continet vſum. Altera eſt, cùm iam non planum opus, & ima operis veſtigia imaginamur, ſed ſubrectum, & frontem attollens, quaſi erecti operis, aduerſique deſcriptio. Hæc eſt erecta frontis imago, modiceque picta futuri operis figura. Tertia eſt non iam veſtigiaria, nec frontalis, aut aduerſaria tantùm operis futuri efformatio, ſed etiam literalis, id eſt, frontis & laterum abſcedentium adumbratio, ad circiníque centrum omnium linearum reſponſus. Seu, eſt vniuerſi tecti (quod Græci ſcenam dicunt) deformatio, non frontis tantùm, vt orthographia: non areæ duntaxat, vt ichnographia. Breuius, eſt quaſi ſcenæ imaginaria excitatio. Quinetiam operis ſuſcepti ſimulachrum & formam fabricari ſolent è ligno, quem modulum, ſeu modellum cognominant: eo fine, vt futura errata deprehendant, paruóque negotio iis anteuertant. Sculptor è cera prototypum, plaſtes è creta proplaſma fingit. Ipſa ars typorum & formarum fingendarum proplaſtice dicitur. D. De modulo, cuius mentionem habuiſti, libet tecum pluribus: ſed vbi locum de partibus abſolueris. M. *Eurythmia eſt venuſta ſpecies, commodusq; in compoſitionibus membrorum aſpectus.* Ea naſcitur, cùm membra operis conuenientia ſunt, altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem, & ad ſummam, omnia ſymmetriæ ſuæ reſpondent. Eſt autem *Symmetria ex ipſius operis membris conuenient* con-

conſenſus, ex partibuſq́; ſeparatis ad vniuerſæ figuræ ſpeciem rata partis reſponſus. Decor eſt emendatus corporis aſpectus, probatis rebus compoſiti cum auctoritate. Diſtributio eſt copiarum lociq́; commoda diſpenſatio, parcaq́; in operibus ſumptus cum ratione temperatio. Hæc de partibus à me allata paulò implicatiora, & ſubobſcura eſſe fateor. D. Et ego non nego. Attamen talibus ſermonibus vel audiendis, vel legendis ad cognitionem architectonicam non mediocriter proficient, quicunque ingenia ſua contendere, & doctrina augeri volent. Quod in aliis facultatibus fieri æquè poteſt.

Sed de modulo cogitanti mihi, laudandus videtur magnoperè mos *iſte*, vt ſcilicet non lineis tantum & pictura, ſed ligno quoque aliâue materia ædificij inſtituendi exemplar tanquam proplaſma effingatur & fabricetur. In quo vniuerſum opus, ſingulæque partes, & earum dimenſiones, numerus, ordo, omniumq́ue rerum ad ædificium ſiue cõſtituendum, ſiue exornandum ſpectantium, parietum, tectorum, conclauium, columnarum, capitulorum, baſium, coronarum, faſtigiorum, cruſtationum, ſtatuarum, &c. facies perpenditur, & examinatur. In modulo nulla cum iactura adiungere, detrahere, immutare, peruertere integrũ eſt. Impenſarum explicatior poteſt iniri ratio, dum in huiuſcemodi ſimulacro propoſitæ ædificationis latitudo, altitudo, craſſitudo, amplitudo, forma, ſpecies, qualitas ante conſideratur. Nec apparet quidquã in opere vel minimum, quod non & quid, & quale, quas ſedes, quantum ſpacij occupaturum eſſet, & cui rei ſeruiturum, ex modulo diligenter penſitato, recognito, & emendato etiam cognitum prius fuerit. M. Sanè quidem ob iſta quæ attuliſti laudabilis eſt hic mos, quia perutilis. Verùm ad laudes moduli addenda eſt adhuc alia, vt ſcis. D. Vt careat exquiſitiore artificio: nec magis fabri in eo manus, quàm inuentoris ingenium commendetur. Nolumus eſſe politum, coloribus fucatum, picturis decoratum: nudum potius ac ſimplicem. Non enim ad oblectandos detinendoſq́ue oculos, ſed ad occupandos in partium diſquiſitione animos fieri conſueuit. M. Optimè, quod abuſum qui increbuit caſtigandum putauiſti.

ANNOTATIONES.

TVGVRIOLIS, ET CASVLIS) *Tuguria à tecto appellata, domicilia ruſticorum ſordida. Verius. Caſa eſt agreſte habitaculum, palis, atque virgultis arundinibuſq́; contextum, quibus poſſint ſe homines tueri à vi frigoris vel caloris iniuria. Iſid.* TORMENTA ET MACHINÆ) *Machinationem architecturæ partem tertiam facit Vitruuius lib.*1. *cap.*3. *quam explicat lib.*10. *Sic autem definit, Machina eſt continens ex materia coniunctio, maximas ad onerum motus habens virtutes. Machinarum porrò de quibus nos loquimur, aliæ ſunt oppugnatoriæ, de quibus idem cap.*19.20.21. *alia repugnatoria, de quibus cap. vlt. eiuſdem lib.* FIT ITEM NESCIO QVOMODO) *Iuſta cauſa admirandi, cur inſtigante natura docti indoctiq́;*

Digitized by Google

omnes in artibus, & rationibus rerũ quid nam inſit aut recti, aut praui confeſtim ſentiamus. In quibus rebus, præſertim ſenſus oculorum acerrimus eſt. Ita ſi quid ſe obtulerit in quo aliquid curtum, claudicans, redundans, inane aut inconditum ſit, illico commouemur & lepidiora eſſe deſideramus. Cur id accidat: non omnes intelligimus: tamen ſi rogemur, quæ emendanda ſint, dicere poſſumus; ſed quonam modo, id non omnes poſſumus, quia peritorum in ea re proprium id eſt. Bene quidem conſulti eſt omnia præcogitaſſe, & animo præfiniſſe, ne in opere aut perficiundo, aut iam abſoluto dicendum ſit: hoc noluiſſem: illud maluiſſem. Nec verò leues pœnas malè conſtructi operis pendimus. Quod enim nos temerè & inconſultò aggredi initiò non videbamus, temporum ſucceſſu tandem recognoſcimus. Ex quo fit, vt aut æternùm ob erroris offenſam pœniteat, ſi non deleatur ac emendetur: aut ſi deſtruatur, impenſarum & iacturæ ratio, iudiciiq; leuitas, & inconſtantia damnetur. Hactenus iſtis penè verbis Leo Baptiſta Albertus, cap. 1. lib. 2. de re ædificatoria. Quo ſcriptore ob egregiã veteris memoriæ cognitionem prudentiã, & ſermonis munditiem plurimum affici me confiteor. Cũ quo mihi cõmune eſſe in his dialogis velim, quod de ſuis ſcriptis architectonicis ipſe ait lib. 3. Id ſatis dictum latinè, quod cùm aptè ad rem dicitur, tum apertiſſimè intelligitur. INTER PRIMAS CVRAS) *Notum eſt Epigramma Martialis in amphitheatrum Veſpaſiani. lib. Spectaculor. De inſana ædificatione Neronis iactatum fuit illud in eundem, quod refert Sueton. cap. 39.*

> *Roma domus fiet; Veios migrate Quirites,*
> *Si non & Veios occupat iſta domus.*

TANQVAM PROPLASMA) *Archelai proplaſmata refert Plin. lib. 35. c. 12. pluris venire ſolita artificibus ipſis, quàm aliorum opera. Ibid. Paſitelem affirmat qui plaſticen matrem ſtatuariæ, ſcalpturæ, cælaturæ dixerit, cùm eſſet in eis omnibus ſummus, nihil feciſſe, antequam finxiſſet. Formare autem eſt Vitruuio, quod vulgo modellum facere.*

PROGYMNASMA
SECVNDVM.
Architectus deſcriptus.

IIDEM.

MESSIVS. Si quis ad te veniret, Druſe, homo ſciendi auidus, ſeque voluntate ſumma auditurum abs te confirmaret, quibus ſcilicet rebus architectonicen noſtram circumſcriberes, & quàm variis eam doctrinis veſtitam atq; inſtructam eſſe oportere ſentires, quas tandem ei tuo iudicio partes concederes? quid illi, quóue pacto reſponderes? D. Egóne? Vbi docuiſſem componi & conflari architectandi artem ex fabrica, & ratiocinatione, fabricamq; definiuiſſem, *continuatam & tritam vſus meditationem, quæ manibus perficeretur*, ratiocinationem verò, *quæ res fabricatas ſollertia ac ratione proportionis demonſtrare atq; explanare poſ-*

ſet:

Digitized by Google

ſis: hæc, inquam, cum feciſſem, tum alterum eorũ quæ in quæſtione attuliſti, ſic euoluerem ac declararem, vt ipſum architectum contemplandum proponerem. In quo cùm eſſet intellectum, quas ineſſe diſciplinas conueniat, vel potius neceſſe ſit, non amplius exquirẽdum videretur, cũ quibus artibus haberet facultas noſtra commercium. M. Fac me talem percunctatorem ad te adire. D. Ludum tu mihi offers, quem animi cauſa cur non ludamus? M. Ergo ludamus. D. Qui primum locum inter domorum extruendarum artifices tenet, & quid facto opus ſit fabris mandat, ipſum principem ſtructorum, qui Græcis τέκτων. architectum dicimus, ô bone; nec ſolum literis eum ac rationibus cõfidere ac niti poſtulamus, ne magis vmbram rei, quàm rem conſectetur, ac perſequatur: nec contra imprudentem doctrinæ liberalis in manibus duntaxat geſtare artificium: quod ſic minimè labores æquatura eſt auctoritas. Quapropter viuido, & perquã acri ſit ingenio: Grammaticam deuorarit, Graphidem, Geometriam, Opticen, Arithmeticam, antiqua tẽpora nouerit, philoſophos euoluerit, aliquod Muſicæ ac Medicinæ ſtudium dederit, iuriſconſultorum reſponſa didicerit, Aſtrologiam demum guſtauerit. M. Hem, dicet idiota ille, cuius ego perſonam per ſimulationem indui: permira ſunt quæ audio, gazam diuitẽ nominas: cauſas ſingulorum abs te expiſcabitur. Tametſi non propriè idiota dicendus eſt, qui cùm noſtra ignoret, literas tamen non ignorat. Sed nos magiſtri verborũ non ſumus. D. Et dabitur, quod optabit, ſummatim ac breuiter. Lectionibus architectus ſuſtentare & alere memoriã debet. Linearum ductu promptius ac melius quàm verbis quorumlibet operũ ſpeciem oculis exhibet. A Geometria euthygrammi ac circini vſum, normarũ, librationum, & linearũ directiones mutuatur. Lumina à certis cæli ſpatiis per Opticen in ædificiis capiuntur. Eorundem ſumptus, ac mẽſurarum rationes Arithmetica expediet: citra cuius opem perdifficilis ac perobſcura eſt nonnullarum ſymmetriarum probatio. Quem autem fugit, architectos eiuſcemodi argumentis condecorare conſueſſe ædificia, quorum auctores præter rerũ explicatores, hiſtoriamq; veterem proferre nullos poſſunt? quamquã talium ornamẽtorum copiam longè plurimam illis, perinde vt pictoribus, cælatoribus, ſculptoribus, poëtarum fabulæ ſufficiunt. Philoſophia altũ donat animam architecto, & aduerſus arrogantiam, cupiditatem, inhumanitatẽ obſtinatum: ad facilitatem autem, abſtinentiam, æquitatẽ, fidelitatem mirè propenſum. Extrahit nempe philoſophia expellitq; vitia radicitus, & virtutibus pectus conſerit: quarũ æquè, vt laudandarum artium procreatrix atq; mater vocitãda eſt. Pars illa in qua viget perſpiciẽtia contẽplatioq; naturæ, quod multiplices in ædificationibus deſignandis, & in aquarũ ductibus quæſtiones naturales obijciũtur, abeſſe etiam nõ poteſt. Muſices notitia ideo requiritur, quòd (vtar verbis Vitruuianis) *architecti naturæ veſtigia perſecuti, indagationibus vocis ſcandentes theatorũ perfecerunt gradationes: & quæſierunt per canonicã mathematicorũ, & muſicam rationẽ, vt quæcunq; vox eſſet in ſcena, clarior & ſuauior ad ſpectatorũ perueniret aures.* Idem ad baliſtarum, catapultarum, ſcorpionumq; tẽpe-

Digitized by Google

raturas rationem muſicam eſſe neceſſariam ſtatuit. M. Mirabitur in hoc, cuius nomine tecum confabulor, & quæret, cur in architectura tormentorum, ſeu machinarum iſtarum verſetur appellatio D. Repente vaneſcet miratio, ſi audieret, eius tres principes generaleſque partes cõſtitui: ædificationem ſcilicet, gnomonicen, & machinationem: de quarum prima diſputat noſter Pollio octo libris à principio: de altera libro nono: de poſtrema libro decimo. M. Et medica ſcientia cur opus eſt? D. Cur? propter inclinationes ætheris, quæ dicuntur climata, & cælum lociis aliis ſalubre, aut ſalubrius, aliis inſalubre, inſalubrius, peſtilens: quæ diuerſitas architectorum conſilia moderatur. Communes parietes, ſtillicidia, cloacæ, lumina, feneſtræ, demolitiones, aquarum ductiones, aliaque ſimilia iuriſprudentiæ gnarum eſſe cogunt, vt ante locatori & conductori caueatur, quam conſtructio inchoetur, tollaturque omnis opere ad vmbilicum perducto litium & controuerſiarum materia. Aſtrologia orientem, & occaſum, meridiem, ſeptentrionem, æquinoctia, ſolſtitia, aſtrorum curſus, ad horologicam rationem neceſſaria tradit. Attamen quamuis horum indigeat, non idcirco oportet eſſe in Grammaticis Ariſtarchum, in Muſicis Ariſtoxenum, in pictura Apellem, in Medicina Hippocratem. Quid ergò? Non erit agrammatus, non amuſus ſeu amuſicus, non inſciens graphidos, non plaſtices: ſiquidem cœnationum lacunaria, & cameratum imum cælum nonnunquam aliquantò ornatius opere coronario ſiue prominenti, ſiue retuſo & caſtigato, ſiue introrſus impreſſo diſtinguet ac cælabit. Inſuper ſigilla & imagines ſeu ſtatuas paruulas in faſtigiorum acroteriis diſponet, aut in ædiculis ſemirotundis in pariete, ſiue ſchaphis: quomodo eas ob ſimilitudinẽ nominare licebit. Iam in medicis rebus non erit ἀνιατρολογικός. Demum in reliquis literarum generibus, quantum eius propria facultas popoſcerit, tantum rationes earum parteſque, id eſt, moderatè cognoſcet. M. Patet omnino, quibus comitata ſodalibus ars noſtra incedat. Sed mihi vnum quæſitum perſoluas volo. D. Quod nam? M. Quia Architectus non tantùm manibus & vſu, ſeu experientia, verùm magnarum artium præterea inſtrumentis opus habet, & ſcientiam multis cumulatam eruditionibus exercet, num tu eum inter opifices rectius, an inter diſciplinarum ingenuarum profeſſores collocandum ducis? D. Ad hæc reſponſum do paucis. Fabricatio in opificibus eum eſſe cogit. ratiocinatio iiſdem eximit: Ita erit bifrons quodammodo vt Ianus, & biformis vt Cecrops. Plato ait, nullum architectum vti manuum opera, ſed vtentibus præeſſe. Ergo quibus præcepta dat, fabri & officinatores dicuntur: & hi non ſemper intelligunt, quid faciant: Architectus intelligit quid, & quamobrem deſignet. Subſeruiunt eidem plurimi fabri & opifices, vt cæmentarij, lapicidæ, qui lapides & marmora poliunt, quiq; eadem, & columnas figuris & imaginibus, & emblematis exornant, laterarii, fictores, pictores, fabri materiarii, ferrarii, ſerarii, &c. M. Percunctatorem me & aſſenſorem hucuſq; fuiſſe, perſonamq; alienam egiſſe ſatis ſit: de cætero aſſertor fiam denuò.

ANNOTATIONES.

GRAMMATICAM DEVORAVIT) *Has omnes ſcientias in Architecto ineſſe poſtulat Vitruuius, quem, velut Cicero perfectum oratorem deſcribit. Veruntamen eius ſententiam eleuat & irridet, ut nimium multa complexam, Albert. Leo.* Nos *quæ cum aliqua ratione dicta inuenimus, ea quam pauciſſimis verbis comprehendimus, ut Architecturam tanto vberius laudaremus.* GRAPHIDEM) Deformatio *ſeu deſignatio futuri ædificii, quæ fit per ductus linearum, quibus tota ſcientia perficitur, vocatur graphis. Mallent eam nonnulli γραμμικὴν appellari, quaſi tu lineationem dicas. γραφικὴ ſcriptorum, pictorum, & ſculptorum eſt* Cùm *de illis, deſcriptionem interpretaberis: cùm de his poſtremis, deſignationem.* Li*neæ aliæ ſunt rectæ, aliæ circulares, aliæ obliquæ: quomodo figura omnis aut recta eſt, aut circumcurrens aut mixta.* EVTHYGRAMMI) *Hac voce afficitur regula, ad quam lineæ rectæne ſint, an obliquæ exiguntur: uti ad circinum circulus, quæq́ aliquam eius partem referunt.* LIBRATIONVM) *Libratio eſt libramentum. Perficitur genere quodam inſtrumenti, quo ad regulam uniuerſa quæ in plano iacent coæquantur* LVMINA ACERTIS) *Lumen interdum præſertim apud Iureconſultos, id eſt, quod lumen vel recipit, vel emittit, ſeu ipſa illuminatio. Cic. 1. de Orat. Quo quidem in genere familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo iudicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & à iuris ſtudio non abhorrens, ſimili quodam modo nuper errauit. Nam cùm ædes L. Fuſio venderet, in mancipio lumina, uti tum eſſent, ita recepit. Fuſius autem, ſimulatque ædificari cœptum eſt in quadam parte vrbis, quæ modo ex illis ædibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio, quod cuicunque particula cœli officeretur, quamuis eſſet procul, mutari lumina putabat.* Hinc *obſtruere luminibus eſt altius ædificando, vel obiecto pariete vicinis ædibus lucem detrahere. Quæ vis eſt etiam illius, officere luminibus. Vterque modus loquendi in translatione venuſtatem habet. Cic. in Bruto. Nam ut Philiſti & Thucydidis conciſis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis officit Theopompus elatione, atque altitudine orationis ſuæ (quod idem Lyſiæ Demoſthenes) ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio. Pro Rabirio.* Nec *illius animi aciem perſtringit ſplendor ſui nominis: nec mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.* PER OPTICEN) *Pars quædam Geometriæ, ait Gell. lib 16. cap. 18. ὀπτικὴ appellatur, quæ ad oculos pertinet. Pars altera, quæ ad aures, κανονικὴ vocatur quæ muſici in fundamento artis ſuæ vtuntur. Vtraq́ harum ſpatiis & interuallis linearum, & ratione numerorum conſtat. ὀπτικὴ facit multa demiranda. Id genus, ut in ſpeculo uno imagines vnius rei plures appareant. Item ut ſpeculum in loco certo poſitum nihil imaginet, aliorſum translatum faciat imagines. Item ſi rectius ſpeculum ſpectes, imago fiet tua eiuſmodi, ut caput deorſum videatur pedes ſurſum. Reddit etiam cauſas ea diſciplina, cur iſta quoque viſiones fallant, ut quæ in aqua conſpiciuntur, maiora ad oculos ſint, quæ procul ab oculis ſunt, minora.* REBVM EXPLICATORES)

De Thucydide hiſtorico differens M. Tullius in orat. perf. At laudatus eſt, inquit, ab omnibus fateor ſed ita, vt rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis: non vt in iudiciis verſaret cauſas, ſed vt in hiſtoriis bella narraret. Itaque nunquam eſt numeratus orator. Aliâs eidem rerum auctores etiam dicuntur, qui hiſtorias contexunt. Exempla de ſtatuis marmoreis mulierum ſtolatarum & Caryatidum pro columnis, de Perſarum à Laconibus captorum ſimulachris ſuſtinendo porticus tecto collocatis, periucunda eſt lectio Vitruuii lib. 1. cap. 1. PER CANONICAM) *Lucem huic loco facit caput Gellii, ex quo ſupra quadam deſcripſimus.* QVÆ DICVNTVR CLIMATA) *Clima ſpatium eſt, ſeu plaga duobus parallelis interiecta, à κλίνω, inclino: quod certo ſpacio inclinetur ad polum, ſiue declinet ab æquatore.* LOCATORI ET CONDVCTORI) *Qui dat ædificandam domum, is audit locator: qui recipit, conductor, & à iuriſconſultis etiam redemptor. Locandi ſignificatio manifeſta eſt, inquit Nonius, vt aut operis locandi, aut fundi. M. Tull. Epiſt. ad Cæſ lib. 2. vel quod locatio ipſa pretioſa. Idem in Verr. Frumentaria. Ac Senonis Meneni nobiliſſimi hominis vxoris fundus erat colono locatus. Locare conſtituere. Virg. 1. Æneid. hinc alta theatri Fundamenta locant. Lucil. lib. 30. Virtutis hac tua artis monumenta locantur Locare, marito dare. Plautus Aulul. Virginem habeo grandem, dote caſſam, illocabilem. Locare, parare. Lucil. lib. 28. Commentus tamen hac tela inſidiasq; locaui.*

PROGYMNASMA TERTIVM.

AEdificiorum primordia, progreſſus, genera.

IIDEM.

DRVSVS. De vita & moribus recentium illorum (mundo nimirum adhuc recenti ac tenero) mortalium, qui nihil ratione animi, pleraque corporum viribus adminiſtrauerint, diuinarum religionum, humanorumque iura officiorum neſciuerint, in immanem ferarum naturam immigrauerint, antequam ſe mœnibus ſepirent, plurimorum ſapientum vna eſt eademq; ſententia. In his diſciplinæ noſtræ antiſtes Vitruuius, tenes, opinor, memoria, quã mira, & parùm fortaſſe credibilia de ignis inuentione ſcripſerit. Nam quæ de primis tectorum conſtitutionibus narrat, ea nolim arguere vanitatis. M. Teneo. Arbores denſatas quatientibus ventorum flabris ramos inter ſe colliſiſſe, eo attritu flammas erupiſſe: quarum inſolenti conſpectu datos in terrorem homines extemplò fugam cepiſſe: mox iis langueſcentibus adiiſſe: ſenſu caloris iucundè affectos alimenta lignorum adieciſſe: ignem conſeruaſſe. Hoc eum tam audacter auſum dicere, nec formidaſſe, ne Prometheo irato vteretur, qui apud Æſchylum, cùm aliarum rerum, tum ignis ſeſe repertorem autùmat,

autumat, etiam atque etiam miror. Paulatim deinde conuentus obiri ſolitos, & ad cæli abſe prohibendas iniurias: vitandosque immoderatos ſolis calores, ventos, niues, pruinas, rores, frigora, pluuias, alios è frondibus habitatiunculas componere aggreſſos, alios ſpeluncas fodiſſe, quoſdam erectis furcis, virgultisque inſertis luteos induxiſſe parietes, hirundinum conſuetudinem imitatos.

Tum primùm ſubiere domos, domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & iuncta cortice virga.

Quidam ex aridis glebis domicilia fabricabantur, materia parietes iugumentantes, arundinibus, arborum foliis, ſtramentisque ad tectum conficiendum vtentes. Nec eundem eſſe locum volebāt, nec velle poterant, vbi focum ſtruerent, vbi accubarent, vbi ſomnum caperent. Notabant etiam quid, & quonam modo alii in hoc labore molirentur. Atque ita dum noui ſemper aliquid, & ad vſum idoneum adhibuerunt, & accuratione excogitatorum certarunt, in re ædificatoria plus, plusque ſcientiam ſibi ſuam adauxerunt, compluraque ædificiorum genera, ad quæ paulatim hoc ſermone delabemur, vt arbitror, inuenerunt, profana ſacra, priuata publica: quædam vſibus, & negotiis, quædam magis luſibus & otiis, ſeu ornatui. Sed de hoc capite poſtea commodius. D. Perge itaque de incrementis ædificiorum diſſerere, & hunc locum iam inchoatum ad finem ſuum perducere.

M. Cùm in extruendo eſſent aſſidui, non ſolùm manibus ad opera promptiores & expeditiores, ſed ingeniis inſuper exercitatiores, & acutiores euadebant, vberioremque rei peritiam adipiſcebantur: vt in ædificando non amplius, quemadmodum ab initio, neceſſarias tuendæ valetudinis commoditates tantùm, verum cum otio, & copiis abundarent, voluptatem quoque ſibi proponerent, ſplendoremque & varia delectamenta venuſtatum, quas Vitruuius egregias ædificiorum auctoritates appellat, quæritarent: pyramidum & coloſſorum celſitates, amphitheatrorum moles, ampliſſima palatia, magnificentiſſimas arces, nobiliſſima ſepulchra, porticus, thermas: ſperarentque ex magnis & ſumptuoſis ſtructuris magnum ſeſe, & perpetuum nomen apud poſteritatem ſibi conciliaturos: nec fore vllum hoſtem tam fero corde, tamque barbarum, qui pulcherrima monumenta diruere, & exſcindere auderet. Ex hoc ipſo progreſſu nonne quiuis intelligat, oportuiſſe nonnullos exiſtere, qui fabrorum profeſſionem & vocabulum aſſumerent? Atque hi ipſi à neceſſitate admoniti, cùm ad vſum ſuum, quo valebant, ſcientiæque imperfectionem, & velut infantiam, aliarum artium præſidia addidiſſent, eam facultatem effecerunt, quæ architectura dicitur, ipſique Architecti ab omnibus cœpti ſunt nominari. Factum deinde, vt multi tum Græci, tum Latini quæque ipſi excogitaſſent, quæque ab aliis accepiſſent, ad inſtitutionem poſterorum totis voluminibus perſequerentur. De illis Agatharchus, Demetrius, Anaxagoras, Creſiphon, Metagenes, Ictinus, Carpion, Philo, Hermogenes, Argelius, Satyrus. De his Fuffitius, Varro, P. Septimius, Cornel. Celſus, Vitruuius, qui vnus ad nos peruenit: cæt-

vel

velut communi naufragio in profundum hauſti perierunt. De quo tamen huiuſmodi inuenio quorundam eruditiſſimorum virorum iudicium: ſcriptorem eſſe proculdubio cognitione multa & varia inſtructiſſimum: verùm libros illos decem ideo à perpaucis legi, quia & mendoſi, & ad intelligendum perdifficiles, Delioq; natatore indigentes. Nam ingenium etiam non mediocre poſſe in illa rerum verborumque obſcuritate, tanquam æſtuoſo freto obrutum ſummergi. D. Papæ, iugulâras hominem, ait ille in Eunucho. Vereor ne illud Heſiodium iſto etiam loco quadret: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. Vtcumque ſit, perutilem eſſe Vitruuium architectonicæ ſtudioſis: & quanquam non ſine caligine, ac tenebris, quæ lectorem reiicere, præſertim rudiorem, & græcæ linguæ ignarum merito poſſint, tamen haud ſine omni elegantia cultuque ſcripſiſſe affirmemus licet: quò fit, vt etiam latinitatis amatoribus eius lectio fructuoſa ſit. Iſta ergo Criticis dimittamus: & ſi qui ſunt, vt ſunt, contentionis cupidiores quàm veritatis.

Ædificiorum diſtributionem non incommodam ex eo nunc in medium proferre libet. Summa genera duo facit, priuata & publica. In illis numerat atria, triclinia, exedras, œcos, pinacothecas, cubicula, balneas, & ædificationes ruſticas, vt chortes, ſtabula, torcularia, granaria, horrea, & alia denique. Publicorum partim ad prohibendos aditu, repellendoſque hoſtes, & ad ciuitatis propugnationem conduntur, vt mœnia, turres, propugnacula, portæ: partim ad expoſcendam à ſuperis veniam per precationes & ſacrificia, vt templa & ſacella: partim ad negotia & commoda incolarum, vt portus, fora, porticus, balneæ, theatra, ærarium, carcer, curia, paleſtræ, xyſti, ambulationes, aquæductus. Publica igitur, vt verbo repetam, alia ſunt defenſionis, alia religionis, alia opportunitatis. In quibus quomodo primùm firmitas, tum vtilitas, poſtremò venuſtas conſideranda ſit, & quibus rebus ſingula pariantur, nihil attinet me hîc exponere. M. Partitionem iſtam non reprehendo. Sint ædificiorum alia priuata, alia publica: & horum alia neceſſaria, alia religioſa, alia vtilia. Sed enim his ego tribus libenter quartum adiicerem, ſi tu non nolles. D. Immò volo. M. Decora vrbi: in quo quia ipſa templa reponere poſſumus, quæ magna vrbium ornamenta, & præcipua decora ſunt, cùm ferme magnificè ac ſumptuoſè conſtruantur, ita rurſum ad ternarium reuertemur. Veruntamen ſi primos ortus, & incrementa ædificiorum perpendamus, nulla habita priuatorum publicorumque ratione, generatim in neceſſaria, opportuna, & voluptaria ſeu iucunda diſtribuemus. Certum eſt enim, vtrobique neceſſitati primùm, poſtea commoditati, tandem voluptati ſeruitum eſſe. Vt homines non ante conſiderant quid vtile ſit, quàm neceſſarium: nec prius ferè, aut magis obiecta vtilitate, quàm neceſſitatis ſpecie in actionibus ſuis mouentur: ſic neque ante ſe ad iucunditatem, quàm ad opportunitatem conuertunt: & poſtquam adepti ſunt quæ proſunt, ſectantur etiam quæ delectant. Rurſum ſi copiam diuerſitatemque ædificiorum mente nobiſcum volutemus, videbimus ea pro varietate hominum,

Digitized by Google

num, quorum cauſſa excitantur, quorumque vſu variantur, conſtitui. Hominum porrò cœtus priſci illi Rerumpub. legumque auctores alij alio modo cum partirentur, effectum eſt, vt ſingulis ordinibus ſingula ædium ſeu ædificiorum genera conderentur: militibus, artificibus, magiſtratibus, &c. ſed de his hactenus, & quidem iſto modo.

ANNOTATIONES.

PLVRIMORVM SAPIENTVM) *De agreſti, inhumana, horrida, & infelici vita priſcorum hominum, deque emendatis eorum moribus, domorum atque vrbium, & ciuitatum principiis ſcripſerunt Plato in Protagora & 2. de Repub. Cic. 1. de Inuent orat. pro Sextio, & 5. Tuſcul. Diodorus lib. 4. Vitruuius lib. 2. cap. 1. Lactantius lib. 6. cap. 10. Euſeb. de præparat. Euang. lib. 1. cap. 4. Eccleſ. hiſtor. lib. 1. cap. 1. Niceph. lib. 1. cap. 3. Polydorus lib. 1. cap. 3. Lucret. lib. 5. Horat. ad Piſon. & ode 10. lib. 1.* PROMETHEO IRATO) *De furto ignis à Prometheo deſignato, & in terras ad homines delato, fabula eſt vulgatiſſima. Apud Æſchylum ſtatim ab initio tragœdia id ei* Κράτος *exprobrat, hortans Vulcanũ, vt eum etiam tanquam ſua gloria inimicum, non modò Ioui rebellem ad Caucaſum firmiſſimè affigat. Ipſe verò Prometheus, dum longiuſcula oratione ſua in mortales promerita commemorat, non dubitat dicere.*

Πρὸς τοῖς δε μέντοι, πῦρ ἐγώ σφιν ὤπασα,
Ἀφ᾽ οὗ γε πολλὰς ἐκμαθήσονται τέχνας.

QVIDAM EX ARIDIS) *Metum non fuit omnem modum perſequi, quo caſarum ſuarum conſtitutiones antiqui illi perficere ſolerent. Narrat hoc in genere ſeorſim quadam de Colchorum, Phrygum, aliarumque gentium ritu Vitruuius libro 2. cap. 1. quæ vetuſtatis indaganda ſtudioſiores legent cùm placuerit: atque vt placeat legere tum hæc tum alia, quæ nos in hiſce annotamentis tantum libamus, vehementer eos hortamur.* MATERIA EOS IVGVMENTANTES) *Fixis & erectis duabus haſtis, ſuper eas tranſuerſim ligabatur tertia. Sub ea militem victum diſcinctum tranſire cogebant ignominia cauſſa, & iugum appellabant, & ſub iugum mittere dicebant. In vitibus item iuga erant, quæ pedamentis tranſuerſa iungebantur, ſeu iugabantur, quibus ſtabat recta vitis: & inde vinea iugata, quas vocat ſublimes Varro lib. 1. de re ruſt. cap. 8. À iugis igitur iſtis detortum ſit fortaſſe iugumentum, & iugumentare verbum apud Vitruuium: quando nimirum trabibus directis hinc atque hinc ſubſtratis, ſupra tranſuerſaria alia hinc inde ſingula in angulis rudius, id eſt, vt interuallum quidem ſit, ſed non alta inciſura, ſiue crena, committuntur ita, vt quaſi bina per diuerſum contignationes, angulis quatuor fiant. Catoni de re ruſt. cap. 14. iugumenta videntur eſſe ſupera limina, ſeu portarum feneſtrarumq; ſupercilia.* PYRAMIDVM, ET COLOSSORVM) *Pyramis eſt figura, quæ in modum ignis ab amplo in acumen conſurgit. Ignis enim apud Græcos* πῦρ. *Iſidor. lib. 2. cap. 12. De pyramidibus*

Marcel-

Digitized by Google

Marcellinus libro 22. Herodotus libro 2. Ariſtot. lib. 5. de repub. cap. 11. Diodorus libro 1. Strabo lib. 17. Plinius lib 36. cap. 12. Solinus cap. 5. Propert lib. 3. eleg. 1. Ioſephus lib. 1. antiquit. Coloſſus nominatur παρὰ τὸ κολλύειν τὰ ὄσσε, *quoniam oculorum acies eius nimia celſitate infringi videatur. Sunt moles ſtatuarum, turribus pares. Vide Plinium lib. 34. cap. 7.* ARCHITECTI AB OMNIBVS) *Qui* τέκτων *à Græcis, à veteribus Latinis tector eſt nuncupatus: quiq; architecton, architector. Varro apud Nonium in confutare. Harum ædium ſumma atria confutabant architectores. Cic. architecti vocabulum frequenter ad alia cum lepore transfert, quod obſeruauit etiam Victor. lib. 11 cap. 11. In Bruto Stoicos verborum architectos appellat. De leg. agrar. architectos legis. pro Cluent. principem atq; architectum ſceleris, vt Demoſth. orat. contra Dionyſium* ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς *dixit. De finibus libro 1. Quæ ab illo inuentore, & quaſi architecto beata vita dicta ſunt. De Epicuro ſermo eſt. Sic Architectari 2. de finibus. Cur tandem ſapientia tantoperè laudatur? an quòd illa callida eſt, vt optimè poſſit architectari voluptates? Id eſt, formam & rationem fruendarum voluptatum comminiſci & præſcribere, quemadmodum architecti opera maioris ſumptus & magnifica, ingenti ratiocinatione architectari ſolent. Sic locum explanauit Bud. in Pand.* PRIVATA ET PVBLICA) *de publicis diſputat Vitruuius libris quinque ab initio. De priuatis lib. 6. De iis quæ ipſe defenſionis nominat, lib. 2. cap. 5. Quæ religionis lib. 3. & 4. Quæ oportunitatis libro 5: Octauo autem quæ ad aquam, & aquæductus. De firmitate publicorum lib. 6. cap. 11: De vtilitate eodem lib. cap. 7. & alibi. De venuſtate, quoniam in ea ſymmetriam conſiderat, dicendus eſt agere libris prioribus, quibus eius ratio traditur. Eo referuntur quæ de politionibus & pictura ſcripſit lib. 7.* ALII ALIO MODO PARTIVNTVR) *Partitiones huiuſmodi plures recenſet Leo Baptiſta lib. 4.*

PROGYMNASMA QVARTVM.

ÆEdificiorum partes communes.

TARPEIVS, SEVERIANVS.

TARPEIVS. Ita enimuerò, vt autumaſti Seueriane, laborioſa multum, multiſque obſepta, & quaſi circumuallata difficultatibus eſt, cui ſtudium noſtrum omne addicauimus eloquentia. Vt enim diſcedamus ab illa trigemina philoſophia percipienda, ab animorum motionibus pernoſcendis, ab oratione velut architectanda, à lepore, facetiis, & eruditione libero digna, ab actione & memoria, de quibus ſeparatim plurima differuntur, & in quibus ſingulis elaborare operoſum eſt, quæque ſunt artes non mediocres ipſæ per ſe: vt exiſtimare poſſimus facillimè,

quantam

quantam earum concurſus atque coniunctio magnitudinem efficiat, vt ſoleamus de tenenda omni antiquitate, exemplorumque vi: de legum, & iuris ciuilis prudentia minimè negligenda; de cognoſcenda conſuetudine ſenatoria, diſciplina reipub. iuribus ſociorum, fœderibus, pactionibus, cauſſa imperii: vt, inquam, his prætermiſſis generatim dicamus: Oratori, ſi ſtudeat ſe eſſe perfectum, atque ita perfectæ laudis compotem, omnium rerum magnarum, artiumq; bonarum ſcientia comprehendēda eſt: & earum ſcriptores ac doctores & legendi, & peruolutandi, & exercitationis gratia laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: diſputandumque de quauis re in contrarias partes, & quidquid erit in quالibet re, quod probabile videri poſſit, eliciendum atque dicendum. S. Cum cætera tibi do perlibenter quæ diſſeruiſti, libata ex illius fontibus, quo ſol iſte nec vidit, nec videbit quidquam eloquentius: quique vnus omnium veriſſimè pronuntiare, & tanquam Apollo Delphicus oracula de re tanta fundere potuit: tum illud libentiſſimè, quod aiſti de peruolutatione ſcriptorum, non ſanè vnius, aut duorum, ſed omnium, quorum induſtria bonas artes æternitati litterarum commendaſſet. Sunt enim quidam meo iudicio non planè ſtulti, ſuo plus æquo ſapientes, qui è libris Ciceronis quà rerũ, quà verborũ oratores ſe prodituros ſomniant: quo nihil poteſt cogitari obtuſius, atque inſcitius, & à ſenſu præceptiſque Ciceronis alienius, ac remotius. Nam vt illud fateamur, quod inficiari non poſſumus, huius viri ſcripta omnigena ſcatere doctrina: tamen ea nos ad cognitionem artium neceſſariam contenti eſſe nequimus, cùm non aliter ferè in iis, ſcriptis inquam eius, quàm palæſtra in his qui pila ludunt appareat. Etenim iſti in ipſa luſione artificio palæſtræ non vtuntur: at motus ipſe indicat ecquid palæſtram didicerint: ſic in oratore aliæ artes apparere, & elucere debent, cùm oratorem agit, quem pæne vbique agit, non etiam tum ab eo vt à magiſtro explicari. Quare etiamſi quæ-gam geometrica ab eo dicuntur, muſica, geographica, aſtrologica, non idcirco Euclidem & alios non legam. Nec ſi de medicis nonnulla attingit, *Galenum* iubebo valere, & Hippocratem. Nec ſi de vſucapionibus, *teſtamentis*, *alluuionibus*, circumluuionibus, tutelis, gentilitatibus aliquid afferat, ideo iſta apud iureconſultos non quæram. Eodem modo ſi de columnis, porticibus, gymnaſiis quippiam apud eum repperero, non idcirco vendam Vitruuium, Leonem Baptiſtam, Serlium & alios, quorum de architectura feruntur cõmentarii. Veruntamen non vtar his quæ legi vt ii vtuntur apud quos legi ſed vt Cicero, id eſt, vt oratorem decet: Oſtendere nimirum, ſe non eſſe illarum artium rudem. Atque vt in eodem ſimili conſiſtamus, eo modo, quo, qui pila ludunt, palæſtræ artificio vti conſueuerunt. T. Vel Momus dictis tuis applauſerit. Atque ego Tullianum amplexus conſilium, iſtos explicatores artium optimarum iam pridem euoluere ingreſſus ſum. Legi de re metallica, de pictura, de venatica, de equeſtri, de militari, de architectonica: quæ poſtrema quod in ſe continet vetuſtatis plurimum, nec parum varietatis, multùm etiam dignitatis & maieſtatis, multum recõditæ prudentiæ, nec vulgaris ſcien-

tiæ,

tiæ, adeò me tenet, ac paſcit, vt totos interdum dies, nedum horas huiuſmodi non lectiunculis, ſed lectionibus conſumam. S. Tu igitur, ſi tibi non ſum odio, ſinas quæſo, vt hæc, qua te paſci affirmas, tam bella notitia ad aliquem etiam vtilitatis meæ fructum redundet. T. Quæ valuero meminiſſe, & prima occurrerint, ea tecum ita faciam communia, vt ſi hiſtoriam narrarem tibi: non enim tui erudiendi cauſſa id faciam. S. Modo faxis. T. Rem ædificationum diſtribuunt in partes omnino ſex: in regionem, aream, partitionem, parietes, tectum, apertiones. Regionem nominant patentem ſoli amplitudinem, & faciem circum locum, in quo ponendum eſt ædificium. Aream partem regionis certumque ac definitum loci ſpatium, quod muro comprehenditur. Partitionem, quæ aream totam ac primam in minores areas ſecernit, ſtatuendis ædificiis minoribus, quibus vti membris inter ſe reſpondentibus, vniuerſum ædificii corpus abſoluitur. Parietes, ſtructuras illas, quæ ab humo altius attolluntur tecto ſuſtentando, quæque intra ædificium inſtar ſepti & valli per vacua ducuntur. Tectum tum ſublimem & extremam partem ædium, qua imbres, niues, grandines excipiuntur: tum quidquid latum & longum ſupra habitantium caput eſt: quo ordine ſunt cōtignationes, cōcamerationes, teſtudines & ſimilia. Apertiones, quà rebus & hominib. initus & exitus. S. Quia breuiter ac circumſcriptè ſenatum partium vnamquamque explicaſti, id eſt, definitione amplexus es, proximum videtur, vt eodem quo ordine enumeratæ ſunt euoluas. Quamquam hoc abs te non vt à magiſtro, (nam id te facturum negabas) ſed vt à narratore velim: & ſi patitur humanitas tua, rogo. Me quidem nihil eſt ad audiendum erectius. T. Non æquè multa, nec fortè tam præclara auditurus es, quàm ſcribunt, qui ſe harum rerum doctores profitentur: nam quis poteſt non aliquid obliuiſci? S. Age, cauſando noſtros in longum ducis amores.

REGIO.

T. Regionem veſtigabant immunem carentemque rebus incommodis, nocentibus ac perniciosis: pollentem contra, affluentemque commodis, & opportunitatibus plurimis: nec aliud perinde, vt graue & inſalubre cælum fugiebant. Haud inconſultò: quippe cum terrarum aquarumque vitioſitati ars & induſtria mederi ſoleant, vix eſt vt cælum emendetur: vt aut ex craſſo tenue, aut ex caliginoſo lucidũ, ex nebuloſo ſincerũ, ex humido ſiccum, ex pingui atque concreto ſubtile, ex immoderato temperatum, ex peſtifero demum ſalutare vlla ingenii ſollertia, vllaue opera & molimine reddatur. S. Sine dubio producendis, nutriendis, confouendis, conſeruandisque naturis perampla & permagna in cœlo ſita eſt poteſtas, & ad hominum ingenia haud parum intereſſe viſum ſapientibus, quo illi cœlo viuant: quod quidem pro locorum varietate ac differentia aliud atque aliud eſſe cùm nouerimus, aliasque mundi oras eo frui quàm lætiſſimo: alias quamquam talibus vicinas & contiguas, mœſtiſſimo; rationes partim tenemus, partim adhuc indagamus, & propter obſcuritatē

non

Digitized by Google

non attingimus. Sed probatiſſimi aëris, id eſt, qui ſalubritate ſit præditus, quas notas amabo, quæ indicia, quæ ſigna inueniſti? T. Quæ? audies. Si eius ſimplicitati nullus ſpiritus fæculentus, perſpicuitati nihil fumidum, leuitati nulla grauitas, æquabilitati nulla inæqualitas, aut mutatio ſe permiſcuerit, atque ita eum vitiarit. Ambarum conditionum, expetendæ, inquam, & auerſandæ, in ſolem ventumque cauſſa conferenda eſt. Et ſunt optabiliores auræ, quàm venti: quos nihilominus etiam ſæuos ac rapidos cælo ſemper quieto, pigro, & immoto ac torpenti debemus anteponere: quando hoc ipſo id craſſeſcere, inquinari, & tanquam ſordibus fœdari oppleriq́ue neceſſe eſt, quia agitationis expers manet. Agitatione ſiquidem & impulſione flabrorum validiore, qua humo remiſſi halitus vel diſſipantur, vel ipſo calore per agitationem nato concoquuntur, perpurgari, teneraſcere, & quodammodo hilareſcere ſolet. Ventos aut oppoſitu ſyluarum atque montium ante refractos & exciſos: aut tanquam de prælongo itinere feſſos ſpirare volunt, nec cooriri è locis paluſtribus, lacuſtribus, fœtidis, contagioſis, ne afflatus ipſi re mala grauidati, damnum corporibus importent. Genitorem, cuſtodem, reſtitutorem bonæ valetudinis Aquilonem: languoris, pituitæ, morborumq́ue patrem & conciliatorem Auſtrum faciunt. Illius natura quaſi maſcula, & durior eſt. Huius fœminea & mollior: quo regnante, ne pecus quidem tutò errare in pratis arbitrantur. S. Quia ſecundæ valetudini flatus Aquilonares, aduerſæ Auſtrini ſeruiunt, conſentaneum eſt, gentes quæ ad Septentrionem habitant, quàm quæ meridiem verſus, incorruptiorem obtinere ſanitatem. T. Nihil verius. Iam aërem ſinamus quieſcere, & ad alia prognoſtica, aquarum nempe ſermonem detorqueamus. S. Ne diu ſinamus quæſo, ne ſitu & otio marcidus & mucidus, à nobis periculosè hauriatur. T. Non quieſcet ætatem: Ingentia momenta ad bonam corporis temperationem in aquis ſunt. Guſtatu, & igne examinandæ atque explorandæ ſunt, num quid viſcoſum, crudum, impurum, admixtum lateat, vnde earum potu homines aut ſtrumis deformentur, aut calculis excarnificentur, aut aliis inualetudinibus dinexentur. Laudatiſſimi ſaporis, odoris, coloris illam aquam decernunt, quæ omni ſapore, odore, colore vacat: quæ pellucida, ac tenuis: quæ candido ſuperfuſa linteo nullas creat labes aut maculas: quæ nihil ſui poſt aliquantam quietem deperdit: quæ poſtquam calefacta deferbuit, & conquieuit, nihil limi, fœcis, arenarum in imo vaſis relinquit: quæ cum farina ſubacta bonum panem efficiat: in qua legumina celeriter decoquuntur: quæ citò concaleſcit: quæ parum ponderoſa: quæ alueum quo labitur, & ſaxa quæ alluit, muſco non prætexit. S. Satis cumulatè me iſta docent, quibus rebus aquam probem, aut improbem. Reducor autem in memoriam admirabilis cuiuſdam in aquis explorandis veterum Romanorum diligentiæ. Non enim tantummodo ſi oppida eſſent fundaturi, ſed etiam ſi caſtra ſtatiua metaturi, pecudum exta ſollicitè rimabantur. Quod ſi iecinora liuida, aut vitiata inuenirent, quoniam id malum aquarum vitio eueniſſe ſibi

Digitized by Google

perſuadebant, citra cunctationem alibi caſtra faciebant. T. Rectè ſibi iſtuc perſuaſerunt. Vtile eſt etiam ad aquam probandam (vt hoc addatur corollarium) conſiderare corporum figuras, & lineamenta hominum illam bibentium. Si fuerint validi, colore nitido, rectis cruribus, acri oculorum obtutu, non lippientes, ventre neque obeſo, neque nimium caſtigato, puram eos ac ſalubrem bibere credi poteſt. Laudatur & inde regio, ſi incolis cum à natura ipſa rerum, tum à cætero hominum genere conuictuque bene futurum videatur. Ex quo vetant vrbes, aut aliud quidpiam condere in montibus pæne inacceſſis: niſi fortè (cuius maxima vbique ſupra omnem legem vis eſt) neceſſitas id popoſcerit. Vetant etiam in ſolitudinibus, quando vtrobique deſit, quorum vita humana indiget. Prudenterq; Alexander, qui Dinocratem præſtanti ſcientia Architectum montem Atho in ipſius Alexandri ſimilitudinem conformare, atq; in eius dextra oppidum capax decem millium ponere volentem, ac promittentem repudiauit. Aditus ſint complures & varii, quó nauibus & iumentis hyeme & æſtate, abſque incommodo importentur, & inuehantur, quibus carere pro conditione noſtra mortali non poſſumus. Sit humida ſiccitate, & ſicco humore: alioqui frigidior & ſiccior minus quidē calenti, ſed affatim & iniq; humenti præferenda eſt. Frigori quippe tecto, pariete, veſtimentis, camino luculento reſiſtere licet: nec ſiccitas tantoperè detrimentoſa eſt vel ingeniis, vel corporibus: quæ cū ſiccis ſolidentur & rigeſcant, humidis in tabem abeunt, & calidis reſoluuntur: nec vllis aquè vt frigidis tempeſtatibus locisue à morbis eſt vacatio. Commodiſſima regio, quam obſident tepor, & humoris mediocritas. S. Dentur huic generi primæ: ſecundas quæro cui dem. T. Ei, quæ vel in algidis terris, qualis eſt Thracia illa niualis, plus obiecta eſt ſoli: vel in æſtuoſis & torridis plus humidi habet, & vmbrarum. Circumſpicere etiam fas, ſitne in regione quam quærimus hoc ſermone, bonorum vbertas fructuum. An quæ profert tellus, ſucco, odore, colore placeant. An quæ in Apothecis & granariis conduntur, vt triticum, hordeum, & aliæ fruges atque fructus putiſcere, & corrumpi verius incipiant. Eſt enim cauſſa, terræ illius proba & ſalutifera exſpiratio. Si ſecus fiat, eiusdem ſoli afflatus noxios & infeſtos arguet. An illic multi & admodum ſenes, multi & valentuli, viuaces & ſuccipleni pueri. Sin autem ſenes rari, pauci morbidiquę pueri: ſi facies hominum macilentæ, deformes, pallore ac liuore occupatæ, corpora infirma, languida, membra flaccida, partus monſtroſiores, vt ſtrabi, claudi, tortuoſi, imperfecti, & manci, non eſt quod bene ſperemus: tum ſperabimus, ſi vultus læti, facies colore bono, membra robuſta, vegeta, optimè ad ſuum munus fungēdum affecta. Salutarem inſuper ſitum oſtendunt animalia, ſi fuerint membris firmiſſimis, amplis, longis: ſi viſceribus reperiantur integris & ſanis: ſi pulli catuliquę viribus, ſanitate, ſpecie & rebus aliis præſtent cæteris de ſuo genere, aliis in regionibus lociſue procreatis. Quin & ædificia ſcabra & carioſa malignitatem regionis produnt. Et arbores, ſi in vnam partem velut conſenſu proclinatæ, aut refractæ viſantur: etenim hoc immoderat o-

rariorum ventorum indicium. Illa nihilominus præmeditari iubent, quæ ex præteritis temporibus rara prudentes obſeruarunt: loca enim ſunt, quibus occultum quiddam natura ingenuit, quod homines felices, aut infelices faciat. Locris & Crotonæ lego nunquam ſæuiſſe peſtilentiam. In Creta nullum exiſtere animal nocens. In Ægypto nullas cadere pluuias. Alicubi in Galatia per tempus æſtiuum adeo debacchari ventos, vt lapides arenarum inſtar per auras ſecum ferant. Delon nunquam terræmotu conquaſſatã. Verùm inter ea loca, quibus ædificatione abſtinendũ eſt, non poſtremas, ac potius primas tenent conualles. S. Hei, conualles? T. Etiam. S. Si his maximè abſtinendum erit, vt auguror, illa erit maximè incommoda, indecens, inamœna ædificatio. T. Rem tangis. Niuibus talia ædificia obruuntur, eluuionibus intercipiuntur: & quia humorem bibunt immodicum, putent madore continuo, infeſtumque firmis alioqui à valetudine corporibus afflatum continenter reddunt, quo libri, arma, frumenta putore vitiantur. Sole clarùm micante, cùm it ſine nube dies, qui ædes huiuſmodi incolunt, propter radios vndiquaque repercuſſos pænè exuruntur. Si à ſolibus deſerantur: vmbra diuturniore in cruditatem torpedinemque labuntur. Præterea in huiuſcemodi locis venti velut conſtricti compreſſique magis quàm in antro Aeoli, & violentius bacchantur: ac, niſi quæ ſunt validiſſima, lacerant, diſturbantque omnia. Si paulum ſileant, aer contractâ ſpiſſitudine ægreſcit quodammodo, nec eſt ibi aliud, quàm ſtãgnum aerium, ſeu lacuna aeris. Ædificationem igitur molientibus, conualles auerſandæ ſunt. S. Quod ex dictis colligo, humilia & depreſſa loca non ſunt amanda ædificatoribus; ſed editiora potius, vbi aſſiduitate motionis aer exerceatur. T. Caue ne cum te diſcipulum feceris, me magiſtrum eſſe cogas per imprudentiam. S. Tamen facere vix poſſum, quin aliquid nonnunquam interijciam interrogando, ad quod te putem reſpondere poſſe ex iis quæ legeris: quãquam vt artifex fieres, non legeris. T. Fortaſſe poſſum. Nunc de pulchritudine, & quaſi quibuſdam ornamentis regionum, quæ in mentem venient, enuntiabo. Valent eo quædam operum miracula, quæ ſi quid habent cõmoditatum, non reprehenduntur: ſin minus, hoc eſt, ſi neceſſaria non ſunt, vituperantur. Quid enim laudis abſtuliſſet ille, qui vaſtiſſimũ Atho montem in effigiem Alexandri ſuo artificio fingere voluit? At Nitocrin Aſſyriorum reginam commendant, quæ ad eundem pagum fluuium Euphratem maximis foſſionibus ter inflexit: quo pacto regionem & munitiorem, & aquarum exuberãtiâ feraciorem effecit. Verùm æquare montes, maria iungere maribus, inſulas iungere cõtinenti, mutare curſum fluminum, facinora impenſæq; regum ſunt, quibus illi famam apud poſteros nunquam morituram aucupantur. Quæ, quò vtiliora fuerint, eò amplius illi quod voluere conſequentur. Addit etiam dignitatem regioni, ſi conſecretur: vt olim Sicilia Cereri dicata fuit: & Luſitani quas in Oriente inſulas inuenerũt, iis certos diuos pro patronis ac tutelaribus præfecerunt. Si prædita ſit aliqua re ſingulari, & ara. Apud Menoëm inſulam ſcriptum reperi homines tamdiu vixiſſe, quamdiu eis libuit: S.

Digitized by Google

Quàm vellem me in hac inſula natum? Certè ſingulare hoc & rarum fuit, ſi fuit. T. Hyberniæ cælum adeo mihi narratum eſt innoxium, ut quidam quantumuis ſenes, in ea hac luce defungi nequiuerint: ſed exportari aliò neceſſe habuerint mortis obeundæ cauſſa. S. Ante me in neſcio qua inſula natum cupiebam, nunc in iſta vellem: ſed profectò morti non tantum gratificarer, vt me exportari eius gratia finerem. Si me illic de medio tollere ſenem nollet, fineret vel immortalem vitam degere. Nam vt ille non habebat cur accuſaret ſenectutem: ſic ego non habeo ſanè cur accuſem vitam. Eſtne aliud regionis decus? T. Et quidem magnum. Si efferat alibi nunquam viſum, hominibusque optabile, & frugiferum: vt ſuccinum, cinnamomum, balſamum. Si quædam illi, & admiranda vis à Deo videatur inſita: vt ei, quæ nihil ferre nocuum dicebatur. Sanè in Hybernia audiui nullam cerni araneam. In Sueuia conſtat nullos inueniri ſorices: quod D. Vdalrici Auguſtanorum Epiſcopi precibus dediſſe Deum aiunt. Sequitur vt narrem tibi quæ de area legerim. S. Ea erat pars propoſitionis tuæ altera.

A R E A.

T. Cum Area ſit ipſius regionis certum quoddam, ædificioque deſtinatum ſpatium, conueniunt in eam ferè omnia, quæ ad regionem in utramque partem æſtimandam à me percurſa ſunt: habet tamen propria quædam: Videndum erit quodnam opus ſuſcipiatur, publicum an priuatum: ſacrum an profanum: curiáne ſcilicet an ſtabulum: templum an theatrum, & alia ad eundem modum: ſiquidem aliud ſpatium, & alius areæ ſitus ac modus alibi deſideratur. Arearum hæc angularis eſt, illa circularis. Angularium alia rectis definitur lineis: alia partim rectis, partim flexis. Quæ autem partibus ipſis ædificii commoditatem & gratiam addunt, ſi adſint, & deformitatem afferunt, ſi deſint, eadem in areis cuſtodienda ſunt: nempe vt cum angulis, tum lineis, tum etiam partibus quibusque varietas quædam adſit, & paribus paria reſpondeant. Commodiſſimi cenſentur anguli recti: acutis niſi neceſſariò non vtuntur: obtuſos non indecoros iudicant. Rotundam aream conſtat eſſe capaciſſimam, ad quam ſeu aggere, ſeu muro circundandam minor impenſa requiritur. Secunda huic, quæ plurimos habet angulos proiectos. Cæterum angulos cuiuſvis areæ compares omnino, atque inter ſe reſpondentes, & æquabiles eſſe oportet. Inter lineas etiam proportio exigitur. Area aut plano ponetur loco (de artificioſa, non de naturali loquor) aut accliui, aut in ſummo iugo montis. In plano exaggeranda erit, & quaſi podium ſubſternendum. S. Cur tandem? T. Conciliat dignitatem hæc res, &, ſi omittatur, ab alluuionibus fluminum & imbrium limus & rudera conuehuntur in plana, ex quo tumores ſeu tumuli paulatim exiſtunt, & circum ea loca cardui, lappæ, & aliæ agreſtes atque inutiles herbæ naſcuntur. Quoniam verò ſeu natura, ſeu arte facta area firmiſſima debet eſſe, foſſione vna & altera, interuallo intercedente, denſitas,

raritas, mollitudo ſoli indaganda eſt: vt quàm idoneum ſit ſtructurarum oneribus perferundis intelligatur. Quæ tecto operiuntur areæ, ad libellam æquabuntur: ſub dio relictæ tantùm deprimentur, quantum ſatis eſt, vt cæleſtium aquarum illapſus emittant. Ornamenta regionis etiam aream ornant, cùm ſit pars regionis area. Dat nihilominus quædam decora areis natura, vt admirationis cauſſa in aliis quam in aliis ædificare præſtet: promontoria, colles, antra, fontes, veterum rerum veſtigia, quæ oculos menteſq; commoueant. Et campos vbi Troia fuit quis non libenter intueatur, vt ſe hoc intuitu rerum maximarum admoneat? Et, ſi ædificare vrbem velit, an non in tali maximè loco velit? Sic Helena Imperatrix, Conſtantini parens ſe beatam iudicauit, quod eo loco templum excitaſſet, quo loco Saluatori crux fuit conſtituta. Præterea manus & ingenia hominum ad condecorandam aream multum valere poſſunt: vt ſi ſtatuantur columnæ, obeliſci, arbores & alia, quorum aſpectus admirationem poſteris inijciat. Maximopere autem honeſtatur locus, ſi qui tale ei contigerit, quale ſacello Dianæ in Creta, in quod niſi pedibus nudatis ingredi non licebat. In ædem Bonæ Deæ maribus introgredi nefas erat. Doliolis loco Romæ apud Cloacam maximam, vbi oſſa Pompilii Regis ſeruabantur, deſpuere piaculum erat. Hieroſolymis accepi agrum qui de pretio ſanguinis Domini Ieſu ad ſepulturam peregrinorum emptus eſt, incolarum cadauera, ſi quæ illic tumularentur, reuomuiſſe. Generatim ad areæ elegantiam faciunt ambitus, circumſcriptio, aggeratio, complanatio, ſtabilitio. Si qua fuerit ſicciſſima, æquabilis, conſolidata, ad rem cui deſtinatur comparatiſſima, ea cenſebitur honeſtiſſima. Conferet illud quoq; ad auctoritatẽ loci, ſi ſplendidum ei nomen imponatur. S. Recordor Adrianum Auguſtum cœnacula villæ Tyburtinæ Academiam, & Tempe appellaſſe. Sic quidam hortos amœniores vocant paradiſos. Sic in 3. Æneid. fluuiolo Buthrotum præterlabenti Helenus Simoëntis nomen indiderat. M. Tullius item villarum ſuarum gymnaſia, Academiam & Lyceum cognominauit. T. Poteſt congerere exempla plurima, ſi quis ſecum de hac re cogitare voluerit. Iam partitionem vt inſtituimus perſequamur.

PARTITIO.

In hac totam ingenii ſui vim, totamque artem architectus conſumit: ut videas, quantum in ea ſit ponendum. S. Nondum iſtuc percipio. T. Hem, non? Quia integri ædificii partes, ſingularúmque partium habitudines, omnium linearum angulorumque conſenſum, & in vnum opus coniunctionem partitio vtilitatis, ſpeciei & amœnitatis ducta ratione commetitur. Ac ſi ciuitas maxima quædam definitur domus, & rurſum domus minima quædam ciuitas, certe domorum membra minima quædam domicilia definientur: vt porticus, atrium, culina, granarium, cœnatio, &c. Quocirca vt in animante membra membris: ſic in ædificio partes partibus reſpondebunt, multaque his cura & diligentia impendenda, cum earum imperfectiones atque vitia ad univerſi operis

Digitized by Google

ris deformitatem vituperationemq; pertineant. Hinc maiorum ædificiorum maiores cõuenit eſſe quaſi artus: vt veteres illos publicis & ampliſſimis extructionibus lateres etiam maiores quàm priuatis adhibuiſſe legamus. Accõmodatus ergo cuiq; ſitus & poſitura decernetur: nec amplior quàm poſtulat vſus: nec arctior quàm patitur dignitas: nec loco alieno, ſed ſuo, atq; ita proprio, vt alibi partem quamq; cõmodius conſtitui potuiſſe neges. Non ſit, inquiunt, honeſtiſſima & publica ædium futura pars loco abditiore, & in receſſu: nec quæ priuatæ magis, in propatulo. Temporis quoq; ratio ducenda, vt alia æſtiuis, alia hybernis locis deſcribantur: quorum illis vmbræ, & venti: iſtis ſoles debentur: & cum iſta compreſſiora fiant, illa magnitudine luxuriant. Decoram & venuſtam partitionem illam cenſent, quæ non eſt interrupta, nec confuſa, nõ perturbata, non diſſoluta, non ex malè conuenietibus cõpacta membris, non nimium multis, non nimium paruis, vaſtis, diſſonis, deformibus, & quaſi à cætero corpore diuulſis, ac diſſipatis: in qua omnia pro natura, vtilitate & tractatione rerum agendarum ita definita, & explicata ſunt ordine, numero, amplitudine, collocatione, forma, vt partem nullam totius ſine aliqua neceſſitate, ſine multa commoditate, ſine grauiſſima concinnitate effectam & comparatam arbitremur.

PARIETES, AC PRIMVM COLVMNÆ.

In tractatione parietum etiam columnarum incluſa eſt pertractatio: & ea eſt pars diſputationis nobilior, quia columna pariete dignior: tametſi ordines columnarum dici poſſunt nihil eſſe aliud, quàm plurimis locis perfoſſi apertiq; parietes: & definitam inuenias columnam, firmam quandam, perpetuamque muri partem, excitatam ad perpendiculum à ſolo imo vſque ad ſummum, tecti ferendi gratia. Etenim hunc ad vſum principio excogitatæ ſunt. Verùm vbi in ædificiis dignitas, & immortalitas ſpectari cœpta eſt, cum fuiſſent antea ligneæ, adhibitæ ſunt marmoreæ, & quidem ex perpetuo marmore. Cur autem dixerim digniorem, mirandum haud eſt, cùm in vniuerſa re ædificatoria, ſicut nihil eſt, quod tantum operæ impenſarumque deſideret: ita nihil quod intuentes magis afficiat, & delectet. S. Scio me ſæpenumero locis bene columnatis maiorem in modum fuiſſe recreatum. T. Ab ipſis intercolumniis, ſeu intercolumniorum ſpatiis ac diſtantia ædes cognomina adipiſci affirmat Vitruuius. Pycnoſtylos, vbi crebræ columnæ. Syſtylos, vbi paulò remiſſiores. Diaſtylos patentibus: aræoſtylos rarius quàm oportet inter ſe diductis: euſtylos interuallum iuſta diſtributione conſtat. Conſtituit idem genera columnarum tria, Doricum, Corinthium, Ionicum, Alii Tuſcanicum & Italicum addunt, vt ſint genera quinque, de quibus ne exſpectes vt diſſeram: eſt enim inuolutum negotium, vt alia huius capitis. Quibuſque columnis fundamenta ſubſtituuntur. Fundamentis ad areæ planitiem coæquatis murulum ſuperſtruebant, quem arulam & puluinar vocabant: & ſupra eum baſim, inde columnam, quæ infra

Digitized by Google

infra medium extumeſcens, ſurſum verſus refugiebat. Initiò columnæ & ligneæ, & rotundæ fuerunt: deinde cum capita rotundarum annulis ferreis aut æneis vinciri cernerent, ne mole ponderum fatiſcerent, quadrangulas maluerunt. Marmoreis quoque columnis in imo pede annulum latum, tanquam faſciam circumderunt, quò contra ſubſilientes ſtillationum guttas communirentur. Præcipuum ædificiorum ornamentum, vt antè dixi, in columnis eſt. Plures portam, parietem, genus omne apertionis cohoneſtant: & ſimplices decore non carent. Triuia, theatra, plateas ornant, trophæa ſeruant, monumenta ſunt poſteris, multum ineſt in iis gratiæ, multum dignitatis: quamobrem priſci tantos ſumptus in eas inſumpſerunt. Nam quidam pro paruo habuerunt, vt conſtarent marmore Pario, lapide Numidico, alabaſtrite, allóue genere magni pretii: excellentium inſuper artificum manus quæſierunt, à quibus variis ſignis & imaginibus exornarentur. Alii baſes, & capitula ænea atque inaurata addidere. Nonnulli totas ex ære, quidam argento coopertas voluere. Columnæ medianæ dicuntur ad diſcrimen angularium. Periſtylia loca columnis vndique clauſa & circumſepta. Paries ad columnarum rationes tolletur, vt eius altitudo columnæ capitulum æquet: craſſitudinem obtineat, quantam in imo columna. Omnis columna, baſis, capitulum, paries cæteris ſui ordinis ex omni parte reſpondeat altitudine, latitudine, dimenſione & figura, & cùm vtrinque peccetur, ſi paries vel tenuior, vel craſſior, vel denſior, vel ſublimior fiat, quàm ratio modusque poſtulat, nihilominus ſupra quàm infra modum peccaſſe minus eſt in reprehenſione: & ignoſcitur facilius, ſi tantùm indulſeris vt queat adimi, quàm ſi tantum peperceris, vt neceſſe ſit addi. Ad decorandos autem parietes & ipſa naturæ munera, & artificum peritia diligentiaque valent. Ecquid eſſent ornati, ſi ex auro ſtruerentur? qualia templa Ioui Oſyris condidit. Item ſe ex vno lapide, aut certè ex tantis, quantum Semiramis à montibus Arabiæ deuexit, latum quaquà verſus cubitos 20. longum 150. Nec magni ſolùm, ſed exotici quoq; lapides, & difficili aduecti via laudem parietibus conciliant: vt illi, qui cum per ſe admirationem merentur, loco nobili atque inſigni ponuntur. Quin & raritas lapidem coniuncta elegantia commendat: nempe ſi ſit de genere marmoris puro, candido, tralucido: vt, quamquam clauſis foribus, intus incluſa lux videatur. Veruntamen hæc omnia erunt inania, niſi componendo accuratus ordo modusque ſeruetur, vt paribus paria, dextra ſiniſtris, ſumma infimis conſentiant. Nihil intermiſcendum, quo aut res, aut ordo perturbetur, omniaq; ad certos angulos paribus lineis æquanda. Nonnunquam materia ignobilis arte tractata amplius, quàm nobilis temerè aceruata placet. Præter columnationem parietem ornat cruſtatio. Cruſtationũ aliæ ſunt inductæ, aliæ adactæ. Inducitur gypſum aut calx: adigitur lapis, vitrũ & huiuſmodi. Priores generis ſunt albaria, puta, inſignita, pictoria. Poſterioris obrabulata, ſectilis, teſſellulata, vitra, & quæ ex his miſcetur. Cruſtationibus nõ minus tres tunicæ arenationum ſiue cutes adigendæ. Primarum officium eſt, parietis ſuperficiem prehendere

arctiſſimè reliquaſque continere. Extremarum, expolitionum, colorum, lineamentorum venuſtates expromere. Mediarum, vitia vtrarumque emendare & prohibere. Etenim ſi vltimæ & ſupremæ acres & mordaces fuerint, quales primas eſſe decet, propter acrimoniam dum ſicceſcunt crebris rimulis interſcindentur. Si primæ fuerint molliores, quales debent eſſe vltimæ, non comprehenſabunt tenaci morſu parietem, ſed deſciſſent. Murus quò erit recentior & aſperior, eo arenationes denſius continebit. Quare ſi inter aſtruendum, & dum viret opus, primam quamuis tenuem arenationem induxeris, captus ſuperinducendis tenaces præſtabit. Poſt auſtros commodiſſimè omne cruſtationis opus inducetur. Per Boream, frigus & æſtum inducta ſcabreſcent, præſertim cutis vltima. Alia multa de his quamquam meminerim, tamen omitto: tum ne videar artem vlle ipſam tradere; tum ne ſermo noſter plus æquo creſcat. S. Nihil ergo de parietibus reſtat, quod mihi audiendum putes? Quæſo, aliquid de generibus: poſtea tecti rationem memorabis. T. Ego propemodum leuitatis me condemnare incipio, qui hactenus tantum verborum effuderim. S. O Tarpei, amicitiam tu leuitatem appellabis? Nam vnicum erga me ſtudium vt hoc faceres tibi perſuaſit. Perſuadeat etiam quod de re propoſita ac promiſſa ſit reliquum. T. Præſtemus ergo amico, præſertim tam cupido, quod de ſumma reſtat. Eſt quidam paries craticius, qui nempe ad ſimilitudinem cratis ex arrectis tranſuerſiſque cannis, arundinibus, aut perticis ligniſue componitur, & velut contexitur. Concreaticus, qui inter duos confines conſtituitur, quodammodo intergeſtus, ſeu intergerinus: qua voce huiuſcemodi parietes medii quacunque è materia confecti appellantur. Quidam vocant intergerrios, à gerris, id eſt, cratibus. Craticij velim, inquit Vitruuius, ne inuenti quidem eſſent. Quantùm enim celeritate & loci laxamento proſunt, tanto maiori & communi ſunt calamitati, quod ad incendia (vt faces) ſunt parati. Pluribus eoſdem vituperat lib. 2. cap. 8. Marmorei, cæmentitij, è quadrato ſaxo, quid ego tibi quales ſint exponam? Teſtacei ſunt è latere igni percocto. Lateritij ſtructi è crudis lateribus, ſolibus tantum coctis, & duratis. Eſt enim apud Vitruuium later alius crudus, alius coctus, idemq; teſtaceus, rigẽs & ſonans velut teſta videlicet. Crudi duriſſimæ ſoliditatis, & ad diuturnitatem ædificiorum egregios præſtare vſus exiſtimantur. Porrò lateritij quidam ſunt diplinthij, alij triplinthij: id eſt duorum aut trium ordinum laterum in corii latitudinem inſtratorum: πλίνθος quippe later. Lateritia ſtructura in publicis, priuatis, regalibus etiam ædificiis vtebantur olim. Id enumeratione copioſa demonſtrat Vitruuius, & mirè commendat Plin. lib. 35. c. 4. Formaceus paries eſt, qui duabus tabulis circumdatis tanquam in formam infercitur. Iſidoro formatus ſeu formatiue. Maceria eſt è ſolis cæmentis, ſine arenato, temere aggeſtis, fundis, villis, hortis, vineis tutandis paries. De Hamanienſibus populis retulit Plinius, domos ſale montibus ſuis exciſo, ceu lapide conſtruere. Pygmæos autem ſuas caſulas luto, pẽnis, ouorumq; putaminibus condere. S. O muros ferreos, quos non di-

ruant

ruant grues, quibuſcum auibus huic genti bella crebra, non crebra victoria. Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον, καὶ κῆρα φέρουσαι. O diriſſimum fatum. T. Stereobatam parietem ſic declarat Vitruuius. Supra terram parietes extruũtur ſub columnis, dimidio craſſiores, quàm columnæ ſint futuræ, vti firmiora ſint inferiora ſuperioribus, quæ ſtereobatæ appellantur, nam excipiunt onera. Eoſdem ſtylabatas dicit. Sidentes & euanidi quamquam noti ſunt, tamen de iis audiamus eundem Architectum ita loquentem. *Vtraq; autem* (incertum & reticulatum ſtructuræ genus) *ex minutiſſimis ſunt inſtruenda, vti materia ex calce & arena crebriter parietes ſatiati diutius contineantur. Molli enim & rara poteſtate cùm ſint, exſiccant, è materia ſugendo ſuccum: cum autem ſuperarit & abundarit copia calcis & arena, paries plus habens humoris, non citò fiet euanidus, ſed ab his continebitur.* Paries cæcus, qui feneſtratus non eſt: vti apud Virgil. Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq́ue Mille viis habuiſſe dolum. Hinc Varro lib. 2. de ling. lat. cubiculum, ſi feneſtram non habeat, cæcum dici. Paries communis, quem communiter vicini ædificant. Ad eum ius eſt vicino adiungere ædificium. Paries directus, cuius extremum, parietem alterum attingit. Cic. in Top. Omnibus eſt ius parietem directum ad communem adiungere, vel ſolidum, vel fornicatum. Paries rudis, cui nondum eſt inductum tectorium. Hoc item notandum, parietem dici ventrem facere, cùm medio euadit prominens, aut turgens, extra perpendiculum. Ad tectum progrediamur. S. Si lubet.

TECTVM.

T. Iam inde vſque à primo in ædificiis tectorum rationem potiſſimam ædificatores habuiſſe comperio, propter ingentem ſine dubio primamq́ue vtilitatem. Ea verò cernitur non ſolùm in propulſandis cæli incommodis, capitibusq́ue noſtris defenſandis (ſunt enim tecta quaſi arma noſtra, contra impetus hybernarum præcipuè tempeſtatum) verùm etiam in eo, quod hæc totius domus, ſeu extructionis tutela, munimentum & ſalus eſt. Deſit tectum, putreſcet humore æthereo corrupta materies, labeſcent muri, latera hiaſcent, ſenſim diſtrahetur, interibitq; omnis compoſitio & iunctura. Quin fundamenta ipſa tectorum defenſione firmantur, neque maior ædificiorum copia igne, ferro, hoſtium manibus cæteriſq́ue vniuerſis calamitatibus, quàm negligenti curatione tectorum in ruinam data eſt. Quare antiqui meritiſſimè tantum honorem tectis habitum iuerunt, vt in iis ornandis ſummum ſtudium collocarent. S. Quod dicis de tectis non curatis, ideoque perditis ædificiis, quendam mihi locum in mentem redigit, qui eſt apud Plautum feſtiuiſſimum iocorum ac leporum promum in Moſtellaria, & ſententiam tuam bellè confirmat: Hominem natum nouarum ædium ſimulacrum quoddam eſſe docet. Et quia ſuppeditat verſiculorum recordatio, illos recito.

Ædes quom ex templo ſunt parata, expolita,
Facta probè, examuſſim,

Laudant fabrum, atque ædes probant, ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt, ſibi quiſque ſimile,
Suo vſque ſumptu operam poſcunt ſuam.
Atque vbi illo immigrat nequam homo, indiligens,
Cum pigra familia immundus, ioſtrenuus,
Hic iam ædibus vitium additur,
Bona cum curantur malè.
Atque illud ſæpe fit, tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbriceſque. Ibi
Dominus indiligens reddere alias neuolt,
Venit imber, lauit parietes, perpluunt
Tigna putrefacit aër operam fabri,
Nequior iam factus eſt vſus ædium:
Atque haud fabri culpa, ſed magna pars hominum
Moram hanc induxerunt. Si quid nummo ſarciri poteſt,
Vſque dum mantant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt, ædificantur ædes tota denuo.

T. Facetè ac verè Plautus. Tegebantur domus olim quoque, vti nunc pleriſque in regionibus, ſcandulis (ſcindulas quidam apud Vitruuium malunt legere quo nine eo vocantur aſſerculi ſectiles, ſeu tegulæ quædam ligneæ, de quibus hæc Plinius. Scandulæ è robore aptiſſimæ, mox è glandiferis aliis fagoque: facillimè ex omnibus quæ reſinam ferunt: ſed minimè durant, præterquam è pinu. Scandula contectam fuiſſe Romam annis quadringentis Cornel. Nepos teſtatur. Cæterùm mapalia ſua Mauri ſcirpis. Chelonophagi populus in Carmaniæ angulo teſtudinum teſtis ſuas caſas operiebant, cùm carne earũ veſcerentur. Quin, vt traditum eſt à Diodoro lib. 3. cap. 3. eædem teſtæ etiam illi populo pro cymbis ad nauigandum, & pró aquæ receptaculis erant. Vtimur nunc ferme tegulis, iiſque vel planis, vel cauis & hamatis: quæ ita collocantur à fabris ſeu officinatoribus, vt duos ſingulæ imbrices coniungant. Eſt præterea genus lapidis atri, quod ſerra dentata, vti lignum, in laminas ſecatur, nec, inſtar aliorum lapidum, in cæmenta, ſed aſſulatim frangitur: ex eo tecta templorum inprimis, turriumque, pugillares, & abacos fieri mos eſt. Genus iſtuc tegularum lataſtra quibuſdam à latitudine dicuntur. Pauonacea tecta videntur dicta à Plinio, quòd caudam pauoninam referrent, cùm nimirum lapidum ſectilium cruſtæ, ſeu bracteæ aliæ ſuper alias hærentes conſtruuntur. S. Quia de materia tectorum diſſeruiſti, adiunge pauca de ſignis æreis, quæ in culminibus, pyramidibus, pinnis, metis, & ſummis ædium, templorumque faſtigiis ad ventorum flamina expedito circumactu ſignificanda, atque etiam ad ornatum quendam locantur. T. Eiuſmodi bracteæ, ſiue petala, quæ auerſa ventum indicent, ab vno vſitatoque genere figuræ Tritones nominantur, ſiue ſint vexilla, ſiue galli, ſiue ſemilunæ, ſiue ſoles, ſiue ſtellæ: nihil enim intereſt. De quo verba proferam Vitruuij è cap. 6. lib. 1. *Qui diligentius perquiſiuerunt, tradiderunt eos (ventos) eſſe octo, maximè quidem Andronicus Cyrrheſtes,*

Digitized by Google

rheſtes, qui etiam exemplum collocauit Athenis turrim marmoream octogonon, & in ſingulis lateribus octogoni ſingulorum ventorum imagines exſculptas contra ſuos cuiuſque flatus deſignauit, ſupraq; eam turrim metam marmoream perfecit, & inſuper tritonem æreum collocauit, dextra manu virgam porrigentem: & ita eſt machinatus, vti vento circumageretur, & ſemper contra flatum conſiſteret, ſupraque imaginem flantis venti iudicem virgam teneret. Ad tectorum elegantiam conducit, ſi, vt olim, è vitro, cedro, ære, plumbo, marmore, auro fiant. Habent & ſuas contignationum, teſtudinationum, cruſtationum delicias ac venuſtates, & in quibus neſcias impenſamne magis, an artificum ingenia admirere. Diuidunt etiam tecta, aiuntque alia eſſe ſub diuo, alia non. Illa definiunt, quæ ad nullos ambulationis vſus, ſed ad cæli prohibendas iniurias ponuntur. Iſta, contignationum ac teſtudinum inter medias extenſiones, quibus fiat, vt ædificio quaſi ædificium aliud ſuperimponatur. Quæ inferioribus membris ædificii tecta ſunt, ſuperioribus area. Sed pauimenta melius appellabuntur: quæ olim etiam magno fiebant, & erant ſuperba ſanè in palatijs opulentorum, ac principum. Nobis lignea, lateritia, aut è glarea ſufficiunt. Pauimenta, ſi vocis quæramus originem, à pauiendo, id eſt, feriendo nominata ſunt: quemadmodum ipſum inſtrumentum, pauicula dicitur. Principiò picta, poſtea lithoſtrota, id eſt, lapillis ſtrata fuiſſe lego. Sectilibus etiam, & teſſeris, id eſt, paruis cruſtis colorum variorum, opere muſiuo, & quadratis grandioribus. Fiebat & pauimentum ſpicatum teſtaceum, laterculis coctilibus iunctis, & in latus proclinatis, ad ſpicarum ſimilitudinem. Scutulatum intellige à fruſtis rotundi ſcuti figura, vt teſſellatum à teſſulis. Hæc hactenus. Supereſt poſtrema pars, de apertionibus.

APERTIONES.

Harum aliæ ſunt luminibus ventiſque admittendis, aliæ rebus, & domeſticis, ſeu hominibus ſeruiunt, per quas aditus & exitus eſt in ædificium. Illo ordine feneſtræ habentur: hoc oſtia, ſpatia intercolumniorum, *ſcalæ*, vnde aqua & fumus egrediuntur, vt putei, cloacæ, gula camini ſeu culinæ, præfurnia, æſtuaria. Domus pars quælibet feneſtris prædita ſit, quo renouetur aër, qui incluſus corrumpitur, ac nocet. Ad loci vſum, & parietis amplitudinem accommodatæ ſint: tot nempe, & tantum luminis excipiant, quot & quantum fore opus videbitur. Quæ ventos ſalubres ſpectabunt, quam apertiſſimè fient, quarum etiam ſpondæ humiles erunt, vt cùm aperiuntur, corpora incolarum afflentur. Quæ ventis non valde ſalubribus obiiciuntur, ita in ſublimi ponentur, vt paries intercedens ventum à corporibus prohibeat. Æſtiuis conclauibus, ſi ad ſeptentrionem reſpiciant, feneſtræ ampliores: meridianis arctiores, propter ſoles conueniunt. Apertiones, quæcunque luminum cauſſa fiunt, ſublimes potius quam humiles requirunt, quia vultu ſpectamus lumina, non pedibus: & alioqui vnius aut alteri⁹ hominis interuẽtu loca obſcurãtur. Feneſtras in angulis

parietum

Digitized by Google

parietum locari vetant, quod earum iunctura diſſoluatur; & nullo loco æquè validam atque firmatam ſtructuram eſſe conuenit, vt in angulis: quorum ſi vel vnus vitium fecerit, totis ædibus damnum creatur. Itaque prudenter antiqui, cum angulis, quàm parieti reliquo maiorem dederunt craſſitudinem. Quà de forma, priſci quadrangulas amabant, vt item oſtia tam ſacrarum, quàm priuatarum ædium: etſi vrbium portas non aſpernabantur arcuatas. Minores, & portas & ianuas, & feneſtras archuatas frequentarunt: quadrangulas feneſtras plerunque interſepto, & arrectario illud ipſum interſecante diſtinguentes in crucis ſpeciem. Nonnunquam duobus arrectariis, quam vocant crucem duplicem. Loco arrectariorum, ponere columellas mos iam vetus eſt. Stoici autem arctis, Epicuri latis luminibus feneſtras probant: quoniam per impulſus ſimulacrorum, ſeu per rerum imagines in oculos ſeſe inferentes, εἴδωλα vocāt, homines viderent. Oſtia quoque pro vſu loci maiora minora, plura pauciora erunt. Publicis in ædificiis, vt magnus feneſtrarum, ita ianuarum numerus. Oſtia iubent eſſe altiora quàm lata: & ibi conſtitui, vnde in omnem partem ædificii commodiſſimus ſit aditus. Cauebant ſummoperè, ne muros apertionibus debilitarent. Itaque ab angulis & columnis longius recedebant, curabantque vt à ſolo vſque ad tectum integræ partes parietis quàm plurimæ ad perpendiculum ſurgerent. In apertionibus quodammodo numerari poſſunt (quia oſtia & feneſtras ſitu formaque imitantur) quæ ſcaphæ dicuntur, ſignis & tabulis locandis in pariete. Inter primas apertiones ſunt intercolumnia, quæ ita ponenda, vt columnarum. quæ tectis ſuſtinendis relinquuntur, diligentiſſima ratio habeatur: vt ne ſint graciliores, aut rariores, quàm vt tectum ſuſtineant: neq; craſſiores, aut frequentiores, quàm vt areæ ſpatia, & aditus ad rerum temporumque vſus expedita relinquantur. Cum crebræ fuerint columnæ trabs: cum raræ, arcus ſuperponendus eſt. Scalæ toto ædificio quò erunt pauciores, & quò minus areæ occupabunt, eò commodiores cenſebuntur. In templorum gradibus hoc ſeruabant, vt gradus nunquam fermè plures continuos, quàm ſeptem aut nouem adigerent; ſed ad hos areolam ſubtexebant, quò feſſi & imbecilles à conſcendendi labore intermiſtas haberent quietes. Quod ſi fortè lapſi eſſent, vt ſpacia ſuppeditarent, vbi ſiſterent, ſeſeque firmarent. Hoc etiam in aliis ſcalis laudatur: vt videlicet areolis intercipiantur, & ſint luminoſæ, ac pro loci dignitate amplæ ac ſpatioſæ. In vnis autem ſcalis tres apertiones concurrunt. Prima oſtium eſt ipſum ſcalarum, ſeu ipſe aditus, ſiue os ſcalarum. Altera eſt feneſtra, per quam receptum lumen retractionem graduum aſcendentibus oſtendit. Tertia eſt contignationis & tecti, qua in pauimentum ſuperius operimentumque peruadimus. Fumo & aquis parandus eſt talis exitus, ne conſiſtant, ne exuberent, ne inquinent, ne offendant, ne periculum afferant ædificio. Quare gulam foci abeſſe longius à materia oportet, ne vel ſcintillis diſſilientibus, vel concalefactione trabes, aut ligna proxima flammam arripiant. Putei maximè in publica & patenti ædium parte ſtatuendi. Sub dio qui ſunt, puriorem aquam præbent. Veruntamen quacunque

cunque in parte ædium aut putei, aut cloacæ fuerint, aut aqua diffluet, illic plurimum aëris ſe per apertiones, ob id laxiores ingerat neceſſe eſt: quo cum ventorũ afflatu, tum aëris impulſu aſſiduo humidæ pauimentorum, & craſſæ exhalationes depellantur. Hæc de partibus communibus ædificiorum, quantum ſcilicet manſit in memoria mea. S. Cum ego ex tuo ſermone non ita longo, & ex modica iſta rerum varietate elegantiaque tantum perceperim ſuauitatis, quid futurum cenſeam, ſi in ipſos Architectorum commentarios me ingurgitarem? Quod quidem adhuc non feci: ſed tuo incitatus exemplo faciam breui. T. Nunquam te facti pœnitebit.

ANNOTATIONES.

QVO SOL ISTE NEC VIDIT) *Hanc dicendi formam ſcriptores elegantiores cùm in laude, tum in vituperatione ſolent adhibere. Plaut. Sticho.*

A. Pol ego vxorem quæro, poſtquam noſtra malè morata eſt.

PA. Facilè inuenies & peiorem, & peius moratam pater.

Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque ſol videt.

Cic. 2. *Offic. Multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc vno ſol quidquam vidiſſet indignius. Philipp.* 14. *O ſolem ipſum beatiſſimum, qui antequam ſe abderet, ſtratis cadaueribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit* Antonium. *Origo eſt ab opinione diuinitatis, quam illi tribuebant antiqui: quem proinde omnia videntem, audientemq́; faciebant.*

Hom. ἠέλιος ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ, καὶ πάντ᾽ ἐπακούει.

DE VSVCAPIONIBVS) *Vſucapio inde nominatur, quod per diuturnum vſum aliquid capitur & retinetur. Rei quippe vſus diuturnitate ad alium dominum transfertur, mobilis poſt triennium, immobilis poſt decennium, inter præſentes: inter abſentes, poſt annum viceſimum.* TESTAMENTIS) *Eadem forma dictum eſt teſtamentum, qua calceamentum, paludamentum, veſtimentum: in quibus mentum eſt verbi productio. Definitur autem teſtamentum à Modeſtino, voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Teſtamentum nuncupare, eſt ipſis verbis teſtamentũ facere: quoniam nuncupare eſt* ὑπαγορεύειν: *Plin. lib.* 14. *de ebrietate loquens. Alii teſtamenta ſua nuncupant: alii mortifera loquuntur, rediturasq́; per iugulum voces non continent.* ALLVVIONIBVS) *Per alluuionem id etiam adiici videtur, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligere non poſſimus, quantum quoquo momento temporis adiiciatur. Alluuius ager, quem paulatim fluuius in agrum reddit.* CIRCVMLVVIONIBVS) *Fit circumluuio, cum parte aliqua diuiſum flumen agrũ alicuius ita ambit, vt inferius vnitum, illum in inſulæ formam redigat.* GENTILITATIBVS) *Cicer. in Top. gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt (verbi cauſſa, Bruti, Scipiones, Fabii) qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti. Quid inter gentilitates, & agnationes interſit, docet Sigon. de antiq. Iure* C. R. *lib.* 1. *cap.* 7. REM ÆDIFICATIO-

Digitized by Google

CATIONVM) *Plautus Amphit: res voluptatum, pro ipſis voluptatibus dixit, & in eo genere loquendi Græcos ſcriptores eſt imitatus, vt obſeruat Muretus lib. 6. c. 9. pluribus exemplis in mediū adductis:* AVRÆ QVAM VENTI) *Aura ab aëre dicta, quaſi aërea, quod lenis ſit motus aëris. Agitatus enim aër aurā facit, vnde & Lucret. aëreas auras. Ventus dicitur, quod ſit vehemēs, & violentus.* NON QVIESCET ÆTATEM) *Ætatem apud Plautum valet diutiſſimè, proinde vt ſi eſſet aduerbium. Aſin. Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſiet. Ibid. Ætatem velim ſeruire, Libanum vt conueniam modò.* AREARVM HÆC ANGVLARIS, ILLA CIRCVLARIS) *Ad deſcriptiones arearum intelligendas quædam de lineis diſcenda ſunt prius, quæ etiam aliâs non erunt inutilia. Lineæ ſunt extrema perſcriptio, qua integra areæ ſpatium circumcluditur. Linearum alia recta, alia flexa. Recta eſt, quæ æqualiter inter ſua puncta extenditur. Flexa eſt pars circuli, quæ apud Architectos ſimilitudinis gratia arcus vocatur. Quæ autem à duobus extremis punctis flexa lineæ, ſeu circularis ducitur, pari ſimilitudine chorda vocatur. Quæ à puncto medio chordæ coæqualibus vtrinque angulis ad arcum vſque perducitur, ſagitta appellatur. Quæ à puncto medio circuli, ſeu centro ad extremam circuli lineam, dicitur radius. Quæ linea recta per centrum tranſiens, duobus locis flexam circuli lineam ſecabit, dicetur diameter. Linea recta ſuper rectam ad perpendiculum cadens creat duos angulos rectos: ſi oblique, creabit vnum acutum, alterum obtuſum.* EX QVO TVMORES SEV TVMVLI) *Etiam incendiis planities coaggerantur, propter ruinas videlicet. Vnde Frontinus ſcripſit: Romam ſua ætate collibus excreuiſſe propter frequentiam incendiorum.* PYGMÆOS AVTEM SVAS) *Vide Plin. lib. 7. c. 2.* INCERTVM ET RETICVLATVM) *Structurarum genera, inquit Vitruuius lib. 2. cap. 8. ſunt hæc. Reticulatum, quo nunc omnes vtuntur, & antiquum quod incertum dicitur. Ex his venuſtius eſt reticulatum: ſed ad rimas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes diſſoluta habet cubicula, & coagmenta. Incerta verò cæmenta alia ſuper alia ſedentia, interque ſe imbricata, non ſpecioſam, ſed firmiorem quàm reticulata præſtant ſtructuram. Hæc ille. Sciendum, reticulatum opus dici, cum cæmenta non iacentia, ſed in latus ſtantia ponuntur, quæ ſtructura ſimilis eſt reti. Id melius erit, ſi fiat cæſis lapidibus, non rudibus, & coctilibus laterculis quadratis. Cubicula ſunt ſedes lapidum, aut laterum. Inter ſe imbricata nihil eſt aliud, quam imbricum tegularum modo, vt vnum duorum cæmentorum angulis, atque adeo cæmentis ipſis inuehatur & inſideat. Imbrices tegulæ canalis in formam ductæ, & velut ſemitubuli.* SEV OFFICINATORIBVS) *Sic appellat in extremo ſexto Vitruuius fabros qui extruunt: nam architecti eſt potius inſtituere ædificium, arbitrari, deformare, imperare, præſcribere. Omnium operum probationes, inquit, tripartitò conſiderantur, id eſt, fabrili ſubtilitate, magnificentia, & diſpoſitione. Cum magnificenter opus perfectum aſpicietur, impenſæ laudabuntur: Cum ſubtiliter, officinatoris probabitur exactio. Cum verò venuſtate, proportionibus, & ſymmetriis habuerit auctoritatem, tunc fuerit gloria architecti. Hæc autem rectè conſtituuntur, ſi is & à fabris, & ab idiotis patiatur accipere*

Digitized by Google

pore conſilia, &c. AD PERPENDICVLVM) *Inſtrumentum eſt fabrile, quo exploratur, num ſit aliqua in ſtructura proclinatio. Comparatur ita. Per regulæ medium quàm longa eſt, deformatur linea: propendet è filo glans plumbea à ſuperiore ad imum per eandem lineam. Hac regula cùm admouebitur ſtructura, ſi recta fuerit, filum vnde plumbi maſſula pendet, totam deſcriptam lineam tanget: ſin aliqua inclinatio, ipſum filum à linea diſcedet. Philander in Vitruuium.* STOICI ARGTIS, EPICVREI LATIS) *Vide epiſt. 3. lib. 2. ad Att. Veruntamen Epicurei ſpectra non modò in oculos, ſed in animum quoque, ſi quam rem cogitare cœpiſſemus, incurrere dicebant, & eorum incurſione non ſolùm videre nos, verùm etiam cogitare, ſeu adduci ad cogitandum. Epiſt. 16. lib. 15. ad famil. & 1. de finibus.*

PROGYMNASMA
QVINTVM.

Structuræ principia, ſeu copiæ ad ædificiorum comparationes neceſſariæ.

PHILOTECHNVS, MAGISTER.

PHILOTECHNVS. Vti tu mihi aliâs varia ſciſcitanti nunquam, quæ tua humanitas eſt, defuiſti, meque perſæpe, quæ in deſignationibus operum reſpicere, quæque tibi proponere ſoleres non inuitè docuiſti: ita te nunc rogatum velim, vt de communi omnium ædificiorum apparatu, ſiue, vt tu loqui ſolitus es, de communibus copiis, quid in iis architectus conſiderare, quid deſiderare debeat, erudire me huius alumnum diſciplinæ ſummus tu abſolutusque artifex ne grauere. M. Ordinatim tu ſcitator, quæ in rem tuam arbitrabere: ego ordinatim ad ſingula reſpondebo, quæ quidem in iſta etiam parte aut alienis præceptis didicerim, aut vſu ipſo tractationeque cognouerim. Sed hoc primum noſſe te conducet. Poſtquam è ſingulis partibus modulorum ita fuerit animaduerſa, perpenſa, & percepta omnis ædificij ratio, vt nulla res præterita ſit: & iam ſententia ſteterit ad eandem planè ratione̅ moliri ædificiu̅: co̅ſtabit etiã vnde ſumptus neceſſarij ſuppetant: ſic eſſe cętera conquirenda & paranda, ne quia deeſt hoc aut illud, opus inchoatu̅ pendere, & tardius ad abſolutionem perduci neceſſe ſit. PH. Nempe hinc eſt, quod duo magni reges Dauid & Salomon Hieroſolymis templu̅ co̅dituri, auri, arge̅ti, æris, ferri, lignorum, lapidum, aliarumque rerum opportunaru̅ vim ante conuectarunt: à vicinis item regibus fabroru̅ architectorumq; ingentem numerum petiuerunt, vt nihil inte̅pore deſideraretur. M. Optimè illi: nã præterquã quod operi dignitate̅ addit, etiam ædificantis nomen in gloria ponit, ſi quid cùm rectè factu̅, tum celeriter perfectu̅ fuerit. Alexa̅der Philippi apud Tanaim dieb. no̅ plus 7 haud modici ambit⁹ vrbe̅ exædificauit.

Nabucho-

Digitized by Google

Nabuchodonoſor fanum Beli ornatiſſimum diebus quindecim & cœpit,& compleuit. Semiramis ſingula ſtadia murorum, quibus Babylonem cinxit,diebus ſingulis abſoluit. Nunc ad copias. Earum genera recenſe. PH. Materia,lapis,calx,arena M Probè: nam etſi requiruntur itē ferrum,æs,plumbum, vitrum & huiuſmodi, tamen quod ad nos attinet, in longa potius obſeruatione,quam in præceptione, eorum conſtituta eſt notitia. PH. Vides me primo loco materiam nominaſſe:quæro igitur,quando ea cædenda eſt? M. Inde tu incipis, vnde natura in ædificiis duxit exordium: arbores enim cæduas homines prius, quàm alia,dum ſibi prima domicilia conſtruerent, vſurparunt.

MATERIA.

Omitto quid Theophraſtus,Cato & alii ſentiant:mihi cædenda videtur à nouo autumno, donec ſtare Fauonij incipiant: nempe circiter ſextum Id.Februarias. Vere ſiquidem prægnantes redduntur arbores, & vim ſuam in frondes fructusque anniuerſarios diſpertiri aggrediuntur. Quocirca cùm ob neceſſitatem naturamque temporum inanes fuerint, & humidæ,etiam vanæ euadunt,& raritatibus imbecillæ. Porrò per autumnum dum maturitate fœtuum frondes moriuntur,ſuccus è terra in radices venit:inde robori ſuo arbores reſtituuntur,in priſtinamque ſoliditatem reuertuntur. Deinde cælum hybernum eas aſtringit & comprimit. PH. Quomodo verò cędenda? M. Ad mediam vſq; medullam incidenda eſt arboris craſſitudo,& aliquandiu relinquenda, quò per vulnus illud humor & ſuccus tanquã ſanies depluatur,ac deſtillet, & arbor ſicceſcat. Intus enim relicti humores cùm concreuerint, putorem concipiunt, & materiam vitioſam efficiunt:quæ vtique non mediocrem ædificijs vtilitatem ad longinquitatem præſtabit: cum cernamus ſtantes adhuc in ſylua,& viuas arbores,ſi humorem ſuperuacaneum ferro, eo modo quo diximus vulneratæ exſudauerint, nullam ſicceſcendo admittere ſenectutem. Iubent præterea eas antequam ſecuribus ſternantur tonderi,ramis ſcilicet circumquaque amputatis:quod etiam adſiccitatem,maioremque in opere fidelitatem profuturum ſit. PH. Quid? cæſarum materies quo pacto habenda eſt? M. Reponenda loco,qui à ſole non feruescat:vmbroſo ſcilicet,& ad quem venti importuniores non aſpirent. Cato eam amurca illiniri ſuadebat,ne ter'redinoſa exiſteret. Quæuis materia virens adhuc humido defoſſa æternat. Quomodocunque autem habeatur,niſi poſt trimeſtre adhibenda ad vſum non eſt. Denſari enim prius eam, & maturam adipiſci firmitudinem oportet, quàm ad opus accommodetur. Eductam trahi per rorem nolunt:neque rorulentam,aut gelatam,aut nõ valde ſiccatam exaſciari,aut ſerra ſcindi. Ad aſſeres quidem valuasque conficiendas ante triennium ſatis ſiccam fore materiam non putauit Theophraſtus. PH. Quænam arbores ædificiis potiſſimùm idoneæ cenſentur? M. Cerrus, quercus, robur,æſculus,populus,tilia,ſalix,alnus, fraxinus,pinus,cupreſſus,oleaſter,olea,caſtanea,larix,buxus,cedrus, ebe-

num.

Digitized by Google

ſium. PH. Quia ſua cuique generi proprietas, vt arbitror, nec ſimilis virtus, erunt etiam aliæ ad alios vſus habiles & commodæ. De vtraque iſta re audire geſtio ſanè. M. Bene intelligis. Quædam nudo ſub ætheris axe, vt ait Virgilius, ſeu ſub diuo, vt vulgus loquitur, quædam in vmbra eximiè valent. Aliæ quaſi niteſcunt in aere: aliæ in aquis duritiem, & ad diuturnitatem vim magnam acquirunt. His ad laminas, aſſeres, ſculpturas, inteſtina opera: illis ad tigna trabesque fabricandas, ad ſubdiualia pauimenta, ſeu tecta vtimur. Patientiſſima humoris alnus, fluuialibus ac paluſtribus fundamentorum palationibus vincit omnes. In aperto aere & ſolibus imbellis eſt, non durat. Æſculus humoris eſt impatiens. Vlmus in propatulo deniatur, alibi pandatur, nec perſiſtit. Picea & pinus ſi terra operiantur, ad æternitatem proficiunt. Robur ſpiſſa, neruoſa, compacta, humorem reſpuit. Ideo ad terrenas ædificationes erit apposita: ſeruiet etiam perferendis ponderibus, & in columnas aptari non dedignabitur. Huic cùm tantam dederit natura duritiem, vt terebrationem niſi madefacta non ſuſtineat, tamen ſupra terram fieri inconſtantem, ac rimoſam, contorqueri, & aqua marina facilè corrumpi ſcribunt. Olea, ilex, oleaſter cætera ſimiles robori, aquis haud commacerantur. Quercus non ſeneſcit. Fagus & iuglans ab aquis non læduntur, & non ſunt infimæ earum quæ defodiuntur. Columnis vtiles ſunt ſuber, pinus ſylueſtris, morus acer, vlmus. Trabeationibus & tignis longè optima abies, cui natura talis ineſt rigor, quem ſuperincumbentium onerum preſſus haud facilimè inflectat: nec ſuo pondere moleſta eſt parietibus. Ædibus contignandis cupreſſus item valet, cariem vetuſtatemque non ſentit vnquam, rimam ſponte non agit. Inde prouerbium natum, de rebus diu ſeruandis: digna cupreſſo. Valuas quidem cupreſſinas in æde Dianæ Epheſiæ annis quadringentis velut ſemper nouas duraſſe comperio. Larix ſtructurarum moles firmiſſimè, ac diutiſſimè ſuſtentat: cariei repugnat. Fuit quondam opinio, eam ignibus reſiſtere: ſed inuenta eſt falſa: ardet enim, ita tamen, vt flammas indignari, & à ſe repellere conari videatur. Marinis aquis teredini fit obnoxia. Fraxinus in opere omnium duriſſima eſt. Nux cùm ad cæteras res, tum ad aſſeritia opera admodum inuenitur tractabilis. Lectis, valuis, menſis, ſubſelliisque & ſimilibus plurimum ſeruit abies: vt etiam picea & cupreſſus. Vlmus, fraxinus, iuglans faciendis aſſeribus parum ſunt idoneæ, quia facilè franguntur. Scalarum gradus ex orno, & acere fabricabant: tubos ducendis aquis ex pinu, picea, vlmo. Ad ſimulacra Deorum, ſigna, tabulas, ſumebant laricem fæminam, lotum, buxum, cedrum, cupreſſum, populum albam & nigram, ſalicem, carpinum, ſorbum, ſambucum, ficum. PH. Teneo iſta. Nunc me de firmitate, & duratione arborum per genera doce. M. Infœcundas ſcito eſſe firmiores fœcundis: ſylueſtres, omnisque cultus expertes ſuperare hortenſes, & ſatiuas. In numero fertilium, imbecillitate maiore ſunt præcoces, quàm ſerotinæ: dulces quàm acutæ. Ex acutis & aſperis ſoliditatis habent amplius, quæ fructus acerbiores dant,

Digitized by Google

& rariores. Quæ ventos ac tempeſtates ſubſtinuerunt, ſunt quidem fir-miores, & craſſiores: breuiores tamen & nodoſiores, quàm quæ in vallibus lociſque vento inacceſſis venerunt. Materia quæque quò breuior, hoc fragilior: quò criſpior eò aſtrictior. Vt à natura habent nonnullæ, quod diutius vigent: ſic ab eadem quòd ſtratæ ſerius corrumpuntur. Quò minus medullæ ineſt in quoque ligno, eò illi natura acrior & robuſtior: quæ partes ſunt medullæ propinquiores, cæteris duriores, ac denſiores inueniuntur, quæ cortici viciniores, neruo ſunt tenaciore. Etenim in arboribus tanquam in animante locum cutis obtinet extremus cortex, carnis, quod ſubeſt cortici, oſſium, quod medullam proximè circundat. Sed de materia ſatis pro tempore: aliâs plura forſitan, cùm de his rebus denuo venerimus in colloquium. PH. Sic opinor. De lapidibus agitur age, quo genere etiam lateres comprehenduntur.

LAPIDES.

M. Quia è lapicidinis lapides tum quadratos, tùm cæmenta habemus, prius de illis pauca diſſeram. Græci latomias vocant: pro latomiis autem Latini quondam lautomias pronuntiabant. Sunt velut ſaxifodinæ, loca cæſis lapidibus exſecta. Harum aliæ ſunt molles, aliæ temperatæ, aliæ duræ ac ſiliceæ. Ex mollibus exempta ſaxa facilius in opere tractantur, & in locis tectis laborem ſuſtinent: in apertis ac patentibus gelicidiis, & pruinis affecta friantur, & diſſoluuntur. Ad hæc ſecundum oras maritimas ab ſalſugine exeſa diffluunt, neque perferunt æſtus. Æſtate non hyeme lapis ad ædificium effodiendus, & ſub diuo habendus: nec ante biennium in opere locandus. Nam ventis, gelicidiis, imbribus, ac cæteris tempeſtatibus aſſuefaciendi ſunt, vt ſint poſtmodum conſtantes, & inuicti aduerſus omnes iniurias. Qui læſi fuerint, in ſubterraneas ſtructuras vtiliter coniicientur: reliqui velut à natura rerum probati, cælo committentur. PH. Hoc mihi videris dicere: non aliter cum lapidibus agendum ad comparandos muros, quàm cum militibus ad bellum ineundum. Sicut enim ibi imbelles ac timidi, ſolis ac pulueris, laborumque militarium impatientes, domum ad ſuos cum dedecore reuerti iubentur: ſic prorſus in fundamenta, velut indignos luce coniiciendos lapides, æſtus, frigoris, imbris intolerantes, & quodammodo effæminatos, vt velut in vmbra & otio aſueto inglorii degant. M. Tale quid volo. Sed ad rem redeamus. Albi fuſcis faciliores: tralucidi opacis ductiliores, ſalem autem imitantes intractabiliores. Arena inſperſi ſunt aſperi: quibus ſcintillæ aureæ intermicant, contumaces: nigrantibus ſcatentes punctis indomiti: guttis angularibus aſperſi firmiores, quàm qui rotundis: & quò minores guttæ, eò lapis tolerantior: & quò cuique color purgatior ac limpidior, eò magis æternus: quò minus venarum habebunt, eò integriores. Venæ lapidum colorem gerentes, æquabiles ſ: tenues moroſos: anfractuoſæ auſteros: internodoſæ acerbos quodammodo indicant. Si multæ fuerint venæ, lapidem diſſimilem ſibi, & in-

con-

conſtantem arguunt. Lapis confractus, quò minus erit cute aſpera, eò habilior erit ſcabro: in quo genere qui ſunt candidiores, minus erunt obſequentes. Crudiores aqua aſperſi tardius areſcunt. Graues leuibus ſolidiores, minuſque friabiles. Qui dum feriuntur reſonant, ſurdis denſiores: & qui ad ſcalprum contumaciores, aduerſus tempeſtates valentiores ſunt. Lapis omnis humectatus ferro tractabilior eſt, quam cùm exaruerit. Sunt item lapidum alii rediuiui, fortes & ſuccoſi, vt ſilex, marmora, &c. quibus innatum eſt, vt ſint graues & ſonori; alii exhauſti, leues, ſurdi, quales tofinei, & ſabuloſi. Alii planis ſuperficiebus, lineis, angulis multiplicibus & variis: quos incertos appellamus. Rurſus alii prægrandes, quos ſingulos nudæ hominum manus abſque traha, vecte, rutulo, gerulis ad arbitrium agere nequeunt: alii minuti, quos vel vna manu tollas, & vbi vis colloces. Qui inter hos pondere & magnitudine intercedunt, iuſti vocentur. Ad lateres eamus.

LATERES.

Primùm laudes lateritii operis exſequamur. PH. Ita, ſi tibi placet. M. Videtur priſcos mortales inopia coegiſſe, lapidum, inquam, inopia, vt è lateribus ædificia componerent. Vbi verò obſeruari cœptum eſt, quàm id genus conſtructionis eſſet ipſo labore facile, quàm ad vſum commodum, ad gratiam aptum, ad perennitatem firmum, alia multa, & regum quoque domicilia ſic exædificata ſunt. Poſtquam deinde etiam ſeu caſu, ſeu dedita opera cognouerunt, quantùm ignis ad lateres firmandos ac denſandos poſſet, inſtitutum eſt, vt teſtaceo opere conderentur omnia: ſic enim coctos lateres vocarunt, cùm alios crudos dicerent, qui ad ſolem ſcilicet, non ad ignem coquerentur, ſeu ſiccarentur potius. Ducendi ergo lateres ſunt non de luto arenoſo, calculoſo, ſabuloſo, ne grauitatem, & pondus iniuſtum habeant: ne cùm ab imbribus in pariete maduerint, paulatim dilabantur, ac diſſoluantur: ne præterea, quæ ipſis admiſcendæ ſunt paleæ, propter aſperitatem nequeant cohæreſcere. PH. De quo fient igitur? M. De terra albicante, cretoſa, ſiue de rubrica, aut etiam maſculo ſabulone: qua voce terreni quoddam genus apud auctores ruſticos demonſtratur: & nos eandem ei notionem modo donamus. PH. Et anni parte qua præcipuè ducendi? M. Vere & autumno, quo vno tenore ad ſiccitatem perueniant: probè etenim ad ſolem ſiccantur. Nec ſimul vt ducti fuerint, in fornacem immittentur, ni admodum ſicci ſint: nec verò ante biennium areſcent ſatis: & in vmbra commodius, quàm in ſole ſiccabuntur. PH. Per ſolſtitium eos parari, velim accipere cur vitioſum ſit. M. Dicam equidem. Quod ſol cum ſummum corium acerrimè coquat, efficiat, vt aridi videantur, cùm intus ſicci nondum ſint. Et quia poſtmodum ſiceſcendo contrahuntur, aritudinem perrumpunt, rimoſique facti, imbecilli etiam euadunt. Siccos planè lateres oportebit eſſe: ne ſi in ſtructuram recentes, & humentiores venerint, inducto & abſolidato tecto: in

Digitized by Google

ſidentes ipſi parem cum eo altitudinem non teneant, contractioneque refugientes, ab eius coniunctione diuellantur. Atque iſto modo tectoria a ſtructura diſparata, quia tenuia cum ſint, per ſe ſubſiſtere nequeunt, neceſſariò fruſtulatim decident, parieteſque recedentes vitabuntur. Si neceſſitas coegerit per hybernum tempus fingere lateres, illico ſicciſſima arena operiuntur. Si per mediam æſtatem, humectis paleis: ſic enim non findentur, neque contorquebuntur. Apud antiquos tria fuerunt genera laterum: vnum longum ſeſquipede, latum pedem: alterum palmas quinque quoquò verſus: tertium palmas non plus quatuor. Vtebantur item nunc maioribus, nunc minoribus: quoniam non modò vtilitatem in ædificiis, ſed etiam leporem & gratiam quærebant. Hæc de lateribus. Sequitur vt altera opella perfungamur, & de calce diſputemus. PH. Sic tibi peracta erit diſputationis pars tertia. M. Hinc exordiar.

C A L X.

Calci efficiendæ inutiles decernuntur lapides aridi, putreſcentes, exhauſti: ſiquidem tertia parte minus habere ponderis calcem oportet, quam ſuus lapis habuerat. Terroſus lapis impuram reddit. Optima coctio de ſaxo albo, præduro, admodum ſpiſſo: aut ſilice, quæ & inſtructuris, & in teſtudinibus vtilitatem magnam præſtabit. Quæ cocta eſt de fiſtuloſis [illegible] tectoriis deſtinabitur: eſt quippe ductilior, & opera ſplen[illegible] reddit. Ex collectitiis torrentium lapidibus, globoſis, fuſcis, præduris etiam calcem non reprehendendam parant. Vtilior tamen [illegible]ſſus, quàm collectitius: & ex fodina vmbroſa ac humenti, quàm ex arenti. Lapidem bonum in fornacem, inquit Cato, quàm candidiſſimum, quàm minimè varium indito. Silices quidam albi viſuntur, quidam nigri, ſiue fuſci, quidam rubri, quidam rutili, quidam cornei coloris, cinerei, cærulei, phœnicei. Iam illud quoque dicam tibi: lapidem æſtuore flammarum in calcem redigi non minus horis ſexaginta. Poſtquam coctus fuerit, intra ſe latentem ignem cohibet, aqua ſuperfuſa exardeſcit, qua tamen ignem extingui cernimus: oleo extinguitur, quo ignem paſci & augeſcere conſpicimus. Extincta porro calx ſic eum materia ad aptam temperaturam confundetur, vt vna pars cum tribus arenæ foſſiciæ, & rurſus vna cum duabus fluuiaticis, aut littoralibus permiſceatur. Quòd ſi teſtam tuſam & ſuccretam ex tertia parte vtriuis generi arenæ adieceris, ad vſum ex temperamento proficiet. Improbant calcem quæ ex fornacibus apportatur glebis non integris, ſed reſolutis, & valde pulueroſis: negantque in opus validam futuram. Probant quæ ignibus purgata candicans, leuis, ſonora ſit: quæque ſi aſpergas aquam, multo crepitu acrem vaporis vim in altum euomit. Certum eſt etiam, calcem ſuis, & præſertim eadem ex fodina, tanquam cognatis lapidibus tenacius quam externis cohærere. Gypſum quoque calcis genus eſt, & comparatur è cocto lapide, qui tener eſt, & friabilis. Coquitur horis non plus viginti. De arena reſtat vt dicendum ſit. PH. Vt iſta me delectant?

ARE-

Digitized by Google

ARENA.

M. Tria ſunt arenarum genera, foſſicia, fluuiatica ſeu fluuialis, marina ſeu littoralis. Foſſiciæ, quæ maxime laudatur, ſpecies ſunt nigra, cana, rubra, carbunculus, glareoſa. Inter omnes foſſicias carbunculum commendant. PH. Definito mihi iſtuc genus. M. Ex materiæ cuiuſdam poteſtate molliore quam ſit tophus, & ſolidiore quàm ſi terra ignibus naturà peruſta in Hetruria, fieri carbunculum aſſerit Vitruuius. Cana locum tenet poſtremum: glareoſa fundamentis faciundis adhibetur. Bonitatem ei arenæ tribuunt, quæ è fluento poſt primam cutem abreptam eximitur. Inter fluuiatiles torrentium excellit. Marina vltima eſt bonitate, cuius nigricans, & vitroſa non omnino vituperatur. Littoribus verſus auſtros aiunt reperiri deterrimam: quæ ad Libycum, non improbandam: commodiorem quæ ad rupes ſubſidit, & grano eſt craſſiore. Marina difficulter inhæreſcit, & ſalſugine diſſolubilis continuò madeſcit atque eluta fluit. Inde onera ægrè ſuſtinet. Suadent quidam lotione dulcis humoris eam prius immergere, vt illa latione vitium exuat: Fluuiatilis humidior eſt, quam foſſicia, atque idcirco ductibilior, & tectoriis habilior. Foſſicia ob pinguitudinem tenacior. Optima in ſuo genere arena erit, ſi manu confricata ſtridorem fecerit. Citra aſperitatem terroſa, proiectáque in candidum veſtimentum, & inde excuſſa idem non fœdatum relinquens, nec terram dimittens ibidem, bona & commoda cenſeatur. Nam bona quæ per ſe lenis, colore odoreque terram luteam imitabitur. Item quæ intra aquam exagitata, eam valde turbulentam reddet ac limoſam. Item quæ in area relicta ſtatim herbeſcet. Item quæ dudum connecta, diu ſub aere ad ſolem, lunam, pruinas iacuerit: terroſa namque & putris euadit. Foſſicia breui in ſtructura areſcit, perdurant cum ea tectoria, concamerationes perpetitur, ſi modò recens ſit. Habes breuiter quæ requiſiſti: quibus ſi contentus non es, immo, quia contentus eſſe non debes, ad ipſos ſcriptores vberius hauſtum accedas conſulo: quorum verbis, ſi plura expreſſi ne mirere. Accidit enim iis, qui aliquem librum perſæpe legunt, vt eum pæne ediſcant. PH. Ego verò tibi & de labore, & de conſilio amplas gratias ago.

ANNOTATIONES.

PRIMO LOCO MATERIA) *Lignorum quædam ignibus deſtinata ſunt, quædam operibus, quibus materiarii vtuntur: illa ξύλα καύσιμα, hæc ἐργάσιμα Græci. Præterea ἐργασίμην ὕλην vocant. Latini lignum omne ad ædificium accommodatum, materiam nominant: & materiarium, ac materionem fabrum lignarium: fabricam materiariam, fabricam lignariam, ſiue tignariam. Eodem intellectu eſt verbum materiari, & ædes malè materiatæ apud Tullium 1. de Off. ex vitioſa ſcilicet materia compoſitæ: nempè lignis non tẽpeſtiuè cæſis: tignis & trabibus male fultæ, maleq; adminiculatæ, atque ideo vitium facientes. Materiationem & materiaturam appellat*

Vitruuius ſtructuram ligneam lib. 4. c. 2. Græci ξυλεργίαν. A NOVO AVTVMNO) *De cædendis arboribus lege Catonem. c. 17. Plin li. 16. c. 39. Colum. lib. 11. c. 2. Veget. lib. 4. c. 36. Theophraſt.* φυτῶν ἱστορίας *lib. 5.* ETIAM VANÆ EVADVNT) *Exempla grauidarum mulierum appoſitè hoc illuſtrat Vitruuius. Confirmat ſanè Hippocrates, mulierem ferentem vterum, cum viro repalleſcere: quoniam purus illius ſanguis ſemper quotidie è corpore deſtillat, & in fœtum deſcendit, vnde augmentum ei accedit. Cumq; minuatur ſanguis per corpus, ipſam neceſſariò pallorem induere, debilioremq; fieri.* HVMOR ET SVCCVS TANQVAM) *Plin. lib. 16. c. 39. Circumciſas quoque ad medullam alii non inutiliter relinquunt, vt omnis humor ſtantibus defluat. Idem præcipit Pallad. lib. 11. c. 15.* DE LAPIDIBVS IGITVR) *De origine, coloribus lapidum, variis item imaginibus in iisdem apparentibus, legendus Leo Baptiſt. li. 2. Philander in Vitruuium lib. 2. c. 7.* QVOS QVADRATOS) *Lapides ſunt cæſi, planis ſuperficiebus & æqualibus angulis, vt dicitur in dialogo, licet non paribus lateribus. Ædificare lapide quadrato dicuntur qui ſectis, & expolitis, tametſi non verè quadratis lapidibus ædificant. Quid ſit lapide ſtructuli, aut cæmentitio ædificare, conſule Hadrian. Cardinal.* DVCENDI ERGO LATERES) *Inferciuntur in formam lateres, ſeu materia laterum, ſubigendoq; in longum trahitur. Sic lana pollice ducitur, cum digitis ſubacta producitur, & in filium fingitur. Ex metallis, ferro, plumbo, ære, ſtanno multa dicuntur duci ex quo &* ἐλάσματα *vocantur laminæ, quia ducuntur. Etiam è marmore duci aliquid dicitur Virg. 6. Æneid. viuos ducent è marmore vultus. De lateribus Leo Baptiſta lib. 2. Pallad. lib. 6. c. 12. Plin. lib. 35. c. 14.* TERRENI QVODDAM GENVS) *Teſtis primus accedat Varro, qui eſt ita loquens lib. 1. de re ruſt. ca 9. quo de terræ diſcriminibus diſputat. Præterea etiam diſcrimina omnium horum generum ſubtiliora alia: vt in ſabuloſa terra, quod ibi refert, ſabulo albus ſit, an rubicundus: quod ſabulo albus ad ſerendos ſurculos alienus, contra rubicundior appoſitus. Alter Colum. lib. 2. c 17. Si tamen nullum genus ſtercoris ſuppetet, ei multum proderit feciſſe, quod M. Columellam patruum meum doctiſſimum & diligentiſſimum agricolam ſæpenumero vſurpaſſe memoria repeto: vt ſabuloſis locis cretam ingereret: cretoſis ac nimium denſis ſabulum. Idem li. 3 c. 11. Cretoſa humus vtilis habetur viti: nam per ſe ipſa creta, qua vtuntur figuli, quamq; nonnulli argillam vocant, inimiciſſima eſt, nec minus ieiunus ſabulo.* CVM SVMMVM CORIVM) *In ſtructuris coria Vitruuio ſunt ordines, ductus, & curſus. Lib. 2. cap 8. Hæc autem duobus generibus ſtruuntur, ex his vnum iſodomum, alterum pſeudiſodomum appellatur. Iſodomum dicitur, cùm omnia coria æqua craſſitudine fuerunt ſtructa. Pſeudiſodomum cùm impares & inæquales ordines coriorum diriguntur. Lib. 7. c. 3 pro ductu & directione tectorij vſus eſt. Cùm ergo ita parietibus tectoria facta fuerint (vti ſupra ſcriptum eſt) & firmitatem & ſplendorem, & ad vetuſtatem permanentem virtutem poterunt habere. Cùm verò vnum corium arenæ, & vnum minuti marmoris erit inductum, tenuitas eius minus valdo faciliter rumpitur: nec ſplendorem politionibus propter imbecillitatem craſſitudinis proprium obtinebit. Sed c. 3. lib. 2. laterum ſuperficiem hoc nomine expreſſit.* IN FORNACEM) *De paran-*

da

de fornace calcaria egit diligenter Cato cap 38. ad finem. Cauſſam porrò, quamobrem cùm receperit aquam calx, ſtructuram confirmet, doctè eleganterq́; exponit Vitruuius lib. 2. cap. 5.

PROGYMNASMA SEXTVM.

Aedificationes operum publicorum, ac primùm vrbis.

OPPIVS, FVMANVS Politici, BOVILLVS MANFREDVS Architecti.

OPPIVS. Peropportunè factum, vt huic congreſſioni noſtræ interueniretis, hominum familiariſſimi atque ſinceriſſimi.

οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος, ὅτ' ἄρ' ἤλυθον αὐτοί.

Iamq́; aderant ipſi nondum ſermone peracto.

A. Peropportunè? qua de cauſſa tandem? mi Oppi. O. Occupationibus iſtis politicis relaxati (cuius rei interdum poteſtas contingit) haud exſoluti (quod ſola forſitan hora ſuprema nobis faciet) de architectura ſermones communicabamus: verùm aliquantò pinguiores: quod illis neceſſe eſt euenire, qui cum in aliqua arte tyrocinium ponere non potuerint, in ea magiſtri euadere nequiuerunt. Proinde alteruter veſtrûm multò loqueretur de ſcientia ædificatoria ſcientius, ſubtilius, diſertius, copioſius: quoniam credibile ducitur, vnumquemq; in eo quod optimè nouerit, quodq́; profitetur, ſatis eſſe eloquentem. M. Attende ſis mihi, & caue ne in crimen vocere, quando es de alieno tam profuſus ac prodigus largitor. Agent enim tecum lege, vindicabuntq́; oratores, qui de rebus, quas ad tempus cognouerint, melius ſeſe dicturos gloriantur, quàm eos ipſos, quorum eæ res ſunt propriæ. Aſſeuerant præterea firmiſſimè, ac fidentiſſimè, non poſſe quemquam artem ſuam dicendo illuſtrare, niſi ad eorum facultatẽ confugerit, indeq́; ad vſum ſuum mutuatitia ornamenta deprompſerit. Sic Philonem architectum, qui Athenienſibus armamẽtarium ædificârit, perdiſertè quidem populo rationem operis ſui reddidiſſe: veruntamen in eo ipſo non potius Architecti, quàm oratoris artificio diſertum extitiſſe. Quod autem vt veriſimile induxiſti, quemlibet de ſua ſcientia eloquendi ſatis magnam vim poſſidere, id quoque ab iiſdem exploſum, & eiectum non ignoras, tametſi diſſimulas. F. Non inſcienter, Oppi, te Manfredus redarguit. Quare ad hoc te neceſſitatis compulſum intellige, vt vel L. Craſſi, & M. Antonii eloquentiſſimorum, omniúque dignitate principum eruditiſſimas diſputationes irriſione ludas: vel huic amico noſtro aſſentias: ſimul eius moderationem diligas & comprobes, qui non plus ſibi aſſumere voluerit, quàm ratio veritaſque conceſſiſſent. Continet ſe intra pelliculam ſuam. Auis puſilla nidulum paruum conſtruit: &, quod item vetus eſt, ſupra pedem non patitur, aut requirit calceum. O Quin perſonas vtrinq; deponimus, & ita ſe nos aliquando in ludum oratorium, conſumpſiſſeq́; otium in exerci-

ratione dicendi, citra metum Rhamnuſiæ virginis confitemur? Ita nihil his duobus, Fumane, tribuo, quod ſibi non audeant iure ſuo vendicare: nec eſt cur timeam, ne mihi ſacramento contendendum ſit cum oratoribus: aut promittendum vadimonium. B. Iam huc ventum gaudeamus licet Manfrede: en, hic nos nihil tale neque appetentes, neque verò ſuſpicantes ad oratorum ordinem adſcripſit: eo fortaſſe conſilio, vt cum iſta laudatiuncula demulſerit, facilius nos ad grauem aliquam, & carptis vndique floſculis ornatam diſputationem eliciat. Hoc eum machinari quàm ſagaciſſimè odoror. Si tu nos pariter philoſophos, deinde iure conſultos, aut medicos decernere cogitas, cras & perendie hunc in locum gratuitò reueniemus. Sed iam de architectura noſtra exponite nobis, ſi fis, quæ fuerit in hoc veſtro congreſſu verſata materia. O. Quid cenſes? Multiplex operum veſtrorum varietas: ſplendidiſſima & nobiliſſima quædam ædificia, quæ latinis iuxta, atque græcis toties commendata literis, famam indelebilem, memoriamque ſempiternam acceperunt. Ea ſeu bellorum licentia & immanitate deſtructa, euerſa, deleta: ſeu ab omnium rerum confectrice vetuſtate conſumpta, cùm recordaremur, ingemiſcebamus, & dolebamus, adeo, vt etiam frontem feriremus. F. Quantum eſt, Bouille, illa orbis terrarum miracula periiſſe, ſi perierunt etiam vrbes, natura, ſitu, opere, ædificiorum deſcriptione, & amplitudine pulcherrimæ, munitiſſimæ, atque illuſtriſſimæ? quarum conſtitutione ars veſtra explicare ſe propemodum quanta quanta eſt poteſt: ſiquidem publicæ priuatæque ædificationes, cuiuſcunque generis, vno pæne vrbium nomine comprehenduntur, quandoquidem ad eius abſolutionem requiruntur. Heu quomodo in viculos conuerſæ, quomodo collapſæ ſunt vrbes tam multæ, tam magnificæ, quas in Bœotia Mæonides ille enumerat? Quàm flebiliter illa dicuntur a Panthu ſacerdote in 2. Æneid. de Troia cadente?

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troes fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum; ferus omnia Iupiter Argos
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in vrbe.

Ruit alto à culmine ſuperbum Ilium, diuûm domus. De Alba longa imperio Tulli Hoſtilii proſtrata Liuius in hæc verba. Egreſſis vrbem Albanis, Romanus paſſim publica priuataque omnia tecta adæquat ſolo, vnaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio ac ruinis dedit. Vbi eſt, quæſo, vrbs antiqua illa, quam Tyrii tenuere coloni,

Carthago, Italiam contra Tiberinaq; longè
Oſtia, diues opum, ſtudiisq; aſperrima belli?

De qua item crudeli funere moritura iam Dido inter nouiſſimas voces: vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi. A' Romano ſanguine ducta progenies has arces igni populata eſt. O Athenæ, tam vos ab interitu Pallas: quam Carthaginem Iuno liberauit, periiſtis. Vbi tua Babylon Semiramis? De Hieroſolyma vrbe ſine dubio & maxima, & auguſtiſſima

ma recognoſcite mecum quid Saluator vaticinatus ſit: quam vaticinationem certè euentus ipſe confirmauit. *Ecce veniet dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquetur lapis ſuper lapidem* Roma quondam arx omnium gentium, clariſſimum Imperii domicilium, opus mundi auguſtiſſimum, princeps caput vrbium, domina gentium, prima vrbes inter, domus aurea Romæ, vt eſt apud Auſonium, fruſtra dicta eſt ÆTERNA: non eſt hodie orbis epitome: multum mutata eſt ab illa, de qua Ouidius: *& tetigit ſummos vertice Roma deos.* Deformatam gerit faciem. Circi, theatra, fana, porticus, palatia nunc ruinæ & parietinæ ſunt, & dirutæ iam atque combuſtæ velut oſſa ac cineres: quæ neſcio quas adhuc ſcintillas veteris ſplendoris dicuntur emittere. Argos aptum equis, & dites Mycenæ, patiens Lacedæmon nuſquam viſuntur. O. Dum vaſtationes excidiaque tot tantarumque vrbium recenſeremus, conditionis humanæ memores reddebamur: & nihil eſſe mirandum dicebamus, nos è neruis, oſſibus, venis, carne, ſanguine coagmentatos, paucorum annorum curriculis diſſolui, atque in puluerem mutari, cum quæ è lapidibus duriſſimis, è marmore ferroque conſtructa, & compacta in omne æuum permanſura videbantur, multis abhinc ætatibus apparere deſierint. Quo argumento ad cauſſam aptiſſimo vſum videmus Seruium Sulpitium in epiſtola ſcripta prudentiſſimè atque dulciſſimè, qua M. Tullium propter abitionem filiæ in mœrore iacentem erigere conatus eſt. Quem locum, niſi vos aliud vultis, ad verbum produxero. B. Hoc volumus O. *Quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare. ſi fortè eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens cùm ab Ægina Megaram verſus nauigarem, cœpi regiones circum circa proſpicere. Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextra Piraeus, ſiniſtra Corinthus quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt. nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare. Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interiit, aut occiſus eſt. quorum vita breuior eſſe debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. Viſne tute Serui cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem ſi tibi videtur. fac ante oculos tibi proponas.* F. Cùm iſta quæ hactenus audiuiſtis inter nos celebraſſemus, Bouille & Manfrede, nihilominus vrbium conditores laudibus ornabamus: nec prudentiæ ſolùm haud vulgaris, verumetiam doctrinæ grauioris opus eſſe ſtatuebamus vrbes condere: quo quidem vobis Architectis nihil vel ad operam ſtudiumque maius, vel ad commendationem præſtantius. B. Neque tamen ſoli nos, etiam homines ad moderandam ciuitatem idonei, quos Græci πολιτικοὺς nominauerunt, de huiuſcemodi conſtructione omnium præcipua diſputare ſolẽt: & vos, ſi placitum modò fuerit, diſputabitis: eſtis enim πολιτικώτατοι, cùm ad Rempub. adminiſtrandã vſum, ſcientiã, ſtudiumq; omne cõtuleritis: & quibus rebus eius vtilitates parentur augeanturque optimè teneatis. O. De iſtoc nos viderimus. At politici illi de vrbe ædificanda diſſerunt, quatenus ciuitatem beatam ac florentem effectura videatur: vos quære-

nus commoda fiat, & elegans ad habitandum. Alium igitur ad finem vos, ad alium illi ſuam rationem referunt: quanquam haud negauerim, iiſdem rebus, non quidem omnibus, at aliquibus, poſſe vtrunque obtineri. Eſt autem non abs re, deſpicere qualia ſint, quæ moliendis oppidis initium: & qualia rurſum, quæ iiſdem vetuſtate iam antiquiſſimis vaſtitatem exitiumque creauerunt. M. De vaſtitate quidem, ac demolitione: quoniam cauſſæ magis in promptu ſunt, procliuius eſt dicere.

Ira Thyeſten exitio graui
Strauere, & altis vrbibus vltima
Stetere cauſſa, cur perirent
Funditus.

Bella bella ex ambitione, inuidia, diſcordia, ira, odio, etiam ex importuniſſimis libidinibus, fœdiſſimiſque adulteriis conflata vrbes oppugnarunt, diuexarunt, oppreſſerunt, euerterunt. O. Quoniam ciuitas in iis rebus eſt quæ naturà conſtant: quia homo eſt naturà ciuile animal, id eſt, ciuitati hominumque cœtui colendo natum, & congregabilius quàm apes, quàm animantia quæuis, quæ gregatim viuunt: an non liquet vrbes ſimiliter, quæ domiciliorum coniunctiones, & ipſa ciuium ſepta munimentaque ſunt, quibus incolæ aduerſus belluarum laniatus, & hoſtiles incurſiones ſeſe tutantur, naturam habuiſſe ſui principium? Iam hominem ita factum eſſe, vt in ſocietate & communitate vitam exigeret, ecquid indicat, quòd eum rebus ad viuendum opportunis, iiſque multis indigere animaduertimus? quas cum ab ipſo ortu cæteris animantium natura impertiuerit, iiſdemque ſatis conſuluerit, prouideritque, hominem rationis munere condecorauit, quo ſibi omnia acquireret, & pararet: ad quæ ſingula rurſum nemo aptus, nemo ſibimet ſufficiens: alienis cuique auxiliis ad explendas vitæ neceſſitates vtendum eſt. Ea verò auxilia, quia non longè, ſed prope, & è vicino accerſere, ac ſumere oportebat, idcirco homines conuenire vnum in locum, ædes ædibus adiungere, vnaque habitare debuerunt. Sic ſanè viciſſim ad alium aliumque vſum alter alteri, vnus plurimis, & plurimi contra vni opitulantur atque inſeruiunt. Sic varias res inter nos contrahimus, auctionamur, negotiamur, mutuamur. E terra naſcentibus herbis paſcuntur beſtiæ: nos ad cibaria ſola agricolis, molitoribus, piſtoribus, olitoribus, laniis, cocis indigemus. Frigora illæ pellibus ac tegumentis naturalibus defendunt: nos in hanc lucem nudi prodimus, & ex ea nudi abimus: ideo pannificibus, pellionibus, ſartoribus, ſutoribus, pileariis carere non poſſumus. Habent illæ cubilia, & latibula ſua apta ſine manibus: nobis habitationes fabri materiarii, cæmentarii, ferrarii, ſerarii, item vitriarii, arcularii componunt. Poſſem alia ad eundem modum perſequi, ſi res poſtularet. Immo nullam artem inuenies, cui exercendæ non ſit aliarum artium opera neceſſaria: nec vnius generis artifex, ſine aliorum generum artificibus ſuo

in mu-

Digitized by Google

in munere verſetur. Inſtrumenta agricolarum partim lignea, partim ferrea ſunt, & ab aliis, nec ab iiſdem tamen omnia conficiuntur. Quorſum hæc? horſum, vt, quod multò ante dixi, clarius pateret, indigentiam ſcilicet communitates atque conuentus peperiſſe: conuentus effeciſſe ciuitates: ciuitates generaſſe vrbes. M. Si hoc ita eſt, cur in Tuſculanis iſta leguntur? *O vitæ philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixq́ vitiorũ, quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu eos primò domicilius, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti.* B. Idem Cicero (feram enim tibi collegæ meo ſuppetias) pro Sextio ſic ait. *Qui igitur primi virtute, & conſilio præſtanti extiterunt, ii perſpecta generis humani docilitate atque ingenio diſſipatos vnum in locum congregarunt, eoſque ex feritate illa ad iuſtitiam atque manſuetudinem tranſtulerunt: tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominũ, quæ poſtea ciuitates nominauerunt, tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento & diuino & humano iure mœnibus ſepſerunt.* Hoc loco, vt videtis, prudentibus viris, in Tuſculanis philoſophiæ, alibi oratoribus ciuitatum atque vrbium originem tribuit. Horatius ad Muſicos eam detorquet, Syluestres homines ſacer interpreſq; deorũ, & quæ ſequuntur. At enimuero tu, Oppi, neceſſitudinẽ & egeſtatẽ auctores faciebas. O. Nihil aliud his teſtimoniis effectum putatote, quàm leges, mores, inſtituta, religiones ciuitatum manaſſe à iudicio conſilioque ſapientum: quales etiam numerantur oratores, & apud priſcam vetuſtatem numerabantur quoque muſici. M. Vndecunque tandem primum natæ, & quandocunque excitatæ fuerint vrbes, illud profectò nihil habet quæſtionis, ad regionum proprietates & inclinationes, ſeu varietates cæli, vrbis collocationem eſſe dirigendam: quando hinc naturæ gentium diſſimilium animis, corporumque figuris, & qualitatibus diuerſis progenerantur, quod Vitruuius noſter doctiſſimè, vt omnia, demonſtrauit. Tum in ſede qua vrbem volemus conſtituere, ſalubritatem potiſſimum conſiderandam, propter commodam ciuium valetudinem: quam vt ſinguli, ita vniuerſi quibuſuis rebus quantumcunque charis & iucundis debent anteponere. F. Damus hoc tibi vel non rogati, & addimus, id ipſum permagni referre, vt beata efficiatur ciuitas. M. Ad ſolem orientem, vnde Euri veniunt, conuerſæ vrbes egregiè ſalubres ſunt: quia in parte illa cælum calore ac frigore temperatius: nec tot inde, nec tam periculoſi difficileſque morbi. Quæ Septentrionem reſpiciunt, felicius cenſentur poſitæ, quàm quæ meridiem intuentur, à quo mundi latere ſpirat Auſter, ſiue Notus, bonæ corporum habitudini exitialis, & à morbis quos inuehit νότος, quaſi νόσος, vt quidam putauerunt, nominatus. Quæ occaſum verſus ædificantur, obiiciunturque ventorum inde ruentium flatibus, ſitu ſunt admodum calamitoſo: ſiquidem plurimæ corporibus ægritudines inde comparan-

Digitized by Google

parantur. Salutares etiam ſtatuuntur editiores ac ſublimiores loci propterea, quòd patent toti ventis: qui cùm aërem continenter exagitent, iſto modo purum ac tenuem præſtant. O valde tibi in hoc ego & Fumanus aſſentimur. Sine aëre nulla eſt ſenſuum efficiẽtia. Nobiſcum cernit, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat, nobiſcum odoratur. Idem ſpiritu ductus, genus omne animantium alit ac ſuſtentat. Quas noſtrates medici complexiones, nos conſtitutiones & temperamenta corporum vocitamus, eas eorundem habitudines conſequuntur. Aër autem quo circumfundimur, non minimum, ſed plurimum potius ad illam temperationem immutandam valet ſiue vt emendet, ſiue vt corrumpat: quem haurire ſine intermiſſione cogimur, ſi animam velimus retinere. Quare ſi hic non craſſus, nebuloſus, pinguis, concretus, turbidus, verùm purus, liquidus ac ſincerus erit, humores & ſpiritus puri, & ſinceri erunt: aliâs ſpiſſi, fœculenti, impuri, vitioſi. Iam quomodo ſe corpus vtraque de cauſſa habiturum ſit, ipſi perſpicitis. Ergo ſalubris deligenda regio, ea enim, opportuniſſima excitandæ vrbi. Salubrem cœli aſpiratio facit: quæ qualis vbique ſit, & quibus de cauſſis naturalibus talis ſit, ex phyſicorum medicorumque ſcripturis diſcendum eſt. F. Socius tuus Bouille de cœleſti vrbium ſitu diſſeruit: par videtur, vt tu de terreſtri earum ſitu, ac regione agas. Ecquid locis incultis, aſperis, ſolis commodam iis ſedem fore putas? Sic quippe à repentinis hoſtium incurſibus, & effuſis populationibus non timebitur: magna in ſecuritate viuetur. Seſoſtrim Ægyptiorum regem exercitum in Æthiopiam ideo non miſiſſe referunt, quod eſſet ibi præcipua locorum difficultas, & extrema frugum caritate laboraretur. Arabes quòd fructibus & aqua deficerentur, ab externis hoſtibus tutos degiſſe. Italia nulla re magis tot barbaros ad ſe inuadendum & occupandum, quàm fertilitate, rerumque copia prouocauit: quæ item hominibus effæminandis facit: cum contra ſterilibus, lapidoſis, horridis locis acres, & robuſti mortales inueniantur. B. Barbaris ſinamus barbariem ſuam, quibus beſtiarum more adhuc viuere, & incertis vagari ſedibus voluptati eſt: nos de hominibus veris non de feris loquimur: qui talem condendæ vrbi locum quærent: & eum ſibi à natura offerri optabunt, in quo cùm omnia ſuppeditent neceſſaria, tum ſit etiam quod voluptati, & deliciis præbeatur, & in quem nihil aliunde importari opus ſit: finibus autem ita per ſe munitis, vt ſit hoſti non facilis ad ingreſſum, & expeditior defenſio libertatis. Habeat agrum vacantem rebus pernicialibus, vt ſunt venenatæ beſtiæ: ſit aquarum in eo, fontium, riuorumque copia, non aliunde eò deducta. Si id negatum fuerit, receptacula, & ciſternæ multæ magnæque ad aquas cœleſtes excipiendas parabuntur: vt præter vſum quotidianum, ſi quando obſeſſa vrbe egredi in agrum non liceat, domi aquis neceſſariis ne indigenæ deſtituantur: alioqui non aberit, quin in deditionem redigatur. Sit fœcundus, amœnus, varius, nec longè à mari: vt quæ deſunt commodiùs haberi, quæ ſuperſunt exportari queant. Conueniet autem eam in medio agro collocari, vt oram ſuam circumſpicere, & quò neceſſitas vocarit, opportunius accurrere poſſit. In montibus, ſeu ſublimi-

Digitized by Google

ſublimibus locis ædificare vrbes cum ſecuritas, tum ſalubritas hortatur: ſed rerum requiſitarum penuria, & ſubuectionis labor prohibent. Inde error magnus Architecti clariſſimi notatus ab Alexandro. O. Quis hic Architectus, quis error? B. Dinocrates è Macedonia profectus ad Alexandrum, cogitationes ſe & formas eius claritate dignas afferre dixit. Athon enim montem ingentem in virilis ſtatuæ effigiem ſe conformaturum, cuius læua manus ſuſtineret oppidum, dextera pateram, omnium quæ ſunt in eo monte fluminum aquam excipientem, vt inde in mare profunderetur. Ratio formæ quam propoſuit, non diſplicuit illa quidem Alexandro: quæſiuit tamen, num agri eſſent circa, vnde victus ei ciuitati. Cùm cognouiſſet non poſſe ſuppetere, niſi à mari, conſilium eſt aſpernatus. F. Prudenter. B. Nec aqua præſtò eſt in montibus, qua homines egēt maximè: in planitie & flumina, & fontes quidem ſunt, non tamen cælum adeo purum habet: æſtate feruet nimiùm, hyeme immoderatius alget: & impetus non æquè, vt altiora loca retundere poteſt. Littora ad contrahendum, accipiendum emittendumque idonea, & opportuna ſunt: tamē hoſtibus ac piratis expoſitæ vrbes maritimæ, & aſſiduis negotiationibus, aduenarum multitudine parum quietæ ſunt, morumque peregrinorum, & nouarum illecebrarum corruptela deprauantur. Probant vrbem quæ abeſt à mari millibus decem. Quod ſi longius ab eo commodè extrui non poterit, eo loco extruetur, quò auræ maris humentes non niſi confractæ antea, perpurgatæque aſpirent. Si celſioribus locis condetur, videndum, ne circumcirca ſublimioribus collibus ſeſe attollentibus, perſeuerantes nebulæ diem atrum cælo aſſiduè infuſcato reddant. Curandū ne venti impatientiores, præſertimque phrenitici Septentrionum filii, immaniùs indigenas diuexent. Inepta erit vrbi area, cui incumbens rupes eductos terra vi ſolis vapores retundit. Fugiendum etiam, ne mons contiguus immineat, vnde hoſtis vehementius vrgeat. Cauendum præterea, ne ſiue mons, ſiue rupes, ſiue lacus, ſiue palus, ſiue flumē, ſiue fons, ita ſe habeat vt hoſti prodeſſe, ciuibus nocere poſſit. De ambitu vrbis dicam quod à veteribus dici ſolitum legi: vrbem & nauim tam amplam eſſe non oportere, vt aut vacillet vacua, aut non ſufficiat plena. Qui celebritatem nominis apud poſtera ſæcula quæſierunt, laxiſſimas fecerunt. Vrbs Solis à Buſiride condita. CXL. Memphis CL. Niniue quadringenta octoginta ſtadia per circuitum obtinuit. Tantum areæ alias occupaſſe comperimus, vt intra vrbis ſepta è ſolo eius quantum incolis ſufficeret rei frumentariæ colligerent. Sed protritum eſt, ne quid nimis. Quod ſi in alteram partem delinquendum ſit, malim in hanc, quæ auctum ciuium numerum queat excipere, quàm quæ ſuos honeſtè non poteſt continere. Nec ad tectorum modò vſum neceſſitatemque vrbs habenda eſt, verùm & ita, vt plateis, curriculis, hortis, ambulationibus, & huiuſmodi ornamentis ſpatia gratiſſima attribuantur.

O. Dum tu de vrbis ambitu explicas, murorum quibus ipſe ambitus, & vrbium ſpatia definiuntur, mihi in mentem venit: de quibus exiſtere quæſtio poteſt, haud inutilis profectò, nec leuis, ſintne illis circumdandæ ciui-

dæ ciuitates, eæ potiſſimùm, quæ virtutem ſe amplexatas profitean-
tur. Non idem eruditi omnes ſentiunt: adducitur enim in partem negan-
tem cum rationibus grauiſſima diuini Platonis auctoritas: ea, ſi obtine-
bit, capite quodammodo architectonica diminuetur: quæ, ſi non mœ-
nia, ergo neque turres, aut propugnacula, quorum idem eſt finis, mo-
lietur: nec tanta erit illius gloria de cætero. B. Abſit verbo inuidia,
abſurdos homines, abſurdum etiam ipſum Platonem. Tu, ſi lubet, ad-
uerſarii: ego refutatoris perſonam ſuſcipiam. O. Lubet, agedum inea-
mus pugnam diſputatoriam. Non in arenis, calce, ſaxis & lignis,
verùm in habitatorum prudentia, ſagacitate, fortitudine ciuitatis
eſt incluſa ſecuritas. Almacidas Lacedæmoniorum dux cùm rogaretur,
quamobrem eorum vrbs mœnia non haberet, iuuentutem in armis de-
monſtrans adiecit: hi ſunt Spartæ mœnia. Fuerunt ergo in hac ſenten-
tia Spartiatæ, quam re ipſa viriliter teſtati ſunt; quando muros circum
vrbem nullos vnquam duxerunt: rati fortitudinem animi, & diſcipli-
nam militarem, qua perpetuò iuuentutem ſuam excolebant, muros
eſſe ad defenſionem, terroremque hoſtium longè firmiſſimos, plane-
que ferreos. Nihil inexpugnabilius cõcordia, qua copulati ciues, quam-
uis pauci, vtcunque bellicoſarum copiarum incurſiones atque impe-
tus ridebunt. Numantini propter vnanimem conſtantemque conſen-
ſum, ſine muris tot annis Romanam obſidionem tolerarunt. Nec porrò
honeſtum eſt, contra virtute ſimiles, & numero non admodum ſupe-
riores, in murorum ac propugnaculorum præſidio munimentoque ſpem
ſalutis reponere. Poſſunt turribus, poſſunt propugnaculis vti etiam ſce-
lerati Principes ac tyranni: & inde glandibus, ſagittis, telis tanquam
fulminibus iaciendis, cùm populo ingentem cladem, tum vrbi vaſti-
tatem afferre. In 6. de legibus Plato ſic loquitur: *De mœnibus autẽ Megille
equidem aſſentior, vt illa in ſolo iacere facilè patiar, & longum, ſi velint, quie-
ſcere, neque his de cauſis erigi. Rectè enim poëticum illud laudatur, quo ænea
& ferrea magis, quàm terrea mœnia condere iubemur.* N*os verò muros cir-
cumducimus, quod primùm quidem ad ciuium ſanitatem parum confert: de-
inde in animos incolarum mollem quendam, & languidum habitum ſolet in-
generare: vt non de hoſte propulſando, ſed de ſuis propugnaculis, quò tutiores
ſint, occupandis cogitent: neq; diligenti & diurna nocturnaq; cuſtodia, ſed mu-
rorum ſeptu, licet interim ipſi ſtertant, ſalutem ſuam contineri arbitrentur;
quaſi ad deſidiam nati eſſent: hoc ignorantes, commodam quietem reuera à la-
boribus oriri: ex turpi autem otio labores ſolere exiſtere.* Quid ad iſta? B. Ego
quid ad iſtas ineptias? Multa, & animaduerſione digna. Aio igitur riſum
& ludibrium debere, qui tam malè ſapiunt; cum ciuitates tam altos ge-
rentes ſpiritus, & ſe palam venditantes, re & factis refutatas non igno-
rent: ſunt enim ab hoſtibus occupatæ, ſuoque malo maximo deſipuiſſe
ſe, ac deliraſſe perſpexerunt. Illa *κυδιάνειρα* Sparta à Thebanis, Pelopida
& Epaminonda ducibus obſidione labefactata & capta eſt: ipſe Alcma-
cidas in poteſtatem adductus, muros illos de quibus dixerat, ſibi patriæ-
que nihil profuiſſe intellexit. Quin etiam cùm Pyrrhus Cleonymum re-
gem

exſtorrem reſtituere in veterem locum conaretur, non videntes miſeri Spartiatæ, qua ratione hoſtes arcerent, cum ob numeroſum aduerſariorum exercitum virtuti ſuæ diffiderent, feſtinatis operibus foſſam ante vrbem, quà hoſtis imminebat, altam & latam foderunt, cui operi fœminæ quoque ita impigrè allaborarunt, vt tertiam partem abſoluerint. Simile omnino eſt, negare vrbes muris cingendas, ac circumuallandas, atque ſi quis regionem quærat, incurſionibus hoſtium expoſitam: & ſi qua ſit illic montoſa & aſpera loca, ea ipſa complananda curet. Item priuatas domos idcirco muris non concludat, quia incolæ propterea ignaui ſint futuri. Non impedit virtutem militarem munitio: nec magnitudini animorum mœnia aduerſantur. Poterunt enim qui mœnibus vrbes circundatas habent vtroque modo iis vti: exire videlicet, manumque cum hoſte conſerere, quaſi vrbs aperta, & immunita ſit, & ſecuti rationem, quam tutiorem exiſtimauerim, intra clauſtra ac ſepta lapidum ſeſe continere. Præſtabit vtique duas ſalutis poſſe vias tenere, quàm vnam. Non ſemper, quamuis eximia fortitudo conſpiratioque animorum, & conſenſus incredibilis ad defenſionem ſufficit: & certiora communioraque præſidia incertioribus, minuſque communibus, parumque vſitatis rectè atque ordine anteferuntur. Euenit etiam, vt qui adoriuntur, virtute humana, & ea quæ in ciuibus numero paucis ineſt, ſuperiores ac potentiores ſint. Quapropter ſi ſalutis habenda eſt ratio, & non vltrò accipienda detrimenta, perferendæque contumeliæ, vt quæque operibus ac munitionibus tutiſſima ac ſtabiliſſima eſt, ita ad bellum habenda eſt appoſitiſſima: nec inurent ſibi maculam, qui hac ſe ratione defendunt: noſtris præſertim ſæculis, quibus tot æneæ machinæ, & tormenta ad demolitiones ac diſturbationes vrbium exquiſitiſſima excogitata cernuntur. Quod tyranni contra ciues ſuos iiſdem propugnaculis vti poſſint, & in ea confugere, hoc vitium hominum eſt. Et ſi in aliis non ideo res tollendæ, quia iis abutuntur quidam malè: quare hîc tollatur? Ad virtutem, nôn ad tyrannidem munimenta ac munimina: ad ſalutem plurimorum innocentium, non ad libidinem vnius ſcelerati adiuuandam extruuntur. Si ea propter otio & ignauia ciues languebunt, vigilet magiſtratus, in armis eos exerceat: doceatque maiorem in manibus, quàm in mœnibus conſtituendam fiduciam. Incumbendum igitur erit in eam curam: non ſolum vt ædificentur muri, qui vrbem defendant, firmi ac ſolidi, bene craſſi: ſed etiam decori, qui eandem cohoneſtent. Hæc ad contrariam ſententiam infirmandam dicta ſunto. O. Etiam ad conuellendam & explodendam penitus. F. Bene interim, & ex ipſiſſima veritate Plautus in Perſa, quinam vrbium ſint muri ſolidiſſimi vtiliſſimique ad munitionem.

SA. *Quid id quod vidiſti? vt munitum tibi muro viſum eſt oppidum?*
VIR. *Si incolæ bene ſunt morati pulchrè munitum arbitror.*
Perfidia & peculatus ex vrbe, & auaritia ſi exulant.
Quarta inuidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio.
Septimum periurium. TO. *Euge.* VIR. *Octaua, indiligentia,*

Nona,

Nona, iniuria. Decimum quod peſſimum aggreſſu, ſcelus.
Hæc niſi aberunt, centuplex murus rebus ſeruandis parum eſt.

B. Sinite me paucis etiam de turribus fabulari. F. Nos verò, & fabulam tuam ſcribemus in animis. Cum mœnibus turres vt extructione, ſic diſputatione coniungi debent. Quamobrem caue mœnia ſine turribus ædifices. Quin enim ſumptus tibi adſint ad iſtas ædificandas, & conſummare poſſis quod inchoaueris, valde credimus. M. Sediſſe ergo iſtum, & computaſſe ſumptus qui neceſſarii ſint ad perficiendum ſtatuitis. F. Certè. B. Terræ multiplices ſunt quaſi cutes. Aliæ quidem ſabuloſæ, aliæ arenoſæ, aliæ calculoſæ, & aliæ demum alius generis: Sub his vario incertoque ordine reperienda eſt ſolida & denſa cutis, & eo vſque turrium ac murorum fundamenta fodienda, quoniam illa propter ſoliditatem portandis ædificiis eſt omnium maximè idonea: ſicut congeſtitia, aut ruderibus confuſa tellus omnium minimè. Cæterùm concreta illa & ſolida cutis alicubi tam eſt dura, vt nec ferro facilè cedat. Alibi craſſior, alibi nigricans, alibi (quod genus cæteris habetur ſtructuris ſuſtinendis infirmius) albicans, alibi cretoſa, alibi tofinea: omitto alias diſſimilitudines. In ſolido de quo dudum ſermo eſt, craſſitudine ampliore ædificandum, quàm ſunt parietes ſupra terram extantes. Priſci Architecti murorum angulos improbarunt, quòd hoſtibus laceſſentibus, magis quàm incolis propugnantibus commodent, quodque non ſint machinarum tolerandis iniuriis. Si ad loca præcipitia ducentur muri, non erit expeditus ac facilis aditus hoſtibus ad eos expugnandos. Portarum itinera non directa, ſed obliqua & ſiniſtra ſunto. Amfractus ſinuoſi, procurrentesque anguli, & quadrati murorum impediunt, quò minus ex pluribus locis eodem tempore hoſtis conſpiciatur: & difficilior eſt eiuſmodi vrbis defenſio: quod angulus, vt dictum eſt, magis hoſtem tuetur, quam ciuem. Muros ita latos volunt, vt defenſores armati obuiam facti commodè ſe prætereant. Tam altos, vt ſcalis admotis tranſcendi nequeant. Calce ſtructuraque ita firmatos, vt tormentorum machinationumque violentiæ, ſiue illarum quarum impulſu muri proſternũtur, ſiue illarum quibus ſuffodiuntur ac ſubruũtur, non cedant. Vtrique incommodo non magis muro, quàm foſſa occurretur. Turres in exteriorem partem propterea proiiciendas monent, vt cum ſe impetu ferre ad muros hoſtis voluerit, è turribus dextrà ſiniſtrà apertis lateribus telis appetatur. Tanto fermè ſpatio diſtabunt, quanto telum adiici poteſt: vt ſi qua oppugnabitur, vtrinque ſcorpionibus & ſagittis ei ad hoſtem repellendum ſuccurratur. Tutiores ſunt rotundæ ac polygoniæ quadratis: nam hæ minori negotio impactis in angulos arietibus diſſipantur. Figura rotunda ita eſt comparata, vt vix pati queat: nullum quippe angulum habet expoſitum: & aries ſemper in centrum adactus, veluti cuneos multos compactos non lædit. Turres quo latere vrbem ſpectant, muro nudatas ponito, & apertas: ne hoſtem fortaſſis immiſſum protegant. Turribus nulla teſtudo, ſed lignea tabulata interſtruantur, quæ vbi opus ſit, & reuellis & igne abſumi queant.

Illa

Digitized by Google

Illa tabulata clauis figi vetant, quò celerius hoſte præualente deturbentur. F. Quoniam Bouillus mœnia turreſque ad ciuitatis propugnationẽ cõſtituit: Tu, Manfrede, eum leua onere: & quæ reliqua manent de condendis vrbibus ἀρχιτεκτονικῶς explana: audimus enim quamuis cupide. M. Ita ne, explanemus, ſed quàm licebit breuiſſimè: nam & quæ dicta ſunt hactenus, dici vberius potuiſſe non ignoratis. Sequitur vt plateæ, & angiportus ad cæli regionem dirigantur. Id præſtabitur perbene, ſi ex angiportis excludentur venti qui frigidi lædunt, calidi vitiant, humidi nocent. Mitylenen oppidum in inſula Lesbo eleganter & magnificè ædificatum memorat Vitruuius: ſed non ſatis prudenter. Nam flante Auſtro homines ægrotabant, Euro, tuſſiebant, Aquilone, in ſalubritatem reſtituebantur: in angiportis autem & plateis propter immodicum frigus nequibant conſiſtere. A regionibus ventorum directiones vicorum conuertendæ ſunt: vti aduenientes ad angulos inſularum frangantur, repulſique diſſipentur. Diuiſis angiportis, & plateis deſignatis videndum quæ areæ ſacris ædibus, foro, & reliquis ædificiis publicis ad vſum communem eligantur. De quibus generatim hæc. Si prope mare poſita erit vrbs, area foro deligetur ſecundùm portum: ſi mediterranea, in medio oppido. Ærarium, carcer, curia foro coniungentur, ita, vt magnitudo ſymmetriæ eorum, foro reſpondeat: curia pro dignitate municipii, ſeu ciuitatis maximè extruenda eſt. Sacris ædibus (eorum præcipuè diuorum, qui ciuitati præſident) excelſiſſimus attribuendus eſt locus, vnde mœnium pars potior conſpiciatur. Theatro quoque locus dandus ſaluberrimus. Ædificiorum priuatorum diſpoſitio laudabitur, ſi primo animaduerſum fuerit, quibus regionibus, aut quibus inclinationibus mundi conſtituantur. Sub Septentrione ædificia teſtudinata, & maximè concluſa, & non patentia, ſed conuerſa ad calidas partes molienda. Contra, meridianis regionibus (quòd premuntur à calore) patentiora, conuerſaq; ad Septentrionem, & Aquilonem ſunt facienda: ita quod vltro natura lædit, arte erit emendandum. Secundum vias publicas priuatæ ædes longo ordine ad pares, quantum fieri poteſt, dimenſiones collocandæ, vt vrbi decus & honorem concilient: nec exporrigatur, aut emineat quippiam, quod publicis viis impedimento ſit. F. De publicis priuatiſq; ædificiis te diſſerente, grauis profectò, & eximius locus è tertia Demoſthenis Olynthiaca incidit in memoriam. In vtroque genere antiquos Athenienſes commendans, in altero quidem ſumptuoſos & magnificos, in altero continentes, & moderatos fuiſſe docet his verbis: *In ipſa vrbe ſpectate, quales & publicis, & priuatis in rebus maiores noſtri ſe præbuerunt? publicè enim ædificia & ornamenta talia & tanta inſtruxere nobis templorum, & quæ his continentur donariorum, vt ad excellentiam eorum à poſteris addi nihil poſſit. Priuatim autem adeo modeſti fuerunt, tantáq; cura reipub. inſtitutis paruerunt, vt ſi quis veſtrum Ariſtidis, & Miltiadis, & illius temporis illuſtrium virorum domos vidit, cuiuſmodi ſint, vicinorum ædibus nihilò illas ſplendidiores videat. Nec enim augendæ rei familiaris gratia rempub gerebant, ſed quiq; rem communem ſibi amplifi-*

 can-

Digitized by Google

candam ornandamq́ putabant. Hæc orator Græciæ. Nunc etiam quidam ita viuunt, quaſi altero die morituri: ita ædificant, quaſi ſemper victuri, & Principum facta in hanc partem ſtudioſius imitantur, cum ipſi Principes non ſint, quamuis pecunioſi ſint. O Templa noſter Plato ſimiliter in foro conſtrui mandat, & iuxta magiſtratuum palatia, curiasq́; iuri dicundo deſtinatas, in quibus velut auguſtiſſimis & ſanctiſſimis locis iura dentur accipianturque: partim ipſis iudicibus veluti de ſacris rebus iudicaturis: partim verò veluti in ipſis curiis deorum ſint ſedes & delubra. Priuatas autem ædes ſic diſponi vult, vt tota vrbs æqualitate & ſimilitudine vnus ſit murus. Quæ diſpoſitio & ſpectatu iucunda, & ad cuſtodiam videtur fore opportuna: ſi videlicet vnius domus figuram ciuitas repræſentet. Apud Ariſtotelem in 7. politicorum ſermo eſt de foro duplici; vnum vocat liberum, ad omnibus rebus venalibus purum ac ſincerum: quo neque quiſquam ſordidus atque illiberalis artifex, neque agricola, neque alius quiſquam talis commeet, aut aſpiret, niſi à magiſtratibus arceſſatur: alterum appellat ὠνίων ἀγορὰν forum rerum venalium, de quo ſuperſedebo dicere. Hoc omittere nolui, Xenophontem in primo eorum librorum, quibus regem in Cyri perſona inſtituit, quo loco Perſarum inſtituta in diſciplina iuuentutis exponit, de libero foro ſcribere (vbi & regia, & aliæ magiſtratuum ædes extructæ ſint) hinc venalia quæq;, & circumforaneos homines, eorumq́; clamores, & inſolentias alium in locum reiectas: ne horum turba & temeritas cum virorum rectè inſtitutorum elegantia ac modeſtia miſceatur. Ego ad metas veni. B. Iuxta tecum à ſermone quieſcam, ſi Fumanus me ſinat. Quoniam id temporis eſt, valetudini demus operam. M. Surgamus.

ANNOTATIONES.

STephanus non ignorati nominis Grammaticus, περὶ πόλεων *de vrbibus commentarium ſcripſit, cuius tantum epitome ſupereſt. Teſtem citat hunc frequenter Euſtathius, in Bœotiam Homeri potiſſimùm, & Dionyſii* περιήγησιν*, appellaturq́ ab eo non ſuo vocabulo, ſed* ὁ τὰ ἐθνικὰ συγγράψας. ὁ τῶν ἐθνικῶν συλλέκτης. ἐθνικά: *vnde datur conijcere, ipſum auctorem operi ſuo indicem præpoſuiſſe,* ἐθνικά: *quia non tam proprias locorum appellationes è Geographis interpretandas ſuſcepiſſet: quàm de appellationibus gentilitiis, & aliis id genus inde deflectendis, tanquam de negotio inter Grammaticos controuerſo diſputaret. Exponamus nunc, quid inter vrbem, ciuitatem, oppidū diſcriminis intercedat. Seruius, Nonius, Iſidorus tradunt vrbem eſſe muros, ſeu mœnia, & ædificia, ciuitatem habitatores, ſiue incolas. Cic. contra Rullum, Vrbs & natura, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine inprimis nobilis. Et in Sextiana. Domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, mœnibus ſepſerunt. Ciuitas vrbem incolit. Cic. in Acad. Ariſtoteles non dubitaſſet, quin & prætor ille eſſet, & Roma vrbs, & eam ciuitas incoleret. Ibid. Nec hæc vrbs, nec in ea ciuitas. Eſt enim vt definit Iſid. ciuitas hominum multitudo, ſocietatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, id eſt, ab incolis, ipſius vrbis, pro*

eo

eo quod plurimorum conſciſcat & contineat vitas. Ariſtoteles lib. 7. de Repub. cap. 8. ἡ δὲ πόλις κοινωνία τίς ἐστι τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης. *Ciuitas autem ſocietas quædam ſimilium eſt, vitæ, quod eius fieri poteſt optimæ gratia conſtituta. Eadem Cic. in ſom Scipionis. Nihil eſt illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit (quod quidem in terris fit) acceptius, quàm conſilia cœtusq; hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur. Vrbs vocata eſt ab orbe, quod antiquæ vrbes in orbem fiebant: vel ab vruo parte aratri, quo muri deſignabantur, per ſulcum ſcilicet, idq; aratro. Seruius in 1. Æneid. Virgil. in 5. Interea Æneas vrbem deſignat aratro. Huc facit locus Catonis. Qui vrbem nouam condit, tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portet, & portam vocet. Rurſum Seruius in verſum à me productum. Conditurí enim ciuitates, taurum in dextra, & vaccam intrinſecus iungebant: & cincti Sabino ritu, i. eſt, togæ parte caput velati parte ſu. cincti tenebant ſtiuam incuruam, vt glebæ omnes intrinſecus caderent, & ita ſulco ducto, loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum. Alios quoſdam ritus in condendis vrbibus percenſet Leo Albertus lib. 4. Iam vt condendam aratro deſignabant, ſic etiam euertendam. Horat. Ode 16 lib 1. imprimeretque muris aratrum hoſtile exercitus inſolens. Videmus tamen vrbem pro ciuitate capi. Virgil 2. Æneid. Inuadunt vrbem ſomno vinoq; ſepultam. Cic. ad Att. lib. 1. epiſt. 16. Emptione conſtituta, ſentinam vrbis exhauriri poſſe arbitror. Ciuitatem dici Verrius ait & pro loco, & pro iure hominum, & pro multitudine hominum. Confunduntur ergo hæ duæ voces. Ciuitas item eſt nonnunquam Reſpub. vt Græcis* πόλις *pro* πολιτεία. *Oppidum Varro lib. 8. cenſet ab ope dictum: quod munitur opis cauſſa. vbi ſint: & quod opus eſt ad vitam gerendam, vbi habitent tutò vel oppida, quod opere muniebant mœnia, quo munitius eſſent. Feſtus. Oppidum dictum eſt, quòd opem præbeat, & quod ibi homines opes ſuas conferunt. Hinc oppido pro valde, multum, ortum ex ſermone inter ſe confabulantium, quantum quiſq; frugum faceret: vtq; multitudo ſignificaretur, ſæpe reſpondebatur: quantum vel oppidò ſatis eſſet. Ex quo in conſuetudinem venit, vt diceretur oppidò pro valde, multùm. Quod autem negat idem Feſtus, latinè dici, oppidò didici, ſpectaui, ambulaui, quia nulli horum ſubiici poteſt,* vel quod ſatis eſt, *ipſe errat: eius errorem teſtimonia Ciceronis, Plauti, Terentii demonſtrant. Quòd nonnulli tantum de paruis vrbibus oppidi nomen vſurpari à Latinis credunt, apertè falluntur.* AGENT ENIM TECVM LEGE) *Agere lege dicebantur, qui aliquid ex iis quæ legibus aut edictis inſtituta erant, in iure perſequebantur: quæ poteſtas actio legis vocatur.* VINDICABVNTQVE) *Hoc eſt, iudicio eripient tibi iniuſtam poſſeſſionem: vel vindiciarum tibi legem intendent, & ab iniuſto poſſeſſore, in ſuam poteſtatem juſq; reducent.* SIC PHILONEM ARCHITECTVM) *Hæc à Craſſo 1. de Orat. Additur cum M. Antonio Hermodorus. Nec ſi huic M. Antonio pro Hermodoro &c. Similia diſſeruntur ab Antonio lib. 2. non longè à principio. Inter illa hæc, Sed vt orator de iis rebus, quæ cæterarũ artium ſunt ſi modo eas cognouerit (vt heri Craſſus dicebat) optimè poteſt dicere: ſic cæterarũ artium homines ornatius illa ſua dicũt,*

 ſi quid

ſi quid ab hac arte didicerant. INTRA PELLICVLAM SVAM) *Monemur hoc adagio, ne ſortis noſtræ immemores, maiora quàm pro facultate audeamus. Petitum ab aſino Cumano, qui leonis indutus exuuias, aliquandiu ſe pro leone gerebat. Agnitus deinde, magnoq́ omnium riſu alieno indumento ſpoliatus, & fuſtibus ad necem multatus eſt. Seneca in epiſt. Sapientem undiq́ ſubmouent, & intra cutem ſuam cogunt.* CITRA METVM RHAMNVSIÆ VIRGINIS) *Nemeſis Adraſtia ab Adraſto rege, qui primus ei templum poſuit: Rhamnuſia à Rhamnunte Attica vico, vbi eidem ſtatua è ſolido lapide, Phidiæ opus ſtatuta eſt. Hæc dea faſtum, inſolentiam ſpeſq́ immodicas, & temerarias punire credebatur. Catull. ad Licinium.*

> *Nunc audax caue ſis, preceſq́ noſtras*
> *Oramus caue deſpuas ocelle,*
> *Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te.*
> *Eſt vehemens Dea, lædere hanc caueto.*

SACRAMENTO CONTENDENDVM) *Contendere ſeu litigare ſacramento, eſt magnæ pecuniæ periculo contendere: quæ pecunia apud Pontificem deponebatur Vide Turneb lib 29. cap. 36. & Bud. in Pand.* PROMITTENDVM VADIMONIVM) *De vi verbi huius de loquendi rationibus ex eo prognatis, egiſſe me recordor annotat. in dial. 33.* SPLENDIDIS, ET NOBILIS. ÆDIF.) *Septem puta orbis miracula. Thebæ Ægyptiæ, ἑκατόμπυλοι, centum portis admirabili artificio diſtinctis. Muri Babylonis cocto latere, & bitumine conditi. Sepulchrum Mauſoli Regis Cariæ, de quo Martialis.*

> *Aere nec vacuo pendentia Mauſolæa*
> *Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.*
> *Propert. lib. 3. Eleg. 1.*
> *Nec Mauſolæi diues fortuna ſepulchri*
> *Mortis ab extrema conditione vacat.*

Plinius lib. 36. cap. 5. Strabo lib. 14. Pauſan. in Arcadicis. Herodot. lib. 7. Cicero Tuſcul. 3. Gell. lib. 10. cap 18. Pyramides Ægyptiæ. Coloſſus Apollinis apud Rhodios. Capitolium Romanum. Sepulchrum Hadriani in Cyzico. Alii aliter recenſent, & in iis templum Dianæ Epheſiæ, turrim Phariam, ſimulacrum Iouis Olympici numerant. De quibus cùm paſſim multa legere poſſis, non eſt cur ego plura attexam. IN BOEOTIA) *Pars ſecunda 2. Iliados, in qua Homerus Græcorum copias, & naues cùm locis & vrbibus vnde venerint, verſibus plurimis commemorat, dicitur Catalogus, & Bœotia. Cur Catalogus, in promptu eſt: cur Bœotia, cauſam afferunt, quod à Bœotis ſumat exordium. Quare autem hoc ipſum poeta faciat, videndus Scholiaſtes, & Macrobius. Laertius in Solone ex opinione quorundam refert, ipſum ſcripſiſſe hunc catalogum, ab eo loco, vbi Aiacem è Salamina duodecim nauibus inſtructum veniſſe canit.* CARTHAGO, ITALIAM CONTRA) *Commendat Virgilius hanc ciuitatem à rebus ſeptem, quod obſeruandum, & ad communem fructum ſtudioſorum Humanitatis proponendum putaui: vt ſcilicet laudaturi vrbes, habeant quod imitentur. Ab antiquitate, à conditoribus, à ſitu, ab opulentia ſeu diuitiis, à ſtudiis honeſtis, à pietate in Deum*

&

& cælites, illorumq́ in eam beneuolentia & fauore, à ſacris monumentis. Condita autem eſt ante Romam annis 65. HAS ARCES IGNI) Tertium bellum Punicum, quod anno quarto confectum eſt deliberationem quoq; de Carthagine delenda, & contrariis ſententiis Catonis ac Naſica narrat Iulius Florus lib 2. c. 15. Eum (ſcribit Velleius li. 1.) magis inuidia imperii, quàm vllius eius temporis noxia inuiſam Romano nomini, funditus ſuſtulit (Scipio Africanus minor) fecitq; ſua virtutis monumentũ, quod fuerat aui eius clemẽtia, Diruta eſt, cum ſtetiſſet annis 667. AB INTERITV PALLAS) Cecrops Ægyptius Athenas condidit ante vaſtationem Troia annis trecentis ſeptuaginta quinq;, cum Moſes annum ageret quadrageſimum. Homerus eas in Catalogo, quo omnes Gracia regiones atq; oras expinxit, honorificè nominauit. A conditore ſuo primùm dicta eſt Cecropia: non multò poſt à Minerua, cui Cecrops oppidum agrumq́ conſecrauerat, Athenarum nomen inuenit: Minerua enim Græcè ἀθήνη. Hodie à Turcis corrupta voce Setbina vocantur. De tam ſpatioſa ac nobili vrbe, in quam Theſei iuſſu duodecim Attica populi commigrauerant, nihil reliquum eſt, præter arcem in rupe, & oppidum, ſiue pagum. Incolæ rerum neceſſariarum egentes, latrociniis, piratica, & piſcatu vitam tolerant: appellatio illa omnium vrbium communis ἄστυ, quæ huic κατ' ἐξοχὴν tribuebatur, pridem exoleuit. Admetior lectori epigramma non illepidum in Athenas, & Argos: quandoquidem de hoc quoque deleto ſermo eſt in progymnaſmate.

Quiſquis Cecropias hoſpes cognoſcis Athenas,
  Quæ veteris famæ vix tibi ſigna dabunt,
Háſne dei dices cœlo petiere relicto?
  Regio partitis hæc fuit vna Deis?
Idem Agamemnonias dies cùm videris arces:
  Heu victrix victa vaſtior vrbe iaces.
Hæ ſunt quas meritò quondam eſt mirata vetuſtas.
  Magnarum rerum magna ſepulchra vides.

DE HIEROSOLYMA VRBE) De excidio huius Ioſephus & Egeſyppus. De origine & laudibus eiuſdem multa Bened. Pererius in Daniel. lib 3. FRVSTRA DICTA EST ÆTERNA) Vrbem κατ' ἐξοχὴν Romam vocarunt. Sed additum ei præterea, æterna: ſemper enim Romam, & Romanum imperium duraturum credebant. Teſtantur conſtitutiones Principum, inſcriptiones antiquæ, numiſmata deniq; vetuſtiora. Poſſumus & Poetas in hanc rem teſtes laudare,

Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum fundauerat vrbis
  Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Ouid. 3. Faſt.

Iam modo quæ fuerant ſyluæ pecorumq́ receſſus,
  Vrbs erat, æternæ cum pater vrbis ait.

Auſon. in Epig.

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Et ſequenti.

Hac erit aterna ſeries ab origine Roma.

Adde Marcellini verba ex l.14 Inter hac Orphitus Prafecti poteſtate regebat vrbem aternam. Sic appellat lib.15.16.19 Legatur epigramma Crinagora l. 1. Anthologia. οὐδ' ἢν ὠκεανὸς, *&c. Conditam tradunt ſcriptores poſt captam Troiam annis* 437. TOT AC TANTARVM VRBIVM) *Calamitates euerſiones, excidiaq; clariſſimarum ciuitatum enarrat Pauſanias lib.* 8. PROPTER ABITIONEM FILIÆ) *in mortis mentione veteres* δυσφημίαν *vehementer vitabant. Itaq; de mortuis dicebant, vixit, abiit, pro periit. Tertul. Si de aliquo iam pridem defuncto tanquam viuo quis requirat, pra manu occurrit dicere, abijt iam: &, reuerti debet. Pro eodem dicebant, fuit. Feſtus. Abitionem antiqui dicebant mortem.* SINISTRA CORINTHVS) *Carthaginis ruinam ſtatim Corinthus excepit, Achaia caput, Gracia decus, inter duo maria Ionium & Ægeum quaſi ſpectaculo expoſita. Critolaus cauſſa belli, qui libertate à Romanis data, aduerſus ipſos vſus eſt, legatoſq; Romanos, dubium an manu, certe oratione violauit. Vltionem & bellum Metellus cœpit, Mummius abſoluit. Hic geminos portus poſtquam ſanguine infecit, tandem ab incolis deſerta ciuitas, direpta primùm deinde tuba pracinente deleta eſt. Florus l.2.c.16. Cic pro lege Manil. Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius Gracia lumen extinctum eſſe voluerunt, &c. L. Mummius, inquit Velleius l.1. eodem anno quo Carthago concidit, poſt annos 952. quam condita, funditus eruit, & appellatus eſt Achaicus. Ibidem hunc Mummium cum Scipione Æmiliano contendit. Tam praterea rudem fuiſſe Mummium confirmat, vt quum Corintho capta maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet pradici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas reddituros.* HEM NOS HOMVNCVLI) *Expreſſit hunc Seruii locum in 2. de partu Virginis grauiſſimus & elegantiſſimus Poeta Sannazarius in hunc modum, loquens de potentiſſima vrbe Carthaginenſium.*

Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſeruans
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra æuo, cum regna palam moriantur & vrbes?

EX IMPORTVNISSIMIS LIBIDINIBVS) *Ex intemperantia Veneris ſapenumero atrociſſima bella, miſerabileſq; Principum ac populorum clades extiterunt: cuius rei exempla complura, & notiſſima apud Gracos in Helena, apud Romanos in Lucretia & Virginia, apud Ægyptios in Cleopatra, apud Hebraos in Dina filia Iacob, in tribu Beniamina propter ſcelerate oppreſſam Leuita coniugem, in adulterio Bethſabaa, & in inceſtu Thamar ſororis Abſolonis. Sed ante Helenam alias fuiſſe mulieres pronunciat Horatius ſat.3. li.1 qua belli cauſſa prabuerunt. Plures ergo ante Paridem adulteri. Herodotus lib. 1. prima inter Gracos, & barbaros bella, ex raptu ſœminarum exorta ſcribit. Leges Athenaeum lib.13 c.4* QUÆ MERIDIEM INTVENTVR) *ſuper locorum ſalubritate praclarè admodum, &* φυσικῶς *diſſerit toto cap. 4. lib.1. Vitruuius.* PLVRIMÆ CORPORIBVS ÆGRITVDINES)

In

In eo etiam poni vocem ægritudinis, cùm corpus malè affectum eſt, vincit auctoritas Terentii Phorm. Matrem ipſam ex ægritudine mors conſecuta eſt. Vbi exponit Donat. ex infirmitate ac morbo. Et Plin. lib. 8. cap 1. Viſi ſunt (elephanti) feſſi ægritudine (quando & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in cœlum iacientes. Rurſum lib. 28. cap. 6. Augurinum ex homine ipſo eſt non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant. DINOCRATES E MACEDONIA) *Copioſè & feſtiuè rem totam exponit procœmio lib 2. Vitruuius. Plutarchus in Alexandro, & libro de fortuna eiuſdem, Staſicratem nominat. Sed rationem repudiati conſilii libet ex eodem ſcriptore, Vitruuio, inquam, adiungere. Vt enim natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neq; ad vitæ creſcentis gradus perduci: ſic ciuitas ſine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non poteſt creſcere, nec ſine abundantia cibi frequentiam habere populumq; ſine copia tueri.* PHRENETICI SEPTENTRIONVM FILII) *Sic Varro Marcipore. Eodem lepore Horat. de pinu ſyluæ filia nobilis. Ode 14. li 1 Et de nauibus Paridis in Græciã nauigantis Lycophron in Alexandra αἱ φαλακραῖαι κόραι, Phalacrææ filiæ, quod eſſent ex arboribus Phalacræ, vnius de quatuor Idæ promontoriis.* CAPITE QVODAMMODO ARCHITECTONICA) *Caput ſæpe pro exiſtimatione, ſtatu, conditione poni certum eſt Cic. pro Quint. Quid hoc iniquius C. Aquili, quam me, qui caput alterius, famam, fortunasq; defendam priore loco cauſſam dicere? In Verr. diligenter caueret, ne quid eſſet in literis ſociorum quod contra ſuum caput atq; exiſtimationem valere poſſet. In quam ſignificationem dicitur capitis diminutio. Sunt autem capitis diminutionis tria genera, vt docuit Paulus Iureconſ. in Pand. maxima, media, minima: tria enim ſunt quæ habemus, libertatem, ciuitatem, & familiam. Igitur cùm omnia hæc amittimus, conſtat maximam eſſe capitis diminutionem. Cum verò amittimus ciuitatem, & libertatem retinemus, mediam eſſe Cùm & libertas, & ciuitas retinetur, familia tamen mutatur, minimam eſſe conſtat* RISVM ET LVDIBRIVM DEBERE) *Horat. Ode 14. li. 1. tu niſi ventis Debes ludibrium, caue. Forma loquendi à Græcis ſumpta ὀφλισκάνειν γέλωτα, δίκην, μωρίαν, αἰσχύνην, ἀνανδρίαν, &c.* RECTE ATQVE ORDINE) *Verba ſunt certæ cuiuſdam ſignificationis, quibus ſenatus vti ſolebat interdum, cum abſolutè commendare res alicuius geſtas volebat. Vide Bud in Pand.* PLATEÆ ET ANGIPORTVS) *Plateæ perpetuæ ac latiores ciuitatum viæ ſunt: iuxta proprietatem linguæ Græcæ à latitudine nuncupatæ: πλάτος enim latum. Angiportum & angiportus eſt iter compendiarium in oppido: eò quòd ſit anguſtus portus, id eſt, aditus in portum, via arcta, iter anguſtius.* AD ANGVLOS INSVLARVM) *Feſtus. Inſulæ dictæ propriè, quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis: circuituq; publico, aut priuato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, ſuntq; in ſalo poſitæ. In vrbibus autem metandis inſulas accipimus, quidquid quatuor plateis, aut angiportis, aut alteris cum alteris mixtis cinctum eſt.* THEATRO QVOQVE LOCVS) *Non inſcite animaduerſum eſt à Donato, Carthaginenſes 1. Æneid. primùm leges honores, ſalutem curaſſe in ædificatione vrbis nouæ: poſtea quæ ad voluptates, & delicias conducerent.*

Antecedit enim: Iura magiſtratusq́; legunt, ſanctumq́; ſenatum, Sequitur. Hîc portus alii effodiunt, hîc alta theatris, Fundamenta locant. VALETVDINI DEMVS OPERAM) *Craſſus in extremo 1 de Orat. cum diſputatio eſſet habita ante meridiem: nunc & Scæuola, inquit, quoniam in Tuſculanum ire conſtituit, paulùm requieſcet, dum ſe calor frangat: & nos ipſi, quoniam id temporis eſt, valetudini demus operam. Idem concludens ſecundum. Agite verò vt vultis: ſed nunc quidem, quoniam id temporis eſt, ſurgendum cenſeo, & requieſcendum poſt meridiem, ſi ita vobis eſt commodum, loquemur aliquid: qui locus priorem interpretatur. Dant etiam valetudini operam, qui noſtro more pranſum ſe conferunt.*

PROGYMNASMA SEPTIMVM.

Arx, templum, monaſterium, curia, ædes magiſtratuum, ærarium, forum.

HERCVLANVS, NVMERIVS, SEXTILIVS.

HERCVLANVS. Non poteſt non præcipuam habere dignitatem, publicorum ædificiorum & molitio, & pertractatio, ob hoc ipſum quia publica ſunt, & priuata non ſolùm amplitudine, verùm etiam impendio, ſpecie, firmitudine, diuturnitate, commoditate vincunt. Eorum autem (quantum è ſcriptis architectonicis animaduerti) hæc ferè ſunt genera, præter vrbem (in qua explicanda plurimum operæ paginarumque ab illis magiſtris conſumitur) arx, templum, monaſterium, curia, ædes magiſtratuum, ærarium, forum, Academia, theatrum, balneæ, noſocomium, carcer, cloaca, viæ, caſtra, naualia, portus, pontes, ſepulchra. De quibus ſingulis, ſi à me ſcholas petitis, videte ne iniquiores ſitis, cum iniquum adeo humeris meis onus imponatis. Si ad arbitrium meum rem totam reijcitis, dicam conſilium meum. N. Reijcimus, conſilioque tuo parebimus. S. Parebo dic, non parebimus: nec enim ſcis quid ipſe ſit dicturus: & qua ego ſim voluntate, quia Deus non es, necdum noſti. Enuntia conſilium Herculane. H. Vos quoque in talibus monumentis, vnde ædificandi rationes diſcuntur, non parum eſtis volutati: ſatis namque didici, quàm conſueueritis in libris helluari, & ſæpe iſta legentibus interueni: nec ab elocutione tam inueniemini imparati, vt etiãnum in ludum oratorium cõmeare debeatis. S. Vt iſta demus, quid ergo? H. Quid ergo? In partem laboris venire vos cupio: ita vt ego non quidẽ peritior, ſed annis grauior initiũ faciam diſſertationis huius: nõ eo prorſus modo, nec ea diligentia, & longitudine, nec eo fine quo Architectus aliquis: ſed magis oratoriè (oratoribus enim quæcunque in quacunque re conceſſa eſt explanatio) curſim, non omnia complectendo:

&

& ad liberalem animi delectationem potius: primaque ſeptem capita expediam: proxima ſex Numerius ſibi ſumat: quæ relinquũtur ſex, ea Sextilius tractet omnia: ne aut Quintilius, aut Quartilius audiat. S. Si eſſent ſeptem aut octo, tu mihi hodie nomen commutares, & Septimium, aut Octauium vocares, vt video. N. Quid abnuas? promitte. S. Vellem hoc diceres ea mente, qua in Moſtellaria ſeruus ſeni ad cœnam inuitato, & conducere nolenti. Promitte, inquit, ego ibo pro te, ſi tibi non libet. Promittam igitur tua fide, ſi vis. N. Et tua, & mea. Quid moramur? ſed heus ita ſpondemus rem, vt cuilibet noſtrum interloqui in alterius diſputatione ſit integrum. H. Superbi eſſet id nolle. S. Volumus etiam, vt noſtri conatus tibi ne diſpliceant: tu enim eris Plato noſter. H. Audite quid Plinius cuidam cunctatori, & tamen homini docto ſcribat. Tu modò enitere, vt tibi ipſi ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris. Idem vobis in re minore dixerim. Aggredior cum diuis beneuolis ad propoſitum.

A R X.

Arx, inquit Varro, ab arcendo, quod is locus munitiſſimus vrbis: à quo facillimè poſſit hoſtis prohiberi. Ad vrbes itaque, & in vrbibus arces à veteribus conſtituebantur: ad quas in aduerſa rerum tempeſtate ciuibus receptus erat. Quare Æneas in Panthum ſacerdotem ab arce cum ſacris fugientem incidens, rectè quærit: Quo res ſumma loco Panthu? quam prendimus arcem? Vt ſi dicat, in quam nos arcem præſidij & ſalutis cauſa conferemus, cum tu eam, vtpote iam captam, & occupatam ab hoſtibus deſeras? In iiſdem, periculoſis temporibus virginum, matronarumque pudicitiam, & deorum ſimulacra, vt in cuſtodia tutiore, ſeruabant: nec apud antiquos arcem ſine templo inueniſſes. Sed hæc à principio. tyranni deinde huiuſmodi munitiones ſedeſque pietatis, immanitatis ſcelerumque ſuorum propugnacula fecerunt, & miſerorum perfugia, in crudelitatum diuerſoria conuerterunt. Veruntamen vt à milite non patientia ſolùm, & fortitudo in impetu inſultuque hoſtis ſuſtinendo, ſed etiam audacia in laceſſendo inuadendoque expetitur: ſic arx cum ſalua perferre oppugnantem, tum repellere atq; vltro eum lædere poſſe debet: ad quorum vtrumque & locus ipſe, & murorum ratio proficiet. N. Tu quidem arces nondum diſtribuiſti, quod potes, in collinas, ſeu montanas ſcilicet, & campeſtres, ſeu in planitie poſitas, quæ antiquiores videntur. Quærimus igitur abs te, hic ne, an illic firmiores ac tutiores excitatum iri putes. H. Altiores habent difficiliores acceſſus, tutantur ſe commodius: ædificari tamen tantis molibus & ſpatiis vix poſſunt, & egent rebus multis, quæ ſunt illis in plano cum ciuitatibus communes, quæ etiam ſecuritati comparandæ valent. Aditus exituſque percommodos habebit, terra, fluminibus, lacubus, mari, per quos perturbatis rebus & aliena auxilia introducat, & ſua educat. Muri vrbani eam vt O literam bina cornua C literæ comprehendant, nec includant, ad hunc modum CO. vt neque

Digitized by Google

intra vrbem ſit, neque extra: ſed velut poſtica pars eius, munitiſſima, operum vertex, nodus vrbis, minax & inuicta fabricatio. Podium requirunt maximè ſolidum, è lapidibus & grandioribus. Linea obliqua ducendi muri extrinſecus, quò ſcalæ applicatæ dum curuantur debilitentur: & hoſtis dum ad murum hæret, ſupra incidentia ſaxa ægrius euitet: emiſſaque tormentis tela propter obliquitatem diſſiliant. Aream iubent latiſſimis, craſſis lapidibus, duplici aut triplici ſolio dimiſſis conſterni: ne actis cuniculis qui obſident irrepant. Murum fieri altiſſimum, & ad loricas vſque, ſeu ſupremas coronas bene craſſum, qui machinarum ictus & telorum verbera contemnat, ſcaliſque aut aggere æquari non poſſit. Reliqua eadem ſunt muris vrbium: qui erunt tuti, ſi hoſtis nequibit impunè accedere: ducta nimirum foſſa lata, & profunda, & furtiuis per ipſum podium feneſtellis, per quas hoſtis dum ſe ſupernè ſcuto protegit, à latere tergoque vulneretur. Si maritima fuerit arx, palis adactis in vada, & ſaxis vaſtioribus aduolutis, nauium appulſus arcebitur. Locatas in plano, aquaria foſſa muniet. Montanas præcipitia tuebuntur. Atque optandum eſt, vt his omnibus vti ſimul poſſimus. Vnde miſſilibus, & tormentorum globis petitiones commodæ, ibi muros habere angulos acutos veluti proras conuenit. Ad arcem vna primaria turris conſtruenda, multa ſui parte ſolida, toto opere robuſta, vndique munita, reliquis celſior, acceſſu ardua, & per pontem mobilem. Omnino vt parua quædam arx, cui nihil eorum deſit, quæ in arcibus deſiderantur. Excubitorum & defenſorum alii infimas arcis partes, alii ſupremas, alii alias cum diſtinctis muneribus tenebunt. Tecta ne ponderibus miſſilium obruantur, ad acutum angulum finientur: aut opere valido trabibuſque admodum ſpiſſis obfirmabuntur. Deniq; non aliter fere arx, quàm puſilla quædam vrbs ædificanda, munienda, & locis ad vſum aptis diſtinguenda eſt. Hęc de arce. S. Quam bene ſe tibi principia dederunt? Nunc qui tam egregii operis arces noſti extruere, templum nobis ædificato.

TEMPLVM.

H. Ineſſe templis ac ſacellis religionem ſcitis, & aliis de cauſſis, & quod in his Deo cælitibuſque generis noſtri procurationem habentibus, meritaque multa & varia in mortales aſſiduò collocantibus debiti honores per ſacrificiorum ritus, compręcationes, conciones & cantus perſoluuntur. Et ſi quod eſt in vniuerſitate ædificiorum, in quo tum extruendo, tum honeſtando magna artificum ingenia, ſingularis induſtria, ſumma cura & diligentia ſe poſſint oſtendere, templum eſt: quod ſua præditum pulchritudine potiſſimum & maximum vrbi decus, atque ornamentum parit: & videtur cœleſtium quaſi inter homines habitantium domicilium. Senſit ita Ammonius ille monachus, qui cum Romæ vnà cum Athanaſio diuerſaretur, ex infinitis, & admirabilibus eius vrbis monumentis, nullum ſibi, præter Vaticanum templum viſendum exiſtimauit. Quocirca ſi ſumptuoſa palatia Principibus,

& Re-

Digitized by Google

& Regibus ſolemus condere: ſi diuerſoria illuſtribus hoſpitibus, & viris nobiliſſimis quàm cultiſſima quærere, & in quibus commorantur ædes, quantum ſinit facultas, exornare, quid tandem immortalibus in iſto genere officii non præſtabimus? Ac tum demum pietatem maximè coli exiſtimemus licet, cum templorum limina in dies egregiè tepebunt, ea frequentantium pedibus attrita: quod vt fiat, talia ſint oportet, quæ ſpecie ſua, admiratione & gratia intuentes detineant: & in quibus dubites, plúſne artificum manus, operumque laborem, an ciuium ſtudia, liberalitatemque commendés: & magiſne ad decorem, & elegantiam, an ad perpetuitatem quæſita, & comparata videantur. Nec minorem templa ex vetuſtate auctoritatem, quàm ex ornamentis dignitatem aſſequuntur. Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto, ait Æneas. N. Quoniam te longiorem in hoc capite, quàm in antegreſſo futurum apparet, & res ita poſtulat, rogatum te volumus, vt memoriæ noſtræ apta partium diſtributione conſulas. H. Conſulam verò, & primùm de nominibus templi diſputabo, quæ apud ſacros, ſiue Eccleſiaſticos ſcriptores ſeptem inueni. S. Eia, ſeptem? H. Sic res eſt. Eccleſiam vocant ipſum quoque locum, in quem populus ad diuina myſteria celebranda congregatur. Certè & Latinis concio interdum locum ſignificat. Alterum nomen eſt κυριακὸν Græcis, Latinis Dominicum. Quid ni locus domino conſecratus Dominicum? Ita etiam ex diebus hebdomadis primus & princeps colendo domino attributus, Dominicus meritò nuncupatur. Agere, celebrare Dominicum Auguſt. & Cyprian. dixerunt de noſtro ſacrificio peragendo & obeundo. Tertium, Baſilica, quod ibidem omnium regi Deo cultus & ſacrificia offeruntur, vt Iſidorus vult. Inde Baſilicani, Baſilicarum cuſtodes. Quartum, Domus Dei. Quintum, Martyrium. Propriè tamen illa templa, in quibus ſanctorum martyrum oſſa cineréſque ſeruarentur. Sextum, Oratorium, εὐκτήριον. Erant initio Chriſtianiſmi ædiculæ ad precandum. Poſtremum, Tabernaculum, quo nomine à Dauide ſæpius *templum* videtis appellatum. Nunc de loco deligendo. Antiqui ex diſciplina Hetruſcorum non quibuſuis diis quocunque loco templa conſtituebant. Pudicitiæ, & bonarum artium præſidibus intra mœnia: Veneri, Vulcano, Marti extra: vt ne per lubricum incedens adoleſcentia, matréſq; familiâs libidinibus ſe interdictis contaminarent: & vti ab incendiorum formidine liberata viderentur ædificia: vti demum iurgia, & armatæ ciuilium factionum diſcordiæ ne exorirentur: nam Venus obſcœnæ voluptatis arbitra eſt: Vulcanus ignibus moderatur: Mars pugnas, & tumultus regit. Præterea Cererem frumentariæ ſationis magiſtram extra mœnia colebant, vti deam rureſtrem videlicet ruri: loco autem, quò niſi ſacrorum illorum cauſa homines adire non cogerentur. Veſtæ, Ioui, Iunoni, Mineruæ tanquam cuſtodibus, & tutelaribus ad medium oppidum, atq; ad ipſam arcem. Palladi item vt opificum deæ, Mercurio, Iſidi, Serapi vt mercatorũ, ad forum. Apollini & Libero ſecundum theatrũ, vt

ſpectare

Digitized by Google

ſpectare poſſent ludos, quibus ſunt amici. Immò vt venationes, & quæ vocantur Munera, Saturno attributa ſunt: ita ludi ſcenici Libero, Circenſes Neptuno. Herculi, quibus in ciuitatibus gymnaſia, & amphitheatra nulla eſſent, ad circum. N. Diuinem? H. Age. N. Propter certaminum eius luctarumque memoriam fortaſſe. H. Fortaſſe. Sed Neptuno ad littus maris, Iano in montibus excelſis. Æſculapio in inſula Tiberina, & alibi etiam extra vrbem: quòd ægrotis aqua imprimis opus eſſe arbitrarentur: & quòd foris, quàm in vrbe cælum putarent ſalubrius. Venerati ſunt ergo intra muros eiuſmodi deos, vnde ad iuuentutem, & matronalē caſtitatem nihil labis ac turpitudinis deriuatum iri: atque adeò illos, à quibus adiumenta, non detrimenta accepturos ſeſe confidebant. Etſi in iſto more tam religiosè non permanſerunt. Hos enim ipſos, ne iis vterentur offenſis, parumque propitiis, vrbe dignati ſunt: inſuper Febrim, Malam fortunam, Socordiam, Pallorem, & Pauorem: quos quidem deos nullis exorati precibus, nullis adducti conditionibus intromittere debuerunt. Peracutus diſputator, & inueſtigator veri ſolertiſſimus Ariſtoteles in 7. de Repub. vno in loco, eoque valde apto, & commodo ædificari vult deorum omnium domicilia, ſiue templa. Idoneum decernit, ſi tantum inerit in eo ſplendoris ac dignitatis, vt virtutis ibi ſedes (pietatis nimirū, quæ non modò vna de ſummis virtutibus, verum etiam cæterarum omnium domina & regina eſt) iuſtè collocetur. Deinde ſi erit editior & munitior, vt non facilè turbulenti, & nouarum rerum ſtudioſi ciues, qui in viciniis degunt, expilatione in ſacris illis ædibus inferre queant. S. Spargi ergo templa per vrbis vicos, quod è re ciuium magis foret, non ſinit. H. Apertum hoc quidem eſt. Noſtratium templorum maxima medias vrbes commodius, loca ſilentia, & à concurſibus ac multitudine hominum vacua honeſtius, ſublimia dignius, plana ſtabilius, & contra concuſſum terræ tutius occupabunt. Denique eo loco molienda ſunt, vnde illis maior veneratio, & maieſtas. Quidquid ſordidum, indecens, impurum, ludicrum, & precatum venientibus aut ad aſpectum ingratum, aut ad cogitationum ſanctimoniam inutile, ſeu noxium potius, circumcirca remouendum longius. Area honeſtiſſima iis attribuenda eſt, quæque à foro non longè diſtet, aut à vicinitatibus: vt oppidani citra moleſtiam in dies ſingulos, pueri item fæminæque ſacrorum obeundorum cauſſa eò concurrant. Quæ tutelari diuo excitatur, & eſt plerumque primaria ædes, reliquarumq; princeps, præ quibus Baſilica iure dicitur, locum vrbis ſublimiorem, vnde oculi in omnem propemodum eius partem proſpectum ferunt, meritò poſcit. Nunc de poſitu, ſiue ſitu. N. Rectè, ſed antequam eò pergas, liceat pauca. Legiſtine hiſtoriam Ioannis Chryſoſtomi? H. Nunquam ego quidem. S. Nec ego. N. Ex ea cum alia permulta, tum hoc memini, quod ad tuam, Herculane, ſententiam de ſtrepitu, rebuſque profanis à templo ſecludendis corroborandam videbis non parum conducere. H. Iuua me argumentis, age. N. Conſtantinopoli, quam & nouam Romam, propter imperii ſedem à Conſtantino Magno eò tranſlatam indigitauerunt, prope clariſſimum, & religioſiſſimum Sophiæ templum,

Digitized by Google

plum, quod Conſtantius Conſtantini Magni filius Dei filio, qui eſt ſapientia Patris exædificauit, Eudociæ Imperatricis ſtatuam argenteam columna ſuſtinebat. Ad eam cum ſæpe ludi fierent, ludentium, ſpectantiumque cachinni, vociferationes, & clamores inſolentiores viro ſancto cum ſacerdotibus hymnos quotidie concinenti, perturbationem non modicam, & indignationem ſummam afferebãt: vt qui rem ad Dei quoque ipſius contemptionem ſpectare arbitraretur. Cùm itaque priuatis cohortationibus ad illas turbas ſemouendas apud magiſtratum nihil profeciſſet, pro concione auctores magna contentione accuſauit. Eudocia, non magis auara, quàm ambitioſa mulier, in ſe omnia illa tela contorta dictitans, Epiſcopum denuo deportandum nefario facinore curauit. Hactenus ego: iam tu quod texis, Herculane, pertexere perge. H. Veteres niſi impedirentur, ſic templa ſua ponebant, vt eorum frontes ad cœlum veſpertinum vergerent: quò qui ſuſceptum vota, immolatum, ſacrificatumq; accederent ad ſimulacrum, orientem ſpectarent: ipſaque idola velut cùm ſole ſurgentia, ſupplicantes, & ſacra deferentes contueri viderentur. Si natura loci hanc conſtituendæ ædi libertatem negaret, ſic condebant, vt ex ea plerunque vrbis aſpectus vſurparetur. Si ſecundùm flumina, ſecundùm mare, ſecundùm vias publicas, tum frontes ripis, littoribus, viis obiiciebantur, vt qui aduenirent, quique prætergrederentur, aras conſpicere, ſtatuaſque ſalutare quirent. Aras quoad eius fieri poſſet, ad orientem volebant ſpectare, ob cauſam paulò ante allatam. Id ſi non daretur, efficiebant, vt maiorem templi partem reſpicerent. Inferiores autem ſemper ipſis ſimulacris: vt qui vota ſacrificiaque peragerent, diuinitatem ſuſpicientes, diſparibus altitudinibus ad ſui cuiuſque dei decorem componerentur. Pro natura autem & auctoritate numinum, altariũ altitudines explicabant: vt Ioui omnibusq; cæleſtibus quàm celſiſſimas educerent: Veſtæ, Terræ, Mari humiles. Romanorum templa ab vrbe condita ad annum centeſimum, & ſeptuageſimum ſtatuis, & imaginibus deorum penitus vacarunt: quia ſcilicet Numa, teſto Plutarcho, eos docuerat, Deum nihil eſſe aliud, quàm mentem increatam, quæ aſpectũ effugeret. Apoſtoli, quique ab iis profecti, & eorum inſtitutionibus eruditi, Chriſtianæ Reipub. temperandæ poteſtatem acceperunt, ſcitum fecerunt, vt quanquam Hebræi, diuinitùs ita moniti, ad occidentem conuerſo corpore deum precibus, & hoſtiis venerarentur (quò ſcilicet nihil ſibi cum ritu ethnicorum, ſoli emergenti ſupplicantium, & dum ſacra illa ſua procurarent, ad orientem ſeſe conuertentium commune vnquam futurum declararent) nos tamen Chriſtiani morẽ iſtum dimitteremus: ſeu potius non aſſumeremus: immo verò, vt circumciſionem cum baptiſmo, ſabbatum cum dominico: ſic ad occidentem adorandi modum cum adoratione ad orientem mutaremus: cùm timor abeſſet omnis, ne gentiles, dæmonas ſuos hoc modo adorantes, imitari videremur. S. Quæ ratio Patriarchas noſtros ad hoc decretum adduxit? H. Hæc vtique. Id quod ſumus, Dei ſumus: ipſe enim fecit nos: quem tum hoc, tum aliis nominibus adoratione proſequi debemus. Et quia ex obiecto ſenſui, ſenſumque

ſumque omnem fugiente natura cohæremus, ex animo, inquam, & corpore, dupliciter quoque conditorem vt adoremus æquiſſimum eſt: geſtu corporis genuflexi nimirum, ſublatis ad ſidera manibus, obuerſis ad plagam orientalem vultibus, modiſque aliis ad intimam religionem prodendam accommodatis. Deinde animo ſolo, quieſcente corpore: quod fit, quando eundem in ipſum Deum religioſè affecti transferimus, eumque tacita cogitatione, & mentibus intimis veneramur. Sic cum pſallamus mente, pſallimus nihilominus etiam labiis, & vocibus, quæ ad aures accidant. Baptiſmo cum lauamur, & aqua elemento aſpectabili, & Spiritu ſancto, qui corporatus non eſt, abluimur: illa foris, iſto intus: illa à ſordibus, iſto à piaculis. Dupliciter item, vſu nempe ſacramentorum, quæ ſub oculos veniunt, & gratia ſancti Spiritus Deo copulamur. Cur ergo non etiam gemina ratione Deum adoremus? Iam verò in corporeis, & omnino in iis quæ ſenſus feriunt, ea potiſſimùm Deo tribuere decet, quæ illis ſimiliora ſunt, à quibus ei myſtica nomina imponuntur. Deus autem lux, quæ ſcilicet intelligentia comprehenditur, ſol iuſtitiæ, & oriens vocatur in ſanctis literis: quibus tribus myſticè intellectis, nihil æquè in natura reſpondet; vt pars mundi quà aurora diem ducit, quà ſol naſcitur, qua ſidera aſcendunt. Ad hæc quidquid præſtantius eſt, ei conſectandum & attribuendum eſt, à quo bona omnia, vti flumina à capitibus ſuis erumpunt. Etſi namque Deus partibus infinitis, & immenſis interuallis rerum vniuerſarum nobilitatem excellentiamque ſupergreditur, veriſſimum tamen ac certiſſimum eſt, quæ in rebus conditis meliora, & magis eximia ſunt, quoniam ad eandem dignitate propius accedunt, immo quoniam ab eius dignitate minus recedunt, melius eius præſtantiam omnia ſuperantem exprimere & referre: pulchriora videlicet illam diuinam pulchritudinem, perfectiora perfectionem, beatiora beatitudinem. Proinde cùm ſubſtantia præſtet iis, quæ in illa innituntur, functio poteſtati, ignis reliquis elementis, aurum metallis, ſol ſideribus, lux aliis qualitatibus ad ſenſum aſpiciendi pertinentibus; vox cæteris ſonis, aromata cæteris odoramentis; dulcedo ſaporibus; hæc potius quàm eorum cognata, aut contraria in Deo dicuntur. Eſt autem oriens meridie, occidente, ſeptentrione multimodis nobilior. Iuſtum ergo, vt is potius, quàm alia mundi pars Deo dicetur: & is à nobis nō aliò magis, quàm ad eum vultu obuerſo adoretur. Et quoniam neque à pluribus, neque ſæpius colitur deus, quàm in templis, quàm ſit piè inſtitutum à maioribus, vti ea ad orientem aras conſtitutas habeant, ipſi cernitis. S. Magnum, & indubitatum pietatis argumentum, itare in templum aſſiduò, ibique precibus deum, cùm ſibimet, tum toti mundo placare. Quomodo portus in mari, ſic templa in vrbibus deus locari voluit: vt velut ab vndis & fluctibus negotiorum eo perfugientes, tranquilliſſimis mentibus diuina ſolatia caperemus: Ibi per ſacratum ſcripturarum concionumque auditionem tanquam per cæleſtia quædam cantamina in animum per aures illabentia affectus turbidiores, & propenſiones vitioſæ tanquam

venenoſæ

venenoſæ beſtiæ conſopiuntur. O rex, ô vates Dauid, quàm te & in templo verſari, & de templo loqui delectabat? Tuæ enim ſunt illæ voces: *Introibo in domum tuã: adorabo ad templum ſanctum tuum. Adorate Dominum in aula ſancta eius. Introite portas eius in confeſſione. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* N. Apertam feciſti originem cauſamque huius conſuetudinis. Numquid reſtat de aris? H. Hoc tantum: in intimo templi capite ad Orientem, vt dictum eſt, cellam excitandam, cui princeps ara inædificetur, in qua ſanctiſſima Euchariſtia includatur. Altare menſa domini, menſa myſtica, & regalis, diuina prorſus, ac cæleſtis menſa eſt, terrena accipiens, atque in cœlum tranſmittens: cœleſtia rurſum ſuſcipiens, ac terræ ſubminiſtrans: in terra fixum; at cœleſti throno hærens Altare, τὸ θεῖον θυσιαστήριον Dionyſio, ipſis quoque mentibus ætheriis eſt venerabile. N. Quia ſupra aras ſtatuæ diuorum locantur, pictæque tabulæ, quarum artificium ac pretium tum ipſa altaria, tum vniuerſam ædem mirificè excolit, antequam aliò diſcedas, de his nobis memora, ſi placet. H. Statuis & imaginibus ita tanguntur afficiunturque rudiores inprimis ac ſimpliciores animi, vt ad viuentes diuos diuaſque precaturi accedere, & eos quodammodo ſecum loquentes audire videantur: nec falsò dictum, imagines templorum eſſe libros ruſticorum. Eſt & tertia vtilitas: vt intuendis huiuſcemodi ſanctorum ſimulachris, eorum veniamus in memoriam, qui partim laboribus duriſſimis, partim ſuppliciis immaniſſimis ſublime & aureum illud templum petiuerunt: atque ita de imitatione cogitemus. Summum igitur ſtudium pictores ſtatuarii, Sculptoreſque adhibebunt, vt mores eorum, & virtutes in ſubiecta materia quàm maximè connixi artificio exprimant: id quod in tabulis conſequi procliuius eſt. Sentiebant ſibi aſpectu imaginum, quas in bibliothecis reponebant, animos ad virtutem accendi Românі veteres: ſenſit hoc ipſum vehementer Iulius Cæſar intuenda Alexandri effigie in delubro Gaditano: vt illacrymaret etiam, ac ſibi eius viri comparatione mirum in modum diſpliceret. Quis autem noſtrum ita ferreo pectore, vt ſi ſuper aram, ante quam procumbit, luctuoſiſſimè vel pictum vel ſculptum Saluatorem in cruce morientem videat, ipſe queat ſiccis oculis, & inauditæ charitatis eius, & ſuorum ſcelerum, quibus expiandis Dei filius ſe vltrò dilaniandum obtulit, recordari? Quoties dum Laurentii picturam intuerer, fieri me optaui Laurentium? quoties Franciſcum? Etiam virginum mulierumque ſacrarum contemplandis ſtatuis, imaginibus & ſigillis intellexi quid poſſim ab illis ſumere ad imitandum, quæ exempla, quæ facinora. Quid enim in Ieſu diligendo feruentius Magdalena? cuius amor nullum ſibi modum præſcribere nouerat. Quid intactius Catharina, quid conſtantius Cæcilia? Ipſam verò Domini matrem, florem virginum, & ſpem alteram orbis terrarum quotieſcunque intueor, ad omne genus ſanctitatis ſuauiſſimo quodam incendio exardeſco. Quod quidam monent, in cellis per latera non plures tribus aut ſtatuis, aut ico-

nibus

Digitized by Google

nibus immortalium ſuper altaribus collocandis, nec ſeueriores marium cum mollioribus fœminarum permiſcendas, non abſurde monent: vt illud quoque prudenter & Chriſtianè, ne ſit vlla ædes, in qua non ſtatim ingredientibus Chriſti patibulo ſuffixi imitamen in oculos incurrat: nihil quippe religioſius hoc ſigno, nihil ſalutarius aſpicitur. S. Num tibi parum prudentes ſunt, qui in materia ſignorum iſtorum eminentiæ perſonarum, prærogatiuæ, præcellentiæ rationem ducendam ſuadent? H. Prudentes verò: tametſi id parum hodie ſeruatur. Non ſeruetur: & in diſputationibus ſemper quid fieri ſeu oporteret, ſeu addeceret, & quid perfectum eſſet, non quid fiat conſiderandum. Ex margaritis, lapillis, auro Chriſtum, Mariam, Apoſtolos fabricemus: alios ex argento: quoſdam ex ebore, è cryſtallo, è ligno, è marmore, ex orichalco. Veruntamen quemcunque Deus cælo dignatus eſt, is meo iudicio apud homines auro gemmiſque dignandus eſt. Structura & ædificatio templi veteribus erat triplex, Dorica, Corinthia, Ionica. Primi generis ſeuerior, ſine deliciis: quo exemplo fiebant Mineruæ, Marti, Herculi: quod putarent virtutum numina plurimùm ſola grauitate & ſeueritate capi. Secundi elegantiis & ornamentis affluebat, eratque delicatior: quomodo Veneri, Floræ, Proſerpinæ, fontium nymphis fana condebantur. Poſtremi mediocrem & ornatum & ſimplicitatem habebat. Sic Iunoni, Libero, Dianæ vt mediocritatis amantibus ædificabant. Ego de noſtris templis ita ſentio. Si Imperatores & Reges antiqui diis inanibus, iiſdemque furibus, adulteris, ſcortis tantarum molitionum ædes impenſa & ornatu incredibili condiderunt, & ea re pietatis laudem etiam apud poſtera ſæcula promeruerunt, nonne Chriſtiani Principes Deo viuo & vnico, tum deinde amicis eius, æternũ cum eo regnaturis, ſi quàm ſumptuoſiſſimè, & decentiſſimè ſacraria conſtituant, commendationem haud vulgarem apud omne nomen Chriſtianum merebuntur? Sed de magnificentia certum nihil aſſero, nec decerno, præter hoc vnum, vt huiuſmodi ædificiorum perfectionibus interioribus magnificis reſpondentia ſint veſtibula. Si namque interiora ſpeciem eximiam, & elegantem habuerint, aditus autem humiles & abiectos, decorum extare quî poterit? Habeant item partes præcipuas duas: quarũ prima dicitur βῆμα, quod gradibus ad eam ſcanditur: & ἱερατεῖον ſacrarium, quia ibidem conficitur ſacrum, vbi ſcilicet eſt ipſa ara. Vocatur etiam διακονικόν, quoniam non niſi Diacono in ſacrarium fas erat ingredi. Altera dicitur ναός, quæ populum continet. Teſtudinatum tutius ab incendio, contignatum à terræ motu: & illud ad vetuſtatem durabilius: hoc ad gratiam venuſtius erit. Omne templum ad amplitudinem vrbis proportionem comparationemque habebit: & minora pro dignitate loci, & vſu, ædis primæ rationes imitabuntur. Diſputant multis ſcriptores architectonici de templorum ornamentis, quà parietum, quà feneſtrarum, qua tectorii, pauimenti, columnarum, tecti, faſtigii, ianuarum, valuarum, ararum, candelabrorum, ſtatuarum: quę nos cuncta præteruehamur, & quod huic parti ſermonis mei coniunctum eſt, ad monaſteria conuertamur: ad monaſteria abeamus. N. Etiam cenſeo, ad

Digitized by Google

ſeo, ad monaſteria, non in monaſteria: necdum enim cucullum induere ſtatui. H. Quid ſi ſtatuas aliquando, quamuis ſenex? N: Coruos reperiri albos legis, perraros tamen: alioqui mentiatur contritum vetuſtate prouerbium: ſed ex nigris albos effici nondum legi, quod ſciam. S. Ha, ha. H. Ad rem.

MONASTERIUM.

Monaſteriorum alia verè clauſtra dici poſſunt: ſunt enim concluſa, & ſeris obfirmata, nec inde in publicum domeſticis exitus, nec extraneis ingreſſus: alia ſeras adamantinas non habent, vnde, inquam, prodire habitantibus, & quò [illegible]rare aduenientibus (viris tamen) licitum: vt ob id minimè in diri carminis deuotionem incurrant. Illa ſuperiora fœminarum ſunt: puellarum nempe: aut viduarum, quæ ſe perpetuæ religioni, & caſtitati conſecrarunt. Hæc marium, quos græca voce monachos, quaſi ſolitarios appellamus. Virginum monaſteria inter mœnia ſi condantur, video non vituperari: ſi penitus & longius extra vrbem, video non omnino laudari. Quod etiam de altero genere monaſteriorum, virilium puta, affirmauerim. Quamquam enim in ſolis ac ſilentibus locis minus eſt ſalutatorum, nulli celebrantur cœtus, nulla negotia geruntur, nulli per circuitum ſtrepitus: vt proinde nihil pæne ſit, quod vel hos, vel illas in religioſiſſimis animorum exercitationibus, in concentu diuinorum hymnorum obturbet, atque impediat: ſolitudo tamen ipſa, vbi nulli arbitri, ſtimulatrix quædam eſt ad peccandi audaciam: in vrbibus, & propè vrbes multi ſpectatores ac teſtes, dehortatores etiam à flagitiis. Quamobrem in vtroque genere faciundum, non modò vt ſi poſſint non velint, ſed etiam ſi velint non poſſint ruere in libidinem. Neque tam caſtra militum vallo foſſaqúe, quàm parthenones illi muris præaltis, citra apertiones obuallandi ſunt: dandaqúe non indiligens opera: tum vt ne tanquam fures theſaurarii clam irrepant, qui pudicitiam illis eripiant: tum ne aut verbis, aut aſpectu alieno graui cura ſaucientur, & cæcis macerentur ignibus. Oculi enim ſunt in amore duces. Lumina introrſus per aream ſubdiualem excipient, circum aream porticus, ambulatio, cellæ, cænaculum, conclauia, ſingula aptis ad vſum locis diſponentur. Ad animum leuandum reficiendumqúe hortulorum gratia ne deſit. Si extra vrbem ædificabuntur, ſeu huic, ſeu illi ſexui, ſaluberrima optabuntur loca: aliter enim ſi fiat, corpora iam ante crebris, & voluntariis afflictata ſuppliciis, & nocturnis ægra peruigilationibus, facilè morbis iactabuntur, è quibus nunquam conualeſcant. Bene munita ſunto, muris, foſſa, vallo, vt ne graſſatores, aut hoſtes ad quiduis audendum incitentur. In oppidis commoda erunt pomœria: aut loca minus celebria; vbi ædificiorum raritas, nullus plauſtrorum ſtridor, inconditi clamores nulli, quies à pulſibus, ſonitibus, fragoribus quantum licebit maxima. Tranſeo ad curiam.

Digitized by Google

CVRIA.

Principiò ſenatum in templis habere mos fuit, poſt extra vrbem: tandem, quod ad maieſtatem aptius, & ad vſum commodius viſum, in mediis vrbibus conſilio publico peculiare conditum eſt ædificium: cui idcirco templum adiungebant, vt patres non niſi diis prius ſalutatis ad conſultationes de republ. accedendum ſibi intelligerent: & vt aliarum rerum magnarum, ſic huius primordium à diis immortalibus caperent. Ac fuit olim etiam Chriſtianis in conſuetudine, vt ſenatores ante rei diuinæ intereſſent, quàm in ſenatum irent. Eſſe item locum, vbi legati Principum, ipſiqúe Principes exciperentur, exiſtimatum eſt futurum è dignitate ciuitatis. Romanam quidem curiam pro Milone Cicero vocat templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium. Quamquam in ædificanda curia imprimis municipii ipſius, ſeu vrbis nobilitas conſideranda erit, & ad eam eius informanda deſcriptio haud ſecus, quàm aliorum publicorum operum. Si quadrata erit, quantum ſpatium tenuerit latitudo, tantum, & ſemis altitudo complectatur. Sin oblonga, longitudo & latitudo componantur, ſummaqúe compoſita, eius dimidia pars ſub lacunaribus altitudini detur. Ad hæc parietes medii præcingendi ſunt coronis, ex inteſtino opere, aut albario ad dimidium altitudinis, vt ab illis præcinctionibus, ſeu tranſuerſis cingulis interceptæ: & veluti repulſæ voces contentæ, & antequam altius elatæ diſſipentur, coactæ percipiantur. Sic ſuggeſtus concionatorum in templis opere inteſtino obtegimus: eodem hemicyclas ſedes per odea, quas choros vocitant, ne ſcilicet vox elabatur. Curandum præterea: vt itinerum, luminum, ſpatiorum, & reliquorum, quæ vſus poſcet, nihil deſit. Aditum quoque non minus munitum quàm honeſtum eſſe volunt: ne infima plebs turbulenti alicuius hortatibus concita irrumpat, & conſilium publicum violet. Ob eam cauſſam præſertim porticus, ambulationes & eiuſmodi adiicienda præcipiunt, vbi ſeruitia, clientesqúe obuerſantes, ac præſtolantes, ſuis contra vim præſidio eſſe queat. Non curiæ modò, ſed locis omnibus, quibus aut recitantium, aut cantantium, aut diſputantium voces audiendæ ſunt, magis contignata, quàm teſtudinata conueniunt: quibus cùm vox non retundatur, eam haud perfectè intrare in aures neceſſe eſt.

ÆDES MAGISTRATVVM.

De magiſtratuum ac principum in Reipub. domibus iſta reperi in architectonicis. Cuiqúe ad propoſitam vitæ ſimilitudinem, ſeu tyrannicæ, ſeu regiæ, ſeu priuatæ habendam eſſe: nec vituperari, ſi ſeceſſus quærant: tum amœnitatis gratia, qualis fuit illa Anchiſæ, de qua Virgil.

ſecreta parentis
Anchiſæ domus, arboribusq; obtecta receſſit:

tum ne

tum ne crebritas ſalutatorum moleſtiam exhibeat. Qualeſcunque autem, & vbicunque ſint, ſalutatorum capacia receptacula, egreſſusquè haud anguſtos habere oportere. Sed quoniam ego Plinii conſilium non aſpernatus, Ciceronis Officiorum libros propemodum edidici, quos, vt illos de Republ. præ aliis latinis legere ſolitum Alexandrum Seuerum, memoriæ mandauit Lampridius, locum vobis ex libro primo de hominis honorati ac principis domo ad verbum dabo. *Eius finis eſt vſus: ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda dignitatis commoditatiſquè diligentia. Cn. Octauio qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in palatio & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgò viſeretur, ſuffragata domino, nouo homini, ad conſulatum putabatur Hanc Scaurus demolitus, acceſſionem adiunxit ædibus. Itaque ille in ſuam domum conſulatum primus intulit, hic ſummi & clariſſimi viri filius, in domum multiplicatam non repulſam ſolùm, ſed ignominiam & calamitatem. Ornanda eſt enim dignitas domo, non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et vt in cæteris habenda ratio non ſui ſolum ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, inquam & hoſpites multi excipiendi, & admittenda hominum cuiuſquè generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Aliter ampla domus dedecori ſæpe domino fit, ſi eſt in ea ſolitudo: & maximè, ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari. Odioſum eſt enim, cum à prætereuntibus dicitur: O domus antiqua: heu, quàm diſpari dominare domino? quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cauendum eſt etiam, præſertim ſi ipſe ædifices: ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeas: quo in genere multùm mali etiam in exemplo eſt. Studioſè enim plerique præſertim in hanc partem facta Principum imitantur: vt L. Luculli ſummi viri virtutem quis? at quàm multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem certè adhibendus eſt modus, ad mediocritatemq; reuocandus: eademq; mediocritas ad communem vſum cultumq; vitæ referenda eſt.* Reſtat vt de ærario, & foro pauca dicamus.

ÆRARIVM, FORVM.

Quò tutius, & promptius ſit ærarium, in media, & celeberrima vrbis parte ponendum opinantur; coniungendum, inquam, foro. Quod diligenter à Romanis ſeruatum. Conſtat enim ærarium fuiſſe in æde Saturni, quæ foro imminebat: & teſtatur id Macrobius Saturnal. lib. 1. cuius rei hanc rationem adducit. Ædem verò Saturni, inquit, Romani ærarium eſſe voluerunt, quòd tempore quo incoluit Italiam, fertur in eius finibus nullum furtum eſſe commiſſum: aut quia ſub illo nihil erat cuiuſquam priuatum. Præfecti ærarii & Quæſtores dicuntur, qui barbarè Generales finantiarum. Coactores, qui nunc receptores particulares, Græcis ἐκλογεῖς: & coactio argentaria pro ipſo munere cogendi pecunias. Romanum ærarium tributis conſtabat, & vectigalibus. Vectigalia, vt ex Cicerone li-

rone liquet pro lege Manilia, trium erant generum: ex agricolatione: ex mercibus exportatis vel importatis, vnde exagogica dicebantur, & iſagogica: denique ex agris paſcuis. Primum decimas complectitur, ſequens portorium, poſtremo ſcriptura nomen eſt.

. Fora apud Romanos alia dicuntur fuiſſe in quibus ciuilium negotiorum, aut delectationis cauſſa conuentus agebantur: alia in quibus res ad communes populi vſus paratæ venderentur. Prioris generis inprimis nobilia fuiſſe ſcribuntur tria, Romanum, Cæſaris, Auguſti, de quibus Seneca, & de quibus intelligendi poetæ, cùm de triplici foro loquuntur, aut tria fora nominant. Ac primum quidem ſimpliciter forum ſæpe appellatur. Idem forum magnum, & Latium in Faſtis, & vetus Herodiano in Antonino. Patuit in longitudinem à Capitolini radicibus ad Titi arcum. Secundum fuit poſt templum Pacis, & Fauſtinæ. Tertium poſt ædem D. Martinæ, ſuperiori vicinum. Eiuſdem generis fuerunt Neruæ, quod tranſitorium dictum, quia inde ad tria illa fora tranſitus eſſet. Traiani inter Capitolinum, & Quirinalem. Salluſtii in Quirinali poſt ædem D. Suſannæ. Poſterioris generis recenſentur boarium, piſcarium, cupedinarium, ſuarium, olitorium, ſuburranum, & alia nonnulla Græci in quadrato, ampliſſimis, & duplicibus porticibus fora conſtituebant, crebriſqúe columnis, & lapideis, aut marmoreis epiſtyliis adornabant, & ſupra ambulationes in contignationibus faciebant. Italiæ vrbes fora obliqua ædificabant, in quibus more antiquo gladiatoria dabantur munera. De conſtructione multa Vitruuius, ad quem itote ſultis: neque enim Architectum profiteor. S. Antiquum obtines, cùm mauis videri neſcire, quod Socraticum: quàm nihil ignorare, quod ſophiſticum eſt. N. Stetit talo recto tua fabula. S. Mox videbimus, ecquid etiam tua ſtatura ſit. Quin ordiris?

ANNOTATIONES.

QVID TANDEM IMMORTALIBVS) *Magnificentiſſima templa per orbem Chriſtianum condita recenſet Ioannes Stephanus Durantus de ritibus Eccleſiæ Cathol. lib. 1. cap 2.* VENERI, VVLCANO, MARTI EXTRA) *Ægyptii Saturno & Serapi extra vrbem templa ponebant, quòd his tantùm duobus ſanguine ac victimis litarent: cæteris omnibus thure & precibus. Lege Crinit. cap. 5. lib. 5.* PRÆ QVIBVS BASILICA) *Baſilica principio locus fuit, quo ſub tectum ad ius dicendum principes conuenirent, cui loco dignitatis gratia additum erat tribunal. Poſt id, quò eſſet ea quidem laxior, primariis tectis non ſufficientibus, circum addidere porticus patulas intrinſecus hinc atque hinc, primùm ſimplices, mox etiam duplices, &c. Erat porrò perſimilis templo baſilica, proinde compari ferè modo exornabatur. Baſilicas vias noſtri prætorias interpretantur, & conſulares. Nam quod magnum eſt, baſilicum dicitur. Hæc pluribus Rhodigin. lib. 28 cap. [illegible]. In baſilicis iudicia peragi conſueſſe indicat Quintil. lib. vltim. Plin. ep. [illegible] Scriptores ſacri pro ſacris ædibus baſilicas dicere gaudent.* QVÆ

IN

Digitized by Google

IN ILLA INNITVNTVR) *Quæ accidentia, & quidem ſeperabilia noſtris dialecticis appellantur, & à Porphyrio ſic in iſagoge definiuntur. συμβεβηκότα ἐστιν ἃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς, quæ aſſunt & abſunt, ſine eius quod eis ſubeſt interitu. hæc inquam, Lucretius euenta dicit lib. 1. ubi docet, præter corpora & inane non relinqui tertiam aliquam naturam in rerum numero: ſed omnia eſſe horum duorum aut coniuncta, id eſt, accidentia inſeparabilia, aut euenta, quæ etiam græcis illis Porphyrianis conuenientiſſimè definit.*

Coniunctum eſt id, quod nunquam ſine perniciali
Diſſidio potis eſt ſeiungi, ſeq; gregari:
Pondus uti ſaxis calor ignibus. liquor aquai,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Seruitium contra, libertas, diuitiæq;,
Paupertas, bellum concordia, cætera quorum
Aduentu manet incolumis natura abituq;,
Hæc ſoliti ſumus, ut par eſt, euenta vocare.

EX INTESTINO OPERE, AVT ALBARIO) *Opus inteſtinum Architectis, quidquid ligno conſtat. Albarium opus, quod fit pura calce: idem opus album Vitruuio. Tectoria, quæ ſunt illinimenta quædam parietum, & quaſi pauimenta, atque incruſtatio, aut calce pura fiunt, & albarium opus: aut gypſo, & fortaſſe gypſatum: aut calce & arena, & arenatum: aut marmore & calce, & marmoratum nominatur. Qui tectoriis parietes induunt, Græcis κονιάται: albini, ſiue albarii Iureconſultis.* ÆRARIVM) *Differt fiſcus ab ærario. Ærarium dixerunt pecuniam publicam & imperii: fiſcum pecuniam Imperatoris: quod verbum à fiſcis ductum, id eſt, ſportulis. Aſconius, ſporta, ſportula, ſportella, nummûm ſunt receptacula: & ſacci, ſacculli, ſacelli, crumena ex vellere, & ſcortea, & mantica, & marſupia. Fiſci, fiſcina, fiſcella, ſpartea ſunt vtenſilia, ad maioris ſummæ pecunias capiendas Vnde quia maior eſt ſumma pecuniæ publicæ quàm priuatæ, factum eſt vt fiſcus pro pecunia publica, & inde confiſcati dicantur.* CONSTAT ÆRARIVM FVISSE IN ÆDE SATVRNI) *Et alioqui veteres cùm Græci tum Romani pecuniam publicam in ſacris ædibus deponebant, quaſi deos deasq; illarum habituri fideliſſimos cuſtodes. Idem diuites ſolebant. Cic. 2. de leg. Sacrum, ſacróve commendatum qui clepſit, rapſitúe parricida eſto. Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solos in delubro pecuniam dicitur: & Athenienſis Cliſthenes Iunoni Samiæ, ciuis egregius, cum rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Et epiſt. 20. lib. 5. Nam de Luceio eſt ita actum, vt auctore Cn. Pompeio illa pecunia in fano poneretur. Id ego agnoui meo iuſſu eſſe factum. Qua pecunia Pompeius eſt vſus, vt tua, quam tu depoſueras, Sextius. De pecunia ex Pompeianorum bonis redacta, & ad Opis depoſita, crebro in Philippicis. Cæſar. 3. de bello ciuili. Præterea Epheſi à fano Dianæ depoſitas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat.* FORO APVD ROMANOS) *Forum venalium Græcis πρατὴρ, λίθος, πωλητήριον, apud Herodot. Etiam πρατήριον. Foro cedere dicebantur argentarii, cum tabernis, id eſt, menſis ſuis cedentes, quæ in foro Romano erant, aliò habitatum migrabant.*

bant. Argentarij enim Romæ tabernas in foro publico conductas habebant, vt multis Plauti & Terentij locis patet. Etiam decoctores foro cedere dicebantur. Turneb. lib. 16. cap. 5. ſic explicat. Foro cedere, eſt æris alieni cauſſa in forum non ventitare, & creditoribus non ſoluere, quod genus ceſſionis erat. Itaque inter creditores bona diuidebantur. Seneca lib. 4. de benef. cap. 39. & appellare debitorem ad diem poſſum, &, ſi foro ceſſerit, portionem feram. Id tamen de argentariis præcipuè dici ſolebat, qui menſam in foro habebant. BOARIVM, PISCARIVM) *Forum ſuarium, inquit Varro libr. 1. de ling. latin. in quo ſues venduntur, vt boarium in quo boues: & piſcarium, olitoriumque in quo piſces, oleraq́; ſicut forum cupedinis, quo cupedinarii negotiantur. Quæ omnia in vnum locum contracta, poſtquam ædificatus eſt locus, appellantur macellum. Cæterùm in foro cupedinario lepuſculi, cuniculi, perdices, phaſiani, & alia id genus ventris deliciæ veniebant.*

PROGYMNASMA OCTAVVM.

Academia, theatrum, balnea, noſocomium, carcer, cloaca.

IIDEM.

NVMERIVS. Quia mihi ſors tam beneuolos, dociles, attentosque auditores dedit, non vtar proœmio: ſiquidem nihil eorum deſiderō, quorum cauſſa potiſſimùm προοιμιάζεσθαι ſolemne antiquū eſt. Quod ſi hoc oratoribus in ciuilibus controuerſiis ſæpe contingat, næ illi non paruo ſe labore leuatos fateantur. H. Tuo in arbitrio rem totam ponimus: proœmii gratiam tibi facimus: ſumus tui percupidi: qua de re audituri ſimus, non neſcimus: nec peregrinabuntur aures noſtræ: ſed ad tuam diſputationem comedendam ac bibendam ſe totas dabunt. S. Quò non progreditur in ſermone libertas, & à quacunque propemodum re, ad quamcunque aliam transferendarum vocum licentiam? En à cibo & potione, & ab officio guſtatus ad auiditatem audiendi, & ad munus aurium hic vocabula duo, neque id non illuſtrium ſcriptorum exemplo accommodauit. Verùm iam tu, Numeri, ad penſum accedito, nihil præfatus omnino, vt voluiſti; tametſi ipſa proœmii recuſatio quoddam proœmiolum fuerit. N. Ab Academiis, qui primus eſt de ſenario meo locus, diſputationem inchoabo.

ACADEMIÆ.

Muſarum illa templa, optimarum artium officinæ, emporia, mercatus, ſapientiæ diuerſoria, domicilia, palæſtræ literarum, ſcholæ ſcholarum, ſe-

des do-

Digitized by Google

des doctrinarum, nobilium ingeniorum cultrices & altrices, quas Academias, Gymnaſiaqúe nominibus vſitatiſſimis nominamus, in quæ frequens auditorum numerus quotidie confluit, ſuo quique magiſtro, ſuæqúe diſciplinæ operam daturi, videndum eſt vti & in ampliſſimis atque ornatiſſimis vrbibus, & in loco quàm opportuniſſimo conſtruantur. Talis erit, vbi nulla fabrorum cuiuſcunque generis pulſus, nulli plauſtrorum ſtridores, canum latratus, animalium quadrupedum voces, hominum clamores ac ſtrepitus alii. Nec abſint modò quæ aures offendunt, & animos cùm docentium, tum diſcentium velut ab inſtituto itinere perturbatis cogitationibus toties deducunt: verum etiam quæ moleſta naribus, & odioſa accidunt, vt nidores ac fœtores. Sit locus ſolitudini ſimilis, & res omni æſtimatu ſuperiores tractantibus omnino dignus, imprimisque à puritate ac ſalubritate cœli commendatus. Non enim ſine cauſſa Poetæ Muſis Heliconem, & Parnaſſum montes, vbi & cœlum tenuius, & amœnitas maior, ad habitandum dederunt. Nam Platonem magis admirer, quàm imiter. H. Quorſum iſta Platonis mentio? N. Academia Athenis quamuis amœno, tamen propter paludis vicinitatem pauló incommodiore, minusqúe ſalubri loco extra vrbem, vt alia omnia Athenienſium gymnaſia, ædificata cùm eſſet, ille ob hoc ipſum eam ad docendum incolendumque delegit: vt cùm nimium bellè valeret, haberetqúe corpus melius, quàm vellet, aut neceſſarium putaret, conſtitutum, quaſi vitis luxuriam ea inſalubritate amputaret: diſcipuliqúe non tanti referre arbitrarentur, quàm bene ſibi eſſet, dum bene diſcerent, animiqúe ſanitatem quærerent, quam in ſe cohibet vna ſapientia. Nos ſapientiam ita diligimus, vt tamen opportunitatem valetudinis non oderimus, propter ipſam ſapientiam: quam cùm certum ſit nulli perfectam, quantumuis longæuo contingere, quotam eius particulam adipiſcetur, qui negligenda valetudine ſuimet proditor factus, poetarum Lacheſin anteuertit, & fatale filum ante diem ſibi abrumpit? M. Me tecum habes: Plato ſi bene valere non vult, valeat male. N. Quod ad ædificium attinet, nihil inuenio præceptum, niſi hoc, vt in eo auctoritas ſuperet venuſtatem. Tamen non accuſem principes, ſi teſtandi amoris ſui in literas ac literatos quam ſplendidiſſimè ædificent. Pro diuerſitate item liberalium ſcientiarum, linguarumqúe in Academia tradendarum, partienda eſt ea in complura gymnaſia ſiue ſcholas, & curandum, ne quid diſcipuli, aut doctores inuicem perturbare poſſint, atque obſtrepere: Sed Athenis, vt dicere cœperam, omnia gymnaſia extra mœnia fuerunt, quò facilius ea quiete ſilentioqúe de quo loquebamur, potita ſunt. Tria autem cæteris nobiliora, Academia, Lyceum, Stoa. Illam Ecademus, ſeu Academus heros in ſuo nemore ſuburbano ſtatuit, à quo deinde nomen inuenit, quod poſteritas omnibus gymnaſiis publicis impoſuit. Seruius Sulpitius ad Ciceronem ſcribens, hoc nobiliſſimum orbis terrarum gymnaſium appellat: quàm ei nobilitatem Platonis imprimis exiſtimatio peperit. Lyceum ſiue à Piſiſtrato, ſiue à Pericle conſtructum, ſchola fuit Ariſto-

telis, quæ ob magiſtri excellentiam proximam ab Academia dignitatem obtinuit. Stoa eſt latinè porticus. Hanc egregiis picturis locupletauit Polygnotus: à quarum varietate ποικίλη cognomentum tulit. In hac porticu Zeno ſuas explicationes habuit: cuius auditores primùm Zenonii, poſt Stoici à loco dicti. Atque hæc tria gymnaſia diſcipulorum multitudine ante alia fuerunt. In 5. de finibus Cicero Ptolomeium gymnaſium nominat. Fuit item Cynoſarges ab albo cane vocatum: hiſtoria eſt apud Suidam. In eo Antiſthenes pater Cynicorum verſabatur. Obſcur[illegible]ra fuerunt Canopum, Prytanium, Tempe, Lacydium. A ſcholis rec[illegible]mus, & ſpectemus ludos. H. Video quid agas: de theatro, quod [illegible]mum eſt, diſſerere paras. N. Etiam de amphitheatro, quod ex duo[illegible] theatris intelligitur fieri, & eſt illo poſterius.

THEATRVM, AMPHITHEATRVM.

Ergo quemadmodum philoſophi, & artium doctores ſolent, de ſimplici prius, tum de compoſito agamus: quo etiam modo ſimul à prioribus ad poſteriora, à minoribus ad maiora naturam æmulati gradiemur. Dicemus autem de fine, ſeu vſu theatri, de origine, loco, fundamentis, materia, forma, partibus. Quæ ad gradus & præcinctiones pertinent, in amphitheatrum differemus. S. Propoſitionem iſtam tenemus. N. Ad populum diebus feſtis ludorum ſcenicorum celebratione exhilarandum ſtructa ſunt theatra, atque in his proprie huiuſcemodi ludi committebantur. Theatrum græca voce appellatum, quod latinè viſorium, à videndo, vt illud à θεᾶσθαι ſpectare, contemplari. Finis etiam ludorum fuit religio: nam ſe illa re gratum diis facere, & eos ſibi placatos efficere credebant. Hinc Arnobius lib. 7. vos æris tinnitibus, & tibiarum ſonis, vos equorum curriculis, & theatralibus ludis perſuaſum habetis deos delectari, & affici, iraſque aliquando conceptas eorum ſatisfactione molliri. Sed cur ſtuderetur populo ludis huiuſmodi delectando, etiam illa cauſſa fuit, vt ita facilius ſuum officium faceret, deditus viciſſim Reipubl. aut principibus ſuis, & præſtare vltro, quod extorquendum fuiſſet ab inuito. In ſede eligenda ſalubritatem quærere fas: ne aurarum corruptarum afflatus immotis & quieſcentibus in illa ſpectaculorum voluptate corporibus incommodent. Prouidendum adhæc, ne locus ſoli meridiano ſit oppoſitus: qui cùm theatri rotunditatem impleuerit, aer concluſus & coercitus curuatura conferueſcat & humores corporum excoquat atque imminuat. Ne ſit præterea ſurdus: verùm ita comparatus, vt per eum diffundi & vagari vox cum ſonore, & claritate maxima queat. Si in loco plano, aut paluſtri condere theatrum oportebit, ſubſtructionis fundationes fodientur ab ſolido, & in ſolidum, quantum ex operis amplitudine pro ratione videbitur, extruentur: quæ ſtructura per totum ſolum quam comparatiſſima fiat. Athenis initio cum theatro ligneo vterentur, poſtea è lapidibus ædificarunt: cumque perinde vt antea pro locis contenderetur, ad verberationes quoque & vulnerationes procederetur, lata

Digitized by Google

lata lex eſt, vti viritim, binos ex ærario obolos acciperent, eoſq́ue ſpectandi cauſſa penderent. Romæ etiam primitus, lignea & temporaria theatra extruebantur. Excitata ſunt deinceps è lateribus, lapide cæſo, marmore: quale Pompei, Marcelli & alia. Habebat theatrum, quod ad formam attinet, partem circuli dimidiatam, & quartam partem diametri: ſi modo hemicycli cornua rectis, & æqualibus lineis producerentur: ex integro inquam circuli ambitu quartam partem tollentes, reliquam theatro dabant. De partibus hoc dictum ſit. Principiò deſcripta cauea deſignati ſunt circum conſeſſus per gradus ſimplices. Inde à poëtis data occaſio, vt deliciarum cauſſa ſeparatarum partium, proiectorum, receſſuum, vmbraculorum, ambulacrorum ſpecies fabricarentur Scena definitur frõs theatri. Verſatiles ſcenæ erant, quæ ſubitò machinis quibuſdam totæ verſabantur; & quæ extra vrbem, aut in vrbe erant oſtendebant. Earum tria genera. Tragicum, Comicum, Satyricum. Tragicę deformabantur columnis, faſtigiis, ſignis reliquiſque regalibus rebus. Comicæ ædificiorum priuatorum & mœnianorum ſpecimen præferebant. Satyricæ ornabantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquiſque agreſtibus rebus in topiarii ſimilitudinem deformatis. Proſcenium locus eſt ante ſcenam ad agendum, omnium ſpectatorum oculis obiectus. Poſcenium locus poſt ſcenã ſubductus aſpectui ſpectatorum. In proſcenio pulpitum, in quo actores fabularum prodirent. Scena erat altior pulpito, pulpitum altius orcheſtra, quæ chori propria, vt ſcena actorum: ibi cantabat, & ſaltabat. Erat item orcheſtra ſenatorum, & honoratiſſimorum ad ſpectandum locus in theatro. Hiſtriones qui exciderant, aut ineptè geſtum agebant, aut perperam ſyllabas pronunciabant, non expectata iudicum ſententia à populo exſibilabantur. De theatro hactenus: ſequens tractatio erit aliquanto illuſtrior. S. Proinde attentione noſtrà dignior: quanquam attentiſſimi qui ſunt, fieri attentiores quî poſſunt? N. Tu videris.

Amphitheatrum vocant Græci, quod gradus circum vndiq́; & ſedilia continentur diſpoſita in orbem ambibant. Latini caueam ab interiori parte, quà concaua, & capaci quodam profundo. Quod nomen apud antiquos, libera ſcilicet adhuc Repub. in theatris ferè haſit: ſed ſub Principibus, cum gratia & vſus amphitheatrorum increbuiſſet, bono iure ad iſta migrauit. Ammianus lib. 29 alter in amphitheatrali cauea, cùm affuturus ſpectaculis introiret. Tertull. contra Marcionem. Quid? non in omnem libidinem ebullis? non frequentas ſollemnes voluptates Circi furentis, & caueæ ſæuientis, & ſcenæ laſciuientis? Vbi cum ſæuitiam caueæ attribuat, clarum eſt intelligi de amphitheatro. Etiam arenam dixére vulgò, quia is locus arena ſterni ſolebat in vſum pugnæ. Nam ſi lapide aut ruderato in tam crebra effuſione ſanguinis, lubrico ſtatim pauimento, quæ ratio ſtandi, aut certandi? Arenam iniecère bibulam, quam ipſam per pueros quoſdam renouabant, & velut inarabant, raſtris ſcilicet. Martial de boue ſubito efferato.

Nam duo de tenera iuuenilia corpora turba
Sanguineam raſtris quæ renouabat humum,

Digitized by Google

Sauus, & infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit maius arena nefas.

Principes interdum arenæ loco minium, aut chryſocollam inſtrauere, vt etiam hoc modo ſuas opes oſtentarent. Vulgus Editorum arena contentum fuit. Inde arenæ vocabulum paſſim pro certamine amphitheatrali, proqúe ipſo loco vſurpatum. Circus & ſtadium quamuis arena ſternerentur, non tamen ſic appellata ſunt. Itaque cum audis, aut legis in Iureconſultis, damnare in arenam, arenæ mitti, de gladiatoribus, aut venatione, & magis quidem de hac intellige. Quorum vtrunque fieri in amphitheatro ſolitum. Valuit autem in hoc vſus potius quàm ratio. Arenarij qui in arena depugnant. H. Haud impeditè expediuiſti amphitheatri nomina, prætermiſſiſqúe auctorum locis, quæ adducere potuiſſes, non multis multa comprehendiſti. N. *Iam de conſecratione, ortu & materia perpaucis. Dedicabant inprimis locum, & ludum hunc Dianæ, etiam Ioui ſiue Latiali, ſiue Stygio. Aram ponebant præterea eidem ſiue Diti: ſuper qua velut ad committendos ludos homo, beſtiarius nempe ſacrificabatur. Præter hos Saturnus etiam in partem huius tutelæ veniebat. Nata amphitheatra haud diu ante tempora Reipublic deſidentis: & quidem temporanea primùm, & è ligno. Vt omittam illud Curionis, Iulius ipſe, iam Dictator ligneum extruxit in campo Martis. Sub Auguſto & venatio valde iam increbuit, & inereuit eius dignitas: ſiue cum opibus augeſcente luxu: ſiue quia ipſe Princeps in hunc ludum pronus. Itaque ſtatim venationi tunc reperta propria, & manſura domus: amphitheatrum extructum è lapide, anno DCC XXV. Auguſti ſuaſu Statilij Tauri opibus & ſumptu in campo Martio. Hoc ſolum & primum lapideum fuit ad Veſpaſiani tempora, qui ſtruxit in vrbe media, quod hodie Coliſſæum vocant, quia Neronis cum capite Coloſſus in vicinia, biennio fermè ante obitum. Cœpit, non abſoluit: Titus filius ſummam manum impoſuit, idemque dedicauit. Caſu aliquo, aut igne læſum, reliqui Principes refecerunt. Sequitur de magnitudine, forma, area, loco & emiſſione ferarum. Theatrum hoc Veſpaſianum, aut Titianum, de quo Martial. lib. 1.*

Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

quamque idem poëta venerabilem mollem appellat, non rectè Domitiano tribuitur: nec illud Cæſareo, in epigrammate ad illum, ſed ad Titum pertinet, vt totus liber primus epigrammatum ad eum, & ludos, quos in dedicatione huius amphitheatri per dies pœne centum exhibuit. Nunc quoque miranda eſt altitudine: etſi multum à vertice eius corruit, multum à pedibus ſubſedit. Ammianus Amphitheatri moles ſolidata lapidis Tiburtini compage, ad cuius ſummitatem ægrè viſio huma-

na

na conſcendit. De capacitate P. Victor. Amphitheatrum quod capit loca LXXXVII. millia. Et de gradibus tantùm intelligit: in quorum puluillis ſediſſe commodè vult octoginta ſeptem millia hominum: At in ambitu ſuperiore, & circumtectis porticuum aulis, non minus item ſpectarunt, quàm dena, aut duodena millia: ſiue ſtantes ſiue in allatis cathedris ſedentes. Forma amphitheatri non rotunda, & orbicularis prorſum eſt: ſed porrecta magis paulùm, & oblonga, quoniam amphitheatrum iunctum, & factum ex duobus, theatri reiecta ſcena. At theatrum non iuſti hemicycli forma, ſed amplius diametri quarta parte fuit. Ex integro namque circuli ambitu quartam partem ſi abſcindis, quod maius eius reliquum eſt, ſcito theatrum id fuiſſe. Atqui ex iis, duo ſi iungis (ita tamen vt flexas lineas circa abſciſionem dirigas, vel potius extra leuiter flexas) amphitheatrum habebis. Ouo aptiſſimè comparauit Caſſiodorus: vt nimirum concurrentibus aptum daretur ſpatium: & ſpectantes omnia viderent facilius. Area pura ſine ſubſtructionibus aut ædificiis, libera tota ad curſum ferarum, & ad pugnam: niſi quod ara in ea, vt dixi. Sed cum ferina magna vis quotidie in amphitheatrum induceretur, quæratur quo loco habita ſint, aut ſeruata. Partim erant ſubterranei caui in quibus reconderentur ſub ipſos ludos: partim deponebant urin cauernis ſub interiore porticu, è qua portulæ & aditus plures pertinebant in arenam. In circo olim ante amphitheatra exhibebatur venatio, cui ſtrica...ea extruebantur ferrea, per quas beſtiæ in arenam cum impetu intromitterentur. Earum portas oſtia videtur appellaſſe Varro de re ruſt. Vopiſcus aditus. Iterum in eas caueas immittebantur poſt pugnam. Arena ſæpius quidam comptus nouitius, & colorum fuci addebantur ab ambitioſis Editoribus: vt ſpectatorum ſtudia nouitatis lenocinio allicerentur. Alij arboribus conſerebant, vt arenam totam verterent in ſyluam: vt nempe viuam imaginem exhiberent vera germanaque venationis. Hoc clariſſimè docent Vopiſci verba in Probo. Venationem ampliſſimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulſæ, connexis longè latéque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperiecta: totuſque circus ad ſyluæ conſitus ſpeciem, gratiam noui viroris obtinuit. Nauem grandem ædificabant in ipſa arena, quæ ſolutilis eſſet, & ſubitò luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magiſtri temperantis. Quodammodo mare ipſum induxere. Reperti enim, qui hoc omne rotundum, per occultos quoſdam ductus & meatus ſubitò aqua replerent: & pro terreſtribus feris monſtra maris oſtenderent, & claſſes, & naualem pugnam. Murus cingens arenam, & ambiens infimum ſolum, ſuſtinebat Podium. Eſt autem Podium proiectura in ſummo muro, quæ paululùm prouehitur, & propendet inſtar pedis, vnde & nomen. Mœnianorum ea quædam ſpecies eſt, facta in theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, ſpectandum. Non aliud omnino amphitheatri Podium, quàm muri pars proiectior, & prominentior ante imum ſpectaculorum

graduum,

Digitized by Google

gradum, cui columna impoſita ad ornatum ſiue (cum liberet) ad nixum. Ad hoc ſpectare ſoliti primi è ſenatu. Nam cum orcheſtra plurium graduum eſſet, digniſſimus habitus ille imus, qui Podio proximus, & Arenæ: quippe ex quo facillima ſpectatio. Inter ipſum Podium, & gradus aliquid ſpatij latioris vacuum fuit, in quo plano in ſellis curulibus Conſules, Prætores, & alij quibus id ius, cum lictoribus, viatoribus & magiſtratus ſui pompa ſpectabant, idque propriè ad Podium ſpectabat. Ad Podium Principis eminentior quidam ſuggeſtus, & velut ſua domus extructa erat. Suggeſtus ille tectus, & inædificatus ad modici cubiculi formam: cui proprium etiam ſuum Podium, quod oſtiis quibuſdam ſiue feneſtris Arenam verſus aperiretur. Ad Podium etiam tribunal Editoris. Cum enim aliis honoribus, vt lictoribus, & veſte prætexta inſignes voluerunt eos eſſe, qui ludos exhiberent: tum etiam altiore hac ſede, in qua præſiderent. Exaduerſum collocabantur Veſtales, ad Podium ſimiliter. Spectatores ad Podium tuti erant à feris: quòd murus claudens arenam erat altus duodenos aut quindenos pedes, vt nulla fera poſſet tranſilire. Contra inopinatos autem caſus etiam prouiſum. Nam primum retia valida, nodoſa, quorum raritas non impediebat aſpectum, in orbem vndique Podium cingebant. Item verſatiles quidam trunci apponebãtur muro, & Podio contra ſcãſionem omnem ferarum, & inſultum. Contra grandiores belluas, vt elephãtes, clathris ferreis arenam totam circumdabant, aut Euripis: valde enim aquam metuunt. Gradus vult eſſe altos Vitruuius palmopede, id eſt, palmis quinque: (palmus enim quatuor digitos continet: pes quatuor palmos, & digitos ſex) latos non plus pedes duos & ſemis, nec minus pedes duos. Hanc latitudinem exigit in contextu illo graduum ratio ſedendi. Pedes enim eorum qui in ſuperiore gradu ſpectant, innixi inferiori gradui proximo. Qui ne læderent ſedentes alios, néue ipſi læderentur, opus habuére aliqua laxitate. Fortaſſe etiam ad ponè tranſeundum, ſi qui ſurgerent, aut ſedentibus iam aliis intrarent. Gradus iſti è lapide, ſæpe è ligno. Serò repertum, vt puluilli inſternerentur ſenatui, idq; primus Caligula inſtituit. Dio Caſſius. Puluilli tunc primũ ſenatoribus, ne nudis aſſeribus inſiderent ſubiecti, & pileos Theſſalicos in theatra iis inferre conceſſum, ne inſolatione torquerentur. Poſtea id etiam Equiti conceſſum. Præcinctiones non aliud quam graduum interualla, & diuiſiones quædam in orbem, baltheus aliâs à pari cauſſa, quia velut cingulum quoddam latum, eaque re Zodiaci zona, etiam baltheus à Manilio vocatur, διαζώματα Vitruuio. Aditus erant in ipſa gradatione portæ quædam, ſiue oſtia, per quæ ab exterioribus porticibus veniretur, & in ipſas ſedes deſcenderetur. Vomitoria appellat Macrobius, voce vulgi, vnde ſcilicet homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt. Viæ duplices, aliæ quæ ad cardines, ſiue limites baltheorum in circuitu, quas itinera præcinctionum Vitruuius, trium aut quatuor pedum: aliæ quæ à Vomitoriis illis in deſcenſu, Vitruuius modo itinera, modo ſcalaria appellat, gradus ſemipedem, & vnicam alti, lati pedes duos, humiliores aliis ſedentariis gradibus parte dimidia. In his vtriſq; viis qui locum non habebant, quique excuneati erant, ſpectabant ſtantes. Ad oram extremam graduum, qua ſcalaria incipiebant, erant canalicula & deriuationes aquarum non tam cœleſtium (nam propter eam penduli leuiter, &

procli-

Digitized by Google

procliues erant gradus omnes) quàm humanarum. Inter has vias ſcalares medij cunei. Quidquid enim ſedilium diuiditur præcinctionum itineribus, & ſecatur lateralibus viis, in hoc nomen venit Nomen datum à forma, quia re ipſa ſcalarum directio talis, vt ab imo ordiens magis diffinderetur in altum: redderetq; cunei formam. Viæ ipſæ ſcalares non ab imo ad ſummum rectà, & ſine interciſione ibant. Dirigebantur ab ima orcheſtra ad primam præcinctionem. Ibi deſinebant, & alternis aliæ incipiebant, cum cuneorum noua variatione. Ita ſi triplex præcinctio, triplex etiam ordo, & diſcrimen cuneorum. Certi autem certis aſſignabantur. Etiam equitum & Senatorum fuiſſe cuneos docet Suetonius in Domitiano cap. 4. In porticibus ſuperioribus tenuiores ſpectabant, quæ, vt videtur, fuerunt arcuato opere tecta, certè tecta. In amphitheatris ſua ſedes fuit ſenatui, ſua equiti, ſua plebi. Illam Orcheſtram dixere: alteram Equeſtria: tertiam popularia. De Orcheſtra vbique obuium: quæ vox nata in ſcena & pulpito, tranſiit communi abuſu quodam ad alios etiam ludos. Sedes illi, vt Vitruuius ait, inter gradus imos. Is enim locus quia ſcenæ & arenæ proximus, ideo oculis auribuſq; expoſitus, optimus habitus ſpectioni, ſiue auditioni. Magnitudo eius in gradibus quatuor aut quinque, aut fortaſſe pluribus, vt etiam Sacerdotibus ibi locum demus, & ſociarum gentium legatis. Equeſtria lege veteri quatuordecim gradus tenuere. Itaque paſſim legas, ſedere in quatuordecim. Popularibus attributi reliqui omnes gradus, id eſt, cauea media & ſumma: nam ima ſenatui & Equiti vacabat. Itaque propter granditatem diſcrimen aliquod in ipſis popularibus: & pro varia conditione plebis varij aſſeſſus. In ſumma cauea fœminæ quoque ſpectabant. Sed hos limites, & hunc ordinem miſcebat ſæpe Quiritum turbida plebs. Auidi enim multi ludorum, & excluſionis metuentes, loca de multa nocte occupabant, & inhærebant vt ſuis, quæ etiam pretio diſtribuebantur, quæ Græcis θεωρικα. Quibus pendebatur, locarij dicebantur. Sic appellat Martialis, qui loca deſignabant Horum munus, deſignatorum, inquam, ordinibus ſua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. In imo & ſummo theatro tubi ſiue fiſtulæ erant diſpoſita ea arte & fine, vt odoratum quendam humorem eiacularentur leuiter, & inſpergerent ſedentes. Is humor è croco plerumque & vino, nonnunquam è balſamo. & hanc ſparſionem vocabant. Nec è fiſtulis ſolum hic imber, ſed ſcito magis inuento è ſtatuis expreſſus, velut humanus quidam ſudor. Solebat præterea ſuperduci tegmen amphitheatro, arcendo æſtui ac ſoli: id è velis conſtabat variè coloratis ad ornatum, interdum carbaſinis, ſericis. Nero purpurea etiam vela ſuſpendit, ſtellis aureis variè interſtincta.

Nihil amplius. H. Fuiſti vtilis tibi iſtis legendis ac retinendis: fuiſti etiam nobis iiſdem recitandis, S. Ego tamen arbitror hæc ſine ſchemate, & pictura non ſatis intelligenter poſſe percipi. N. Nec ego cùm legerem non ſæpius inſpecta pictura legi. Duas partes de numero meo abſolutas dedi, quamuis non abſolutè: ſed vt patitur & tempus & inſtitutum, & vt me iuuat memoria. Nunc tertiam dare ingredior: & cum ab Academia vos in theatrum duxerim, modò in balneas ducam. H. Prius balneator conueniendus fuit, vt eſſet parata calida. N. Quaſi non ſemper ſit, cum aſſiduò homines

mines lauent. S. Cupio videre balneas iſtas: non enim iſtarum noſtrarum fore ſimiles autumo. N. Haud ſimiles profectò.

BALNEÆ.

Veteres crura & brachia in dies ſingulos, nundinis omne corpus: ego manus & faciem aqua pura lauo puriter, corpus in menſe non amplius ſemel: quod quidam illorum tertiùm, quartùm ſoliti. Non pauci etiam quotidie: quos ſcilicet bene lautos, hoc eſt, mundiſſimos accumbere vehementius delectabat. S. Et quis fuit Imperator ille, qui vno die lauabat octies? N. Gordianus, ſi memini, aut certè Commodus, qui etiam edebat in ipſis balneis. Et Rhemnius Grammaticus ſepties. H. Quid domini facient, audent cùm talia fures? quid Oratores, quid Philoſophi, ſi hoc Grammatici? O luxum. N. At ille luxurioſior luxus, qui etiam parietes & ſola balneorum vnguentis acerrimis, ſummaque ſuauitate conditis obleuit, quique balneas penſiles inuenit. Videtiſne molliſſimis cogitationibus effœminatos animos? Iſtius enim crebritatis lauandi aliam cauſſam indagare nequeo. S. Ergo voluptas delicatè ſenſum mouens vel aſſiduæ, vel certè frequentioris balneationis cauſſa eſt primaria. N. Nimirum. Quia enim tunicarum linearum aut nullus olim, aut inſolentior erat vſus, quarum ad corpus adhæſu affrictuque ſordes ac ſudores abſtergerentur: & quia non perinde, vt in moribus noſtris eſt, contectis velatiſque membris neque viri, neque mulieres incedebant, puluerum illuuie cutem neceſſe erat inquinari: cui purgandæ, & omnino immunditiis ac ſorditudini deſtringendis, non infrequenti balneo indigebant. En aliam balneandi cauſſam, neceſſitatem videlicet. Quo lauantium in ordine ponendi ſunt, qui ad concoctionem ventriculi adiuuandam ſæpius lauabāt? Literis proditum eſt, quoſdam niſi ante lauiſſent, cibum continere nullo modo potuiſſe: vt mihi videatur vna vitioſa conſuetudo aliam, ſed miſeram moleſtamque genuiſſe. Quare vt complectar breui, voluptas, munditiarum & valetudinis ſtudium balinea induxerunt. Vellem cætera de genere hoc, de balneis, inquam, antiquis tam perſpicua eſſent: ſed neque illa, neque de palæſtra, xyſto, portu, naualibus & ſimilibus, quæ per libros architecturæ deſcribuntur. Accedit & alia tenebrarum iſtarum ratio: quòd & harum, & omnium propemodum vetuſtarum ædificationum vix quantaſcunque reliquias, &, ſi fortè, parietinas aliquas noſter mundus alicubi terrarum intuetur: magiſque iſta mentium oculis (quomodocunque ex chartis ſilentib. ſe ſpectanda pbuerint) aſpectare, & perluſtrare cogimur. Balneas architectus in calidiſſimo loco, à Septentrione, & Aquilone auerſo conſtituit. Ipſa caldaria, & tepidaria, cellas nempe & ædificia lumen capere vult ab occidente hyberno. Si natura loci obſtiterit, vtique à meridie: quoniam tempus à meridie ad veſperam lauationi maximè deſtinatum ſit. Mulierum virorumque caldaria propter commoditatem coniungit, & iiſdem in regionibus collocat: quod valet ſimiliter in tepidariis: pudor enim ſimul in iiſdem lauari non patitur. Magnitudi-

nes pro copia hominum balneantium requirit. Quanta longitudo fuerit, tantam, tertia parte dempta, latitudinem poſtulat, præter ſcholam labri ſeu aluei. Labrum ſub lumine ponit, ne, qui circumſtant, vmbris corporum iaciendis lucem obſcurent. Scholas labrorum tam ſpatioſas faciendas, vt cæteri aſtare commode poſſint. Alueo in latum inter parietem, & pluteum dat pedes non minus ſenos, vt gradus inferior inde & puluinus duos pedes auferat. Addit de Laconico, & ſudationibus, coniungendas tepidario: earum altitudinem proportione latitudinis exigit, ad imam curuaturam hemiſphærii: per eius medium admittit lumen, ita, vt ex eo clypeum æneum cathenis ſuſpenſum libretur, cuius adductione, & demiſſione ſudationis moderatio ac temperamentum perficiatur. Clypeum ad circinum fieri iubet, vt flammæ vaporiſque poteſtas per curuaturæ rotundationes æqualiter à medio peruagetur. Camerata hæc loca balnearia fuiſſe, & è media camera lumen duxiſſe, è patenti ſcilicet, eoque amplo foramine, ſub quo labrum eſſet ſubiectum: ipſum labrum, ſeu alueum, lapideam, aut ſtructilem balnearum foſſam: ſcholas margines latiores, ſeu porticus circumiectas, in quibus conſiſterent, qui interea ſpectabant, & lauantibus ſuccedere parati erant, interpretor. De locis balneariis quæ & qualia fuerint exponam. Principiò fuit quæ dicta eſt Frigida lauatio, græcè λῦτρον. Deinde Frigidarium, poſtea Tepidarium. Sequebatur ſudatio ſeu Laconicum, & poſtremo calida lauatio. His quinque balneum conſtituebatur. Extra id alia fuere loca tria, Hypocauſtum, Aquarium, Vaſarium ad vſum balneantium inſtituta: &, vt priora, camerata. In frigida lauatione erat piſcina, cui nomen in epiſtolis Plinii Baptiſterium. Vſus eius vel ad natandum: vel ad leuandum æſtum, qui moleſtior in æſtate, atque ideo tum membris ardentibus optatiſſima refrigeratio: vel ob mollitiem aut ſanitatem: quarum rerum gratia quouis tempore vſurpabatur. Frigidarium alia cella, iis comparata, qui ſtatim poſt exitum è tepidario, aut caldario aërem frigidum quærebant. In eam propter capacitatem plures congregari poterant: nulla ibi aqua, nulla vaſa. Ac fortaſſe in hoc loco veſtes ponebantur: quod apodyterium longius abeſſet, & ſudores detergebantur. H. Quia veſtium mentionem audio, regredior in memoriam leporis Catulliani, qui cum Vibennium furem balnearium callidiſſimum, & in furando exercitaſſimum ſignificare vellet, ſcripſit. O furum optime balneariorum: quaſi etiam in ſcelere poſſit ineſſe aliqua bonitas. Non te moror pluribus: tuum iter carpe. N. Excipiebat frigidarium cella tepidaria, ſeu tepidarium: eò intrabant, qui aut aëre, aut aqua, aut vtriſque tepidis deliciarum, aut valetudinis ergô vti cupiebant. Illi quoque, quibus aut calida lauare decretum erat, aut frigida. Namne ab apodyterio ſeu frigidario, ſeu etiam à frigida lauatione ad calidam, & ab ea rurſum ad frigidarium, ſeu piſcinam frigidam, vti ab extremo ad extremum accedentes læderentur, ad tepidarium, tanquam ad temperamentum, & medium confugiebant: in quo tam diu hærebant, quoad ſe vel à calore ad frigus, vel à frigore ad calorem ſi-

Digitized by Google

ne incommodo recipiendum affectos experirentur. In priuatis quidem balneis non ſit abſurdum opinari, vnum eundemque locum fuiſſe apodyterium ac tepidarium, ſiue ob commoditatem, ſiue ob ſpatiorum anguſtias. Caldarium ſeu Laconicum, πυελατήριον λακωνικὸν Dioni, dictum, quod inuentores eius Lacedæmonii, huiuſmodi ſudationibus vterentur. Nam Vitruuius etiam ſudationes, Seneca ſudatoria, Cicero calidam ſudationem, idem & Celſus aſſa nominant ab aſſando. In his ſine aqua calor ſiccus, ſeu vapor feruens incluſus ſudorem eliciebat. Forma rotunda ſtruebantur in modum turriculæ, & in hemiſphærium fiebat cameratio. Infra pauimentum Laconici locus erat fornicatus, in quo ardebat ignis: quaquà verſum in parietibus vſque ad imam hæmiſphærii curuaturam inſerti erant tubuli, ſiue canaliculi, per quos vapor æſtuans aſcendebat. Qui vbi curuaturam contigerat, operculo illo aëreo, & rotundo, quod clypeũ dixit Vitruuius, impeditus ſeſe diffundebat. Qui ſudabant, nunc altius clypeum ſubmouentes, nunc inferius demittentes caloris vel remiſſionem intendebant, vel intentionem remittebant. Laconico vicina erat calida lauatio, balnei pars præcipua, in qua labra cum aquis calentibus. Hypocauſtum intelligo ſtructuram caminatam, ſeu fornaculam, in qua ignis ad aquam calefaciendam, & ad Laconicum feruefaciendum ſuccendebatur locis diſtinctis: vaporarium videtur Cicero nominaſſe ad Q. F. Vitruuio dicitur etiam hypocauſis. Fornacator ſeruus, cuius partes ignem ſuccendere, & pilis aut glomis pice illitis per interualla iniiciendis eundem nutrire. Ante hypocauſtum propingeum, quaſi dicas præfurnium, ad verbum, ſuffocatorium, os hypocauſti ſeu fornacis, per quod ligna immittebantur. Cato eadem voce vſus eſt. Aquarium cella calidæ lauationi, & Laconico adiuncta, in qua vaſtus alueus, aquam dulcem, aut pluuia collectam, aut aquæductionibus à fluminibus, ſeu fontibus eò deriuatam continens. Nero dulcibus, & communibus aquis non contentus, marinas, & Albulas in ſuas thermas deduxit. Medicatis ægroti, & valetudinarii in priuatis vtebantur. Ex alueo illo fiſtulis, & tubulis in frigidam, & calidam lauationes mittebatur aquæ copia neceſſaria. Non longè aberat Vaſarium; vbi vaſa ſeruabantur, vſibus lauantium comparata. Vaſorum alia ſunt immobilia, & conſtant è lateribus, è marmore, vt aluei, ſeu labra in lauatione càlida: piſcinæ, ſeu baptiſteria in frigida: adeo magna, vt in ipſis natare liceat. Alia moueri poſſunt, & ea figuris diſcrepantia: ſiquidem alia quadrata, q̃dam oblõga & quadrata, q̃dã rotundiuſcula, quædã oualia. Horũ quoq; materia lapis, marmor, æs. Nomina Iulius Pollux perſequitur. S. De pretio quo lauarẽt, legi fuiſſe quadrantẽ: nõ plus ſoluebatur balneatori. Hinc Seneca balneũ rem quadrantariã vocauit. N. Ita eſt: ſed ante annum quartumdecimum nihil pendebatur. Factum credo vilitate mercedis, vt nullum genus hominum, nulla ætas arceretur. Præcipuè porrò phonaſci, citharœdi, præcones, hiſtriones balneas obibant: quod vocem exaſperatam, & oblæſam aquarum dulcium humectatione reparare ſtudebant. Tempus lauandi inuenio horam diei octauam, non multò ante cœnam, quod plurimi ſeruabant. Maior autem pars liberorum hominum prius

prius aliquam exercitationem corporis, luſum pilæ, aut alium non illiberalem ſuſcipiebat. Dum hora balnearum imminebat, tintinnabulo admonebantur, qui in gymnaſio pilam, aut alium ludum luderent. Hæc de balneis antiquis, pro eo ſtudio, pro ea intelligentia qua ego ſum in iſtiuſmodi antiquitatibus. S. Heu metuo male. H. Quid metuis? S. Ad ægrotos eundum erit, & fœtores hauriendi. H. Quidum? S. An oblitus es poſt balneas audiendum nobis de noſocomio? N. Sanè quidem: ſed ita, vt ægrotorum neminem, quocunque morbo laborantem aſpicias. S. Duc igitur nos tecum: ſed egrediamur inde citius. N. Quàm licebit citiſſimè.

NOSOCOMIVM.

Æſculapio, Apollini, & reliquis bonæ valetudinis præſidibus diis, quorum ſcilicet gratia & numine ſanitatem conſeruare, & amiſſam recipere credebant, priſci ædes loco ſaluberrimo ædificabant: nempe vbi & cœlum puriſſimum, & aura ſinceriſſima; vt eo delati ægrotantes, non diuina tantum ope, ſed locorum quoque beneficio fierent meliuſculi. Horſum facient magis loca ſicca, ſaxoſa, ventis aſſiduis abſtergi ſolita, nec obnoxia ſolibus, ſed tepida tamen: humida minimè: quoniam humor putredinis, & pater, & fomes eſt. Sunt autem ægrotorum duo genera. Alii lepra, peſte, & huiuſmodi contagiis affecti, quæ vulgantur, & rectè valentibus interitum pariunt: hi non vrbe modò, verumetiam via publica remouebuntur. Alii non æquè exitialibus tenentur morbis, qui etiam in vrbe ſeruari poſſunt. Hi diſtincta habebunt loca, & alia fœminæ, alia viri: nec ægroti ſolum, verumetiam miniſtri, vt nempe non habitent mulieres inter viros. Lymphati & furioſi cum cæteris nequaquam coniungentur. Et alias aliorum ægrotorum ſecretiores, alias communiores diuerſorii partes eſſe conuenit: & famulorum etiam. Ad carcerem me ſequamini. S. Sequimur: ſed cum hoc, vt nec ibi diu hæreamus. N. Paulò tamen quàm hîc diutius.

CARCER.

De carceris etymo ſcriptum eſt à Seruio in 1. Æneid. ſic: Carcer eſt vndecunque prohibemur exire: dictus quaſi arcer, ab arcendo. Locum autem in quo ſeruantur noxii, carcerem dicimus, numero tantùm ſingulari: vnde verò erumpunt quadrigæ, carceres, numero tantùm plurali. Licet ſingularem plerumque vſurpet poeta, vt eſt, ruuntque effuſi carcere currus. A Varrone in hunc modum. Carcer ab coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars quæ ſub terra, Tullianum, ideo additum à Tullio rege, quod Syracuſis, vbi ſimili de cauſſa cuſtodiuntur, vocantur latomiæ, & de latomia translatum, quod hîc quoque lapidicinæ fuerunt. Athenienſes qui mollioribus vocabulis rerum mitigare triſtitiam conſueuerunt, carcerem domum vocabant: ſicuti tributum coordinatio-

Digitized by Google

nem ciuitatis σιώταξιν. Et traditum eſt Labyrinthum quoque nihil fuiſſe aliud quàm carcerem, in quo non foret incommodi quippiam, niſi quòd qui aſſeruabantur, effugere non poterant: vnde & dictum putant, quia λα ſit particula vocum intendens notiones, & βύειν obſerare, & claudere. Ex quo & λαβυρινθώδης pro flexuoſo poſitum. De eius apud Romanos origine in Anco Martio Liuius his verbis. Ingenti incremento rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum diſcrimine rectè an perperam facti confuſo facinora clandeſtina fierent, carcer ad terrorem increſcentis audaciæ media vrbe imminente foro ædificatur. Carceris genera apud veteres tria fuerunt. Vnum in quod immodeſti & parum exculti includerentur, vt noctu à doctis & artium bonarum magiſtris condocefierent, quo pacto vitam degerent cum honeſtate. Alterum in quod obærati, quiquè aliâs à vitæ petulantia deduci non poſſent coniicerentur. Tertium in quod flagitiis nobiles, ipſoquè cœlo & hominum conſpectu indigni, & cis paucos dies plectendi contrudebantur: de quo videtur locutus Cicero, cum in 2. Catilinaria dixit: carcerem maiores voluiſſe nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum vindicem eſſe. In hoc fuit formidoloſo, & diro aſpectu locus, cui Robur edidere nomen, quo maleficum genus hominum præcipitabatur: ſic nuncupatum, quòd robuſtis lignis antea ſepiebatur. Meminerunt eius Valer. & Apuleius. Etiam Lucretius in 3. Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ. Hinc facinora magnitudine rara, nouitate dira, & inauſpicatiſſima, robore digna magnis auctoribus appellantur. De vltimi generis ædificatione ita legi. Subterraneum, atrum & horrendo ſepulchro ſimilem faciendum, pro meritis quidem ſontium. At pro humanitate Principis aut Reip. ſat fore, firmaſſe opus pariete, & apertionibus, & teſtudine, ne fuga incluſis pateat. Eò craſſitudo, profunditas, celſitas operis, præduri lapides ferro & ære iuncti plurimùm conferent. Præclarè porrò admonent, qui dicunt, adamantinum eſſe carcerem cuſtodis aduigilantis oculum, quo conniuente, aut in ſomnum ſoluto, turres etiam aheneæ ſunt effractæ. Generatim carcer quisque locum habeat, vbi venter deiiciatur, vbi focus ſtruatur citra fumi fœtoriſquè iniuriam. Sequitur de cloaca vt agendum ſit. H. Hìc fœtorem velitis nolitis ſentietis, quo tu tamen eos liberabas, qui in carcerem compingerentur: vt nos deteriori loco futuri videamur. N. Me inconſideratum, cur non odores attuli mecum, quibus nares veſtras interea oblectarem? S. Ego quidem, vt cernitis, paſtillum meum habeo. N. Mittamus iocum.

CLOACA.

Afferunt plures commoditates vrbibus cloacæ. Valent enim ad eius lautitiam, ad publicarum priuatarumquè domorum munditiam, ad ſeruandam ſalubritatem aeris. Smyrna vrbium Aſiæ clariſſima aduenis hac vna in re diſplicebat, quod cloacis carebat, quibus ſordes exceptas emitteret. Harum vſum veteres tanti fecere, vt non aliud opus tantum impenſarum ac diligentiæ contuliſſe videantur: & in Romanis operibus prima-

primariis etiam cloacæ fuerunt. Structuram cloacarum ad opus viarum ideo pertinere iudicant, quod ſubter, medias per vias ducendæ ſunt, & ad inſtruendas, coæquandas, purgandasque vias haud parum conducunt: nec ferè ſunt aliud quàm pontes, ſiue arcus longè latiſſimi: vt quæ de ſtruendo ponte dicuntur, omnia pæne in eas quadrent. Diſtinguuntur item ſuis generibus. Nam diffuſoriæ appellantur, quæ immiſſas aquas influentum, in lacum, aut in mare deuehant. Subdiuæ, quibus conceptæ aquarum ſordes non aliò euomantur: ſed quaſi terræ alueo inhauſtæ, ſidendo conficiantur. Priores ſubſtratas eſſe oportet ſtratura decliui, prona, ſolida: qua liberrimè ſordes defluant, & quæ illic ſtructa ſunt, ne aſſidua humectatione macerentur. Quæ ſint item ſublatæ à fluuio, ne alluuionibus compleantur, aut limo obſtruantur. Cloacæ vrinariæ à parietibus procul abſint: ardoribus quippe ſolis acres inde, & ſalſas animas euocantis maximè inficiuntur, & vitiantur. En habetis quod debui, etſi minus diſertum, quàm debui. H. Atqui nos in diſputationibus ad tempus plura, & maiora haud experiuerimus. S. Quò audacius ego indiſertus ero. N. Tamen ita, vt ne tenebras nobis offundas. S. Curabitur. H. Quam vellem adeſſent reliqui ſodales noſtri, vt ipſi quoque ex hac tam liberali ſchola eruditionem ſibi ſuam quaſi grandeſcere conſiterentur.

ANNOTATIONES.

A QVACVNQVE PROPEMODVM RE) *De metaphora Cicero cùm plura diſſeruiſſet in 3. de Orat. addit hæc. Nihil eſt enim in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus poſſimus vti vocabulo & nomine. Vnde enim ſimile duci poteſt, (poteſt autem ex omnibus) indidem verbum vnum, quod ſimilitudinem continet, translatum, lumen affert orationi.* HISTORIA EST APVD SVIDAM) *Sic ille. Cynoſarges gymnaſium quoddam Athenis, & fanum Herculis, hac de cauſſa conditum. Cùm Didymus Athenienſis in veſtibulo ſacrificaret, canis albus victimam raptam in quendam locum detulit, cui ſollicito reſpondit Apollo. Quem in locum canis illam detuliſſet, eo in loco aram Herculi eſſe dedicandam. Vnde dictum Cynoſarges ab albo cane.* THEATRVM, AMPHITHEATRVM) *De theatro ſcripſerunt Vitruuius lib. 5. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Scalig. poët. lib. 1. cap. 21. Iſid. lib. 18. cap. 42. & ſequentibus. De amphitheatro Iuſtus Lipſius, è cuius monumento perpuſillam epitomen collegimus.* AD POPVLVM DIEBVS FESTIS) *Propter fines complures ludorum hîc commemoratos, eorum Editoribus tantus honos tributus: referente Plinio lib. 16. c. 4. vt iis dum inirent aſſurgeretur etiam à ſenatoribus, haberentque ius ſedendi propè ſenatum: haberent etiam vacationem munerum, ipſi, patres, paterni aui.* PER EVM DIFFVNDI, ET VAGARI VOX) *De voce, quid ſit, quomodo moueatur ex orbibus & circulis, quales aquæ ſtagnantes & immotæ miſſo in eas lapillo reddunt. Vitruuius libr. 5. cap. 3. Quæ de aquis, eadem Seneca Quæſt. natural. lib. 1. cap. 2. Cùm in piſcinam, inquit, lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam diſcedere, & fieri primum anguſtiſſimum orbem, deinde laxiores,*

Digitized by Google

ac deinde maiores, donec euaneſcat impetus, & in planitiem immotarum aquarum ſoluatur. Et aliquanto poſt. Lapillus in piſcinam, aut lacum, aut aliquam alligatam aquam miſſus circulos facit innumerabiles. At hoc quidem non facit in flumine. Quare? quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat. CVM THEATRO LIGNEO VTERENTVR) *Conſulat lector argumentum Libanij in primam Demoſthenis Olynthiacam.* ROMÆ ETIAM PRIMITVS LIGNEA) *Videbis Plinium lib. 36. cap. 15.* BALNEÆ) *Balneum à græco τὸ βαλανεῖον, ὥσπερ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, à pellenda ex animis triſtitia. Sed orthographia repugnat: ſcribendum enim cum i. Aliter ἐτυμολογούμενον inuenias apud Etymologum. Qui catalogum balnearum, ſeu thermarum Romanarum deſiderat, à Philandro petat in cap. 10 libr. 5. Vitruuij.* BENE LAVTOS, HOC EST MVNDISSIMOS) *Qui dignitate anteſtarent infimis, vix vnquam illoti cœnam inibant, præſertim cum hoſpites acciperent: quò nimirum conuiuij delicias augerent, Cic. 1. de Orat. vt cum lauti accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis Horat. Ode 9. lib. 3. quis aquam temperet ignibus. Quo præbente domum, & quota Pelignis caream frigoribus taces. Plaut. Sticho. Quàm mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum. E. Abi intrò ad me, & laua. In Amphit. Lauiſti. A. Quid poſtquam laui?* AL. *Accubuiſti. Cic. ad Att. lib. 2. ſic loquitur, Atticum inuitans. Tu pridem compitalia memento: balneum calfieri iubebo: & Pomponiam Terentia rogat: matrem adiungemus* BALNEAS PENSILES) *Verba Macrobij apponemus ex cap. 15. lib. 3. Saturnal. quibus & harum auctor, & aliquid præterea non inutile cognoſcetur. Sed de ſaltatione veterum ad prædamarina tranſire luxum, Liciniorum me nomen admonuit: quos Murænas cognominatos, quòd hoc piſce effuſiſſimè delectati ſunt, ſatis conſtat. Huic opinioni M. Varro conſentit: aſſerens eodem modo Licinios appellatos Murænas, quo Sergius Orata cognominatus eſt: quod ei piſces qui aurata vocantur chariſſimi fuerint. Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Baiano locauit, primus optimum ſaporem oſtreis lucrinis adiudicauit.* AD CONCOCTIONEM VENTRICVLI) *Illa (inquit Plinius, hunc morem vituperans lib. 29. cap. 1.) perdidere imperij mores, illa quæ ſani patimur, luctatus, ceromata ceu valetudinis cauſſa inſtituta, balneæ ardentes, quibus perſuaſere in corporibus cibos coqui, vt nemo non minus validus exiret, obedientiſſimi verò efferrentur.* NEQVE DE PALÆSTRA, XYSTO) *Vitruuius paleſtræ nomine gymnaſium deſcribit, cùm palæſtra vna duntaxat, & certa pars eius fuerit, in qua non erant exedræ, non ephebœum, elæotheſium, coniſterium, coriceum, apodyterium, quas voces infra explanabimus. Quanquam fatendum eſt, hoc nomine Græcis ac Latinis interdum gymnaſium totum ſignificari: vt nonnunquam locus quicunq; corporibus exercendis idoneus, & ipſa exercitatio palæſtrica. Eſt cum in venuſtate, & decentia quadam ponitur, quæ in motu, geſtu, flexu corporis cernitur: quam qui non didicerunt, eos antiqui apalæſtros dixerunt Palæſtricorum officium erat geſtus, & motus, ſtatus, & flexus formare: vt recta eſſent brachia, ne indocta ruſticæ manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne ca-*

ne caput oculiq́; ab alia corporis parte diſſiderent. Atque hæc omnia veteres ingenuis, & liberaliter educatis pueris cognitu neceſſaria exiſtimauerunt. Terent. lenonis domum palæſtram vocauit in Phormione. Ecce autem à ſua palæſtra exit foras. Vigebant in palæſtra hæ exercitationes, curſus, lucta, haſta, diſcus pugilatus, pila, ſaltus, appenſio manibus ad funes, ſtare pedibus, & manibus in pugnum vinctis, eaq́; alterutra extendere, porrigere pondera manibus attollere, & ita perſiſtere, quod genus halteres vocatum, ſciamachia, & armorum pugna. Palæſtra humus inſternebatur puluere modico, non alto: tum vt certantes firmius conſiſterent: tum vt qui proſternebantur, ne caſu læderentur. Xyſta fuerunt ſubdiales ambulationes, vbi hyeme miti cœlo prodeuntes è porticibus, æſtate autem pene quotidie ſpatia faciebant, & παραδρομίδας nominabant: quarum alia nuda, alia platanis, aut aliis arboribus ad amœnitatem, & vmbram præbendam conſita, Xyſtus genere virili, porticus erat tecta, in qua athletæ per hyberna tempora exercerentur. Nunc ad promiſſam quarundam vocum explicationem venio. De exedris ſic ait Vitruuius lib. 5. cap. 11. Conſtituantur in tribus porticibus exedræ ſpatioſa, habentes ſedes in quibus philoſophi & rhetores reliquiq́; qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint. Poſſunt hodie dici loca quæ in periſtyliis ſodalium Canonicorum, aut monachorum, id eſt clauſtris, vulgo capitula dicuntur. Exedra enim græcè à ſedium frequentia, & ſeſſitandi commoditate nomen accepit. In 3. de Orat. pro cellula ſtudiaria accipi videtur, in qua grabbatulus ad meridiandum accommodatus eſſe ſolet. Hæc & alia ſuper hoc vocabulo Bud. Ephœbeum locus vbi plures exercebantur. Elæotheſium Polluci ἀλειπτήριον. Plinio in epiſt. vnctuarium. In eo luctaturi, aliasq́; exercitationes, aut balneas inituri vngebantur & redungebantur ceromate, id eſt, oleo cerato. Coniſterium, in quo poſitus puluis conſeruabatur: vt poſſent vncti ſtatim illo inſpergi, ne oleo manus prehendentium laberentur, dicebaturq́ue hac de cauſſa ἀφή. Coriceum volunt locum fuiſſe, vbi puellæ exercerentur, aut tonſtrinam. Quidam interpretantur locum pro denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lauari, vel vtrunque agere volebant, quod aliâs à græcis ἀποδυτήριον. ET, SI FORTE, PARIETINAS) *Elegans huius, ſi fortè, vſus apud Cic. epiſt ad Q. F. 2. lib. 1. Intelliges nihil eſſe à me niſi orationis acerbitatem & iracundiam, &, ſi fortè, raro literarum miſſarum indiligentiam reprehenſam. Et 3. de Orat. ex quo vereor ne nihil ſim tui, niſi ſupploſionem pedis imitatus, & pauca quædam verba, & aliquem, ſi fortè, motum. Sic vſurpatur, ſi quando.* PVDOR ENIM SIMVL LAVARI) *Antiquitus diſcreta fuerunt balnea muliebres à virilibus, & Heſiodus virum lauare inter mulieres vetat. Apud Romanos item olim non eodem lauacro vſas eſſe fœminas cum viris, ex Varrone liquet. Sæculis poſterioribus profligato pudore promiſcuè lauerunt. Poteſt id oſtendi præter cæteros ex Clemente Alexand. Pædagog. lib. 3. c. 5. Cypriano de habitu virginum. Cùm poſtea Adriana, M. Aurelio, Alexandro Seuero Imperatoribus negotium improbaretur, iterum fœminis ſeparatim balnea ædificata ſunt.* IN EPISTOLIS PLINII) *Lib. 2. epiſt. 17. & lib. 5. epiſt. 6. in quarum illa Laurentinum: In hac Tuſculanum villas*

Digitized by Google

ſuas luculentiſſima oratione, apparatuque verborum admirabili deſcripſit, ſeu depinxit potius. VEL OB MOLLITIEM) *Heliogabalus nunquam lauabat in piſcinis, niſi illa croco, aliiſue pretioſis vnguentis & odoribus infecta fuiſſent. Lamprid. Alexander Seuerus rariſſimè in caldariis, ſemper ferè in piſcinis lauabat. Idem.* FVREM BALNEARIVM) *Veſtimenta eorum qui lauatum ierant ſurripientes, fures balnearios nominabant. Atque hi capitalem pœnam luebant: cùm cæteris dupli tantum eſſet propoſita. Cuius moris cauſſas aliquot ex problematis Ariſtotelis accerſit in commentar. Catulliano Muretus.* CALDARIVM, SEV LACONICVM) *Qui ſe cibo immodicè complerant, ad eos concoquendos, depellendamq́ cruditatem hoc ſudationum Laconicarum remedium adhibebant. Columella Romanorum luxuriam deteſtans in præfat. Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & aucto ſudore ſitim quærimus, noctesq́ libidinibus & ebrietatibus, dies ludo vel ſomno conſumimus.* ASSA NOMINANT AB ASSANDO) *Cic. ad Q. Fratrem lib. 3. epiſt. 1. In balneariis aſſa in alterum apodyterij angulum promoui. Has autem cellas, de quibus ſermo nobis, Epictetus philoſophus cum gradibus ætatis humanæ prudenter apteq́ contulit: cuius hæc recitantur verba è dialogo, quem cum Adriano Imp. inſtituit. Prima cella tepidaria vnctuaria, infans natus perungitur. Secunda cella ſudatoria, pueritia eſt. Tertia cella aſſa, perferentaria iuuentus. Quarta cella frigidaria, ſenectus. Sudatoriam vocauit, quam nos calidam lauationem.* ET IN HEMISPHÆRIVM FIEBAT) *Teſtudo ex duobus arcubus in crucem ſe in centro ſecantibus videtur conſtare: hemiſphærium planè ſphæricum atque orbiculatum eſt. Italis & Germanis cuppola.* CATO EADEM VOCE VSVS EST) *Sic enim habet cap. 38. Fornacem calcariam pedes latam decem facito, altam pedes viginti, vſque ad pedes tres ſummam latam redigito, ſi vno præfurnio coques, lacunam intus magnam facito, vti ſatis ſiet, vbi cinerem concipiat, ne foras ſit educendus. Si duobus præfurniis coques, lacuna nihil opus erit.* LEGIFVISSE QVADRANTEM) *Horat. ſat. 3. lib. 1. dum tu quadrante lauatum Rex ibis. Martialis tamen lib. 10. de magnitudine pretij conqueritur. Balnea poſt decimam laſſo, centumq́ petuntur Quadrantes. Hoc forſitan ob moram diuturniorem, aut aliam ob cauſſam ipſi aliusque contigerit, vt plus ſolueret: Commune quidem pretium quadrantem non exceſſit. Clodia P. Clodij ſoror, deplorata pudicitia fœmina, cognominata eſt Quadrantaria. Cauſſam in Cicerone Plutarchus memorat, quòd adoleſcens quidam in eius loculos pro nummis argenteis quadrantes æreos immiſerit. Id inſinuans, & ſimul alium acerbiorem iocum coniungens Cicero, inquit pro Cælio. Sin ſe in intimum conijcere vellent, nec ſatis commodè calceati, & veſtiti id facere poſſent, & fortaſſe non reciperentur: niſi fortè mulier potens, quadrantaria illa permutatione familiaris facta eſt balneatori. Vide explicationem Pauli Manutij.* TINTINNABVLO ADMONEBANTVR) *Alioqui in gelidiſſima Virgine lauabant, thermis occluſis. Martialis lib. 14.*

Red-

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Scribit Capitolinus, ante Alexandri Seueri tempora nunquam thermas ante auroram apertas fuiſſe, ſemperquẽ ante ſolem occaſum claudi conſueuiſſe: & ipſum Imperatorem publicarum thermarum luminibus oleum addidiſſe, quò & noctu paterent. LYMPHATI ET FVRIOSI) *Furioſus eſt, à quo furor nunquam recedit: furiatus qui fuerit ex cauſſa. Seruius.* SVB TERRA TVLLIANVM) *Deſcribit Tullianum in Catilinario Salluſt.*

PROGYMNASMA NONVM.

Via, caſtra, nauale, portus, pontes, ſepulchra.

IIDEM.

SEXTILIVS. Ecquid audire vultis, quas cogitationes in pectore inſtituerim? N. Lætas & auſpicatas? volumus: triſtes & inauſpicatas? nolumus. H. Pedetentim Numeri. Non tu ſcis, in hunc virum nec guttam cadere mœſtitiæ? quippe quem lepos ipſe genuit, lætitia ipſa peperit. Ego tamen pro exorſu ſermonis eius aliquid nobis inopinatum eſſe dicturum auguror. S. Hem, quos tu mihi parentes? quam παλιγγενεσίαν? Patrem horum ſi me dixiſſes, plus dixiſſes. Nam cui dubium eſt, laudari cumulatius Ciceronem, & Homerum, ſi ille eloquentiæ, hic poëſeos pater, non autem filius nominetur? eodemquẽ modo de Socrate, Platone, Ariſtotele iudico, quos & venuſtius, & ad conſuetudinem vſitatius philoſophiæ parentes, aut principes, quam filios appellem. H. Tu quidem parua magnis incœptas componere, vterisque diſſimulatione illa tua ad refellendum mirifica. Tenes quo reſpexerim. N. Nutricem cur non addidiſti? H. Sane addam: & ne in contemptum tibi veniat, matronam reuerendam & decoram, quam Pædiam nuncupare mos eſt. S. Auro contrà carum eſt hoc verbum. H. Sed cur nos differs? ede ſodes illa cogitata tua. S. Noſtis paucis diebus agenda Liberalia. Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo? N. Ingrata? ne tu iſtuc dicas. Perge quæſo. S. Sermone hoc finito, & partibus meis abſolutis dicam: quas ſi mihi tam facillimum eſſet tranſigere, quàm facillimè vulpes pyrum comeſt, (quod tamen vobis fuit, hominibus eruditis ac diſertis) non cederem vtique. Nunc me aliquanto breuiorem mea faciet tarditas, & inopia. H. Quod vereris, nos præſtabimus. Caue tamen, ne, non dico ex natura tua alios, ſed ex aliorum natura temet fingas: quem enim te eſſe dictitas, nos ſumus. S. Scilicet.

VIÆ.

Viarum aliæ ſunt militares, aliæ non militares. Militares vocãtur, quibus

in prouinciam cum exercitu abſque impedimentis proficiſcimur, quæ & regiæ, conſulares, prætoriæ, publicæ. Non militares quæ etiam priuatæ, & agrariæ, quibus à militari in agrum egredimur, aut in villam. Viæ vicinales, quæ vel in vicis ſunt, vel in vicos ducunt: quæ ſi non ex collatione priuatorum fiunt, publicarum loco habentur. Inter has & cæteras, militares ſeu publicas hoc intereſt, quod illæ exitum habent aut ad mare, aut in vrbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem. Iterum, militarium ſeu publicarum aliæ extra vrbem, aliæ intra vrbem, quæ diuiſio etiam in priuatas conuenit. Militaris non militari multò debet eſſe latior. Veteres ita eas faciebant, vt cubitos in latum paterent non minus octo: leges XII. pedes octo præſcribebant. Sit patula & aperta, vt circumquaque proſpectus capi queat, nullis aquis, aut riuis impedita: nulli ſunto ſeceſſus, nullæ latebræ, vbi ſe graſſatores teneant. Directa ſit etiam, breuis & tuta. Tutiſſima erit, ſi per coæquatum colliculorum dorſum agetur: ſi veteri more extructo aggere per medios campos ducetur. Sic viatoribus per celſam exaggerationem gradientibus, proſpectus iucunditas tędium ac laborem itineris minuet, hoſtis aduentans proſpicietur, inſtans modica manu repelletur, aut diſtinebitur. Quæ ad loca ingens ex omnibus prouinciis multitudo mercimoniorum cauſſa confluit, eorum militaribus præſcribunt ſtratum duplex, vt in medio lapidum ordo pedem emineat velut limes: vt altera parte prodeatur, altera redeatur: ne feſtinatio in occurſu offenſiones creet. In vrbe verò magnifica & patenti, viæ publicæ erunt directæ, & ampliſſimæ, pro eo nempe ac dignitas eius requirit. In coloniis, & oppidis molli flexu ſinuoſæ conueniunt. Non militares ſi ad lineam dirigentur, cum angulis parietum & partibus ædificiorum magis conuenient. Probarunt antiqui intra vrbes vias quaſdam labyrintheis flexibus, inextricabiles, & nullius exitus: vt ſi fortè hoſtis ſe intuliſſet, anceps hæſitaret, opprimereturque facilius. Proderit item eſſe vias complures minutiores, non in longum productas, ſed in primam tranſuerſam viam terminatas: inde domibus lumina paratiora, & hoſtiles direptiones impeditiores. De viis diximus: deinceps de caſtris dicamus.

CASTRA.

Tria ſunt caſtrorum genera, temporaneum, ſtatarium, ſuſtentorium. Prima pro occaſione nata mutantur. Secundis munito ſe aliquo loco hoſtis continens premitur. Tertiis vrgens, & laceſſens ſuſtinetur. Poſitio caſtrorum interdum quadrata, interdum trigona, interdum rotunda, interdum ſemirotunda pro natura loci, aut conditione temporum. Porta prætoria ſpectabit orientem, aut hoſtem, aut quò profecturus eſt exercitus. Locus tutus, bonus atque opportunus eſt eligendus, & id nondum ſufficit, niſi talis ſit, vt alter non poſſit melior reperiri: ne vtilior prætermiſſus à nobis, & ab aduerſariis occupatus apportet incommodum. Tutiſſimus eſt locus qui altiſſimus. Opportunus vbi ſuppeditat lignorũ, pabuli, aquæ

Digitized by Google

aquæ copia, & commodè excipiuntur ſubſidia. Vbi non deeſt commeatus: vbi tuorum receptus liber, in hoſtem egreſſus expeditus. Percommodè ibi locabuntur, vnde omnem regionem hoſtium circumſpectes, nequid illi machinari aut conari queant, quod tibi non ſit ante exploratum, & cognitum. Vbi non ſit mons vicinior aut altior, qui ab aduerſariis captus poſſit officere. Ad munitionem caſtrorũ naturalem pertinent loca deuexa, ardua, depreſſa, abrupta in circuitu. Stataria munitiora erũt temporaneis: & in planitie maiore opere artificioque indigent, quàm in collibus. Obuallandorum caſtrorum varia eſt ratio. Britanni ſudibus decempedalibus præuſtis, & præacutis vtebantur. Galli carros obiiciebant. Neruii teneris inciſis arboribus, atque mutuò inflexis, crebriſque inter ſe ramis reuinctis ſepem obducebant. Romani militem non minus caſtris muniendis, quàm omni reliqua militia exercebant: neque tanti hoſtium perniciem faciebant, quàm curabant, vt ſuos tuerentur: poſſeque hoſtem ſuſtinere, & ſuſtinendo fruſtrari magnam victoriæ partem arbitrabantur. Nihil tam neceſſarium, nec ſalutare in bello, quàm caſtrorum munitio: quæ ſi rectè ſe habuerit, miles ſecurus dies & noctes in iis peragit: & ſi in acie cedere cœperit, habet quò ſe tutò recipiat. Caſtra non erunt laxiora, quàm vt diſtributis excubiarum teſſeris cuſtodiri, & intermiſtis propugnandi viciſſitudinibus defendi per milites citra laſſitudinem poſſint. Nec ita tamen contracta, & arcta, vt ad negotium ſpatia militi non ſuppeditent. De foſſis, aggeribus, turribus, portis, prætermitto dicere, ne ſim longus, & ad naualia deflecto. H. Quoniam te videmus curſuram arripuiſſe, nolumus te morari, & tua breuitate contenti erimus. S Hoc vt faciatis vehementer rogo: præſertim cùm minimè ignoretis, vnde ego iſta hauſerim, & vnde vberius hauriantur.

NAVALE, PORTVS.

Naualia ſunt loca vbi naues conſtruuntur: aut ſubductæ quaſſatæue inſtaurantur & aſſeruantur. Ea potiſſimùm Septentrionem ſpectabunt: quando meridionales feruores bruchos, tineas, teredines, & ſimilia beſtiolarum genera progignunt, quæ materiam exedunt & vitiant. Et cum ærarium atque armamentarium in parte vrbis frequentiore, vel in media potius, ſecuritatis, & vſus ſcilicet conſtituantur: nauale propter incendiorum metum à ciuium ædibus ſeparatim ædificandum eſt. Interſtruentur parietes, qui, ſi fortè exortum fuerit incendium, flammas intercipiant. Magnitudo non definitur: facienda ſunt enim naualia ad maximum nauium modum, vt & ſi maiores naues ſubductæ fuerint, cùm laxamento ibi collocationem habeant.

Portus eſt locus concluſus, quo portantur merces, & inde exportantur: velut in ſtadio carceres vnde curſus initur, & vbi peracto curſu quieſcitur, nauigii velut ſtabulum. Portuum alii naturales ſunt, de quibus hæc Vitruuius. *Hi autem naturaliter ſi ſunt poſiti, habeantq; acroteria ſiue promontoria procurrentia, ex quibus introrſus curuatura, ſiue verſura ex loci*

ff 5 natura

natura fuerint confirmata, maximas utilitates videntur habere: circum enim porticus, ſiue naualia ſunt facienda, ſiue ex porticibus aditus ad emporia, turreſque ex vtraque parte collocandæ, ex quibus catenæ traduci per machinas poſſint. Alii arte & manufacti non naturales, quos cothones genere maſculino, & cothona neutro dici ait Seruius. *Sin autem non naturalem locum, neque idoneum ad tuendas ab tempeſtatibus naues habuerimus, ita videtur eſſe faciendum, vti ſi nullum flumen in his locis impediuerit, ſed erit ex vna parte ſtatio, tunc ex altera parte ſtructuris, ſiue aggeribus expediantur progreſſus, & ita conformandæ partium concluſiones.* Progreſſus appellāt aggerum illam continuatam ſeriem obiectam ad arcendos fluctus, excludendamque aquam, Græci χώματα. Latera portus valida & apta ſint: aptatum habeat ſpatium, vt illic nauigia & grandia, & onuſta commodè excipi, & tuto quieſcere poſſint. Ille præferendus, qui ventis mitioribus eſt ſubiectus. Optatur & profunditas cum faucibus, tum ſinu, tum ripis: quæ nauim onerariam grauem conuectis rebus non refutet: & fundo eſſe purgato, non herboſo conuenit. Etſi nonnunquam herbarum denſæ complexæque radices ad anchoras obfirmandas plurimum commoditatis afferant. Habebit etiam portus circumambulationem, & porticum, & templum. Non deerunt columnæ, anſæ, annuli ferrei, quibus nauis illigetur. Crebri ſtatuentur fornices, quibus importata condantur. Excitabuntur & turres pro faucibus altæ & munitæ: vt ea ex ſpecula velorum aduentus præuideantur, & nocturnis ignibus certi nautis ingreſſus monſtrentur, & propugnacula ad nauigia ſociorum tuenda, & tranſuerſas catenas, quibus hoſtis excludatur.

PONTES, SEPVLCHRA.

Ponti extruendo non quiuis locus erit idoneus. Vt enim in angulo, aut ſecluſo aliquo loco ad paucorum adiuuandas opportunitates non ſtruatur, ſed in apertas ac medias regiones ad communem vſum pateat, locandus erit vbi & facilè poſitum, & impenſa non maxima perfectum, & æternum futurum ſperare liceat. Captanda igitur vada non profundiora, non abrupta, non incerta, non mobilia: ſed coæquata, & manſura. Vitandi vortices, gurgites, voragines, & eiuſmodi fluentorum mala. Vitandi in primis amfractibus riparum cubiti: tum quòd illic ripæ ruinis ſunt obnoxiæ: tum quod per eos ipſos cubitos alluuionum tempeſtatibus rapta ex agris materia, & trunci, & ſyluæ non recto expeditoq; lapſu deuoluuntur, ſed obuerſantur: aliæque alias retardando glomerantibus congruunt: vaſtumq; coactæ in cumulum hæreſcunt pilis: vnde fauces arcuum obſtipatæ ſuccumbunt: inde mole preſſantium aquarum deturbatur opus atque diruitur. Alii pontes lignei ſunt, alii lapidei. Ligneorum admirandus eſt, quem Cæſar fecit.

Opera publica etiam ſepulchra cenſeantur: quandoquidem religioni commendantur: & lex antiqua eſt: *vbi corpus demortui hominis condas, locus ſacer eſto.* Nec fuit vlla propemodum adeo barbara & efferata gens,

quæ

Digitized by Google

quæ ſepulchrorum curam abiecerit. Et ſuperſtitum, & parandi nominis apud poſteros, ratio ſepulturæ ducenda eſt. Romani veteres, vt bene de repub. meritis referrent gratiam, aliosque ad ſimilem virtutem excitarēt, & ſtatuas, & monumenta, ſeu ſepulchra publica excitabant: quæ vt cætera extinguuntur, ſic ipſa ſanctiora ſiunt vetuſtate. Graui pœna accipiebātur, qui buſtum violaſſent, aut à ſepulchro columnam deieciſſent. Apud Athenienſes ſi quis dux bello peremptos afficere ſepulchris neglexiſſet, capite plectebatur. Hebræi ne hoſtem quidem inſepultum relinquebant. Quicunque autem rempubl. bene ordinatam voluerunt, illud in primis curarunt, vt ne ſumptuoſiora ſepulchra fierent. Ex lege Pittaci ſuper terræ tumulum alud non licebat præter columellas tres, non plus cubitum altas ponere. Conuenire etiam arbitrabantur, vt in qua re communis omnium natura eſſet, in ea nullum fortunæ diſcrimen haberetur: ſed eſſent omnia plebi, atque locupletioribus communia. Ita ex veteri more gleba pura operiebantur: quandoquidem corpus quod ex terra eſſet, quaſi in matris gremio conderent. Indixere etiam, ne quis ſepulchrū faceret operoſius, quàm quod decem homines triduo efficerent. Curioſiſſimè omnium Ægyptii ſepulchra fecere: cùm errare dicerent homines, qui domos breuiſſimi temporis diuerſoria ornatiſſimè conſtruerent, ſepulchra, vbi eſſent diutiſſimè requieturi negligerent. Patrum auorumque noſtrorum memoria ſacella ſepulchrorum cauſſa extrui cœpta ſunt. Hæc hactenus: nam vltra progredi ſi velim, fortaſſe nequeam, vacillante memoria: & videar malè præſtare, quod initio ſpopondi, breuiorem me futurum. N. Nos tibi peccati huius facile gratiam faceremus: & aliàs ſperamus occaſionem datum iri, qua hæc tractemus diffuſius. S. Fortaſſe.

ANNOTATIONES.

ILLE ELOQVENTIÆ, HIC POESEOS PATER) *Doctis Cicero dicitur latinæ, Romanæ linguæ, Romanæ facundiæ, eloquentiæ pater: Poëtis Romani pater eloquij. Homerus poëſeos pater, ſine adiuncto. Virgil. Latinæ Poëſeos pater, Socrates philoſophiæ parens Ciceroni. Catulliana ſunt, leporum ac facetiarum pater, eſuritionum pater. Sic quiſpiam laudaturus D. Thomam Aquinatem, Theologiæ parentem eleganter nuncupet. Non tamen rectè hoc ſubſtantiuum cum inferiorum artium nominibus copulaueris, vt dicas, Priſcianus Grammaticæ parens & ſimilia. Decorè nihilominus & appoſitè, Euripides tragœdiæ, Plautus latinæ comœdiæ pater. Priſcianus Grammaticorum pater, non diſplicet: quæ formula etiam in ſuperioribus citra reprehenſionem ſeruabitur.* AVRO CONTRA CHARVM EST) *Vænire contra aurum, qui eſt veterum dicendi modus frequens, eſt magno vænire, metaphora à lance momentanea, in qua appendebatur æs. Nam quod æquè ponderat, ſeu æquale pondus & momentum habet, id contra eſſe, hoc eſt,* ἀντιῤῥέπειν *dicebant. Inde æs contrarium vocabant æs graue, auctore Feſto: ſcilicet* ἀντίῤῥοπον. *Plaut. Curcul. Auro contra cedò modeſtum amatorem:*

rem: à me aurum accipe. Id eſt, profer, aut exhibe mihi modeſtum aliquem amatorem: & ego, ſi id facias, tantundem tibi auri dabo. Vel ſic. Certemus inter nos his legibus, vt tu oſtendas, ſeu exhibeas mihi ex infinita hominum multitudine modeſtum aliquem amatorem, ego tibi aurum æquo, pariq́ pondere in manus dare paratus ſum. Epid. Non carus eſt auro contra. Id eſt, ſi auro ſit emptus, non eſt carus. Milite, cedò mihi tres homines orichalco contra cũ iſtis moribus. Id eſt, exhibe mihi tres homines ita moratos, & ego paratus ſum tibi orichalcum magni ponderis rependere. Sic Lamb. QVAM FACILLIME VVLPES) *Plaut. Moſtel. Tam facile vinces, quàm vulpes pyrum comeſt. id eſt, minimo aut leuiſſimo negotio. Quid enim dentatiſſima beſtia pyrum exhibeat negotij: Prouerbium ad rei facilitatem indicandam.* VIÆ) *Quid ſit via, iter, ſemita, callis, trames, diuortium ſeu diuerticulum, biuium, compitum, ambitus, actus. Iſid. c. 16. lib. 15. Via inepta, via corrupta, deterrima, barbaris mala, vàlde mala peſſima via. Munire viam, eſt repurgare, reficere, ac ſubſtruere. Dare ſe in viam, committere ſe viæ, idem ſunt. Via per translationem eſt ratio & inſtitutum, à Græcis methodus Militaris via extra vrbem ornabitur. ſi ager ipſe per quem dirigitur erit cultus, conſitus refertus villis, diuerſoriis, rerum amœnitate & copia: ſi modò mare, modò montes, modò lacum, modò profluentem, modò fontes, modò aridam, modò planitiem, rupem, nemus, vallem exhibebit. Si non præceps, non ardua, non ſordida: ſi æquabilis & omnino patula. Si frequenter occaſionem offenderint viatores, quæ adducantur in ſermonem rerum dignarum præſertim. Nam facundus comes in via pro vehiculo eſt. &c. Leo Baptiſta lib. 8.* NAVALE, PORTVS) *Naualia ſunt loca, vbi naues fabricantur. Hoc & textrinum vocatur. portus autem locus eſt ab acceſſu ventorum remotus, vbi hyberna opponere ſolent. Et portus dictus à deportandis commerciis. Hunc veteres à baiulandis mercibus baias vocabant, Iſidor. lib. 14. c. 8. Vide deſcriptionem portus Carthagineſis primo Æneid. ſumptam ex Odyſſ. 13. pæne ad verbum, de qua Turneb. lib. 18. cap. 32.* STATVAS ET MONVMENTA) *Legenda Philipp. 9. & 14. quibus Seruij Sulpitij. & Martiæ legionis pro Repub. interitus celebratur. Quàm venuſta & familiaris fuerit ſtatuaria Italia, demonſtrat Plinius lib. 34. cap. 7. Statuarum quædam ſigna & ſigilla vocantur, cubitales nempe, aut palmares & minores etiam. Quædam pariles, quæ ſtaturam eius qui exprimitur repræſentant, danturq́ benemeritis ac ſapientibus. Quædam magnæ, quæ infra ſeſquialteram ſtaturæ continentur, aut ſtaturam bis continent, dicanturq́ regibus, Imperatoribus, heroibus. Quædam maximæ, quæ ſtaturam humani corporis ter aut ſæpius comprehendunt, qui dicuntur coloſſi, quos Plinius ait eſſe moles ſtatuarum turribus pares. Ponebantur Barbaris regibus, & diis. Dictæ putantur vel ab ipſo auctore, vel à κολάζειν, quod eſt modum tranſgredi. Statuæ deorum propriè εἴδωλα, heroum ξόανα, regum ἀνδριάντες, ſapientum εἴκελα, bonemeritorum βρέτεα.*

Digitized by Google

PROGYMNASMA
DECIMVM.
Priuata ædificia.
CANVSINVS, TATIANVS.

CANVSINVS. In Architecto, Tatiane, qui quidem ſit probabilis, & iuſto tam graui impertiendus nomine, hæc omnia inſint oportet: ſolertiſſimum ingenium, officium omnibus eruditionibus exercitatum, peracre iudicium, quæ in priuatis quoque, nedum in publicis molitionibus, & architectationibus neceſſarias habent explicationes. T. Niſi pridem ita mihi eſſet viſum, nunc videretur certè, quoniam tibi videtur Nimirum, vt mittamus dicere de publicis, priuata, quorum alia vrbana, alia *ruſtica*, vbi congruentibus, & conſpirantibus proportionum rationibus deſignata deſcriptaque fuerint, quod ſymmetriæ effectus non quibuſcunque locis vel commoditatem ad vſum, vel decorem ad effectum præſtant, animaduertendū hiſce magiſtris eſt, quonā pacto detractionib., adiectionibuſq;, aut vtriſq; cōmenſus apparitionē pro natura loci temperēt, vt ad vſum, ad ſpeciem, ad ipſam operis perfectionem nihil deſideretur. *Hoc* artis & ingenii eſt. C. Sed cauſſa, quamobrem iſtiuſmodi nonnunquam ſymmetriæ eſt ineunda commutatio, nam alia proferri poteſt, quā viſionum ludibria, & falſitates? cùm quæ vera ſunt, oculis noſtris tanquā non vera, & alia appareant: rurſum quæ non vera ſunt, ea videndi ſenſum tāquam vera, & minimè fallacia moueant. T. Arbitror non poſſe. Hoc autem vis, ſi bene coniicio mentem tuam, rerum multarum quaſi vultum alium videri è propinquo, ſi, inquam, ſtemus propius: aliam, ſi abſimus *longius: aliam* loco humili: aliam edito: aliam concluſo: aliam libero, & a*perto: ſiue* nos ſimulachrorum incurſione, ſiue radiorum ex oculis effuſione cernimus: de quo inter cathedras phyſicorum litigatur. Ita cùm fallitur aſpectus, falli ab eodem animum quoque: cui errori mathematice occurrit. C. Doctrina igitur artificem hunc non ſinit decipi: vt obſeruet autem, & facilè cognoſcat in opere vnoquoque, vſus eſt. Quid faciendum, & omnino explicatum parandi ædificii ſecundum longitudinem, ac latitudinem ſpatium quæ nam ſequatur proportio ad eurythmiam, hoc eſt, ad elegantem ſpeciem commmodumqúe in membrorum compoſitione aſpectum, qui ex ſymmetriarum ratiocinationibus exiſtit, aut ex ipſa prudentia Architecti, quæ à præſcripto itinere alicuius commoditatis ergò interdum deflectit, & quandam diligentem negligentiam aſſumit, hoc, inquam, magni eſt iudicii. Id ſe non parum in hoc etiam prodit, quòd alia ædificia ad alias, & eiuſdem generis quæ ſunt, non omni tempore anni ad eaſdem regiones cœli conuerſa volunt, quo vſui & ſalubritati conſulatur. Hyberna triclinia, & balnearia verſus occidentem hybernum

colio-

collocant. T. Quamobrem? C. Quod veſpertino lumine opus eſt vti: præterea quod etiam ſoli occidens aduerſum habens ſplendorem, caloremque remittens, adaentante veſpera regionem tepidiorem efficit. Cubicula & bibliothecæ ad orientem ideo ſpectabunt, quòd vſus matutinum lumen poſtulat, & libri non puteſcunt. T. quomodo tandem? C. Quæ ad meridiem & occidentem pertinent, in iis ſpiritus humidiores: ex quo etiam tineæ librorum vaſtatrices. T. Quamquam noſtris bibliothecis nullū puto inde periculum fore: nihilominus haud ſine ratione Architectos iſtuc ſentire exiſtimo. C. Triclinia verna, & autumnalia reſpicient orientem: æſtiua ad Septentrionem locabant, vti pinacothecas, & textrinas plumariorum, & pictorum officinas, quò colores eorum in opere, propter conſtantiam luminis, non mutata qualitate permanerent. In pinacothecis pictas tabulas ſtatuaſque: in tablino codices, & monumenta rerum in magiſtratu geſtarum aſſeruabant. Plumariorum nomine intelliguntur, qui tomento quodcunq; genus veſtis, aut ſtraguli confractū, inculcatumúe acu pingunt, vnde opus plumarium. Ab his polymitarii differunt: tametſi ambo diuerſicoloribus filis & liciis vtantur. T. Ad iudicium, & prudentiam architectonicam iſtuc quoque ſine dubio refertur, vt in priuatis ædificiis certo modo patrifamiliàs ſua extruatur habitatio, & in quæ introeundi non eſt poteſtas omnibus, niſi inuitatis: certo item modo alia loca, cum extraneis communia, veſtibula, caua ædium, periſtylia, quæque eundem habere poſſunt vſum. Hæc omnia magnificentiora ædificabuntur iis, in quorum fidem, & clientelam tenuiores, & qui ſunt è multis ſeſe committunt. Qui fructibus ruſticis ſeruiunt, in eorum veſtibulis ſtabula, tabernæ, in ædibus cryptæ, horrea, apothecæ, cæteraque quæ ad fructus ſeruandos magis, quàm ad elegantię decorem poſſunt eſſe, ſunt facienda. Fœneratorib. & publicanis commodiora, & ſpecioſiora, & ab inſidiis tuta. Forenſib. autem, & diſertis elegantiora, & ſpatioſiora ad conuentus excipiendos. Nobilibus, qui muneribus funguntur publicis, & tuentur commoda ciuiū, facienda ſunt veſtibula regalia, lata atria, & periſtylia ampliſſima, ſyluæ, ambulationeſque laxiores, ad decorem maieſtatis perfectæ. Præterea bibliothecæ, pinacothecæ, baſilicæ non diſſimili modo, quàm publicorum operum magnificentia comparatæ: quod in domibus eorum ſæpius & publica conſilia, & priuata iudicia arbitriaque conficiuntur.

ANNOTATIONES.

IN ARCHITECTO) *De architectis eruditiſſima præfatio eſt libro 6. Vitruuij. Quibus quæ lex quam dura conditione apud Epheſios conſtituta fuerit, idem præfat. lib. 10.* VISIONVM LVDIBRIA) *Duobus exemplis Vitruuius ad illuſtrandum hunc locum vtitur, quorum alterum de ſcenis pictis, vbi videntur columnarum proiectura, & mutulorum ecphora, lignorum figura prominentes, cum ſit tabula ſine dubio ad regulam plana. Alterum de remis, qui cùm ſint ſub aqua directi, tamen oculis infracti videntur.* IN PINACOTHECIS PICTAS) *A tabulis pictis quæ in iis reponebantur.*

tur, vocabulum factum eſt. Tamen ibidem quoq; alia reponebantur cœlatum argentum, ſtragula veſtis, ſigna & ornamenta. De his Vitruuius lib. 1. c. 2. & li. 6. c. 4. & 6. Varro de re ruſt. lib. 1. cap. 2. & 59. IN ÆDIBVS CRYPTÆ) *Crypta foſſa teſtudinata ſubterranea, aut concaua loca, & ſcrobes, vbi triticum conditur.* APOTHECÆ) *Cella vinaria, quas Græci οἰνῶνας, Eupolis πιθῶνας. Teſtis Pollux lib. 6. c. 2. De his à nobis hoc progymnaſmate allatis copioſius* Vitruuius *lib. 6. cap. 2. 7. & 8. Porrò in extremo cap. 2. lib. 1. cum de diſtributione loquitur, hæc habet, quæ inſtituto noſtro quadrant. Alter gradus erit diſtributionis, cùm ad vſum patrumfamiliarũ, ad pecuniæ copiam, aut ad elegantiæ dignitatem ædificia aliter diſponentur. Namque aliter vrbanas domos oportere conſtitui videtur: aliter quibus ex poſſeſſionibus ruſticis influunt fructus, non idem fœneratoribus: aliter beatis & delicatis: potentibus verò, quorum cogitationibus Reſpub. gubernatur, ad vſum collocabuntur, & omnino facienda ſunt apta omnibus perſonis ædificiorum diſtributiones. Relinquebatur, vt de ruſticis ædificiorum rationibus diceremus, ſed de iis in dialogis ruſticis, quantum eſt viſum ſatis, egimus prima Tertij.*

PROGYMNASMA VNDECIMVM.

Examen architectonicum, ſeu analyſis architecturæ.

VETERANVS, TYRO.

VETERANVS. Aliquoties ex te audiſſe me adhuc memor ſum, cùm diceres, non te fore imparatum ad reſpondendum de re architectonica, ſi cuipiam magiſtro, vel mihi etiam quandocunque ſcitari collibuiſſet. Ergo quia ego vacuus ſum modo, nec tu, vt video, impensè occupatus, demus ludicrum animis noſtris, & quomodo in ſcholis adoleſcentes doctoribus de re Grammatica: ſic tu de noſtra facultate à me interrogatus reſpondeas: nec metuas ne, ſi quid neſcieris, id tibi apud me dedecori ſit: ſperes autem, ſi promptè, nec vſquam hæſitans rogata perſolueris, me tibi bis tantò amicum futurum, quàm prius: teque magiſtro cui traditus es, apprimè laudaturum. T. Memini me ita dicere, vt narras: nec aliter locutus ſum, quàm ſentiebam, & tuam erga me voluntatem amplector: Proinde ne cunctere, & ordine interroga quæ voles. V. Id quidem meditor: tametſi etiam, quò magis explorem ſcientiam tuam, multa poſteriore loco, ſine ordine percontari decretum habeo. T. Age, fiat: modo ne mihi fraudi ſit aliqua neſciiſſe. V. Amoue timorem, nihil incommodi cadet tibi. Quid ergo architecturam eſſe dicis? quot ei partes concedis? quam rem, in qua verſetur, ſubiicis? & quæ in ea conſideras? T. Dico eſſe artem conſtruendi ædificii: conſtare ratiocinatione, & fabrica: quarum illa res fabricandas, aut fabricatas ſollertia rationeque proportio-

Digitized by Google

portionis demõſtrat,&explicat: hæc cõtinuata eſt,&trita vſus meditatio, quæ manibus perficitur. Subiici ædificium, in quo perpenduntur cauſſæ, & ſpecies. V. De cauſis lubet audire. T. Efficiens eſt ipſe Architectus, cui pro inſtrumento eſt fabri manus. Materia potiſſimum eſt in lapidibus,& lignis. Ad coniugia lapidum, & coagmentationes calce & arena opus eſt, cæmentis etiam, id eſt, lapidibus rudioribus, vulgaribus, quibus fractis medii parietes farciuntur: ſeu quibus parietum infarctiones fiunt, vnde puls cæmentitia infarcturæ,&infarcimenta. Locum lapidum ſæpe tenent lateres. Tectorium ſeu lorica (quod & corium, & cruſta) eſt tanquam veſtis parietum. Forma ædificii idea, & perfectione continetur. Illam modulum appello, perſcriptionem, deformationem, delineationem ſcilicet futuri operis: & quandam facio ſcenographiam, quæ eſt vniuerſi tecti imago, frontis, inquam, & laterum: aliam partium tantum, vt areæ, vel frõtis (harum prior ichnographia, quaſi veſtigium operis in plano: poſterior orthographia, quaſi erecta imago.) Sic idearum alia vniuerſa, alia particularis inuenitur. Perfectio in proportione, & œconomia ſita eſt. In illa εὐρυθμία & συμμετρία ſpectatur. Hæc eſt venuſta partium omnium inter ſe conuenientia: illa venuſta ſpecies, commoduſqúe ſingularum partium aſpectus. Oeconomia eſt locorum commoda diſpenſatio, partim naturæ, partim perſonis accommodata. Finis ædificiorum antiquiſſimus, & præcipuus defenſio ab iniuriis cæli. V. Paucis ſingula & perſpicuè. Accepi de cauſſis: de ſpecie ædificii quæro. T. Duæ ſunt ſpecies: quædam publica ſunt, quædam priuata: & illa partim ſacra, vt templa, partim profana: horũ nonnulla ad defenſionem: vt turres, mœnia, aggeres,&c. nonnulla ad opportunitatem comparantur, vt forum, ærarium, carcer, curia, balneæ, palæſtra, portus, theatrum, &c. In omnibus firmitatis, vtilitatis, venuſtatis habenda ratio. Satis de publicis. Nunc de priuatis. T. Horum partes aliæ infra terram, aliæ ſupra terram ſunt. Infra, vt fundamentum, & cella. Porro cella alia eſt vinaria, alia penuaria, ſeu promptuaria. Illius feneſtræ in aquilonem obuerti debent, abeſſe ab ea ſterquilinia, & quidquid eſt odoris tetri. Supra terram ſunt parietes, & tectum. Qui ædes intus diſtinguũt, mediani vocantur. Domus autẽ, cuius ſtructurã parietes & interſecant, & ambiũt, partes aliæ ſunt exteriores, aliæ interiores. Exteriores ſunt podia pẽſilia ſeu pergulæ, & exedræ. Podiũ penſile definitur locus a'd ſpectandũ extra parietẽ inſtar ſuggeſti, vel pulpiti proiect⁹, & mutulis ſuſpẽſus. Mœnianũ aliàs. Pergula à pergendo. Solent autẽ cancellis cingi, vt incedentes à caſu defendant. Exedra locus extra parietem proiectus, partim intra ædificium conſiſtens, forma hemicycli. **Ein Ercker.** Partium interiorum hæ comparatæ ſunt ad lumen immittendum, vt feneſtræ, quibus etiam obiiciuntur cancelli, ſeu clathri ad muniendum, è ferro, vel ligno, item tranſennæ ad tegendos, & celandos proſpicientes: hæ ad actiones domeſticas. Et quidem harum aliæ ſeruiunt actionibus ſordidioribus, vt ſellæ familiaricæ: aliæ honeſtis, quæ vel eundi gratia fiunt, vt oſtia, vel habitandi. V. Nihil adhuc non ſuo loco dixiſti: & quaſi dato ſigno ſingula tibi procedunt. Quomodo habitationem diſtinguis? T. In inferiorem, & ſuperiorem.

riorem. Inferioris partes ſunt; in ingreſſu, veſtibulum, in medio atrium. Veſtibulum locus eſt ante ianuam, Græcis προπυλαῖον. Ianua primus ædium ingreſſus, à Iano, cui conſecratum omne principium: reliqua inter ianuam oſtia vno nomine. Partes oſtii poſtes, limina, fores. Poſtes ſunt latera oſtiorum, ſeu antectaria, vnde pendent. Etiam dicuntur antæ, & antepagmenta, græcè παραστάδες, quo nomine accipiuntur & lapides vtrumq; oſtii latus munientes. Limen aliud ſuperum, hyperthyrum, aliud inferum, quod hypothyrum græcè: qua voce item αὐτὸ τὸ χάσμα τῆς θύρας, ipſum vacuum ſeu hians inanitas, ſiue lumen oſtii aliàs indicatur. Fores ligna ipſa, quod foris aperiuntur. Valuæ quæ reuoluuntur, & ſe velant, ·, θυρίδες. Fores cardinibus voluuntur: ſera, peſſulo, obicibus, repagulis clauduntur, claue reſerantur. Pſeudothyrum eſt poſticum, in parte videlicet ædium poſteriore, falſum oſtium ad verbum. Atrium, primus aditus intra ædes, vbi culinam antiqui ſtruere ſolebant: hinc atria quaſi atra, propter fumi fuliginem: & quia ibi imagines maiorum collocabant, eas eadem de cauſa fumoſas vocatas legimus. Partes atrii ſunt porticus, & cauædium. Porticus locus in atrii aditu, vbi ſeruorum, & concurrentium turba diuertit. Suſtentatur columnis rotundis, aut pilis quadratis. Cauædium locus ſub dio vacuus, cinctus vndiq; porticibus, ad communem omnium vſum, quaſi cauum ædium. Dicitur & impluuium, quod eò impluere imber in domũ poſſit. Circa cauædium loca varia ædificabuntur, pro rebus tum animatis, tum inanimis. Animatæ ſunt homines, aut beſtiæ. Homines aut ſani, aut ægroti. Ægrotorum eſt valetudinarium. Sanis loca curanda vbi habitent, vbi coquant, vbi ſe exerceant, vbi lauent. Et ideo opus eſt cubiculis, cœnationibus, gynæceis, culina, ſub qua comprehendo focum, caminum, infumibulum ſeu fumarium, furnum: gymnaſio, quò pertinet ſphæriſterium, xyſtus. Item thermis ſeu balneis. Loca beſtiarum ſunt ſtabula, & viuaria. In illis greges, & armenta clauduntur, quæ ſingula ſua habent nomina, ouile, caprile, hara, &c. Tutiſſimum eſt aduerſus ignem ſtabula per teſtudinem concamerari, propter fœnum & paleas, quæ in illis habentur parte ſuperiore, quæ fœnile dicitur. Viuario feræ concluduntur, vt ſunt leporaria, cortes, piſcinæ. V. Iam de inanimorum locis. T. Sunt armamentaria, & tablina: ibi arma & tela, hic tabulæ, & monumenta reponuntur, πινακοθήκη. V. Satis de inferiori habitatione, de ſuperiore dicito. T. Contignatio: ad eam ſcalis aſcenditur, quarum gradus lignei aut lapidei. Scalæ quibus per gyrum aſcendimus, à ſimilitudine cochlides. Partes contignationis ſunt pauimentum, coaſſatio, lacunar ſeu laquearium. Coaſſatio, ſeu coaxatio ab axibus, id eſt tabulis ſectilibus ligneis. Inde axiculus Columellæ. Dicuntur & aſſes. Aſſeres ſunt craſſiores, & anguſtiores in modum paruæ trabis, dicti ab aſſidendo parietibus, atque tignis. Coaxatio igitur eſt laterum, ſeu parietum contabulatio. Prima contignatio eſt vbi habitat dominus ædium cum familia, id eſt, vxore & liberis, vbi triclinium, cubicula, conclauia. Secunda bibliothecam complectitur, & cœnaculum. qui eſt locus recipiendis

hoſpitibus, propriè in ſuperiore ædium parte. Cœnaculariam facere eſt cœnacula inquilinis locare. Cœnaculum meritorium, mercede conductum. Tectum aliud eſt pectinatum, ſeu diſpluuiatum, aliud teſtudinatum. Illud fit trabium iunctis capitibus mutuo innixu, paribusque contra ſe ponderibus imis partibus diuaricatis. Teſtudinatum eſt in quatuor partes deuexum. Partes tecti veſtigium, & culmen. Faſtigium editiſſima pars domus ſeu tecti, quæ in ſpeciem trianguli attollitur, vt hinc atque hinc aqua pluuia defluat. Culmen pars tecti ex lignis & tegulis conſtans. Ligna tecti tranſtra, capreoli, regulæ, ſcandulæ, Tranſtra ligna tranſuerſa à pariete in parietem proiecta, Capreoli ligna à tranſuerſis trabibus ad culmen vſque erecta, quæ totum culmen ſuſtinendo colligunt: dicuntur & canterii. Quæ ligna ſi longius prouehuntur, ſuggrundam faciunt Regulæ ſiue tranſuerſi aſſeres capreolis impoſiti, & infixi ad tegulas ſuſtinendas. Scandulæ tabellæ ligneæ, quæ tegulis ſubiiciuntur. Tegulæ incuruatæ dicuntur imbrices: vnde tectum imbricatum. Ad quorum imum eſt ſtillicidium, quod vel in impluuium decidit, vel in tubulos teretes, canaleſue ſemirotundos colligitur, vt extra impluuium decidat, ne ſtillæ cadentes lateritium marmoreumúe cauædii pauimentum corrumpant. V. Nunc quod me præterea facturum tui tentandi cauſſa promiſeram, id exſequar. Pulchrè adhuc ſtetiſti. Quid eſt fundamentum? T. Non ſtructuræ pars, ſed locus ac ſedes, in qua ſtructura ipſa tollenda ac ſtatuenda ſit. Quocirca fundatione, hoc eſt, itione in fundum, & foſſione opus erit, vt firmum ſtabileq; ſolum inueniatur. V. Et quodnam ſolum commodum? T. In quo nullæ herbæ, quæ humectis in locis ſolent: quod nullam fert arborem, aut eam tantum, quæ in præduro, ac denſiſſimo oriri conſueuit. Si longè circum omnia ſicciſſima penitusq; arentia. Alia prætereo. V. Dic plura de fundamento. T. Cum toto ædificio, tum ipſis fundamentis nihil negligendum: quando in cæteris, ſi quid erratum eſt, lædit leuius, & emendatur facilius, & perfertur commodius, quàm in fundamento, in quo nulla admittitur errati excuſatio. Veteres, fodito, inquiebant, vſque dum ſolidum inuenias. Habet enim tellus ſubduplices, & multiplices cutes. V. Quæ ſunt primariæ partes parietis? T. Ima, quæ illico ſupra fundamenti infracturam ſurgit: quam appellamus podium, ſeu ſuggeſtum. Media quæ parietem circumambit atq; amplectitur: hanc procinctum dicimus. Suprema, hoc eſt ea pars, quæ vltimum parietis illaqueamentum habet, quam coronam nuncupamus. Inter partes parietum primarias ſunt etiam anguli, & inſertæ conceptæq; ſeu pilæ, ſeu columnæ, ſeu quiduis eiuſmodi, quæ quidem ſuſtinendis trabeationibus, arcubusq; tectorum columnarum ſunt loco, quæ appellantur oſſa. Sunt & apertionum ſtantia hinc atq; hinc labra, quæ angulorum, & columnarum naturam ſapiunt. Apertionum tectum etiã inter oſſa numerabitur. Quæ inter has primarias partes intercurrunt, atque extenduntur, complemẽta nominantur. Vniuerſis partibus commune eſt, media muri inſarcinatio, & gemini hinc atq; hinc cortices: quorum alter extrinſecus ventos ſolemq; excipit: alter inteſtinam areæ vmbram

bram

bram fouet. V. Quomodo marmor vitiatur? T. Contactu calcis non modò candorem amittit, verumetiam obſcœnis maculis cruoris dehoneſtatur. Tantaq; in eo ineſt candoris ſuperbia, vt vix alium poſſit perferre, quàm ipſum ſe. Fumos dedignatur, oleo delibutum palleſcit, aqua ex materia caſtaneæ perfuſum infuſcatur intimùm atq; inficitur, vt ne abradendo quidem deleantur notæ. Hinc veteres nuda in opus marmora, nullo calcis illinimento obducto, quoad poterant adigebant. V. Quid ſunt coronæ in muro? I. In muro ſunt protecta, ſiue proiecta, ſeu prominentiæ, & tanquam ſupercilia illius, & ſuggrundulæ, arcendis ſtillicidiis: quæ nonnunquam lorica teſtacea. V. Genera teſtudinum quot ſunt? T. Tria, fornix, camera, teſta ſphærica. Ex his poſtrema, ſui natura non niſi parietibus à circulari area ſurgentibus imponitur. Camera quadratis debetur areis. Fornicibus areæ angulorum quatuor, ſeu breuiores illæ quidem, ſeu oblongæ ſint, quales videmus cryptoporticus, operiuntur. V. Quoniam te adeo ſcientem inuenio, & in reſpondendo expeditum, hîc ſiſtam: & deinceps ſpem maiorem ingrediar, te magnum aliquando in architectis nomẽ eſſe laturum. Id a Deus faciat. T. Ita vt precaris eueniat.

ANNOTATIONES.

CÆMENTIS ETIAM) *Cæmenta lapides non magni modi, quibus ædificia conſurgunt. Siſenna. Formidine oppreſſus, quod humilem cæmentis inſtructum oppidi murum ſciebat. Varro. Non te pudet, Mani, cum domi tua vides commilitonum tuorum cohortes ſeruis tuis miniſtrare cæmenta?* TECTORIVM SEV LORICA) *Inde loricare parietes: Plinius de ichneumone l. 8. cap. 24. dicit eum limo ſe mergere, ſiccareq; ſole, & huiuſmodi coriis ſe loricare. Apud Vegetium lib. 4. loricula id munimentum eſt, quod vrbium obſeſſores vltra iactum teli ædificant, foſſa, vallo, ſudibus, & turriculis inſtructa, vt erumpentibus è ciuitate obſiſtere poſſint. Loricula item dicitur ille murus, qui in circuitate obſiſtere poſſint. Loricula item dicitur ille murus, qui in circuitu tectorum fit, ne quis in præceps labatur, græcè* στεφάνη, περίβολος. MÆNIANVM ALIAS) *Mæniana ædificia à Mænio ſunt appellata, qui domum ad forum ſpectantem vendens, columnam excepit, ſuper qua proiectis tignis tabulatum conſtruxit, vnde ipſe, poſteriq; eius gladiatores ſpectarent. De Meniano (nam ſecunda cum vocali etiam ſcribitur) & exedra, lege Alexand. ad Alex. lib. 5. cap. 11.* SELLÆ FAMILIARICÆ) *Latrina à latendo dicuntur: græci ἀφεδρῶνας vocant, latini ſellas ſimpliciter, & ſellas familia ac familiaricas. Eſt & adſellare pro ἀφοδεύειν apud Vegetium commentar. de re veterinaria. Vide Scalig. in Varronem.* VNO NOMINE OSTIA) *Thyromata etiam Vitruuio libro 4. cap 6. quæ priſci perpetuò quadrangula voluerunt, uti feneſtras quoque. Poſteritas arcuata maluit. In monumentis antiquis portæ vrbium arcuata viſuntur, ædium priuatarum, aut ſacrarum nunquam.* PSEVDOTHYRVM EST POSTICVM) *Cic. poſt. red. in Sen de Piſone. Idẽ domi quàm libidinoſus? quàm impurus? intemperans, non ianua receptis, ſed pſeudothyro intromiſſis voluptatibus? Vtitur eadem voce in Verrem. li. 4. Eadem pecunia*

gg 2 quem-

quemadmodum ad iſtum per pſeudothyrum reuertantur, tabulis vobis, & teſtibus planum faciam. Poteſt dici pſeudothyron, ſeu pſeudothyrion latens ianua, & quæ à prætereuntibus non animaduertitur, de qua accipiendi verſus illi Maroniani 2. Æneid.

> *Limen erat, cæcæq; fores, & peruius vſus*
> *Tectorum inter ſe Priami, poſteſq; relicti*
> *A tergo: infelix quà ſe, dum regna manebant,*
> *Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat*
> *Ad ſoceros, & auo puerum Aſtyanacta trahebat.*

DE RE POLITICA, SIVE POTESTATES.

PROGYMNASMA DVODECIMVM.

De magiſtratu ὡς ἐν παραλεγομένοις diſputatum, & de regali dignitate.

QVINTIANVS, ONESIPHORVS.

QVINTIANVS. Rempub. ſummam, incolumitatem omnium noſtrûm, coniuges, liberos, parenteſque noſtros, potentiſſimam hanc, ornatiſſimamque vrbem, aras, focos, diuina humanaque omnia procurationi tuæ ab Rege omnium qui hodie viuunt regum ſapientiſſimo commiſſa, concredita, ac mandata eſſe tam exaltabundus didici, vt gaudio pæne deſiperem. Tu nunc operis in rebus humanis multò maximi, longeque omnium præclariſſimi dux, auctor, & effector inſtitutus es: quandoquidem vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ita Reipub. moderatori beata eſt ciuium vita propoſita: vt eius nimirum paterno inprimis amore, tum conſiliis, laboribus, periculiſque, opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hoc autem quid maius poſſit, præſtantiuſque cogitari, in meam quidem intelligentiam non cadere, libens meritoq; confiteor. Quare quò maior eſt iſtius tibi delati honoris amplitudo, regiæque poteſtati ſimilior, hoc eam tibi familiares tuos, adeoq; nos, qui te ſanguinis propinquitate attingimus, vehementius gratulari æquiſſimum videtur. Denuò natus tibi videare, cenſeo. O. Peruellem. Quintiane mi, quomodo Magiſtri vocem ab eo natam literatores tradiderunt, quòd magis cæteris poſſit, eamq; non in ſolis artium liberalium præceptoribus: ſed in præfectis quoque pagorum, vicorum, collegiorum poſuerunt, qui omnes magis cæteris poſſunt: & vt inde conformarunt, magiſtrare, interpretantes, regere ac temperare, quod ſine dubio eſt plus poſſe: ſimulque vocabulum, magiſtratus, quod cùm ad ipſam perſonam, tum ad rem ſeu honorem referunt: ſic ego non ſola præcipiendi vetandiq; auctoritate

am-

amplius, ſeu plus poſſim: verùm ſubiectos, & quotquot minore cum imperio ſunt, ſiue minutos magiſtratus prudentia, iuſtitia, clementia, conſtantiaq; ſuperarem. Has aliasq; virtutes bene multas & magnas, adminiſtratoribus prouinciarum, & rectoribus ciuitatum ad illa, quæ dixiſti, præclara, & magnifica obtinenda neceſſarias eſſe etiam atque etiam perſpicio. Q. Clamabunt, hæc omnia in te reperiri, qui iudicium dignitatis tuæ apud regem iurati fecerunt: viri in grauiſſimis cauſſis cognita, & ſpectata fide. Clamabit vniuerſa ciuitas, quæ te tanquam fælicitatis ſuæ Palladium intuetur & colit. Iam illud tibi valde aſſentior, duplici poteſtate notatum verbum hoc, magiſtratus: nam & magiſtratum iſtuc, aut illuc ſtatuiſſe dicimus: hoc eſt, eum, qui in alios adeptus eſt imperandi ius, ſeu qui propter ius imperandi priuatis eſt ſuperior atq; potentior in iis, quæ Reip. intereſſunt: & Titio cunctis ſuffragiis delatum magiſtratũ: id eſt, munus honorúmue in ciuitate, quo priuati excluduntur, vel quî priuatos non attingit. Varro, quanquam magiſtrum à Magiſtris Equitũ & populi, tamen à magiſtro magiſtratus nomen fluxiſſe autumat: cuius iſta memini è li. 4. de ling lat. Magiſter Equitum, quòd ſumma poteſtas huius in Equites, & accenſos: vt eſt ſumma populi Romani Dictator: à quo is quoq; Magiſter populi appellatus. Reliqui quòd minores quàm hi magiſtri, dicti magiſtratus: vt ab albo albatus. Græci, quorum lingua, contra licet clamante M. Tullio, non paulò eſt quàm Latinorum diuitior, duas voces ambabus notionibus magiſtratus exprimendis habent, ἄρχων, & ἀρχὴ, immo & ἀρχεῖα, qua vtitur in Politicis Ariſtoteles. Tametſi Athenienſes certum quoddam genus ἄρχοντας appellarunt. Deinde vti nos magiſtratum poteſtatem, honorem ſic Græci δύναμιν, τιμὴν vocitant: atq; vt nos magiſtrare à magiſtro: ita illi è contrario ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τὸ ἄρχων. Sed eſt, Oneſiphore, quod tibi hoc onus aliqua ex parte alleuauerit: quod etiamſi perferre non poſſes, ab adminiſtris, & adiumentis rerum gerendarum deſertus, tamen animo non deficere, & eo te opprimi malle deberes, quàm id aut perfidiosè abiicere, aut propter infractionem ſpiritus deponere. Sed feres & perferes vſque animo forti, & obfirmato. Ita par videtur bonum ciuem ſeſe inſtituere. O. Equidem adhuc in meditatione muneris huius obeundi verſor: nihilominus quaſi iam humeris ſublatum geſtarem, pondus eius pergraue ſentio: vt verear non parum, ne cùm omnia ſuppeditarint quæ requiruntur, ipſa me magnitudo molis ad terram affligat. Vtinam à fabis abſtinere licuiſſet. Illa verò de qua loqueris alleuatio, quæ tandem, aut qualis eſt? Q. Si cogites ortum magiſtratus à natura manare: naturà quippe alii præſunt, alii ſubſunt: & qui regia gubernatione deuinciri noluerunt, non hi nemini, ſed non ſemper vni obtemperare voluerunt. Hoc ex primis & vetuſtiſſimis ſocietatibus, nuptiali, paterna, herili animaduertamus licet. Vxor ſiquidem marito, filius patri, ſeruus domino, familia denique rectori domus, ſeu patrifamilâs impulſione cæca, & naturali eſt obſequens. Ex familiis compluribus vicus, vicinitáſue componitur: & rurſum ex pluribus viciniis ciuitas. Quia ergo conueniebant, domiciliaque coniun-

Digitized by Google

gebant, qui ex vna domo velut colonia exierant (propterea quod ea amplius non caperentur) quique regio imperio aſſueuerant (πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου, ait Ariſtoteles, omnis enim domus eius qui ætate antecedit regno ſubiecta eſt) inde profectum, vt ſimiliter vicinitas, qua ab vna domo eſſet propagata, propter cognationem vnius ſeſe arbitratui permitteret, ob eandemq; cauſſam viciniæ plures, quæ eſt ciuitas. Nec alia ratio proferatur, quamobrem antiquitus etiam ſingulæ ciuitates adeo promptè ſingulorum imperia regum factitarint, quæ illis pro legibus erant. Fuiſſe autem ſub regibus gentes omnes, pro argumento eſt communis illa conſenſio, quòd deos ipſos ſub imperio Iouis ætatem exigere finxerunt: quam rem niſi ipſæ vſurparent, nunquam de diis comminiſcerentur. Sic item formam eis humanam tribuerunt, ſibique vt in altero, ita in hoc ſimiles, & ſocios putauerunt. O. At ego te aliò ducam: verius enim dici opinor, reges, & quamcunque poteſtatem à Deo ad homines venire: & quiſquis poteſtatibus obedit, hunc diuinæ voluntati obſequentem videri: quiſquis reſiſtit, hunc cæleſti conſtitutioni reſiſtere. Deus profectò virtutem imperandi primus cum hominibus communicat, idemque naturas ad imperia exhaurienda ſollicitat. En quid Saluator Prætori. *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* In libro qui inſcribitur, Prouerbiorum, iſta legimus. *Meum eſt conſilium, & æquitas: per me reges regnant, & poteſtates decernunt iuſtitiam.* Quod cum ita ſit prorſus vt audiſti, dubitare nefas, quin, cùm alii magiſtratus, tum reges potiſſimùm votis, & ſacrificiis à Deo petendi ſint, abſque cuius nutu eſſet, nihil foret, cur ſe & ſcienter, & diu gubernacula tractaturos confiderent. Ille in mundo hoc non ſecus quàm in magno exercitu Imperator aliquis nonnullos Tribunos, Chiliarchas, Centuriones, Manipularios creat: totum corpus ipſe moderandum ſumit: atque vt homines regibus, ſic ipſi reges Deo ſubiiciuntur: eſtque non ignota & vera vox Horatii.

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.

A Deo ſceptra legesque accipiunt, quod & Horatius cecinit. Demum ab illo pendere magiſtratus, ſatis probant pudor, & reuerentia, quam erga eos natura nobis ingenerauit. Quia enim omnibus maiores, & quaſi è cælo legatos, diuinitatiſque miniſtros ſcimus, idcirco eos obſeruantia, & veneratione ſumma afficimus. Quid tyranni? ecquid inuito numine imperitant? ecquid deo nolente iactat ſeſe crudelis, ſuperba, flagitioſa dominatio? Nequaquam. Huiuſmodi quippe rectores ille tanquam tortores, & carnifices adhibet, ad comprimendam ſceleratorum audaciam, improboſque vlciſcendos: quorum ſæuitia & immanitas non tam eorum peruerſitati, quàm corruptiſſimis, ac perditiſſimis populi moribus adſcribenda eſt. Non igitur falsò Attila Hunnus flagellum, Tamerlanes Scytha iram dei ſe nuncupabat. Quòd niſi diuina auctoritate diſtribuerentur confirmarenturque imperia, non eſſet edictum Chriſtianis, vt dominis facinoroſis quoque, & τῶν πονηρῶν cultoribus morige-

Digitized by Google

rigerarentur. Q. Haud pugnat iudicium tuum cum meo: ego enim hoc ipſum quod à natura geri dico, à deo eius conditore fieri libenter conceſſerim. Nec tu neſcis, naturæ nomen haud inſolenter in eius auctore dici. O. Vnum me beat, vnum eſt ſolatio ſub iſthoc onere. Q. Quidnam obſecro? optarem ne vnum, ſed multa. O. Quod magnopere futurum ſpero, vt cum Regi viſum fuerit, ſerius aut citius ſucceſſorem nanciſcar, & rude donatus abeam: quomodo alii nonnulli memoria mea hac eadem præfectura abierunt. Q. Perpetuitatem ergo magiſtratus in te quidem certè non probas. O. Probem ego in me? nec in me, nec in alio. Q. Diſputatione tecum contenderem, niſi de regali imperio, vt cœpiſti, diſſerentem audire mallem. O. Huius imperii nomen in terris primùm fuit: prima eſt, inquam, hæc & vetuſtiſſima poteſtas: ſiquidem & antiquiſſimorum populorum, vt Babyloniorum, Sicyoniorum, Argiuorum, Medorum, Perſarum reges legimus. Hebræi item, poſtquam eos Iudicum ſatietas occupauit, à Samuele precibus petiuerunt, vti regem ſibi proderet, cuius in poſterum voluntatem intuerentur: creatus princeps Saulus è Beniamina tribu. At enim in ſanctis paginis plurimi ante hæc tempora profanarum gentium reges nominantur, vt prope cum ipſo mundo regia dignitas exorta videatur. Progreſſu ſeculorum alii atque alii magiſtratus emerſerunt, partim diuini ſiue ſacri, partim humani ſiue ciuiles. Illorum munus eſt, & fuit religiones interpretari: ad ſincerum numinis cultum populum erudire: cærimonias ſancire: ad precationes & ſacrificia piacularia incumbere, citra quas res politia firmata conſiſtere haud poteſt. Humani perſonam publicam ciuitatis ſuſtinent, & iuri dicundo vacant: eorum nomina alia apud Græcos alia apud Latinos: atque adeo inter ipſos Græcos alia Athenis, alia Lacedæmone, alia Thebis. Alia item apud Barbaros. Quod ſi quem delectaret de magiſtratibus commentarium conficere, ei ego Romanos proponerem. Q. Cur iſtuc? O etiam tu quæris? Propter illius populi auctoritatem maximam, qui totum orbem ſub leges miſit. Propter eiuſdem ſummam grauitatem, dignitatem, & perfectam in omni genere diſciplinam: quibus, quemadmodum maieſtate, & amplitudine imperii, nationes omnes longo interuallo præceſſit. Et ſcribuntur dicunturque iſta verſantibus in latinis litteris, quas citra cognitionem Romanæ Reipub. adhuc nemo comprehendit. Ipſius verò Reipub. moderatio omnis deſcriptione magiſtratuum continetur, vt nihil pænè differat, vtrum de his, an de illa tractationem ſuſcipias: vereque Ariſtoteles, rempub. eſſe inſtitutionem circa magiſtratus, honoreſque publicos. Q. Nihil mihi aduerſus hæc in mentem venit. O. Horum iſta forſitan commodiſſima inſtituatur diuiſio. Alii ſunt vrbani, alii extra vrbem, ſeu prouinciales. Vrbanorum alii maiores, alii minores. Cæterùm vtrique partim ordinarii, partim extraordinarii. Q Intelligo. Verùm quantopere ſit neceſſarius hominum cœtibus iure ſociatis magiſtratus, ex eo planum fit quod tute ſupra dixiſti, eius deſcriptione Rempub. contineri: quod à Cicerone ſcriptum

Digitized by Google

recordor, cuius etiam illa ſunt. *Sine imperio nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Magiſtratibus opus eſt: ſine quorum prudentia ac diligentia ciuitas eſſe non poteſt. Ex eorum etiam compoſitione, quod cuique Reipub. genus ſit intelligitur. Cuius ea vis, vt præſit, præſcribatq; recta & vtilia, & coniūcta legibus. Vt enim magiſtratibus leges: ita populo præſunt magiſtratus: vereque dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* O Scitiſſimè Cicero. Tam enim legi neceſſarius eſt magiſtratus, quàm lex ipſa ciuitati: videturque optabilius, vt iniquæ legi præſit optimus magiſtratus, quàm vt improbus vel æquiſſimæ. Etenim honeſtus vir, & virtutis ſectator, in iure dando vnam habebit, ad quam velut ad ſcopum intentus erit iuſtitiam: ſi quid in lege vitioſum deprehendet, pro ſapientia ſua emendabit: ſi quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quam cum religione, cum communi ciuium fructu, cum ſalute Reipub. coniunctiorem exiſtimabit: homo nequam legis vocem nō exaudiet, arbitriumq; ſuum, vel potius libidinem animi ſui pro lege ſequetur. Magis vitam rationis expertē, quàm ipſæ animantes viueremus ſublatis magiſtratibus: pauperiorem locupletior, manſuetiorem audacior, obſcuriorem nobilior vexaret, opprimeret, deuoraret. Optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma vtilitate infimorum datum ſcripſit, quem paulò ante nominaui. M. Tullius in 3. de Repub. in quo etiam monuit, imperandi ſeruiendique cognoſcendas eſſe diſſimilitudines. Nam vt animus corpori dicitur imperare, dicitur item libidini: ſed corpori vt rex ciuibus ſuis, aut parens liberis: libidini autem, vt ſeruis dominus, quò eam coërceat, & frangat: ſic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia ciuibus ſociiſque præſunt, vt corporibus animus. Domini autem ſeruos ita fatigant, vt optima pars animi, id eſt, ſapientia eiuſdem animi vitioſas imbecilleſque partes, vt libidines, vt iracundias, vt perturbationes cæteras. Sine magiſtratu, vt abſoluam, non magis in portum ventura eſt Reſpub. quàm gubernatore deſtitutum & turbulenta in tempeſtate relictum nauigium. A magiſtratu ciuitas quaſi ſpiritus ac vitæ ſuæ cuſtodiam petit, qui eſt velut mens in animo, anima in corpore, ſol in cælo: ſiquidem ab eo populis intelligentia, vita, lux. Q. Ergo abſque illo populis hebetudo, tenebræ, mors. O. Rectè ratiocinaris. Sit iſta verò breuis quædam, & circumſcripta magiſtratus explicatio. Publica perſona, ſucceſſione, ſorte, aut ſuffragio electa, quæ ius & poteſtatem conſultandi, iudicandi, & imperandi habeat. Num aptè ſatis? Q. Aptiſſimè. Primùm enim priuata perſona non poteſt ferre nomen magiſtratus: ergo neceſſariò publicam appellaſti. Porrò ſucceſſioni monarchia ſeruatur. In ſtatu populi ſors: in primorum ſeu optimatum, ſuffragatio valet. Quod ais, electa, ſic explano: conſenſu ciuitatis approbata. Quæ ſequuntur, hoc modo. Quæ ius ex lege, & poteſtatem ex officio habet conſultandi de rebus futuris, iudicandi de præteritis, imperandi ſuis. Nihil eſt autē adeo proprium magiſtratui, vt imperare: reliqua duo

cum

cum aliis nonnunquam communia: quippe ciues omnes conſulendi, ac iudicandi participes definiuntur: imperandi ius ad ſolum magiſtratum pertinet. Atque vt magiſtratus ſunt perſonæ auguſtiſſimæ, & tanquam lumina, atque ornamenta ciuitatis: ſic omnium quæ in ciuitate geruntur, ampliſſimum quiddam, & nobiliſſimum eſt imperare. O. Quoniam regum principatum cæteris antiquiorem videmus, inquiramus ſi placet, quibus de cauſſis reges conſtituerentur. Q Non latent in abdito hæ cauſæ, & ſunt duæ. Vna, vt eſſent communis iuſtitiæ, & æquitatis præſides atque cuſtodes: quo vinculo hominum inter ipſos coniunctio ſocietasq; continetur. Quocirca ad iuſtiſſimos, & moderatiſſimos hoc genus imperii deferebatur. Altera, vt ciues ſuos calamitate prohiberent, eorumq; ſalutem, & fortunas contra hoſtium machinationes ac tela defenderent. Hanc enim legem gentes è natura ipſa arripuerunt, & expreſſerunt, vt ad opes auxiliumque alterius confugerent, quæ ſe ipſæ aduerſus vim externam tueri non poſſent. O. Ac viciſſim afflictæ regum fortunæ facilè multorum opes, eorum inprimis, qui aut reges ſunt, aut in regno viuunt, ad miſericordiam alliciunt: quòd regale iis nomen magnum & ſanctum eſſe videatur. Ita ſanè Cicero. Q. Quid ni magnum & ſanctum nomen, cùm regum præcipua ſit in terris, & ſuprema dignitas? qui moderandis ac tuendis hominum ſocietatibus diuinam prouidentiam æmulantur, quæ conſeruatrix, & gubernatrix eſt huius vniuerſi. O. Nihil ſanè tam prope ad Dei naturam accedit: quare etiam dii in ſanctis literis nominantur, & à Deo ipſo honorem conſecuti, atque in eius tutela viuere dicuntur. Idque Homerus perſapienter.

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκε.

Rurſum,

Τιμὴ δ᾽ ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

Et de ſemet Agamemno.

Παρ᾽ ἔμοιγε καὶ ἄλλοι

Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Rex omnium magiſtratuum inſtar eſt, omnes comprehendit, quod eſt eſſe animã ciuitatis. Vt enim vna mens ſingulis partibus corporis ſuam functionem officiumque tradit, ac præcipit, ipſa proprium habet ac retinet: ita rex magiſtratibus aliis quæ ſint agenda præſcribit, illiſque præeſt: & ſeparatam ab illis auctoritatem maieſtatemque obtinet: quæ omnem omnino auctoritatem, maieſtatemque complexa eſt. Nam quòd quis Imperatores obiiciat, nihil obiicit. Quid enim eſt aliud Imperator, quàm belli moderator cum ſummo imperio in exercitum? At poſtquam Iulius Cæſar propter eum quem ſibi opinionis errore finxerat principatum, omni ſcelere inſtituit vexare rempub. & vt ſolus regnaret, fas omne deleuit, omnia diuina, & humana iura impiè violauit, qui in eius dominationem ſucceſſerunt, repudiato regis nomine, quod Romani iam inde vſque à Tarquinio Superbo deteſtabantur, Imperatores, grata omnibus, & militum auribus accepta vſitataque appellatione audire maluerunt. Hinc adeo in magna veneratione Imperatoris nomen verſatum eſt;

quoniam qui Imperatores, iidem rerum domini erant. Socrates apud Platonem in 3. de Repub. homines à Deo ita procreatos affirmat, vt qui eſſent ad gerenda imperia futuri idonei, iis aurum admiſceret: qui eorum curæ participes futuri, iis argentum. Agricolis autem & opificibus futuris æs ac ferrum. Quæ ſimilitudo cum ad ingenium virtutemque naturalem inprimis referenda ſit, quiuis perſpicit, quantum inter regem alioſque homines diſcrimen reperiatur. Ad huius ordinis ſplendorem atque decus facit, quod fulminare dicuntur, veluti Ioues quidam, eum quempiam acerbiore pœna perſequuntur. Sic Cæſar apud Maronem ad altum fulminat Euphratem: & Ouidius in Scythiam ab Auguſto relegatus, toties eius ſe fulmine percuſſum lamentatur. Ac poëtæ quidem non alio quàm regis nomine crebrius Iouem celebrarunt: quòd eo inter mortales immortaleſque præſtantius nihil inueniri poſſe arbitrarentur. Adde quod item ſacris, & cærimoniis præficiebantur cum ob amplitudinem dignitatis, quam etiam conſecratam eſſe voluerunt: tum vt eſſent, qui à diis precarentur, quæ ex ciuitatum vſu fore non ignorarent. Etenim communitatum commoda, & incommoda ii demum clariſſimè nouerunt, qui rem communem adminiſtrant. Quamuis longus fiam, ſi docere coner, quanti honores apud varias nationes in reges collati fuerint. Multæ in deorum numero eos coſueruat. Romani quibuſdam templa, & ſacra inſtituerunt. Indi beatos ſe ducebant, & felix omen capiebant, ſi quando regem videre contigiſſet. Perſæ ſuos adorabant: quò neceſſitatis etiam peregrini, & exterarum gentium legati adigebantur. Quinimmo, quem flagris multari rex iuſſiſſet, gratias eidem agebat: perinde vt ſi fœliciſſimè ſecum eſſet actum, quod eius memor fuiſſet. Q. Hoc perſimile illi. Referuntur quidam gloriati, Principes magnos, ſecum locutos. Interrogati porrò quid dixiſſent, reſponderunt: ſe ab illis faceſſere iuſſos, appellatoſque nebulones. En, in quibus tandem rebus honos ponatur. O. Sinamus iſtos ad hunc modum honorari, flagellis & conuitiis lacerari, & prætcrea fuſtibus vſque ad ſaturitatem coronari. Q. Sciſcitabor vnum hoc abs te prius, quàm ſermonem concludamus. O. Quid illud vnum? Q. Vtrum in rege ſeu Principe referre cenſeas, pulcher ſit, an deformis. O. Ego verò cenſeo, & aſſeueranter pronuntio, compoſitionem membrorum, conformationem lineamentorum, figuram ſpeciemque decoram eximium eius eſſe ornamentum, & ad gratiam amoremque inter ſubiectos conciliandum peropportunum inſtrumentum. Mouet oculos pulchritudo corporum, & delectat animos hoc ipſo, quod inter ſe partes omnes cum quodam lepore conſentiunt: nec poteſt quidquam minus latere, quàm excellens forma. Cæterùm non hic admirandam vultus, & ſtupendam ſpeciem poſtulamus, quæ in Demetrio Poliorceta Antigoni filio laudatur: quem neque pingendo quiſquam, neque fingendo imitari potuit. Nec illam Alcibiadis, qui omnium ſuæ ætatis hominum formoſiſſimus prædicabatur. Talem concipimus, qualis memoratur Africani

Digitized by Google

geni maioris: qui inter quoſcunque verſaretur, propter egregium decus oris atque vultus ſolus ad imperandum natus videbatur. Qualis item Xerxis, cuius copiæ cùm conſtarent bis & quinquagies centum, octoginta millibus, in tam inaudito numero ipſo rege pulchrior, & ſtatura procerior nemo inueniebatur. Qualis Auguſti, qui cũ eſſet vndecunque elegantiſſimo corpore, tum ei oculos natura dederat claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat, quiddam diuini vigoris ineſſe, gaudebatque, ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſubmitteret. Prodidit Lampridius, Alexandri quoque Seueri nimium fuiſſe ardorem oculorum, & diutius intuentibus grauem. Faciem præterea regis ita effictam conformatamque volumus, vt ſimul & ex grauitate terrorem aſpicientibus incutiat: & ex manſuetudine ad beneuolentiam inuitet. Hoc eſt, vt emineat ex ea temperata ſeueritate humanitas, & cum humanitate permiſta ſeueritas. Decernimus inſuper, ad pulchritudinem Principum pertinere corporis magnitudinem: nam in puſillis, & homuncionibus ineſſe quî poteſt, de qua locuti ſumus maieſtas & auctoritas? Samuel Propheta dum ad populum concionatur, de Saule, quem regem Iſraëlis diuino iuſſu declarauerat, quique humeris ſupra innumeram eodem in loco congregatam multitudinem extabat: *certè videtis, ait, quem elegerit dominus: quia non ſit ſimilis illi in omni populo.* Commendantur Lacedæmonii, qui Ageſilao regi ſuo pecuniariam mulctam irrogarunt, quod is paruam vxorem duxiſſet: querebantur enim ſibi *βασιλίδια, οὐ βασιλεῖς*, regulos ſeu regunculos, non reges procreatum iri. A mente noſtra ſunt duo poëtarum ſoles Homerus, & Virgilius: qui quorum formam laudant, iiſdem aliquando ſtaturam ſublimiorem attribuunt. De Turno quidem noſter.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

De Ænea autem (quoniam omnes propemodum duces ac principes ſingulari oris dignitate præditos inducunt poëtæ) quam eſt illuſtris illa comparatio?

Os humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariusúe lapis circundatur auro.

Homerus Agamemnonem, Achillem, Menelaum, Hectorem, & alios diis ſimiles perſæpe facit: quod de forma potiſſimùm intelligendum eſt. Non fugit hoc etiam Xenophontem: nam in Sympoſio ſcripſit: formæ elegantiam naturà quiddam regium eſſe. Ex quo forma regia pro eximia, & minimè vulgari. Stobæus ex Euripide hanc adducit ſententiam: πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος. Optat is qui hæc apud illum Tragicũ depromit, videre è filiis maribus procreatos mares, qui primùm eo eſſent habitu vultus, ex quo dignitas quædam regalis eluceret: deinde

aliis

aliis etiam bonis abundarent. Quapropter priſcis temporibus ii regium conſcendere faſtigium iubebantur, qui eximia ſpecie corporis alios anteirent: cùm præſertim ad res magnas apti nulli viderentur, niſi quibus hunc membrorum honorem, ornatumque natura parens addidiſſet, in quo virtutis ſignificatio, & interioris illius pulchritudinis, quam animo & cogitatione cernimus, quoddam eſt indicium. Macrobii (ea gens Meroën Nili inſulam habitabat) deformi nullo modo obtemperaſſent: & Ariſtoteles in 4. de Repub. narrat Indos & Æthiopas ad pulcherrimum regni clauum deferre conſueuiſſe. In primo autem libro, cùm docere vellet, illos qui cæteris mortalibus longo interuallo animi virtutibus præſtarent, dignos eſſe, qui rerum potirentur, oſtendit hoc etiam verum reperiri in bonis corporis atque adeo in ipſa forma. Etenim ſi exiſterent aliqui ea elegantia, quam in deorum ſtatuis contemplamur (has quippe quàm poterant decentiſſimas fabricabãtur, & cùm figuram humanã diis affingerent, eam tamẽ humana longè perfectiorẽ, auguſtioremq; imaginabãtur) neminẽ dubitaturũ, quin illos imperare, reliquos parere conueniret. Apparet autem naturæ ſollertia, inſtinctuque id agi: ſiquidem & in brutis animalibus, ſi quæ in monarchia viuunt, ſemper regis corpus & maximum, & nitidiſſimum, præque omnibus eſt conſpicuum. Vt itaque hanc ſcholam terminemus, & ad finem decurrat colloquium, prudentia, iuſtitia, fortitudo, clementia regnis adminiſtrandis neceſſariæ virtutes ſunt: pulchritudo ad commendationem, & gratiam (quæ regni ſtabilimentum eſt) colligendam prodeſt plurimùm. Quare non dixerim Principem turpem ſtatim odioſum eſſe ſuis, ſed minus amabilem: quoniam caret eo, quo in rebus, quæcunque oculorum ſenſu percipiuntur, ad animos voluntaria deditione occupandos nihil eſt potentius.

ANNOTATIONES.

REMPVB. SVMMAM) *Sic perſæpe veteres loquebantur, vt ſummam rem aut ſummam Rempub. dicerent: cuius loco vulgus noſtrâs, ſumma Reip. Plaut. Mercat. vbi loci res ſumma noſtra eſt publica? Milite. Is publicè legatus* Naupactum *hinc fuit, magnaî Reipub. gratia. Cic. 2. Philipp. de re ſumma diſſentientes. Vbi liber antiquus, teſte Mureto, habet de repub. ſumma. Virgil. 2. Æneid. Quo res ſumma loco Panthu?* ITERVM NATVS TIBI) *Veteres cùm magnos in Repub. honores adipiſcebantur, cùm ab exilio redibant, iterum ſibi naſci videbantur, & illum diem natalem reditus ſui nominabant. Vide Turneb. lib. 23. cap. 4. ſic in lætitia ingenti ob nuntium de reditu filii ſenex in Capt. Dii immortales, iterum natus ſum, ſi vera autumas.* IVDICIVM DIGNITATIS TVÆ) *Dignitas Cicer. 2. de Inuent. eſt alicuius honeſta, & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas. Idem in Bruto cùm dixiſſet, ſe ab Hortenſio in Augurum collegium cooptatum. in quo (ſubiicit) iuratus iudicium dignitatis meæ fecerat. Id eſt, tanquam teſtis (teſtes enim iurati dicebant, vt iudices iurati iudicabant) dignum me illo ſacerdotio iudicaue-*

Digitized by Google

iudicauerat. FÆLICITATIS SVÆ PALLADIVM) *Palladium Mineruæ, ſeu Palladis ſimulachrum cælo delapſum Troiani diligenter cuſtodiebant. quòd reſponſum eſſet, tam diu ab hoſte ſeruatum iri vrbem, quamdiu ipſi id monumentum ſeruauiſſent. Sed enim Diomedes & Vlyſſes per fraudem & inſidias abſtulerunt, de quo Virgil. 2. Æneid. in hunc modum.*

Omnis ſpes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit: impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumq; inuentor Vlyſſes
Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis
Corripuere ſacram effigiem: manibusq; cruentis
Virgineas auſi diuæ contingere vittas.

Meminit Cicero pro Milone. Exhibe quæſo, Sex. Clodi. exhibe libellarium illud legum veſtrarum, quod te aiunt eripuiſſe è domo, & ex mediis armis, turbaque nocturna: tanquam Palladium ſuſtuliſſe. Ouid. 6. Faſt. & 13. Metamorph. Pherecydes omnia ἀχειροποίητα *id eſt, non manufacta, & omne cælitus in terram deiectum Palladium dixit. Rhodigin. lib. 28. cap. 9.* DELATVM MAGISTRATVM) *huius claſſis ſunt, magiſtratum creare, mandare, aliquem Conſulem, Prætorem facere, legere, renuntiare. His reſpondent, magiſtratum adipiſci, aſſequi, accipere, gerere, peragere, inire, ingredi magiſtratum, conſulatum, tribunatum, in magiſtratum venire, eſſe in magiſtratu. Item hæc, magiſtratum abrogare, deponere, magiſtratum & magiſtratu ſe abdicare, abire magiſtratu. Magiſtratum imminuere, quòd aliâs dicimus derogare iuribus, & prærogatiuis officii. Cicer. in Verr. Cur imminuiſtis ius legationis?* QVODDAM GENVS ἄρχοντας) *Legendus Sigonius lib. 1. de Repub. Athenienſium.* VTINAM A FABIS ABSTINERE) *Pythagoricum ſymbolũ eſt,* κυάμων ἀπέχεσθαι, *à fabis abſtinendum. Quod Plutarchus de educand. lib. cenſet eò pertinere, vt à moderatione Reipub. abſtineamus, tanquam à moleſto, difficili, perículoſque negotio: quoniam olim ſuffragia fabis ferebantur.* FORMAM EIS HVMANAM) *Contra Velleium Epicureum ita ſcriptum eſt in 1. de nat. deor. Non deeſt hoc loco copia rationum, quibus docere velitis, humanas eſſe formas deorum. Primùm quòd ita ſit informatum, anticipatumque mentibus noſtris, vt homini cùm de Deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, vt quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoque eſſe pulcherrima debeat: nec eſſe humana vlla pulchriorem. Credebant præterea antiqui deos habitu corporis maiores eſſe, quàm homines. Sueton. in Claud. cap. 1. Non prius deſtitit inſequi, quàm ſpecies barbaræ mulieris humana amplior victorẽ tendere vltra, ſermone latino prohibuiſſet. Tacitus. Oblata ei ſpecies muliebris vltra modum humanum, & audita eſt vox. Virg. 2. Æneid. de Venere: qualiſque videri Cælicolis, & quanta ſolet. Eoſdem opinabantur, ſuauiſſimum ſpirare odorem. Virg. 1. Æneid. Ambroſiaque comæ diuinum vertice odorem Spirauere. Ouid. Faſt. 5. Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe deam. Turneb. lib. 30. cap. 39.* ATTILA HVNNVS FLAGELLVM) *In hoc mortali immanis quædam ſupra omnem memoriam ingenii atque naturæ ferocia fuit, qui ſe flagellum dei, & terrorem hominum appellabat, & ad id in mundum*

Digitized by Google

mundum à Deo miſſum iactabat, vt tanquam iuſta illius vindex ira terras omni malorum genere permiſceret: & crudelitatem ac libidinem ſuam non niſi ſanguine, & incendio terminabat. Sigon. de occident. imp. lib. 13. De Tamerlane vide Egnatium lib 3. De eiuſdem triplici tentorio Crinit. lib. 11 cap. 1. ΤΟΥ ΠΟΝΗΡΟΣ CVLTORIBVS) *Diabolus redditur latinè calumniator, qua voce Chriſtianus κατ' ἀντονομασίαν qui aliâs cacodæmon, & Satanas, intelligitur. Nos, inquit Lactantius, criminatorem vocamus, quod crimina in qua ipſe illicit, ad Deum deferat. De quo item Apocalyp. 12. quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Præterea idem Diabolus in ſanctis literis ἀντονομαστικῶς vocatur ὁ πονηρὸς, Malus. Eſt enim malorum quæ geruntur auctor & machinator, perennis, & implacabilis humani generis inimicus. Itaque in Dominica precatione cùm dicimus ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ non tam à malo, id eſt, rebus infelicibus, & aduerſis, quam Malo, hoc eſt, diabolo, & eius inſidiis; & molitionibus pernicioſiſſimis liberari rogamus Sic Matth. 13. ἔρχεται ὁ πονηρὸς, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius. Ioan. 1. cap. 2. γράφω ὑμῖν νεανίσκοι, ὅτι νενικήκατε τὸν πονηρόν. Vbi Vulgatus interpres: quoniam viciſtis malignum. Sic Paulus ad Epheſ. vltimo, ἐν ᾧ δυνήσεσθε πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. Vbi Latinus: Omnia tela nequiſſimi.* ALIA APVD GRÆCOS) *Conſule cap. 3. lib. 3. Alexand. ab Alex.* INSTITVATVR DIVISIO) *Laërt. in Platone adducit quinque magiſtratuum genera, legitimum, naturale, æquum ac rectum, per ſucceſſionem generis, violentum ſeu tyrannicum. Per primum imperant, quos ciues initis ſuffragiis creant. Per alterum mares fœminis in omnibus animantibus. Per tertium pædagogi pueris, & magiſtri diſcipulis. Per quartum Lacedæmoniorum reges, & Macedonum, & quotquot hæreditaria ſucceſſione ad principatum aſcendunt. Per poſtremum qui inuitis coactiſque ciuibus præſunt.* M. TVLLIVS IN III. DE REPVB.) *Qua ratione Cicero de Repub. ſcripſerit, & quid ſpectarit; Franciſcus Patricius de Inſtitut. Reipub. lib. 1. tit. 2.* VT ESSENT COMMVNIS IVSTITIÆ) *Huic loco quaſi illuminando faciunt quæ ſcribuntur à M. Tullio 1. de Offic. Mihi quidem, inquit, non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtroos ſeruandæ iuſtitiæ cauſſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant, virtute præſtantem: qui cùm prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſſa quæ regum.* ΠΑΡ ΕΜΟΙ ΔΕ) *Reſpondet Agamemno Achilli diſceſſum è caſtris minitanti 1. Iliad. Cic. Epiſt. 7. lib. 3. Tu autem ſi quid agis, vt minus mea cauſſa, dum ego abſum, debere videaris, quam ego tua laborarim, libero te iſta cura.* Παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι οἵ κέ με, &c. EIVS SE FVLMINE PERCVSSVM) *Quippe quem etiam Deum facit. Duo loci occurrunt in præſentia, Eleg. 1. lib. 1. Triſt.*

Forſitan expectes an in alta palata miſſum,
Scandere te iubeam, Cæſareamque domum:

Ignoſcant

Digitized by Google

Ignoſcant auguſta mihi loca, diique locorum:
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.

Elegia verò octaua eiuſdem libri, qua ſe ab amicis alieniſſimo tempore deſtitutum conqueritur, ſic ait:

Dum ſtetimus, turba quantum ſatis eſſet habebat,
Nota quidem, ſed non ambitioſa domus.
At ſimul impulſa eſt, omnes timuere ruinam,
Cautaq; communi terga dedere fuga.
Sæua nec admiror metuunt ſi fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæque ſolent.

IN DEMETRIO POLIORCETA) *De hoc nomine aſſumpto Demetrium Plutarchus reprehendit. Magis enim ſeruator & cuſtos, quam expugnator vrbium rex vocari debet. De forma regis conſules Patricium de regno, & regis inſtitut. lib. 3. tit. 3.* CLAROS AC NITIDOS) *Sic Suetonius Auguſto, cap. 79. Idem Sex. Aurelius, & Seruius in 1. Æneid.* ΠΡΩΤΟΝ ΜΕΝ) *Senarium hunc explanat, & emendat in Porphyriana Iſagoge Muretus lib. 3. cap. 2.*

PROGYMNASMA
TERTIVMDECIMVM.
Conſultatio Perſica.
De optimo genere imperii.

CAmbyſes Cyri Perſarum Regis filius, cùm ſecundum quietem Merginan Smerdin (vtrunque enim inuenimus) fratrem ſuum in ſolio conſidentem vidiſſet, & exinde regno ſe deturbandũ ab illo metueret, adornata in Ægyptum expeditione, eum cuidam Mago Cometi, ſeu Patizitha dicto, quem domeſticæ rei dominum procuratoremque reliquerat, nefando ſcelere iugulandum mandauit: ipſe & ſacrilegiorum commiſſorum, & parricidii huius pœnas cæleſti repoſcente iuſtitia, gladio è vagina dum in equum inſilit, ſponte elapſo grauiter femur ſauciatus, animam contaminatã perdidit. Nuntio regiæ mortis accepto, Magus, antequam ea rumore percrebreſcente, diuulgaretur, Smerdim clam obtruncat: fratrem ſuum Smerdi cognominem, lineamentiſq́; & decore vultus quam ſimillimum, mirabili aſtu dolum contegens, Regem ſufficit: id quod eò procliuius fuit, quoniã apud Perſas Regis perſona ſub maieſtatis ſpecie occultatur. Erat Otanes genere iuxta atq; opibus præcellẽs, idemq́; ſagaciſſimus: ad quẽ primùm huius callidiſſimæ fraudis odor cùm perueniſſet, mouit omnẽ lapidẽ, vt è filia, quã in pellicatu Rex ſuppoſititius habebat, ecquid vere Cyri Smerdis, an Magus eſſet cognoſceret: caput ei altius ſopito pertractari iuſſit: quippe cui maleficii cõperto vtramq; aurẽ Cambyſes præciderat. Rem omnem diſcit: Perſarum optimates aliquot ad coniurationẽ cum ſacramenti religione facien-

Digitized by Google

ſaciendam, tollendumq́ȝ è medio ementitum illum regem, & cum adhuc Medum hominem (Medos autem Perſæ oderant plus quàm ciuili odio) impellit. Septem de cæde Magis ambobus molienda fidem inter ſe, & iuſiurandum dederunt, vtrunque mactauerunt. Poſt diem quintum ad conſilium de ſtatu, & forma reipub. capiendum inter eos eſt introducta deliberatio. Pronuntiatæ ſententiæ tres. Prima ab Otane pro democratia: altera à Megabyzo pro ariſtocratia: poſtrema à Dario pro monarchia. In hanc, quia melior, quatuor reliqui Satrapæ tranſierunt: quibus mox alii duo iam à me nominati aſſenſerunt. Hiſtoriam ediderunt Herodot. lib. 3. Iuſtin. lib. 1. Ex ea conſultatione vt hunc dialogum procuderemus, ipſa nos rei grauitas elegantiſſima permonit, atque incitauit. Veruntamen quaſi latius amplexi ſpatium, & more noſtro arbitrioque omnia: quò poſſemus lectorem & erudire cumulatius, & delectare plenius. Quæ Darius ſuper regno diſſerit, è fontibus Iſocrateis pleraque deducta ſunt: Herodoto ſua ſibi reliquimus.

SEPTEM PERSAE PRINCIPES.

OTANES, GOBRYAS, DARIVS, ASPATHINES, INTAPHERNES, MEGABYZVS, HYDARNES.

OTANES. Fortiſſima, fidiſſimaque pectora, nunquid non ante hos dies perpaucos facinus diis immortalibus pergratum, Perſarum communi ſalutiferum, nobis perfectoribus ad ſempiternæ gloriæ fructum quàm maximè opportunum facere occupauimus? Auriculis carebat Magorum ille ſceleratiſſimus, quas ei malè merenti Cambyſes amputandas locauerat: at nunc etiam toto capite multatus eſt: quod nos eo iure, quo qui optimo deſecuimus. Sic tyrannis blandiendum: ſic illis colludendum eſt qui per fraudes inexpiabiles, & nouas inſidiarum rationes in ſuam naſſam regna trahunt. Perſarum ceruicibus ſuperbus Medorum dominatus, iugumque duriſſimum an imminebat, an incumbebat? Vos illud, vos, inquam, magnanimi viri virtute freti & viribus, cùm ad ſpem libertatis vel conſeruandæ, vel recuperandæ exarſiſſetis, me principe & auctore aut auertiſtis, aut reieciſtis. Rectiſſimè tu ſtatuebas, Gobrya, honeſtiſſimum fore nobis, imperium ad nos recipere. Si propoſitum tenere non potuiſſemus, hoc eſt, ſi à conſiliis euentus diſſenſiſſet, moriendum videri potius, quàm homini Medo ſeruiendum. G. Cùm te ſuſpicio Otanes, & intimè probo, qui te huius tam inſignis facti ducem hortatoremque præbueris, tum Darium hunc noſtrum miro modo complector, cuius ardentior ad iſtam magophoniam animus: qui nulla vtendum procraſtinatione, ſed primo quoque tempore alienæ rei incubãtes depellẽdos, & reges adulterinos morti of-

ferendos

ferendos inſtabat. D. At enimuero qualibus quantiſque laudibus ego te Gobrya ferre debeo, qui tam libenter eras largiturus Reipub. tuum ſanguinem, nec recuſabas, vel amiciſſimi, hoc eſt, mea dextera cadere, dum vnà caderet quem medium complexus tenebas? Hac enim voce, plena generoſiſſimi animi cunctantem me, & ſummoperè metuentem, ne in loco præſertim ſubobſcuro amicum cum hoſte implicitum pro hoſte confoderem, me confirmabas. Quid moraris? per corpus meum hunc latronem interfice. Sed diuina prouidentia telum in Magi corpus direxit, in cuius viſcera hoc ferrum adegi. Lancea duos læſit, te Aſphathines in femore: te Intaphernes in oculo: reliquis nobis quinque nihil vulneris obtigit. Quid dicam? dii nos tutati ſunt: diis noſtra pietas cordi fuit. A. Fecit hoc quidem alter lancea, vt refers: ſed ſi is, qui in cubiculum ſeſe conclaui continuum proripiebat, arcumque corripuerat, eò cominus vti potuiſſet, certam vobis peſtem, Gobrya & Dari, profectò attuliſſet: nec ad ſocios cum vita rediiſſetis. I. Cœpi augurium proſperrimi ſucceſſus, erectusque in ſpem magnam ſum, diuinitus fortunatum iri quod incœptaueramus, cùm de inexſpectata, & improuiſa omnibus concione Prexaſpis è turri, eiusque ex ea præcipiti, ſed voluntario lapſu audirem. Quàm condigno modo ibi Magos ludificatus eſt? M. A ſemet ſibi pœnas exegit parricida impius: faſſus eſt populo ſcelus ſuum: nullius coactu ſe luce & vita multauit. Quanquam eius reliquæ actiones quibus floruit, & exiſtimatio qua claruit, hoc tam fœdo triſtique exitu indigniſſima fuerunt. H. Etiamnum ob oculos mihi verſantur, & cum læta præſagitione intueri videor illa ſeptem paria accipitrum, quaternos vultures aperto cælo turbantium, roſtriſque appetentium. Quod quidem oſtentum ſe nobis obiiciebat, dum acceptis, quæ Prexaſpes nec opinatò deſignaſſet, eundum quò intenderamus, an reſtandum eſſet nutaremus. Monebant illæ perſecutrices aues, vt Dario feſtinatori, tibi, Otanes cunctatori fidentius aduerſanti obſequendum putaremus. Tametſi te huius noſtri glorioſiſſimi pulcherrimique auſus primum inuentorem, ſuaſorem, hortatorem, impulſorem & confitemur, & confitebimur quoad animis ſpirauerimus: qui conſilio callido per Phedymam tuam perſonatum illum regem indagaſti, veluti per fidelem & ſagacem catulum in ipſis cubilibus deliteſcentem beſtiam. O. Hoc etiam cœleſti monitu actum reor, vt te potiſſimè, Intaphernes, ſocium mihi aſciſcerem. Emicuit tua virtus, ſibique conſtitit inter pericula fortitudo. G. Haud minus Megabyzi mei. A. Peræque Hydarnis mei. O. Quid ad hæc Darius? cur tacet. D. Exſpecto dum vos ſimul de cooptatione mea iactetis: ſimul quippe, vnoque conſenſu me allegiſtis. Num id autem ſim promeritus, Gobryas melius nouit. G. Promeritus? ô Dari, plus tibi debet nomen omne Perſicum, quàm homini ab hominibus deberi fas eſt. Sanè diem cædis huius tam ſalutaris in annos ſingulos feſtum agi tota Perſide conuenit: & in eo Magorum in publico apparere neminem: niſi ſi quis ſatis ſe diu vixiſſe arbitrabitur. Recordamini cùm quinque de nobis, con-

ſauciatis duobus, & in arce tum eius tuendæ, tũ vulnerum alligandorum cauſſa relictis, capita interfectorum pilis præfixa portantes incederemus, elatis vocibus Perſas compellantes, tyrannorumque mactationem, & reſtitutam illis libertatem gratulantes, obuios etiam Magos inferis ſacrificantes, quàm illi gaudio exiluerint: & in quotcunquetum Magos inciderent, eos vt imbellia pecora ferro conciderint. At niſi nox cœptis interveniſſet, vnus dies Magos omnes funditus ſuſtuliſſet. D. Quid igitur? quoniam hæc lux à die trucidationis ſexta numeratur, an tempus veniſſe necdum arbitramini ordinandæ conſtituendæq; Reipub.? quæ vt pupilla iam eſt in noſtris manibus. Se nobis ipſa velut orba parentibus commiſit. H. Tempus vtiq; maturum. A. Quin imus in conſilium? I. Sic opinor: eamus, néue comperendinemus, aut amplius pronuntiemus. Ardua tamen hæc, ſi non fallor, eſt futura conſultatio. O. Quippe de re ardua. G. Diſſenſionem noſtram cogitatione præcipio. Hic iſtud ſentiet, ille alia omnia. A. Nec aliter plerumq; ſolet in deliberationibus. Attamen redigitur poſtea ad concordiam illa diſcordia, & plures ſententiæ in vnam conflantur, mi Gobrya. G. Scio. Quò itaq; res agatur facilius & tranquillius, cenſeo faciundum, vt tres noſtrûm ſententias edicant ſuas. Primo loco Otanes (ſiquidem ætate præit, & conſpirationi noſtræ fundamenta præſtruxit) exponat quam imperii formam rebus Perſicis inducendam maximè putet. Secundò Megabyzum audiemus. Poſtremò Darium. Tres quod è Repub. fore iudicabunt ediſſerant: nos alii ſuffragia ſine tabula feremus. Qui plura tulerit, is cæterorũ quoq; duorum, qui ſententias dixerint ſuffragationem auferet. Quid? probatúrne iſta ratio? O. Conditionem ego accipio. A. Eandem ego non repudio. I. Ego non aſpernor. D. Ego amplector. M. Ego laudo. H. A te ſto Gobrya. G. Ergo accingere Otanes: dic, quod ſentis. O. dico.

Pro Democratia, ſeu ſtatu populi contra Monarchiam.

OTANES.

Imperii ſummam penes vnum conſiſtere in poſterum, & ab eius auctoritate nutuque pendere omnia non placet. Terrent me cùm vetera regum, tum recentia exempla longè plurima, & in his duo recentiſſima, Cambyſis Cyro geniti, & Magi. Neceſſe non eſt à me commemorari, cùm ipſi vobiſcum recordemini, quo ſublatu ſpiritibus audacia amentiaque in illa poteſtatis amplitudine proceſſerint. Etenim vbi vni rerum habena committuntur, in monarchia, inquam, virtus probro habetur, innocentia leue præſidium eſt, iuſtitia pro maleuolentia ducitur, fas & nefas exiguo fine diſcernuntur. Pro lege eſt, quidquid libido aut intermittendum ſuaſerit, aut perpetrandum ſuggeſſerit: nec vllis animaduerſionum pœnis monarcharum ſcelera vindicari poſſunt. Etiam proba & omnis aliena vitii, omnemque exoſa turpitudinem natura, ſi
ad

Digitized by Google

ad iſtuc imperandi genus aut ſua ſponte acceſſerit, aut ab alijs admota fuerit, breui tempore ex bonorum voluptatumque affluentia inſolens, immoderata, impotens, & communibus rebus pernicioſa euadit. Nihil auarè, crudeliter, intemperanter, luxurioſè, iniuſtè, nefariè fieri poteſt, à quo Principes mentem, oculos, manus abſtineant. Qui, cum honoribus coluntur mediocribus, tantum non diuinos concupiſcunt, & ſe contemni arbitrantur. Sin autem ſtudiis exquiſitioribus, reuerentia & obſeruatione quadam maiori tractantur, ſe aſſentatoribus ludibrio eſſe clamitant. Vt quemque inter ciues gratia, aut opibus, aut prudentia eminentem vident, ita eum è medio primum tollunt: iura enim negant ſibi nata: nihil non armis arrogant. Et quoniam in ſubiectorum charitate ſpei nihil reponunt, metu eos in officio continent: qui non eſt diuturnus magiſter officii. Bonis exuunt non ſuperbos modò aut inuiſos: ſed vnde præter prædam nihil exſpectant. Alios ſolum vertere compellunt: alios vinculis æternis mandant: alios quoties viſum eſt, per ludum iocumque interimunt. Haud illi ad ſenatum referunt: domeſticorum, imò ſæpe vnius ſcorti adulatoríſque conſilio regna gubernant. Bellum, pacem, fœdera, ſocietates cum quibus volunt, & quando volunt, aut faciunt, aut dirimunt. Non prouinciæ, non nationes, non ipſe mundus capere aut ſuſtinere eorum effrenatiſſimas cupiditates, ac libidines inſaniſſimas poteſt. Contra, vbi multitudo ipſa eſt domina, viget iuris æquabilitas, quæ ἰσονομία dicitur: quo nomine mortalium generi nihil neque gratius eſt neque iucundius. Plurimorum voluntate nutuque adminiſtrantur, & fiunt omnia, conduntur leges, creantur magiſtratus ductis ſortibus, qui rationem geſti muneris poſcuntur, vbi honoribus perfuncti ſunt, in medium conſulitur: atque ut incommodorum, ſic viciſſim commodorum omnes ſunt participes, ſecuriſſimeque poſſidetur, quæ huius ſtatus finis eſt libertas. Cùm ergo imperium ſingulorum intolerabile, & exitiabile probauerim, multitudinis autem optabile & perutile, meo quidem iudicio non μοναρχίαν, ſed πολιτείαν debemus inſtituere.

G. Tu quidem, Otanes, non paulò fuiſti in regali ſtatu vituperando, quam in populari prædicando effuſior: ex quo coniici licet, non tam huic amicum te, quam illi inimicum eſſe. O. Apud prudentes imprudenter agat, ſi quis omnia dicat, quæ dici verè poſſunt: multa enim illi per ſe, admoniti tantum, cogitatione conſequuntur. A. Quàm propenſa ſit ad veritatem tua oratio, poſtea conſiderabimus. Opinor nec Megabyzo argumenta ad ſententiæ ſuæ confirmationem defutura: quem, vt propoſitum eſt, ſecundùm te pari expectatione, ſilentioque audiemus. I. Collecto quidem eſt animo, & multa ſecum perattentè cogitat Darius, quod vultus indicat: pondus habebit eius diſputatio, niſi malè auguror. M. Ohe tam citò ſpem de me? I. immo adhuc teneo: quam magnam, noli quærere. M. O Intaphernes, noſco tuum. H. Quid, quæſo, verba funditatis? Diſſerat Megabyzus.

Digitized by Google

Pro Ariſtocratia, ſeu optimatum imperio, contra Democratiam.

MEGABYZVS.

Quæ Otanes grauiter ornatéq; diſſeruit, ea non magis aduerſus regiam gubernationem, quàm tyrannicam dominationem, valere apertum eſt: in quam perfacilem eſſe prolapſionem regibus, quem veſtrûm fugit? videmus enim reges pleróſque omnes in tyrannorum mores atque ingenia immigrare. Quare de hac imperandi forma omnino ſilendum iudico. Tua igitur dicta laudo Otanes, quatenus non conſtituendam de cætero, ſed conſtitutam ante potius delendam tyrannidem, & à genere humano penitus profligandam ſuadere inſtitiſti. Quatenus autem de alia quadam ſpecie Reipub. verba feciſti, vt nimirum abſolutam atque integram poteſtatem ad populum deferendam contenderes, ei rei, quoniam vehementer iniqua eſt, vnumquemque horum qui adſunt reclamaturum autumo. Nam per immortales deos, quid eſt multitudine inconſtantius, inſipientius, turbulentius? Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas tamque varias fluctuum agitationes habere cenſebimus? Abeſt conſilium à vulgo, abeſt ratio, diſcrimen, diligentia. Mala bonis, non malis, aut non æquè malis, nedum maioribus malis emendanda ſunt. Ergóne tu, vt tyranni ſuperbiam, importunitatemque effugias, inſolidæ plebis leuitatem, furorem, temeritatem te coniicies? Quod agunt tyranni, tametſi prauè atque improbè agunt, tamen quid agant ſciunt, & intelligunt: populo haud plus intelligentiæ, quàm mulis conceſſum eſt: quippe qui ne domi quidem ſuæ proſpicit, quò virtus, quò error ferat: quid vtile aut non vtile: quid honeſtum aut turpe ſit: tantum abeſt, vt id per vniuerſam Rempub. noſſe queat. Nec verò ille ad res quærendas conſilii prudentiam, ſed impetum & feſtinationem, qua nihil eſt magis conſilio inimicum, affert: & perturbationibus ſuis tanquam vento iactatur, aut velut torrente rapitur. Quid multorum capitum belluæ ſceptrum tradimus? quid impotentiæ, ſeditioni, audaciæ, temeritati arma damus? quos reget, qui ſeipſum neſcit regere? Eos potius imperio præficiamus, quos vita & moribus probatiſſimos reperiemus, delectos è corpore ipſo populi: in quibus etiam ipſi locum tenere poterimus. Illi velut plures oculi plus videbunt: eritque eorum in omni re, & propter conquiſitionem prudentior, & propter conſenſum firmior atque conſtantior ſententia. Comprehendam paucis: vnum imperare nolo, quia nemo ſolus ſapit: & Homericus Agamemno decem Neſtoras optat. Plurimos pati non poſſum imperantes. Sequitur ergo, vt pauci, iique optimi ad imperandum legantur, vt oligarchia, ſeu ariſtocratia conſtituatur: quem ſtatum eſſe optimum, ipſum eius nomen declarat: eſt enim optimatum ſtatus. In hac opinione tamdiu permanebo, quoad tu, Dari, meliorem oſtenderis: de quo Intaphernes paulò ante non dubitabat.

D. Ni-

D. Nihil dum audiui vel abs te, vel ab Otane, quod magnoperè me deterreret ab eo ſentiendo, quod ſentio. Et mihi ſpes affulget, cùm aperuero mentem meam, fore, vt primùm quatuor iſti, Hydarnes, Intaphernes, Gobryas, Aſphatines: tum vos etiam, Otanes & Megabyze, qui iudicium veſtrum iam patefeciſtis, ad partes meas aggregemini. O. A democratia difficilè me depelles. D. Non ego, ſed veritas ipſa depellet te, & de vtroque veſtrûm triumphabit. M. Quàm baſilicè? A. Deſiderium incendis ad te audiendum. G. Si regnum moliris, dolebis affatim, cùm alium regnantem videbis, te præterito. D. Ego verò nihil, niſi ſalutem Reipub. molior, quam in monarchia ſitam duco: & hanc imperii rationem multum præſtare cæteris, non poſſum quin teſtificer. O. Papæ, occidiſti nos. Sed oratione perpetua tuam opinionem explicantem te attendemus. D. Ea ſi longiuſcula fuerit, iam nunc à vobis peto, vt æqui boni faciatis. M. Mitte curam, faciemus: mea iſtuc fide promiſſum eſto.

Pro Monarchia contra Democratiam & Ariſtocratiam.

DARIVS.

Vt proborum improborumq; vna ſit ratio, & qui æquales non ſunt, æqualia tamen adipiſcantur, inimicum eſt æquitati: amicum autem, vt quantum quiſq; meretur, tantum illi tribuatur, vt cuiuſq; meritis, inquam, remuneratio reſpondeat. Iam in aliis duobus imperandi generibus æqualitatem inter ciues ſeruari certum eſt: & rectum haberi, ſi omnis abſit prærogatiua: ſi nulla appareat excellentia: nihil vſpiam emineat. Id ad malorum fortunas conſtabiliendas quàm ſit aptum, diſputatione non eget. Gradus quidam in monarchia ſunt, quorum primum ſortitur, qui præſtare omnibus exiſtimatur: ab eo qui minus diſtat, ſecundum: & ſic deinceps ſimiliter. Nec ego quenquam ſanum eſſe arbitror, qui non multò malit in ea Repub. degere, in qua ſciat, ſi quid cum virtute egerit, honore & præmio minimè cariturum. Quid quod vnius voluntati & ingenio, quàm plurium plurimorúmue morem gerere placereq; longè eſt facilius? Quo æquior, leuior, iucundior monarchia cenſenda eſt. Quæ res, quæ negotia præferendum eſt vnius imperium, qui, quoniam ſibi omnia iubenda, vetanda, ſancienda, abolenda, emendanda, ordinanda, procuranda nouit, ſingulorum diligentem rationem ducit: cùm, vbi plures imperitant, alius ſoleat ad alium reſpicere, cunctationes, & ſpes mutuas ſuſcipere, multasq; per negligentiam occaſiones amittere. Illi iidem nonnunquam irritante ſuperbia, & ambitione ſimultates inter ſe magno Reipub. damno gerunt: à quibus peſtibus nullum eſt monarchis periculum: cùm neminem habeant, cui inuideant. In actionibus œconomicis quantum temporis neceſſe eſt iſtos de ſe ſus ponere? quoties cùm in conſilium ventum eſt, altercationibus & rixis diem eximunt? Monarchis ad agendum nulla ſunt tempora definita: in omnem occaſionem intenti, maturè vnumquodq; conſi-

 ciunt.

Digitized by Google

ciunt. Illi Remp. vt alienam: iſti vt propriam curāt. Præterea delectus habere quā acerrimos, & alios hortādo, alios cogendo, alios pecunia & meritis ſibi adiungere, in procliui eſt monarchis. Quin & illæ ciuitates, quæ domi paucorum moderamine gubernantur, in bello regium ſequuntur imperium: & res ſæpe docuit, vbi multi mittuntur duces, militares rationes parum fœliciter procedere. Dii ipſi vnum Iouem pro rege venerantur eiusq; iuſſa implent: ex quo liquet, eos hunc ſtatum reliquis anteferre. Quod ſi hoc ipſum à poetis excogitatum, & ab hominibus falsè creditum dicamus, tamen argumento eſt hæc fabula, nos monarchiæ inter Reipub. genera principatum dare Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *Haud multos laudē dominos, herus vnicus eſto, Vnicus & Princeps. Idem vates* διοτρεφέας βασιλῆας *vocat, à Ioue educatos reges. Naturæ tacita vox eſt præferendam monarchiam. Vnus rex apibus, vnus elephantis, vnus rector in armento, vnam ducem grues ſectantur. Diei præſidet vnicus ſol, nocti vnica luna, quæ velut regina eſt ſidereorum luminum. In naui vnus eſt gubernator, in domo vnus paterfamiliâs, in exercitu vnius ſignum. In membris cor mouet omnia: in partibus animi ratio præſidet: in vniuerſitate deus vnus omnium eſt fabricator & rector. Harum rerum conſiderationem putemus licet principiò ferarum more diſperſos homines coegiſſe, induxiſſeq;, vt caput aliquod ſibi præficerent, cuius arbitria, ſeu leges obſeruarent. Antiquiſſimus omnium hic ſtatus, nec diſcordiarum vllus ſæpe finis reperiri potuit in ciuitatibus niſi poſtquam ad vnum ſumma imperii delata eſt. Deniq; cum per vnum, Cyrum nempe, libertatem ſimus conſecuti, per vnum cenſeo nos eandem retinere & poſſe, & debere. Nunc quid porrò agendum ſit, decernite.*

G. Plus probabilitatis mihi videtur habere tua ſententia, quàm nobis comprobandam ſtatuo. A. Tua eſt palma. I. Tecum ſentio. H. Eia, rex vnicus eſto, quod Homero rerum humanarum ſcientiſſimo viſum eſt. Vos duo, Otanes & Megabyze, ad nos ex pacto tranſite. M. Tranſeo, quanquam nolens. O. Repugnare huic concordiæ nolo. Hac autem lege ius meum vobis cedo, vt neq; ego, neq; meorum quiſquam vlli veſtrum regi creato parere vnquam aſtringatur. A. Æquum & bonum, vt Otanes, qui huius boni princeps auctor fuit, cum tota poteſtate ſua nullis teneatur legibus, & quàm magnificentiſſimè Perſarum more habeatur. G.M.I.H.D. Ratum eſto.

ANNOTATIONES.

PLVSQVAM CIVILI ODIO) *Odium ciuile eſt remiſſum odium, quali ſunt, & eſſe inter ſe decet ciues. Plus quàm ciuile, eſt grauius & acerbius. Cicero pro Milone. Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? Et fallitur Victorius, qui eo loco legendum putat, commune odium, & in eo multis diſputat. Ouid. Exercet patrias plus quam ciuiliter iras. Lucanus. Bella per Æmathios plus quàm ciuilia campos. Tacit. lib. 1. Iampridem inuiſus, quod plus quàm ciuilia agitaret.* NEC OPINATO) *Vna vox eſt: vt antemalorum apud Virgil. Æneid. lib. 1. & ſubterlabentia apud Lucret. lib. 1. Figura* ὑφέν. IN

IPSIS.

Digitized by Google

IPSIS CVBILIBVS) *Sic appellat Cic. ferarum luſtra, ſeu latibula 2. de nat. Deor. Beſtiæ in cubilibus deliteſcunt. Translate in Piſon. Scelera tua non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus. In Verrem. Vt omnes mortales non iam veſtigia, ſed ipſa cubilia videre poſſint. Lucretius eadem intectas fronde quietes. Quo loco à venatione ſumpta comparatione docet quibuſdam indiciis atque veſtigiis, ſeu principiis cognitionum ſagacem animum ad vberiorem notitiam rerum peruenire poſſe. Verſus patent lib. 1. multaque præterea, &c. Plaut. Truculent. ad murium cauernulas vocem cubile, vt Virgil. ad talparum accommodauit.*

Cogitato, mus puſillus, quàm ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui vni cubili nunquam committit ſuam.
Qui ſi vnum oſtium obſideatur, aliud perfugium erit.

Prouerb. Mus non vni fidit antro: cuius vſus, ſi quem admonebimus vt ſibi plures amicos paret, aut vna cum opibus ſtudeat literis: vt ſi à fortuna malè multetur, habeat quò confugiat. QVIN IMVS IN CONSILIVM) *Ire in conſilium dicuntur Iudices cùm aut capita conferunt, aut in interiore conſilio inſtrumenta litis percenſere aggrediuntur, cum litis proceſſus in medium poſitus eſt: Mittere in conſilium, eſt dimittere Iudices ad ſententiam dicendam, vbi orator dixerat, Dixi. Hæc latius Bud. in Pand.* NEVE COMPERENDINEMVS) *Quid ſit comperendinare, quid comperendinatio, quid amplius pronuntiare, conſulendus eſt Budæus.* PRO DEMOCRATIA) *Tres ſunt ſpecies probatæ, ſeu laudabilis Reipub totidem improbatæ & vitioſæ, quæ ex prioribus naſcuntur. Tyrannis ex monarchia, dynaſtia ex ariſtocratia (quæ ſæpe etiam oligarchia vocatur, & extra reprehenſionem eſt) ochlocratia ex democratia (quæ etiam politia, vt proprio nomine) quando ſcilicet populus libertate abutitur, & neq; bene ſentientibus paret, nec leges obſeruat. Plutarchus lib. de tribus imperii generibus, Perſas excelluiſſe regno, Lacedæmonios paucorum ſeu optimatum poteſtate, populi Athenienſes.* NOSCO TVVM) *Subaudi ingenium, morem, aut tale quid. In Trinum. Plauti, cum allegatu filii Lyſitelis Philto ſenex ad Lesbonicum decoctorem adiiſſet, ſororem eius petitum in matrimonium, protuliſſetq; hæc.*

Meus natus me ad te miſit, inter ſe atq; vos
Affinitatem vt conciliarem, & gratiam.
Tuam vult ſororem ducere vxorem, & mihi
Sententia eadem eſt, & volo.
Reſpondet illico Lesbonicus
hau, noſco tuum.
Bonis tuis rebus meas res irrides malas.

QVAM MVLIS CONCESSVM EST) *Hominem nullo intellectu, nihil videntem appellauit mulum Catullus.*

Lesbia mî præſente viro mala plurima dicit,
Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Mule nihil ſentis. Si noſtri oblita taceret,
Sana eſſet, &c.

Quo loco qui Mulum vt nomen proprium viri acceperunt, eos ipſos fuiſſe mulos arbitratur Muretus. Et quia mulus animal eſt ex duobus generibus, vt ſit neutrum, poſſunt etiam dici muli, qui profeſſione quidem ſunt Chriſtiani, vita & affectibus Ethnici, atque interim nec toti Chriſtiani, nec toti Ethnici, ſeu Epicurei MAGIS CONSILIO INIMICVM) *Duo maximè contraria conſilio dicebat eſſe Bias: iram & feſtinationem. Virgil. 2. Æneid. furor iraq; mentem præcipitant.*

PROGYMNASMA QVARTVMDECIMVM.

Sacræ Romanorum poteſtates, ſiue ſacerdotia.

QVINTIVS, REGILLVS.

QVINTIVS. In ſeptem Regibus, quos illud templum mundi, omniumque dignitatum mater Roma ſubinde annis quatuor & quadraginta ſupra ducentos per infantiam ſuam habuit, ingenio ac ſtudiis, (quemadmodum ſcilicet vtilitatum eius ratio tum requirebat) diſſentientibus, vt aliarum rerum penes alios, ſic pacis ac religionis ſumma laus penes Numam Pompilium fuit. Hic militia efferatum populum deſuetudine bellorum mitigauit, Ianum clauſit, cum finitimis ſocietatem ac fœdus iunxit. Idem ſacris inſtituendis, ac ſacerdotibus ſuis cuiq; deorum præficiendis rudem atque imperitam multitudinem eſſe vim aliquam cæleſtem, eamque metuendam, ab eadem fælicitatem expectandam docuit: plurima per ſemet ſacra obiuit: Flamines Ioui, Marti, Quirino inſtituit: Veſtæ virgines, Marti Gradiuo Salios legit: Pontificem induxit, qui poſt dictus eſt Maximus, quòd rerum ad ſacra religionemq; pertinentium maximus iudex eſſet, vindexq; contumaciæ priuatorum, Magiſtratuumq;. Multa demum ſacrificia, locaque ſacris perpetrandis dedicauit. R. Tutelam pacis & religionis perinde magnam, vt ipſius regni, idque per omne regni tempus, ego maxima ſanè operum regiorum pronuntiarim. Nam & armorum concertatione nihil aliud quærendum eſt, quàm vt ſine iniuria in pace viuatur: & rerum diuinarum neglectio, eſt malorum extremorùm conciliatio, imperiorumque diſſipatio. Deus enim eſt, cuius munificentia donantur hominibus regna: eiuſdem prouidentia gubernantur, ope fulciuntur, voluntate retinentur, offenſione collabuntur ac pereunt. Quare is purè ſanctèque regibus colendus eſt: & intelligendum eius placatione omnem beatiſſimi eorum ſtatus rationem contineri. In quo cùm ſemper diligentiſſimus fuerit pop. Rom. licuit gloriari M. Tullio, palamque dicere: Nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos: ſed pietate ac religione omnes gẽtes nationesque ſuperauimus. Q. Quoniam de huius populi aduerſus deos pietate aliquid verborum factum eſt, & exordium ſer-

ſermonis noſtri à Numa manauit, qui pietatis iſtius inuentor, inceptor, & perfector fuit (ſiquidem ſacra illa introduxit, quæ poſtmodum eouſque valuerunt, donec diſcuſſis nefandarum ſuperſtitionum tenebris clariſſimum ſe lumen veritatis ingeſſit, & nouo ſuperueniente imperio, vetus omne deletum eſt) inter ſacros autem ſiue ſacerdotes prima eſt Pontificis Max. Pontificumque dignitas: qui quidem non è vulgaribus, & obſcuris, ſed è nobilibus, illuſtribus, gratia & diuitiis aliis anteſtantibus initiò legebantur, agè, ſi placet, hunc ordinem introſpiciamus, ante alios: nam de nominis origine haud laborandum puto.

Pont. Max. & Pontifices.

R. Marcium Marci filium ex patribus ante omnes à Numa lectum teſtatur Liuius, cui ſacra omnia exſcripta, exſignataque attribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent: atque vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica priuataque ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit: vt eſſet, quò conſultum plebs veniret: ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinoſque aſciſcendo turbaretur. Nec cœleſtes modò cærimonias, ſed iuſta quoque funebria, placandoſque manes vt idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliòue, quo viſu miſſa ſuſciperentur, atq; curarentur. Lapſis deinde temporibus collegium Pontificum extitit: quorum fuerunt principiò quatuor: nõ multò poſt tribunitia rogatione octo numerati ſunt: longo tandem interuallo Sylla fecit vt eſſent quindecim. Quorum munia eadem pænè omnia, quæ Pontif. Max. qui præter ſupra recenſita deorum ſupplicationes pontificali carmine præibat, comitia cogebat, ferias conceptiuas indicebat, quid quaque die operis fieri aut non fieri publicis feriis conueniret docebat. Res omnes ſingulorum annorum litteris mandabat, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi. Ne idem prauis religionibus deuinciretur dabat operam, ſacra à profanis ſecernebat, facientes obſeruabat, de veſtalibus reis ſententiam ferebat. Die ominoſa, & infauſta collegium nunquam conſulebat. Pontem ſublicium fatiſcentem, aut collabentem reficiebat. Vota item ſolemnia verbis conceptis præire Pontifices ſolebant: quorum etiam verbis non ritè emiſſa de integro concipiebantur: & eorum arbitratu pecuniis exſoluebantur. In arrogatione item Pontificum valuit auctoritas. Licuit præterea quod interdictum erat ſacerdoti. Q. Quid illud, ſi vnum potiùs fuit, quàm plura, quod ſuſpicari libet? R. Immo plura. Nec magiſtratum capeſſere, nec equo vehi, nec trinoctio ab vrbe abeſſe. Pontificem aliquando conſulatum quoque: aliquando ſimul & conſulatum & cenſuram geſſiſſe: aliquando magiſtrum Equitum: aliquando Prætorem in Hiſpania fuiſſe legimus. Tanto in honore Pontificatus fuit: vt Cn. Tremellio Trib. pleb. mulcta dicta ſit, quòd is cum M. Æmylio Lepido Pont. Max. iniurioſè contendiſſet. Ad regiã dignitatem proximè accedebat: lictorẽ, ſellam curulem, lecticam habebat: ad fores ædium lucus

aſtabat, de qua re Plinius. Muneris adminiſtrati rationem reddere non cogebatur. Et quomodo diadema proprium inſigne regum, paludamentum Imperatorum, lituus augurum: ſic Pontificum galerus: quibus, & ſacerdotibus ſolis carpento Tarpeium fas erat aſcendere. Si quis noxius ad Pontificem confugiſſet, eo die pœnarum liber viuebat. Cauebatur, ne quis Pontifex caperetur, qui cuiquam de collegio eſſet inimicus. Quando quippiam ad religionem pertinens inter Pontifices controuerſum erat, variatis ſententiis id decernebatur, quod tres eorum communi ſententia ſtatuiſſent. In generibus matrimonii confarreatio erat Pontificum: quorum vxores ſingularis exempli eſſe poſtulabatur. Pontifici Maximo nefas cadauer aſpicere: maius nefas viſum inſepultum relinquere. Ei rex ſacrorum, augures, flamines omnes, Veſtales parebant: quibus indicere mulctam, & irrogare pœnam poterat. Veſtales idem legebat. Participem, aut conſcium necis alicuius creari Pontificem non licebat. Scribæ Pontificum, qui omnis æui geſta mandabant literis, minores Pontifices dicti: & qui horum primus in collegium veniſſet, maximus, qui nouiſſimus, minimus dicebatur. Horum item partes, quotquot Kalend. Iunoni ſacrificare: nouam lunam obſeruare: quot dies à Calend. ad nonas ſupereſſent populo referre: ius interpretari. Hucuſque de Pontificibus. Q. Prope omnia te velut vno faſce comprehendiſſe opinor, quæ à ſcriptoribus rerum Romanarum de Pontificibus memoriæ tradita. R. Studui quidem. Q. Volo ego quoque depoſitum quoddam à memet, meaque memoriola exigere, & tibi velut munus rependere pro munere, ſeu ἀντιδωρεῖσθαι. R. Et hac & aliis antiquitatum explicatiunculis mihi memoriam meam refricari non ſolùm patiar, verùm etiam rogo. Q. De auguribus audi pauliſper.

Augures.

A Romulo primi Augures creati, & quidem tres, pro numero trium tribuum. Additus deinde quartus, deinde quintus: aliquando nouem fuerunt, donec ſenatuſconſulto cautum eſt, ne vltra nouenarium creſceret eorum collegium. Sylla tamen ita numerum ampliauit, vt eſſent omnino quindecim. Qui inter eos ætate præcurrebat, & præerat aliis, Magiſter Collegii nominabatur. Magnus horum ſacerdotum honos: ſiquidem velut interpretes, & internuntii deorum habebantur, eranteque iidem reges & augures: Romulus quidem certè, qui & auſpicatò vrbem condere voluit. Ad viros nobilitate, & ſapientia eximia auguratus deferebatur: decreuitque ſenatus, vt de principum filiis ſex, ſingulis Etruriæ populis erudiendi ea diſciplina committerentur; ne videlicet ars tanta ab auctoritate religionis ad quæſtum propter hominum tenuitatem conuerteretur. Domicilium Augurum Fæſulis, quo loco ea ars inprimis celebrabatur. Solus auguratus nemini viuo adimebatur, quamuis maximorum criminum conuictus eſſet: cuius rei cauſſæ plures a Plutarcho in problemat. Rom. ponuntur. Cùm aliquis vitam finiſſet, è duobus in

bus in eius locum vnus nominabatur, & à collegio cooptabatur. Qui vlcere affectus eſſet, augurium facere vetabatur: rationes etiam Plutarchus recenſuit. Nec ex auibus vlceratis auguria captabantur. Ex auibus igitur (vt ad eorum officia veniamus) vaticinabantur, reſque futuras, & deorum voluntatem indicabant, obnuntiabantque. De prodigiis, ſomniis, oraculis, portentis, extis ab iiſdem reſponſa petebantur, quo exitu, felici an infælici euentura eſſent. Alia etiam peragebant, quæ lege augurali apud Ciceronem in 3 de leg. explicata inuenimus hunc in modum. *Interpretes autem Iouis Opt. Max. publici augures ſignis, & auſpiciis poſtera vidento, diſciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque & ſalutem populi auguranto. Quique agent rem duelli quique popularem, auſpicium præmonento: ollique obtemperanto: diuorumque iras prouidento, iiſque apparento: cælique fulgura regionibus ratis temperanto: vrbemque & agros, & templa liberata, & effata habento: quæque augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, dira defixerit, irrita infectaque ſunto; quique non paruerit capitale eſto.* Hæc Cicero. Si quid enucleatius, & accuratione quadam interpretandum incidiſſet, aut ſi qui durior caſus ambiguam interpretationem habere videretur, cenſio, & ſententiæ dictio penes totum collegium erat. Si qui magiſtratus vitio creati eſſent, eorum reſponſo vel inibant, vel abdicabant: comitia autem magiſtratibus creandis ipſi vel impediebant, vel vitiabant: per obnuntiationem ſcilicet, quæ duarum obſeruatione rerum fiebat: aut cùm de cœlo fulſiſſet ſiue tonuiſſet (Ioue enim fulgente tonantéue comitia ex augurum diſciplina dirimebantur) aut cùm aues infauſta portendiſſent. Auium porro tria genera fuerunt: alites quæ volatu, oſcines quæ cantu, pulli quæ tripudio futurorum ſigna edebant. Nec omnium erat eadem ſignificatio, cum quædam a dextra, quædam à ſiniſtra volantes, aut canentes, proſperos euentus oſtenderent. Hinc lib. 1. de Diuinat. Iupiter ne cornicem à læua, coruum à dextra canere iuſſiſſet. Plaut. Aſin. Picus, & cornix eſt ab læua, coruus porrò ab dextra. Lituus augurum baculus, quo cœli regiones, intra quas obſeruarent, definiebant. Auſpicia captare oportebat cœlo non turbido, procelloſo aut pluuio: ſed placido, ſilentibus auris. Minora auſpicia, quamuis priora, ſemper maioribus cedebant. Cornicis, aut columbarum auſpicia aquila ſuperueniente, quæ maius vtique auſpicium habebat, irrita fiebant: aquilarum augurium contra, adueniente fulmine pro nihilo erat. R. Quod attuliſti de cœlo tranquillo, ac ſereno, memorem me fecit cuiuſdam loci in Epid. Plauti, vbi ſeruus domo egrediens, & ſeni exenteraturus marſupium ita loquitur.

St. tacete, habete animum bonum, liquido exeo foras
Auſpicio, aut ſiniſtra, acutum cultrum habeo ſenis qui exenterem
Marſupium.

Liquidum vocat auſpicium, quod cælo ſereno oblatum eſt. Sic in Perſa. Vide, vt ingrediare auſpicato. D. Liquidum eſt auſpicium. Numquid nam ſupereſt quod dicas de auguribus? Q. Nihil prorſus: ſi de

Rege

Rege ſacrorum, quid eſt quod planum, & ex annalibus veteribus erutum dici poſſit, ſi ſcire à nobis velit honeſtè curioſus quiſpiam?

Rex ſacrorum, ſeu Rex ſacrificulus.

R. De hoc ſacerdotio memini hæc verba ſcribere T. Liuium lib. 2. ad initium. Rerum deinde diuinarum habita cura. Et quia quædam publica ſacra per ipſos reges factitata erant, necubi regum deſiderium eſſet, Regem ſacrificulum creant. Id ſacerdotium Pontifici ſubiecere: vt additus nomini honos, aliquid libertati, cuius tunc (exactis nempe Regibus) prima cura erat, officeret. Addo & Dionyſium ita ſcribentem lib. 5. *Sed quoniam multa magnaque beneficia collata videbantur in Rempub. à Regibus, volentes hoc nomen in vrbe ſeruari perpetuò, iuſſerunt vt Pontifices, & Augures deſignarent vnum aliquem è ſenioribus, ad hoc idoneum, qui ſacris tantum præeſſet, immunis à militia, vocareturque Rex ſacrificulus: primusque hunc honorem adeptus eſt Manius Papyrius, vir patricius, quietis amantiſſimus.* Hæc ille Græcus. Sacerdotium gerebat perpetuum, & vt dictum eſt modò, militare, & in caſtris verſari, atque ordines ductare, magiſtratum aliquem capeſſere, cum populo agere, propter ſuſpectum regis nomen haud poterat. Nam ei penitus perſuaſum volebant, nō eſſe ad aliud quippiam ſibi hoc nominis conceſſum, quàm ad deorum honorem. Vnde etiam inde à maioribus morem ſeruatum narrat Plutarchus, vt Rex ſacrorum ante comitium, poſtquam rem diuinam feciſſet, fuga ſeſe è foro proriperet. Quare ſola religione poteſtas eius circumſcribebatur. In ſacris epulis poſt Pontif. Max. ſupra Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem accumbebat. Non licebat è feriis opus videre, quemadmodum nec Flaminibus: ideo per præconem denuntiabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens multabàtur. Ac tametſi principio crearetur comitiis centuriatis ex patriciis, qui honores geſſiſſent, nihilominus poſt ætates aliquot ex plebe creari cœptus eſt. Vxor eius Regina ſacrorum appellabatur, quæ omnibus calendis Iunoni ſacrificare porcum, aut agnū in regia debebat. Rex ſacrorum, religione impediente, occidi non poterat. Hæc hactenus. Q. Vnum quod mihi occurrit, omittendum non fuit. R. Et meam tetigit illud vnum memoriam. Veſtales die præſtituta ad eum ſingulis annis ventitabant, & ne ſacra, quæ eius fidei credita eſſent, negligerentur, præmonebant cū his verbis. Vigilaſne Rex? Vigila. Quod Virgilius ad Æneam tranſtulit lib. 10. quaſi ad regem, quem vbique etiam ſacrorum peritum fingit. Q. De Flaminibus ingrediare dicere. R. Quin tu ingrederis? Q. De Feciali, & Patrepatrato fabulabor. R. Quæſo, an tu illud paſtoris arbitri probas: Alterni dicetis, amāt alterna camœnæ? Q. Delectat me in huiuſcemodi rebus alterna diſſertatio. Veruntamen ſi tu reliquas poteſtates ſacras Romanorū ediſſerere vis, cedo meas partes; tibi libenter auſcultabo. R. Iniqua poſtulatio. Q. Immo verò æquiſſima. Sed te in os laudare fugio. Age dic, quod inſtat.

Flamines.

R. Nuncupati Flamines à licio, ſeu filo quo caput velatum ac cinctum

ſemper

Digitized by Google

ſemper habebant. Sic Varro lib. 4. de ling. lat. Seruius autẽ ita. Flamines in capite habebant pileum, quod cùm per æſtus ferre nõ poſſent, filo tantum religare capita cœperunt. Nã nudis penitus capitibus incedere nefas erat: vnde à filo quo vtebantur, Flamines dicti, quaſi Filamines. Plutarchus à pileo Pilamines primò, poſt Flamines dictos opinatur. Nõ nemo à ſacris inſulis nomẽ iis inditũ putat, quas in capite geſtarent, quæq; ab antiquis flamæ vocabantur: ſiue à flammeo, quod tegumentũ capitis eſt: ſed muliebris potius quam virilis. Solius Flaminis Dialis pileum Albogalerus dicebatur: fiebatque ex tergore ouis albæ, quæ idulis nominabatur. In eo *pileo*, Flaminum, inquam, breuis virga oleagina, in ſumma modicum lanæ habens, inſtar fungi. Et feſto die, item cum ſacra facerent, quamuis in æſtu, pileum ſumebant: quoniam tum ſine pileo eſſe indecorum videbatur. Dialis aſſiduò erat cum pileo. De nomine hactenus. Pilei deſcriptionem afferre ſuperuacaneum eſt ad grauiora properantibus. De prima creatione Flaminum producam Liuium ita dicentem lib. 1. Numa Pompilius, quia in ciuitate bellicoſa plures Romuli, quàm Numæ ſimiles Reges *putabat* fore, ituroſque ipſos ad bella: ne ſacra regiæ vicis deſererentur, Flaminem Ioui aſſiduum ſacerdotem creauit, inſignique eum veſte, & curuli regia ſella adornauit. Huic duos Flamines adiecit, Marti vnum, alterum Quirino. Tres igitur primus Flamines Numa inſtituit, Dialem, Martialem, Quirinalem. Etenim ſinguli Flamines cognomina habent ab eo Deo, cui ſacra faciunt: ſed ea partim aperta ſunt, partim obſcura, inquit Varro. Aperta, vt Martialis, Volcanalis: obſcura, Dialis, & Furinalis: cum Dialis à Ioue ſit, qui eſt Dijouis: furinalis à Furina, cuius etiam in Faſtis Furinales feriæ ſunt. Sic Flamen Falacer, à diuo patre Falacre. Aliquot elapſis tempeſtatibus adiuncti his tribus duodecim, euaſeruntque XV. Quin & Auguſtis inter Diuos relatis Flamines inſtituti, & ab iis appellati. Spartianus in Antonino Caracalla. Hic tamen omnium duriſſimus, & vt vno complectamur verbo, parricida, & inceſtus, patris, & matris, & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militũ, ac maximè prætorianorum, inter deos relatus eſt. Habet templum, habet *Salios*, habet ſodales Antoninianos. Cæterum quorum auctor Numa, ex patriciis legebantur, & dignitate præſtabant, ac Flámines maiores, reliqui ex plebeiis, & minores vocabantur. Nemo quinquagenario minor creabatur. Nonnunquam à Pontifice, ſæpe à Dictatore, plerunque à populo comitiis curiatis renuntiabantur. Renuntiati à Pontif. inaugurabantur: quo die Auguribus, Pontificibus, Regi ſacrorum, & Veſtalibus cœna inſtructiſſima dabatur, adiicialis, ſeu adipalis dicta. Quanquam autem nomine conuenirent, collegium tamen non habebant. Sua quiſq; ſacra procurabat, quæ ad alios nihil attinebant. Flamines autem (maiores potiſſimùm) etſi non eſſent Pontifices: ſic tamen erant adſcripti in collegium Pontificum, vt ſi quando apud Pontifices ageretur de re aliqua, ipſi vnà iudicarent: quod ex oratione Ciceronis pro domo ſua perſpicitur. Enuntiabant Flamines quæ ſacra diis fierent, quæ victimæ cæderentur, & an perfecto ſacrificio litatum foret. Ob certas cauſas ſacerdotio pri-

Digitized by Google

tio priuabantur, dicebanturque Flaminio abire. Q. Commemini me legere apud Valerium, Sulpitium Flaminem, quòd ei inter ſacrificandum apex prolapſus eſſet, ſacerdotio pulſum. De P. Cælio, M. Cornelio, M. Cethego, & C. Claudio propter exta parum curioſè aris admota, idem narrat. R. Fuerunt hæ cauſſæ amittendi Flaminii: ſed aliæ quoque fuerunt, quas recenſere non eſt neceſſarium. Ad ſacra procedenti præibat præco populum monens, vt dum res diuina fieret opus intermitteret. Quoties frequens ſenatus haberetur, Flamini vt ſenatori in curiam veniendi, ſententiæque dicendæ poteſtas erat. Tam flamines, quàm reliqui ſacerdotes vacationem habebant à militia, niſi bellum Gallicum vrgeret. Leges Flaminis Dialis pérmultas commemorat Gellius, ex quibus nonnullas referam. *Equo illum portari religio eſt. Iurare fas nunquam. Annulo vti niſi peruio caſſoque fas non eſt. Ignem è flaminia, id eſt, Flaminis Dialis domo, niſi ſacrum efferri ius non eſt. Vinctum, ſi ædes eius introiret, ſolui neceſſum eſt. Nulla in parte vllum nodum habet. Si quis ad verberandum ducatur, ſi ad pedes eius ſupplex procubuerit, eo die verberari piaculum eſt. Capram & carnem incoctam, hederam, fabam neque tangere illi licitum, neque nominare. Farinam fermento imbutam non tangit. Tunicam intimam niſi in locis tectis non exuit: ne ſub cælo, tanquam ſub oculis Iouis nudus ſit. Vxorem ſi amiſit, Flaminio decedit. Locum in quo buſtum eſt, nunquam ingreditur. Mortuum non attingit.* Hæc ex Gellio: Non poterat etiam antiquitus aut magiſtratum petere, aut capere, ne à ſacris auocaretur. Q. Miras oportuit cauſſas harum legum fuiſſe: arbitror etiam illarum, quas prætermiſiſti. R. Miras. Plutarchus in quæſtionibus Romanis nonnullas expedit, quem leges. Q. Legam ſanè. Aliquid de Flaminica. R. Cùm ad Argeos iret, nec caput comebat, nec capillum pectebat. Quoties tonitrua audiſſet, nihil faciebat operis, donec deos placaſſet. Ei menſe Iunio, niſi poſt Idus, nec vngues præſecare, nec capillum comere, nec virum tangere permiſſum. Nefas veſci fabis, aut gradus ſupra tres aſcendere. Amictus eius purpureus quadratus fimbriatus, cui nomen rica, quo pro palliolo vtebatur. Satis de Flaminibus: tu narra mihi de Fecialibus. Q. Tu mihi prius de Argeis: non enim intelligo. R. Sacrificia, & loca ſacris faciendis Argeos dicta à Pontificibus Liuius affirmat. Apud Varronem lib. 4. de ling. lat. nunc quintum, nunc ſextum Argeorum ſacrarium citatur. Fabius Pictor vniuerſum campum ſeptem collibus ſubdens, vſque ad Tiberim duplici nomine, Lybiſſum & Argeum vocat.

Fecialis, & Paterpatratus.

Q. Feciales εἰρηνοδίκαι Dionyſio, ab initio 20. fuerunt: qui amictu lineo nunquam vtebantur. Fœderibus feriendis, rebus repetendis, bellis indicendis præerant. Si legati pop. Rom. violati eſſent, per Feciales poſtulabatur, vt dederentur violatores: quemadmodum contra, ſi qui de Roma-

nis

Digitized by Google

nis exterarum gentium legatis iniurioſi fuiſſent, per Feciales in poteſtatem legatorum tradebantur. Si qui aduerſum fœdera illatam ſibi iniuriam loquerentur, eorum cauſſam cognoſcebant, compertoque crimine, ſontes comprehenſos læſis addicebant: dabantque non indiligentem operam, vt in fœdere vtrinque maneretur. Pacem componebant: aut ſi parum legitimè compoſita eſſet, irritam pronuntiabant. Si quid Impp. contrà quàm iuraſſent fortè feciſſent, cognoſcebant, & expiabant. Nec ſine ſenatuſconſulto, aut iniuſſu populi quidquam agebant: iiſque prohibentibus, aut non probantibus, neque conſuli, neque ſenatui, aut populo arma in hoſtes ſumere licebat. De Fecialibus ita ſancitum eſt apud Cicer. 3. de leg. Fœderum pacis, belli, induciarum oratores, Feciales iudices duo ſunto, bellaque diſceptanto. Paterpatratus Fecialium princeps, patrem & filios habere debebat, eique ſoli belli indicendi facultas. Idem cum pax aut fœdus faciendum, verba faciebat. De Veſtalibus, quorum rediero in memoriam, ſubiungentur. R. Patior, fero, ſino.

Veſtales.

Q. Veſtalium ſacerdotium ab Albanis per Numam traductum reperi apud Liuium, quas virginitate & cæteris cæremoniis venerabiles ac ſanctas fecit. Earum partes, æternum, ſiue aſſiduum & inextinctum ignem cuſtodire (ob quod ab erudito ſcriptore, perpetui conſeruatrices & nutrices ignis dictæ) Veſtæque ſacra facere. Ignis in vaſis fictilibus ſeruabatur, & ideo perpetuus, vt ad ſimulachrum cœleſtium ſiderum, cuſtos imperii flamma vigilaret. R. Sed cur potiſſimum virgines eſſe voluerunt, quæ hunc tuerentur? Q. Puram & incorruptam ſubſtantiam inuiolatis item, integriſque corporibus committere pulchrum eſt viſum: ſiue etiam ideo, quoniam quod ſterile & infæcundum eſſet, virginitati non malè committi videbatur. Profert vtramque cauſſam Faſtor. lib. 6. Ouid. his verſibus.

Ex Ope Iunonem memorant, Cereremq́ creatas
Semine Saturni: tertia Veſta fuit.
Vtraque nupſerunt: ambæ peperiſſe feruntur,
De tribus impatiens reſtitit vna viri.
Quid mirum, virgo ſi virgine læta miniſtra
Admittit caſtas in ſua ſacra manus?
Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Iure

Digitized by Google

Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Cum in templo ipſæ manſitarent, & ab eo interdiu nullus arceretur, pernoctare tamen intus, viro nemini concedebatur. In eo nulla effigies, quia Veſtam nihil aliud, quàm purum ignem putarent. Stipendium illis de publico decretum. Cum primùm quatuor fuiſſent, poſtmodum Romana ciuitate in 6. partes diſtributa, ne cui parti ſacerdos ſua deeſſet, duæ additæ. Annorum triginta caſtitas eis indicebatur. Primo decennio diſcebant, quæ ad cæremonias ritusque ſpectarent, vetuſtiſſimis quibuſdam carminibus prodita. Secundo quæ didiciſſent exercebant. Tertio alias inſtituebant. Poſt id tempus poſitis inſignibus ſacerdotii, eodem abire, atque etiam nubere liberum erat. Quod fecerunt paucæ admodum, & exitu valde infelici atque ominoſo. Quocirca tertiæ ſequentes, libenter æuum ſuum in miniſterio Veſtali conſumpſerũt. Si quando ignis extinctus foret (quæ res maximum Romanis terrorem afferebat, & calamitatem ingentem minabatur) negotiis grauibus ſuperſedebatur. Veſtalis ob negligentiam in loco abdito flagris iuſſu Pontificis cædebatur. Ignis autem non ab alio igne, ſed à radiis ſolis appoſito æreo vaſe accendebatur denuo. Cùm ſacra conficerent, in capite habebant ſuffibulum, quod Feſtus explicat, veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum. Sacrificabant caſta mola, & ſale tuſo, calicibus fictilibus. Si quæ inceſti conuicta eſſet, viua, funebri pompa, amicis & cognatis lectulum proſequentibus & collacrymantibus efferebatur, & viua iuxta portam Collinam defodiebatur, quæ via ſcelerata eſt dicta. Veruntamen ſimul illi panem & lac addebant, ne fame necari videretur. Sicut Græci quoque ſolebant, ſi quem viuum defoderent, cibi aliquid apponere, ne hominem inedia viderentur confeciſſe, quod pro piaculo habebant. Eo die iuſtitium erat, neque vllus eo triſtior: vt nec ſpectaculum triſtius, tota vrbe conſternata, veluti ſi extremum aliquod malum impenderet Reipub. Stuprator in comitio vſque ad necem virgis lacerabatur. R. Cum de origine, numero, officiis Veſtalium diſputaueris, vt ordine procedat ſermo, iam videtur de ratione legendi dicendũ, ac poſtremò de earum honoribus: quos certum eſt fuiſſe ſingulares. Q. Ita facere meditabar, etſi nullus monuiſſes. Prima Amata nomine fuit: vnde poſtmodum omnes, dum caperentur, ſic appellabantur. Capi autẽ idcirco dicebatur, quòd à Pontifice Max. cuius id ſolius munus erat, manu prehenſa, à parente in cuius poteſtate erat, velut bello capta abducebatur. Quibus verbis id perageretur, à Fabio Pictore mandatum eſt litteris. R. Audire iuuabit, ſi tenes. Q. Immo etiam. SACERDOTEM VESTALEM, QVÆ SACRA FACIAT, QVÆ IVSSI ET SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POPVLO ROMANO QVIRITIBVSQVE, VTI QVÆ OPTIMA LEGE FIAT, ITA TE AMATA CAPIO. Nomina Primarum quatuor fuerunt, Gegania, Beremia, Camilia, Trapeia. Quæ præſidebat, maxima vocabatur. Oportebat eas eſſe ingenuas, ſummo pudore & integritate laudabiles: & capiebantur

bantur etiã inuitæ. Flaminis, Pontificis, Auguris, Quindecimuiri ſacris faciendis, tubicinis ſacrorum, Septemuiri epulonum, Salii filia non cogebatur. Excludebatur porrò, ſeu excipiebatur, cuius pater in Italia domicilium non haberet: & cui non ſaltem tres liberi: quiq; ſordida negotia obiret: cuius item alter parens amboue ſeruiiſſent: cuius ſoror Veſtalis fuiſſet: cuius mater cum viro diuortium feciſſet: quæ patrima & matrima non eſſet: quæ corporis aliquo vitio laboraret. Non minor ſex, nec maior decem annis legi poterat. Si qua deceſſiſſet, in eius locum *alia capiebatur*. Quod vltimum eſt, nunc de auctoritate & velut maie*ſtate harum* virginum exponam. R. Miranda legi, quæ hodie ex ore tuo velut amiſſa recipiam: quem enim iſta mala obliuio non malè habet? Q. Vix cerno vnde ordiar: tanta eſt ad narrandum benignitas. In maxima veneratione apud omnes admiratio tam diuturnæ pudicitiæ ac ſanctimoniæ corporis eas collocabat.

Cum primùm ad ſacerdotium aſciſcerentur, è patria poteſtate exibant, *curatore* nullo. Teſtandi etiam viuo patre, manumittendi ius ha*bebant liberum*. Ipſæ inteſtati hæredes fieri, ipſisq; inteſtatis alii hæredes eſſe nequibant. Aduerſus eas, aut decrèta earum nulli magiſtratui licebat intercedere. Diſſidia, ſimultates, diſſenſiones, ſeditiones inteſtinas componebant. Teſtamenta, quæq; ſecretioris conſilii erant, & quæ quis occultata, quoad ſuo tempore in lucem promerentur, cupiebat, apud illas ceu in fideliſſima tutiſſimaque cuſtodia deponebantur. Deſectum capillum velut ſacroſanctum atteri vulgò non ſinebant: ſed in loto arbore ſuſpendebant, quæ in Lucinæ ara colebatur, quæque ob id capillaris, ſeu capillata nomen accepit. Non niſi per Veſtam ſuam volentes iurabant, & recitat Gellius verba prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & ſacerdote Veſtæ iſtæc. SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Si morbo aut neceſſitate aliqua coactæ fano, aut atrio Veſtæ exirent aliò, cum lictore, & faſcibus prælatis exibant: veneratio*nis gratia* matronæ, & grandes natu fœminæ, probitate conſpicuæ eas & comitabantur, & cuſtodiebant. Magiſtratus eis aſſurgebant. Si quis obuius fieret, qui ad ſupplicium capitale ageretur, confeſtim dimittebatur. Iurare tamen Virginem oportebat, ſe non de induſtria, ſed fortè occurriſſe reo. Ad ſe confugientes à pœna tueri, & ab iniuria poterant. Quo*circa* in periculis & delictis deprecatrices adhibebantur. Hinc Cic. in diſſuaſione legis Agrariæ. Si quid deliquero, nullæ ſunt virgines, quæ me à vobis deprecentur. Sueton. in Iul. c. 1. donec per virgines Veſtales, perq; Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam propinquos & affines ſuos veniam (à Sylla) impetrauit. Et Meſſalina cùm audiſſet Claudium maritum feſtinatò redire ab Oſtia ad ipſam vlciſcendam, Vibidiam Veſtalem antiquiſſimam orauit, vt ſibi eius clementiam exoraret. Iis præſentibus, tanquam numinibus non factis modò, verumetiam dictis inhoneſtis abſtinebatur. Statq die in annos ſingulos ad Regem ſacrorum adibant, & ne diuinas res ſomniculoſius tractaret monebant. Num hæc tandem

Digitized by Google

aut pauca, aut parua ſunt? R. Multa vtiq;, & maxima: nec video qui Virginibus iſtis maiora ſenatus populusq; Romanus tribuere potuerit. Ac propter hæc certè meritò nec nuptiarum, nec liberorum cupidine tangi potuerunt. Nec iniuſtè virgis affectæ, & humo obrutæ: tanquam quæ præter caſtitatem proditam ingratæ etiam viderentur. Q. Ita meum quoque iudicium eſt.

Duumuiri ſacrorum.

R. A Tarquinio Superbo duos inuenio inſtitutos, qui ſacris faciundis, ſupplicationibus, lectiſterniis præeſſent, placamenta deûm, & expiationes edicerent, cærimoniarum officia exſequerentur, libros Sibyllinos cuſtodirent. Poſt pro duobus creati decem, quinq; ex patribus, ex plebe totidem. Aliquando etiam quindecim. Fertur horum numerus vel ad ſexageſimum adhuc aſcendiſſe: tametſi nomen Quindecimuirum ſemper manſit. Creabantur porrò à ſenatu, nõnunquam à Conſule, interdum à populo. Ab vrbanis muneribus, curiſq; bellicis vacatio eis dabatur. Sacras ædes dedicabant: ſi quæ votæ, eas faciebant, faciendaſúe, aut reficiendas locabant: deorum iræ placandæ expiationes indicebant. Cùm portenta nuntiarentur, conſultis libris Sibyllinis populi fata ex iis interpretabantur: nec aliter eorum decretis, quàm oraculis obtemperabatur. Ad hæc ludos celebrabãt, vota cõcipiebant, faſtos corrigebãt. Q. Quod Sibyllinorum mentionem feciſti, ſanè nihil his libris apud ſcriptores nominatius, vt nec ipſis Sibyllis. Emit hos magno Tarquinius. Siti erant in Capitolini Iouis templo, loco ſubterraneo, magnaq; cura ſeruabantur. Ad Auguſti tempora ſuperfuiſſe, & ſub Palatini Apollinis baſi conditos ſtetiſſe Tranquillus narrat. Verùm cuius nam Sibyllæ carmina iſta fuerint, in incerto eſt. R. Nec nos litem diiudicabimus. Ad Epulones veniamus. Q. Mallem quidem ad epulas veniremus: nam ego quoq;, vt ille apud Plautum, inanimentis meis explementum quærito, & demenſum ſuum venter à me exigit quamuis acriter. R. O importunum exactorem, & qui nullas conditiones accipit. Q. Nimirum quia aures non habet. R. Ego pergo ad inſtitutum.

Septemuiri Epulonum.

Veteres Pontifices, ait M. Tullius 3. de Orat. tres Epulones eſſe voluerunt, vt ludorum epulare ſacrificium facerent. Auctus deinde numerus, additique duo, ac poſtea theatralium Circenſiumque ludorum ambitione ſeptem facti. His vt pontificibus lege datum togæ prætextæ ius. Et quoniam ſacris epulis præerant, Pontificalium conuiuiorum cœnarumque, quæ adiiciales dictæ, cæremonias curabant, ipſique Ioui, & diis cæteris epulas indicendi poteſtatem habebant. Iidem ſi qua iuſta & ſolemnia ſacris deeſſent, ad Pontifices referebant: deque illorum ſententia ſacra & omiſſas cæremonias decernebant. De eorum munere Cicer. Orat. de Aruſp. reſp hunc in modum. *Ludos minus diligenter factos, pollutosq;. Quos ludos? Te appello Lentule, tui ſacerdotii ſunt thenſa, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæq; ludorum publicorum: vosq; Pontifices, ad*

Digitized by Google

Quos Epulones Iouis Opt. Max. ſi quod eſt prætermiſſum, aut commiſſum afferunt: quorum de ſententia eadem renouata celebrantur. Ludi ſunt minus diligenter facti? quanto, aut quo ſcelere polluti? reſpondebis & pro te. & pro collegis tuis, & pro collegio Pontificum, nihil cuiuſquam aut negligentia contemptum, aut ſcelere eſſe pollutum.

Salii.

Annum octauum imperante Numa, morbus peſtifer in corpora ciuium graſſari cœpit. Ibi cunctis in mœſtitudinem datis, è cœlo in manus regis ancile delapſum eſt: ſcutum breue, quod ideo ancile appellatum, quia ex vtroque latere erat reciſum: vt ſummum infimumque eius latius medio pateret, vnaque edita vox omnium potentiſſimam fore ciuitatem, quamdiu in ea manſiſſet. Affirmauit item Rex, ad ſalutem & fælicitatem vrbis miſſum Egeriam ſibi dixiſſe: proinde id aſſeruari, & vndecim alia ad illius formam fabricari oportere, quibus illud cæleſte miſceretur, ne internoſci poſſet. Id Mamurius Veturius faber ſcientiſſimus adeo bellè imitatus eſt, vt neque Numa ipſe id iam ab aliis poſſet ſecernere. Petiuit autem Mamurius præmii loco ad ſempiternam ſui memoriam, vt nomen ſuum inter carmina Salii canerent. Nam Rex deinde Salios duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen, cæleſtiaque arma, quæ ancilia appellabantur, ferre, ac per vrbem ore canentes carmina, & pugionibus, ſeu gladiolis ſcuta illa pulſantes, cum tripudiis ſolemnique ſaltatu iuſſit: à qua ſaltatione, ſeu tripudio ſaltatorio dicti ſunt Salii. Ouid. 3. Faſt. rem omnem breuiter perſpicueq; prodidit.

Ter tonuit ſine nube Deus: tria fulgura miſit:
Credite dicenti, mira, ſed acta, loquor.
A media cælum regione dehiſcere cœpit:
Summiſere oculos cum duce turba ſuo.
Ecce leui ſcutum verſatum leniter aura
Decidit, à populo clamor in aſtra venit.
Tollit humo munus cæſa prius ille iuuenca;
Quæ dederat nulli colla premenda iugo.
Idq; ancile vocat, quod ab omni parte reciſum eſt;
Quemq; notes oculis, angulus omnis abeſt.
Tunc, memor imperii ſortem conſiſtere in illo;
Conſilium multæ calliditatis init.
Plura iubet fieri ſimili cælata figura,
Error vt ante oculos inſidiantis eat.
Mamurius, morum fabrane exactior artis
Difficile eſt illi dicere, clauſit opus.
Cui Numa munificus, facti pete præmia, dixit:
Si mea nota fides, irrita nulla petes.
Iam dederat Saliis à ſaltu nomina ducta;
Armaq; & ad certos verba canenda modos.

Tum ſic Mamurius: Merces mihi gloria detur,
Nominaq́ extremo carmine noſtra ſonent.
Inde ſacerdotes operi promiſſa vetuſto
Præmia perſoluunt, Mamuriumq́ vocant.

Ad hoc ſacerdotium ſoli Patricii admittebantur, liberique & ciues tantùm, quiq; patrimi & matrimi eſſent. Quanquam verò Martio menſe ancilia è ſacrario Martis promerentur, ſi quando tamen nationibus iuſtum piumque bellum per Feciales indiceretur, ancilia in eodem ſacrario, aut in curia Saliorum commouere mos erat: quaſi eo motu Martem è ſede ſua excitum, eoque propitio, & volente arma expediri, legiones conſcribi, atque omnia hoſtilia eſſe deſignarent: qui dies religioſi, & infames ſunt habiti: & antequam conderentur, mali auſpicii erat inire ſponſalia, peregre proficiſci, aut pacis tractare fœdera, aut aliquid publicæ priuatæúe rei incœptare. Q. Poetices initium apud Romanos fuiſſe carmen Saliorum obſcuriſſimum teſtatur Varro, quod primùm Numa compoſuit. Et alia quidem in deos facta erant, dicebanturque verſus illi ab eorum nominibus Ianualii, Iunonii, Mineruii: alia in vniuerſos homines, & appellabantur axamenta, ab axare, quod eſt nominare: ſeu quod in axibus, ſeu tabulis deſcribebantur, quemadmodum apud Græcos leges. Atque iſtos quidem Salios Numa inſtituit: qui quod Marti in Palatio ſacra celebrarent, Palatini cognominati ſunt. Alii Tullum Hoſtilium auctorem numerant, de quibus hæc Dionyſius lib. 3. Pugnatum eſt ad Hercetum CVII. ad vrbe ſtadio, multis vtrinque cadentibus. Cumque tum quoque diu æquo Marte certaretur, Tullus protenſis ad cælum manibus votum diis vouit, ſi eo die Sabinos vinceret, Saturno, & Opi inſtituturum ferias, quas Romani poſt comportatas terræ fruges celebrare ſolent publicè: duplicaturumque Saliorum numerum. Hi ſunt genere nobiles, certis temporibus armati ſaltantes ad tibiæ modulos, & patrios quoſdam hymnos concinentes. Hi, vt indicat Varro li. 5. de ling. lat. Agonenſes dicti. Item Collini à monte in quo ſacrarium habuerunt. De quibus tamen vtriſque ita Seruius, citante Scaligero. Duo ſunt genera Saliorum, vt in Saliaribus carminibus inuenitur, Collini & Quirinales, à Numa inſtituti: ab Hoſtilio verò Pauorii, & Pallorii. Addit Scaliger: quos Quirinales hîc vocat, ſunt, qui aliter Agonenſes. Nam & Mons Quirinalis dicebatur Agonalis. Et hactenus de Saliis. Q. Ego in gratiam P. Clodii paulum diſſeram de ſacerdotibus Bonæ Deæ, deinde de Curionibus, & Curione Maximo, Potitiis item & Pinariis: tibi modicum quod reſtabit diſſerendum relinquam. R. Clariſſimus vir P. Clodius, ſi vera ſunt, quæ de eo oratione pro Milone leguntur. Q. Quàm diis hominibusq; inuiſum caput?

Sacerdotes Bonæ Deæ, Curiones, Potitij, Pinarij.

Sacrificabant igitur Bonæ Deæ noctu mulieres tantùm. Huius ea pudicitia fuiſſe ferebatur, vt nulli viro, præter maritum, ſe inconſpectum vnquam dederit. Dicta prius Fauna, ſeu Fatua, poſtmodum, à morte credo,

Bona

Bona dea. Domi ſuæ ſacellum matronæ omni florum, & germinum genere ornabant, Myrtum ideo non inferebant, quod ea ſacra Veneri, ipſæ autem cùm ab aliis rebus puræ, tum præcipuè à Venere, ſacra iſthæc peragebant, & omnino quidquid eſſet virilis ſexus excludebant, & ideo demium appellabatur ſacrificium, quaſi minimè δημόσιον. Etiam picturæ maſculæ ſi quæ eſſent in ædibus, tegebantur. Cic. de Aruſp. reſp. ſacra Bonæ deæ, quæ viri oculis ne impiudentis quidem aſpici fas eſt. In ead. ſacrificium Bonæ Deæ fit per virgines Veſtales, fit populo Rom. fit in ea domo, quæ eſt in imperio, fit incredibili cærimonia. Quæ tamen Clodius muliebri habitu ſexum mentitus, cùm Pompeiam C. Cæſaris Pont. Max. vxorem adamaſſet, polluit, & ab Aurelia Cæſaris matre cognitus, ac mox inde fugatus eſt. De hoc Cic. pro Milone. Cuius nefarium adulterium in puluinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt. Ad Att. lib. I. epiſt. 10. Credo te aud iſſe cum veſte mulieris deprehenſum domi C. Cæſaris, cum ſacrificium pro populo fieret, eumq; per manus ſeruulæ ſeruatum & eductum: rem eſſe inſigni infamia. Veruntamen commiſerit nec ne, incertum eſt: vxorem quidem Cæſar dimiſit, cum domum ſuam diceret non ſolùm crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis carere oportere. De ſacris Deæ huius ac ritibus multa Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8.

CVRIONES A CVRIIS nominati ſunt, quos ſingulos ſingulis curiis, vt pro ſua curia ſacra facerent Romulus præpoſuit, poſtquam populum omnem in tres tribus, & triginta curias diuiſit. Erant autem curiæ non ſolùm illæ triginta partes populi: ſed eodem etiam nomine ſingularum illarum partium ædes dicebantur, in quibus quæq; curia ſua publica ſacra obiret. Singuli porrò à ſingulis curiis eligebantur. Qui omnibus præſidebat, cuiuſque auctoritate cæteri regebantur, Curio maximus dicebatur, & is omnium curiarum ſuffragiis comitiis curiatis creabatur. Sacra quæ in curiis fiebant, curionia appellabantur, & curionium æs, quod dabatur Curioni ob ſacerdotium curionatus.

POTITII, ET PINARII ſacerdotes Herculis fuerunt, quæ ſacra vna ex *omnibus* peregrina ſuſcepit Romulus. Poſtquam enim Euander eum vt deum deſignatum, matris oraculo fidem habens ſalutauit, & illi aram eo in loco dicatum iri prædixit, quã opulentiſſima in terris gens olim maximam vocaret, eiuſque ritu coleret, dextera Hercules data, accipere ſe omen, impleturumq; fata reſpondit. Ibi tum primùm boue eximia capta de grege, ſacrum factum adhibitis ad miniſterium dapemq; Potitiis ac Pinariis, quæ tum familiæ maximè inclitæ ea tenebant loca, quoſque Hercules ſacrorum ſuorum diſciplinam edocuerat. Sed perfecto ſacrificio matutino, cùm ad ſolis occaſum eſſent ſacra repetenda, & Potitii ad tempus præſtò eſſent, iiſq; exta apponerentur, ſeu vt quidam eruditus legit potirentur, Pinarii extis adeſis ad cæteram venerunt dapem: inde inſtitutum manſit, donec Pinarium genus fuit, ne extis ſolemnibus veſcerentur. Addit Liuius. Potitii ab Euandro edocti, antiſtites eius ſacri per multas ætates fuerunt, donec tradito ſeruis publicis ſolemni familiæ

Digitized by Google

miniſterio, genus omne Potitiorum interiit: quod factum anno CD XLI. in cenſura Appii Claudii, cui poſtea Cæci cognomen fuit: ſic enim rurſum Liuius lib. 9. Eodem Appio auctore Potitia gens, cuius ad aram Maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſeruos publicos miniſterii delegandi cauſſa ſolemnia eius ſacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimouendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet. Cum duodecim familiæ ea tempeſtate Potitiorum eſſent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos, nec nomen tantum Potitiorum interiiſſe, ſed Cenſorem etiam Appium memori Deo ita poſt aliquot annos luminibus captum. Ita Hercules detractæ religionis ſuæ grauem & manifeſtam pœnam exegiſſe viſus eſt, vt ſcribit etiam Valer. lib. 1. c. 1. Proficiſcendi autem gratia iſtuc ſacrum perpetrabatur, & dicebatur, Propter viam, & propter viam facere. In eo mos erat, vt ſi quid ſuperfuiſſet ex epulis, igne conſumeretur. Hoſtia erat bos eximia quinquennis. Qui rem diuinam peragebant, lauro coronabantur: ſolemne quippe fuit in ſacris omnibus, ſeſe coronare eius numinis frondibus, cui fieret: quanquam non laurus, ſed populus Herculi dicata fuit. Quare etiam Virgilius 8. Æneid. de ſacris Herculis loquens,

Herculea bicolor cum populus vmbra
Velauitq; comas, foliisq; innexa pependit.

Et rurſum.

Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Mulieri huic ſacrificio adeſſe, vel exta tangere, aut veſci, aræue manus admouere, aut ſolemnia videre nefas. Caput nemo velabat. In templo Herculis nec lectiſternium, nec puluinar erat: ſedentes epulabantur: alius quam Hercules Deus aduocari non poterat: nec alterius cuiuſpiam Dei ara, aut effigies in eius æde apparebat, vt in cæterorum fanis. Manè & veſperi ſacrum fiebat: nec ſerui modò, & liberti, verùm & canes inde arcebantur. Atque hæc talia fuerunt: tu colophonem adde.

Luperci, Galli, Fratres aruales.

R. Euander Pani Lycæo, Syluano, ſeu Fauno, quæ idem ſunt, paſtorum Deo pro lupis à pecore arcendis ſacrum inſtituit, id Lupercal dictum, ſacerdotes Luperci. Aut etiam à monte Arcadiæ Lycæo, à quo ipſe Faunus Lycæus, & Lycæa quæ latinè Lupercalia. Capra & canis immolabantur: curſitabant paſtores per luxum atque laſciuiam, pelle caprina amicti, ſeu, vt Ouidius & alii tradiderunt, nudi, ſeu, vt Plutarchus, præcincti tantum ſubligaculis. Et in 2. Faſt. morem ſacrorum deſcribens. Huius rei cauſſas quinque adducit, ab eo loco, *Ipſe Deus velox decurrere gaudet in albis, &c.* Iuſtinus lib. 43 ita narrat. Poſt hunc (Saturnum) tertio loco regnaſſe Faunum ferunt, ſub quo Euander ab Arcadiæ vrbe Pallanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros, & montem, quem ille poſtea palatium appellauit, benignè aſſignauit. In huius radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, conſtituit: ipſum Dei ſimulacrum nudum, caprina pelle ami-

Digitized by Google

amictum eſt, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Iuuenes itaque Romani in memoriam Romuli & Remi, qui cum à paſtore Fauſtulo educarentur, cũ ſociis paſtoribus huic ludicro ſe dediderunt, ſimiliter, & perſonati currebant, obuios cædebant ſcutica è caprino tergore: quibus occurrere mulieres, & palmas ſeu dorſa ferienda dare ſolebant, inde fæcunditatem & facilitatem partus ſperantes.

GALLI Cybeles, ſeu Berecynthiæ matris Deum, ſeu magnæ matris, ſeu Ideæ matris ſacrificuli: eorum præſes Archigallus. Dicta à flumine Phrygiæ Gallo, ſeu à Gallo quodam, qui primus huius deæ ſacerdos fuit. Virilitatem ſibi Samia teſta demetebant, ſeu corpus euirabant. Licebat his ſacerdotibus ſtipem colligere. Sic enim Cic. 2. de leg. Præter Ideæ matris famulos, eoſq; iuſtis diebus ſtipem nemo cogito. Porca ei ſacrificabatur. Sunt autem hæc ſacra è Phrygia Romam translata (de qua re Ouid. 4. Faſtor.) cum huiuſmodi carmen in libris Sibyllinis repertum eſſet.

Mater abeſt, matrem iubeo Romane requiras.
Cùm veniet, caſta eſt accipienda manu.

Plura apud Florum, Pomponium Lætum, & alios qui de magiſtratibus Romanis ſcripſerunt. Venimus ad finem.

FRATRES ARVALES dicti, qui ſacra publica facerent propterea, vt fruges ferrent arua, à ferendo & aruis. Eorum inſtitutio, & origo hæc fuit. Acca Laurentia Romuli nutrix duodecim liberos mares genuerat, ex quibus cùm deceſſiſſet vnus, Romulus in locum demortui ei ſe tradidit. Et cum illa conſueſſet ſemel in anno pro agris ſacrificare, duodecim filiis ſuis ſacrificium præcedentibus, Romulus vrbe condita ab hoc duodenario numero ſacerdotes totidem aruorum eſſe voluit. Inſigne erat alba infula, qua colligebatur corona ſpicea, quam dum operarentur, ſinguli geſtabant, eoq; inſigni ab Acca primùm exornati dicuntur. Hic honor illis perennis fuit: nec vllo caſu auferri potuit, quamuis aut ab hoſtibus caperentur, aut in exilio verſarentur: cum vita tantum finiebatur. De finibus & terminis motis cognoſcebant: termini enim ſancti & inuiolati habebantur. Iuuenal.

Improbus aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum.

Turneb. lib. 21. cap. 1. non ſacerdotes illos de agris & eorum terminis iudicaſſe, ſed iudices qui de agrorum finibus cognoſcerent, mutuatitio nomine, de Fratrum arualium vocabulo, Aruales ſodales appellatos affirmat. Hæc de Romanorum diuinis poteſtatibus. Q. Volupe eſt rem fuſam admodum in iſtas ſermonis anguſtias conſtringere potuiſſe.

ANNOTATIONES.

IN SEPTEM REGIBVS) *Hi fuerunt Romulus, Numa, Pompilius, Tullus Hoſtilius. Ancus Martius, Tarquinius Priſcus, Seruius Tullius, Tarquinius Superbus, cui id cognominis facta indiderunt. Primus regnauit*

annos ſeptem & triginta: alter tres & quadraginta: tertius duos & triginta: quartus quatuor & viginti: quintus octo & triginta: ſextus quatuor & quadraginta: ſeptimus quinque & viginti. Cùm conſummaueris, inuenies regnatum Romæ ab V.C. ad libertatem annos circiter CC.XLIV. INGENIO AC STVDIIS) Florus lib.1.cap.8. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religioſius? talem res popoſcit, vt ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quàm neceſſarius: vt acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam verò Tarquinii ornamenta & inſignia, quantam principi populo addiderunt ex ipſo habitu dignitatem? Actus à Seruio cenſus quid effecit, niſi vt ipſa ſe noſceret Reſpub. Poſtremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimùm profuit. Sic enim effectum eſt, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur. IANVM CLAVSIT) De origine huius templi, eiusq́ cùm claudendi, tum aperiendi cauſſa Liuius lib.1. Regno ita potitus (Numa) vrbem nouam conditam vi & armis, iure eam, legibuſque ac moribus de integro condere parat. Quibus cum inter bella videret aſueſcere non poſſe (quippe efferatis militia animis) mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus, Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis belliq́ fecit: apertus vt in armis eſſe ciuitatem, clauſus pacatos circa omnes populos ſignificaret. Bis deinde poſt Numæ regnum clauſus fuit: ſemel T. Manlio conſule, poſt Punicum primum perfectum bellum: iterum, quod noſtræ ætati dii dederunt, vt videremus, poſt bellum Actiacum ab Imp. Cæſare Auguſto pace terra marique parta. Ovid. quoque 1. Faſt. cauſſas vtriuſque moris probabiles ponit, reſpondentem ſibi Ianum faciens.

At cùr pace lates, motisq́ recluderis armis?
 Nec mora, quæſiti reddita cauſſa mihi eſt.
Vt populo reditus pateant ad bella profecto,
 Tota patet dempta ianua noſtra ſera.
Pace fores obdo, ne quà diſcedere poſſit,
 Cæſareoq́ diu numine clauſus ero.

Huc reſpexiſſe credimus Virgilium 1. Æneid. Claudentur belli portæ. Huc item referendus verſiculus Ennianus apud Horat. Sat. 4. lib. 1.

poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portasq́ refregit:

Quem imitatus Maro in 7. dixit

& cardine verſo
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.

Cæterùm quod Liuius tantùm per Ianum fuiſſe clauſum ſcribit, idipſum indicat, quam populus Romanus à re bellica parum ſemper otii feriarumque habuit. Ex quo, cùm militaretur aſſiduo, ſtrenuos etiam milites euadere oportuit. Notatum eſt nihilominus ab eruditis, Auguſtum ipſum clauſiſſe Ianum tertiùm. Primò poſt victoriam Actiacam. Tum poſt Cantabricam. Tandem cùm orbem totum ſumma in pace regere ac deſcribere cœpiſſet: quo

Digitized by Google

quo tempore Saluator eſt natus. Poſt illum Nero, *& Titus Cæſar Hieroſolyma vaſtata, confectiſque bellis eundem clauſerunt. Quærat quiſpiam, cur Ianum belli paciſque indicem fecerint. Ei probè reſpondebit Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 14.* QVIRINO) *id eſt Romulo. Hominibus enim poſt mortem conſecratis, ſeu in deorum concilio collocatis nomina mutabantur. Lactant. lib. 1. cap. 21. Solent enim mortuis conſecratis nomina immutari: credo, ne quis putet eos homines fuiſſe.* Nam *& Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Leda* Nemeſis, *& Circe Marica: & Ino poſtquam ſe præcipitauit in mare Leucothea, materque Matuta, & Melicertes filius eius Palæmon atque* Portunus. *Cic. 1. de leg. Certè non longè à tuis ædibus inambulans poſt exceſſum ſuum Romulus Iulio dixerit, ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari, templumque ſibi dedicari in eo loco iuſſerit. Ouid. 2. Faſt. rationes nominis huius, Quirinus, varias enumerat.*

Siue quod haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis;
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.
Siue ſuo Regi nomen poſuere Quirites,
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Ibidem de eius apotheſi, de qua etiam Metamorph. *lib.* 14. VINDEXQVE CONTVMACIÆ) *Vide Scalig. in Feſt. verbo. Max. Pont.* IN QVO CVM SEMPER DILIGENTISSIMVS) *Nulla gens tam fera, immanſueta, atque immanis eſt, quam non imbuerit deorum opinio: quæ non, quamuis ignoret qualis ſit Deus, tamen Deum habendum ſciat, qui regat, qui gubernet, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſeruet, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tueatur, vt ſcripſit M.* Tull. *1. de leg. & 2. de nat. Deor. Elegerunt igitur alia ſibi alios, quibus cultum impenderent, aras, templa conderent, ſacrificia inſtituerent, ſacerdotes crearent. Quæ omnia ſuperſtitioſiſſimè Romani præſtiterunt, cùm nulla pœne res tam parua & abiecta fuerit, cui non ſuum Deum illi præfecerint.* NAM DE NOMINIS ORIGINE) *A ponte ſublicio reficiendo ductum nomen Pontificis, qui pons nullo ære ferroúe compactus, ſacer habebatur, & cùm aliqua in parte ſolueretur, aut collaberetur, niſi victima ante cæſa, perfectiſque ſacris non poterat inſtaurari.* FERIAS CONCEPTIVAS) *De his acturi ſumus progymnaſmate miſcellaneo de temporibus.* RES OMNES SINGVLORVM ANNORVM) *Cicer. 2. de nat. & 1. de leg.* IN ARROGATIONE ITEM) *Lege quæ ſcripſit Gellius libro 5. cap. 19.* DE QVA RE PLINIVS) *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratiſſima domibus ianitrix Cæſarum,* Pontificumque, *quia ſola & domos exornat, & ante limina excubat.* PALVDAMENTVM IMPERATORVM) Nonius. *Paludamentum eſt veſtis, quæ nunc chlamys dicitur. Varro lib. 6. melius ac plenius. Paluda à paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit Imperator, ac lictores mutant veſtem & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci: quæ propterea quod conſpiciuntur qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta. Liuius* Paludamentum *pro veſte militari eius qui non eſſet Imperator vſurpauit lib.*

1. cùm de Curiatio agit, quem poſtremum de tribus fratribus interfecit Horatius. LITVVS AVGVRVM) *Cicer. 2. de Diuinat. Quid lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, vnde vobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm vrbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id eſt, incuruum & leuiter à ſummo inflexum bacillum, quod ab eius litui quo canitur ſimilitudine nomen inuenit, & quæ ſequuntur, Vbi illa verba, id eſt, incuruum, &c. nonnulli gloſſema ſuſpicantur, Feſtus. Lituus appellatus eſt, quòd litis ſit teſtis. Eſt enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit, dicitur Liticen. Ennius. Inde loci lituus ſonitus effudit acutos. Conſule Macrob. lib. 6. cap. 8. Gell. lib. 5. cap. 8.* CONFARREATIO ERAT PONTIFICVM) *Tribus modis vxor habebatur, vſu, farre, coëmptione. Sed confarreatio ſolis Pontificibus conueniebat. Boëtius in Top. Ciceronis, Adeundus etiam Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 5.* QVOT CALENDIS IVNONI) *Vt omnes Idus Ioui, ita omnes Calendas Iunoni tributas & Varronis, & Pontificalis confirmat auctoritas. Quod etiam Laurentes patriis religionibus ſeruant, qui & cognomen Deæ ex cærimoniis addiderunt, Calendarum Iunonem vocantes. Sed & omnibus Calendis à menſe Martio ad Decembrem huic Deæ Calendarum die ſupplicant, &c. Macrob. libro 1. Saturnal. capite 16. Ouidius. Vendicat Auſonias Iunonis cura Calendas. Quod porrò diximus: quot Calendis pro ſingulis Calendis, ſcias licet probum & frequentatum genus eſſe loquendi veteribus, Varroni, Catoni, Plauto, Vitruuio, Iureconſultis, apud quos ſunt, quot Calendis, quot menſibus, quot diebus. Sic dicitur quotannis.* AVGVRES) *Augur, docente Feſto, ab auibus gerendoque dictus: quia per eum auium geſtus edicitur: ſiue ab auium garritu: vnde & augurium. Auguraculum antiqui appellabant, quam nos arcem dicimus: quod ibi augures publicè auſpicarentur. Ab vna igitur artis ſuæ ſpecie dicti ſunt Romanis, Græcis* οἰωνοπόλοι. ALITES QVÆ VOLATV) *Oſcines aues, quæ ore canentes faciunt auſpicium, vt coruus, cornix, noctua. Alites quæ alis, aut volatu, vt buteo, ſanqualis, aquila, immiſſulus, miluus, vulturius. Picus autem Martius, Feroniusque, & parra & in oſcinibus, & in alitibus habentur. De tripudio ſoliſtimo, quod genus auſpicii veteres maxima cura obſeruabant, multa Alexan. ab Alex. libro 1. cap. 29.* CVM POPVLO AGERE) *Id eſt, populum ad conſilium, ſeu comitia vocare, vt ait Feſtus: vel, vt Gellius, rogare populum, quod ſuffragiis ſuis aut iubeat, aut vetet: quod idem eſt. Lege agere, eſt ius lege aliqua proditum conſtitutumúe perſequi, ius experiri, in iudicio contendere. Agentes in rebus erant in militia palatina, & velut armata, qui per prouincias ſpeciebus annonariis, quæ fiſco aut vrbibus præſtabâtur ex canone, aut indictione, conuehendis importandiſque præerant. D. Hieronymus* πυροφόρους *frumentarios, & veredarios interpretatur.* PER PRÆCONEM DENVNTIABANT) *Præcias dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, vt denuntiarent opificibus, manus abſtinerent ab opere: ne ſi ſacerdos vidiſſet facientem opus, ſacra polluerentur.* AVGVSTIS INTER DIVOS RELATIS) *De Iulio Cæſare Sueton. Ampliora humano faſtigio ſibi decerni paſſus eſt ferculum Cir-*

cenſi

Digitized by Google

ſenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, Flaminem, Lupercos. Cicer. 2. Philipp. *Quem maiorem honorem conſecutus erat (à ſenatu Iulius) quam vt haberet puluinar, ſimulacrum, faſtigium, Flaminem? eſt ergo Flamen, vt* Ioui, *vt* Marti, *vt Quirino, ſic D Iulio M. Antonius?* DICAM ALIQVID DE FLAMINICA) *Flaminica dicebatur ſacerdotula, quæ Flaminicæ Diali præminiſtrabat, eaque patrima & matrima erat, id eſt, patrem matremque adhuc viuos habebat. Flaminicus Camillus, puer ingenuus patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat: antiqui enim miniſtros camillos dicebant. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis camillos vocatos. Flaminia ædes Flaminis Dialis. Ouid. in Faſt.*

Ipſe ego Flaminia poſcentem Februa vidi,
Februa poſcenti pinea virga data eſt.

Flaminia, id eſt, ex ædibus Flaminis, pro quo hodie legitur mendoſè, Flaminiam. VESTÆQVE SACRA FACERE) *Feſta Saturni & Opis filia, virginitatis præſes, cuius ſacra Æneas primus in Italiam intulit, ſibi ab Hectore commendata 2. Æneid.* Eidem condito Lauinio ædem *dedicauit. Poſt Aſcanius Alba condita in montis Albani vertice, templum eidem ſtatuit. De qua re Plinius lib. 16. cap. 2. lib. 28. cap. 2. lib 34. cap. 5. Cicer. libro 2. de nat. deor.* Gellius *libro 1. cap. 12.* STIPENDIVM ILLIS DE PVBLICO) *Stipendium à ſtipe, quod as quoque ſtipem dicebant. Nam quod aſſes libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparet: à ſtipando ſtipem dicere cœperunt. Nuncupati autem ſtipendiarii qui ſtipendium, hoc eſt, tributum penderent, qui alio nomine vectigales. In quo peccat vulgus, appellans ſtipendiarios qui ſtipendium accipiunt. Eſt cum voce ſtipendii anni quibus quis militat intelliguntur: qua notione vtitur locis compluribus* Vegetius, *& ita interpretatur Seruius principiò 8. Æneid. Stipendiarios, inquam, milites nominat Vegetius, qui aliquot iam ſtipendia habent, & eos tyronibus opponit. Non tantum, inquit lib. 1. cap. 18. à tyronibus: ſed à ſtipendiariis militibus ſalitio equorum diſtrictè eſt ſemper exacta. Vtuntur item Liuius,* T*acitus, Plaut. Iureconſ.* QVÆ VIA SCELERATA) *Sic ſceleratus vicus qua Tullia Seruii Tullii filia per patris corpus carpentum egerat, ob ſceleſtiſſimi facinoris memoriam. Dicta etiam ſcelerata porta Carmentalis, quod per eam 300. Fabii cum quinque clientium millibus egreſſi contra Etruſcos, ad Cremeram amnẽ deleti ſint.* LECTISTERNIIS PRÆESSENT) *Cùm legimus apud Liuium ſupplicatum ad omnia lectiſternia, ad omnia templa debemus intelligere: propterea quod in templis dii in lectulis, & puluinaribus cum ſuis deabus collocati ferè erant, maiorem anni partem. Iupiter cum Iunone, Latia cum Saturno, Hora cum Quirino, Maia cum Vulcano, Salacia quæ Thetis eſt cum* Neptuno, *Nerio cum Marte. Turneb. lib. 30. cap. 32.* LIBROS SYBILLINOS) *Ex Varrone de Sibyllis earumque ſcriptis hæc Lactant. lib. 1. cap. 6. Libros non fuiſſe Sibyllæ, ſed appellari vno nomine* Sibyl*linos, quod omnes fœminæ vates Sibyllæ ſint à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius Delphidis nomine, vel à conſiliis deorum enuntiandis: σιὸς enim*

deos

deos, non θεὺς: & conſilium non βουλὴν, ſed βυλλὼ appellabant Æolico genere ſermonis. Itaque Sibyllam eſſe dictam, quaſi θιοβουλλω. Fuiſſe autem decem conſtat, de quibus ſinguli auctores ſcriptitauerint, Perſicam, Libyſſam, Delphicam, Cumæam, Erythræam Samiam, Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur, Helleſpontiam, Phrygiam, Tyburtem nomine Albuneam. Cumanam libros nouem attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe, regemque aſpernatum precii magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam: illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem precium popoſciſſe. Tarquinium multo magis mulierem inſanire putauiſſe. Quæ denuò tribus aliis exuſtis, cùm in eodem precio perſeueraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus ſit auctus. Fuerunt autem confuſi, nec diſcerni poterant, qui cuius eſſet, præterquam Erythreæ, quæ nomen ſuum carmini inſeruit. Hiſtoriam de libris combuſtis prodiderunt Halicarnaſ. lib. 4. Gell. lib. 1. cap. 19. Plinius lib. 13. c. 14. Seruius in 6. Æneid. & pro Tarquinio Priſco, Tarquinium Superbum nominant. DEMENSVM SVVM VENTER) *Olim quaternos frumenti modios quolibet menſe à dominis ſerui accipiebant, idque demenſum appellabatur, à menſe, an à demetiendo? Hinc illud Terentii Phormione.*

> *Quod ille vnciatim vix demenſo ſuo*
> *Suum defraudans genium comparſit miſer,*
> *Id illa vniuerſum abripiet: haud exiſtimans*
> *Quanto labore partum.*

Plaut. Sticho.

> *Vos meminiſtis quot calendis petere demenſum cibum:*
> *Quî minus meminiſtis, quod opus ſit facto facere in ædibus?*

A Græcis σιτομέτρειον, quaſi frumenti menſura. De cuius interpretatione vocis apud D. Lucam conſulatur Budæus Pand. PONTIFICALIVM CONVIVIORVM) *vide Prouerb* Pontificalis *cœna, ad quam alluſit Horat. Ode 14 lib. 2.* QUÆ ADIICIALES DICTÆ) *Cœna adiicialis erat, quoties aut inaugurandi alicuius gratia, aut propter aliud quid, puta publicam lætitiam, indicebatur epulum, idque dicebatur epulum, aut cœnam adiicere. Tacitus Annal. 2 Reſcuporis ſanciendo, vt dictitabant fœderi conuiuium adiicit, tractaque in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolentiam, &c. Varro de re ruſt lib. 3. cap. 6. Primus hos (pauones) Q. Hortenſius augurali adiiciali cœna poſuiſſe dicitur. Quod protinus factum tam luxurioſi quàm ſeueri, boni viri laudabant. Meminit Plinius lib.* 10. *cap.* 20. THENSÆ) *Vehicula ſacra, quibus deorum ſimulacra portantar.* ἀπὸ τῶ θεῶν, *id eſt, à re diuina. Seruius in* 1. *Æneid* MARTI GRADIVO) *Conſtat è veteribus monumentis, ait Turneb. lib. 13. cap. 8. Saliorum auctorem fuiſſe Salium Arcadem, qui in Italiam cum Euandro venerat. Igitur cùm ante Romam conditam ad aram maximam inſtituta fuiſſent ab Euandro Herculi ſacra, veriſimile eſt Salium tum ei choros inſtituiſſe: vrbe autem condita ad Gradiuum* Martem *eos poſtea choros* Numa, *vt opinor, tranſtulit,*

Digitized by Google

tulit, Romanæ gentis auctorem. Fuerunt porrò Saliorum duo chori, vnus ſenum, alter iuuenum, Maro 8. Æneid. Hic iuuenum chorus, ille ſenum. Videbis iuſuper Macrob lib 1. Saturnal cap. 12. DE HOC CIC. PRO MILONE) *Et Sueton. Iulio cap. 7. In Cornelia autem locum Pompeiam duxit Q. Pompeii filiam Syllæ neptem, cum qua deinde diuortium fecit, adulteratam opinatus à P. Clodio, quem inter publicas cærimonias penetraſſe ad eam muliebri veſte tam conſtans fama erat, vt ſenatus quæſtionem de pollutis ſacris decreuerit. Et rurſum cap. 74. in C. Clodium Pompeiæ vxoris ſuæ adulterum, atque eadem de cauſa pollutarum caremoniarum reum teſtis citatus, negauit ſe quidquam comperiſſe: quamuis & mater Aurelia, & ſoror Iulia apud eoſdem iudices omnia ex fide retuliſſent. Interrogatuſque, cur igitur repudiaſſet vxorem. Quoniam inquit meos tam ſuſpicione quam crimine carere iudico oportere.* POTITI ET PINARII) *De originatione horum vocabulorum perlege quæ tradit Nannius Miſcellan. lib. 5. cap. 3.* SACERDOTES LVPVPERCI) *A lupa nutrice Romuli & Remi dictum fuiſſe Lupercal, inde Lupercos ſcribit Ouid. 2. Faſt. mauult tamen à monte Arcadiæ Lycæo: vt Luperci ſint quaſi Lycæi, λύκος autem lupus.*

Illa loco nomen fecit, locus ipſe Lupercus,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

PROGYMNASMA
QVINTVMDECIMVM.
Senatus Romanus, & Senatuſconſultum.
ANTIQVARIVS, SCISCITANTES.

ANTIQVARIVS. Qui rerum Romanarum prodidere memoriam, quorum & Latinorum & Græcorum copia non modica fuit, perilluſtrem profectò, & quamuis excellenti facundia, ingeniiſque præclariſſimis dignam, in qua verſarentur materiam delegerunt: ſiquidem nullam eſt reperire vllius populi hiſtoriam, nullam omnino Rempub. aut imperium, quod à Romano imperio amplitudine, maieſtate, virtutum præſtantiſſimarum exemplis, factorum, dictorum inſignibus; cuiuſquemodi diſciplina, & inſtitutis non longè multumque ſuperetur. Nulla, nulla ex omnium memoria ſæculorum ciuitas perinde ad omnem laudem, virtute duce, & fortuna comite graſſata eſt. Nihil ad Romanos populum victorem & pacatorem gentium Aſſyrii, nihil Perſæ, nihil Græci: quorum res geſtas, & annales ſi cum Romanorum rebus geſtis annalibuſque contenderimus, illos mulierum, hos virorum: illos anilium fabularum ſimiles, hos cum veritate congruentiſſimos iudicabimus. Adeò latè arma circumtulerunt, tot gentes ſibi parere

rere compulerunt, tantum telluris occuparunt, vt nullis propemodum metis potentiam terminarint: meritoque terrarum ac rerum domini, potentesque appellati ſint.

Iupiter arce ſua totum cùm ſpectet in orbem,
Nihil niſi Romanum quod tueatur habet,

ait in Faſtis Ouidius. Potentiſſimis igitur Regibus non aliud Romanis opibus formidabilius, nec amicitia quidquam deſiderabilius. Quintilianus tantum valuiſſe Romam exemplis aſſerit, quantum omnis Græcia præceptis. Et in præfat. operis ſui Liuius. *Cæterùm aut me amor ſuſcepti negotii fallit: aut nulla vnquam Reſpub. nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſero auaritia luxuriaque immigrauerint, nec vbi tantus ac tamdiu paupertati ac parſimoniæ honos fuerit.* Adde prudentiam, ſobrietatem, continentiam, manſuetudinem, religionem, iuſtitiam: adde virtutes omnes: nullam enim populus ille prætermiſit, quam non diligentiſſimè coleret. Quid deorum reuerentius Numa Pompilio, & Metello? Quid frugalius Curiis, Fabriciis? Quid iuſtius Brutis, Torquatis? Quid fortius Scæuulis, Coclitibus, Curtiis, Deciis? Prudentius Catonibus, Læliis? Caſtius Lucretiis, Veſtalibus? Plenæ omnes quodammodo omnium librorum paginæ Romanorum prædicationibus, per omne genus excellentiæ. Rectè idcirco M. Tull. 1. Tuſcul. Cùm à virtute, tum à re militari, & ſcientia moderandę Reipub. ita commendauit Romanos, vt eos non Græcis tantùm, ſed vniuerſis prætereà nationibus anteponeret. Operæprecium eſt verba conſiderare: ſunt enim illuſtria ſanè. *Meum iudicium ſemper fuit, omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius quàm Græcos: aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. Nam mores & inſtituta vitæ, reſque domeſticas ac familiares nos profectò & melius tuemur, & lautius: Remp. verò noſtri maiores certè melioribus temperauerunt & inſtitutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute noſtri multum valuerunt, tum etiam diſciplina. Iam illa quæ natura, non litteris aſſecuti ſunt, neque cum Græcis, neque vlla cum gente ſunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta conſtantia, magnitudo animi, probitas, fides? quæ tam excellens in omni genere virtus in vllis fuit, vt ſit cum maioribus noſtris comparanda?* S. Si ita eſt, quemadmodum tu diſſeruiſti, & nos aliter credere non poſſumus, qui nonnihil literarum guſtauimus, etſi nos in eas haud ingurgitauimus: & ſi nobilem materiam aſſumpſerunt, qui ſeu græcis, ſeu latinis litteris diuinam hanc & maximam in terris Rempublicam illuſtrarunt, nonne item eorum ſtudium commendatione afficiendum, qui eius inſtituta cognoſcere nituntur: neque aliud iucundius, quàm Romanas antiquitates peruolutant? A. Quamobrem dubitatis adoleſcentes optimi? Tam certum & indubitatum fieri nihil poteſt. S. Haud dubitamus nos quidem: ſed hoc exordium capere cuiuſdam rei voluimus. A. Cuiuſnam tandem, quæſo? S. Oneris tibi imponendi, quamuis non ita magni. A. Eia oneris? S. Vt diximus. Tametſi enim neſciremus te in pernoſcendis rebus Romanis multum laborem, vigiliamque conſumpſiſſe, & in iis

contritum

contritum eſſe, nihilominus iſta quam attuliſti in medium laudatiuncula opinionem nobis daret, te noſſe quæ laudares. Multi quidem vituperant quæ ignorant, quod more vitioſiſſimo fit: pauci laudant, quod minus intelligunt. Quam ob cauſam, quæ tua facilitas, & humanitas eſt, da te ad reſpondendum nobis de duobus capitibus, de ſenatu videlicet, ac magiſtratibus Romanis, cætera intacta prætergrediemur: niſi fortè tu ipſe de miniſtris magiſtratuum adiungere voles, maiorem gratiam ab vtroque noſtrum initurus. A. Non eſſe me omnino rudẽ & ἀμύητον in huius populi moribus, legibus, inſtitutis fateor: contuli enim ad ea percipienda plus operæ aliquanto à primo tempore ætatis, quàm nonnulli neceſſarium putabant, qui pueritiæ ſuæ, hoc eſt, puerilis inſcitię me ſocium retinere cupiebant. Semper enim in pueris ſunt, qui, quid acciderit antequam ipſi naſcerentur neſciunt. Veruntamen non reſpondebo, niſi mecũ iam nunc pepigeritis, vos de iis rebus commentarios per otium eſſe lecturos, & quę dixero, tanquam ſynopſes, ſeu breuiaria accepturos. S. Paciſcimur, & faciemus quod ſuades: & inſpeximus iſtos commentarios: quanquam nondum perſpeximus. Interea occaſionem tui percunctandi non dimittemus, modò tu nos non dimittas. Arbitramur etiam, idem ſi pulchrum ſit, vel tertium audire, aut legere, pulchrum & vtile futurum. A. Edite interrogationem. S. De appellatione ſenatus, numeroq; ſenatorum, quia id primo loco quærendum videtur, primùm audire concupiſcimus.

Appellatio, & numerus ſenatorum.

A. Nihil potritius illo Ouidiano. *A ſenibus nomen mite ſenatus habet.* Illud auguſtum, & ſummum orbis terræ conſiliũ è ſenioribus conſtabat, in quibus maturitas conſilii, bene adulta ratio, prudens, & cauta ſententiæ dictio. Apud Lacedæmonios ſimiliter, qui in ampliſſimo magiſtratu erant, ſicut erant, ita etiam appellabantur γέροντες ſenes, & magiſtratus ipſe, ſeu ordo γερουσία, id eſt, ſenatus: nec aliis ad eum gradũ patebat aſcenſus, quàm quibus id ob coniunctam cum venerãda ſenectute integritatem vitæ in pręmii loco dandũ cènſeretur. Senatũ parens vrbis Romulus cùm iã viriũ haud pœniteret, inſtituit, centũ lectis ſenatoribus: ſiue ꝙ is numerus nouæ, & paruæ adhuc ciuitati ſufficere putabatur: ſiue quia qui præterea legerentur in nouo populo non reperiebatur. Patres ab honore, patriciiq; eorũ progenies appellati. Iſto modo Liuius. Salluſtius ita. Delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reip. conſultabant. Hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabantur. Plutarch. in Romulo, quod liberorũ ingenuorũ parentes eſſent: vel quod ſuos Patres laudare poſſent: quod in illa conuenarũ colluuie, vnde prima ciuitas coaleſcebat, paucis licuit. Senatores igitur ab ætate ſola dicuntur. Patres iidem pluribus de cauſſis, vt vidiſtis. Bello Sabino confecto, Romulo eiuſque conſorti Tatio placuit altero tanto augere Senatorum numerum. Allecti centum, vt ducenti euaſerint. Poſtmodum à Tarquinio Priſco ex plebe, ad eius aucupandam gratiam denuò centum

Digitized by Google

tum additi, fuitque numerus trecentorum. L. Iunius Brutus, & P. Valerius Poplicola primi coſſ. non illi quidem priorem numerum adauxerunt, tamen à Tarquinio Superbo cædibus, & exiliis diminutum inſtaurarunt, ac ſuppleuerunt. Multum interceſſit temporis, cum à C. Graccho Trib. pleb. cooptatis ex equeſtri ordine trecentis, ſumma ad ſexcenteſimum peruenit. Verùm id diuturnum non fuit. De aliis lectionibus non eſt cur dicam. Cæſar Dictator, quod prætereundum non puto, numerum ad 900. amplificauit: quo interempto, à Triumuiris Reipub. conſtituendæ ſenatores facti homines viliſſimi, & ea dignitate indigniſſimi. De quo Suetonius in Aug. cap. 35. hunc in modum. Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erant enim ſupra mille, & quidem indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam, & præmium allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum priſtinum, & ſplendorem redegit duabus lectionibus: prima ipſorum arbitratu, quo vir virum legit: ſecunda ſuo, & Agrippæ: quo tempore æſtimatur lorica ſub veſte munitus, ferroque cinctus præſediſſe, decem valentiſſimis Senatorii ordinis amicis ſellam ſuam circumſtantibus. Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quenquam Senatorem, niſi ſolum, & prætentato ſinu. Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit: ſeruauitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra, epulandique publicè ius. Porrò creati à Romulo maiorum gentium, à Tarquinio Priſco minorum gentium, à Bruto & Poplicola, Conſcripti ſunt nominati: quod nominis deinde ad omnes pertinuit, totusque ſenatus Patres conſcripti vocatus eſt. Plutarchi verba in Romulo adducentur. Ipſi autem Romani, Patres Conſcriptos id Collegium appellant. Quod nomen & dignitatis plurimum, & inuidiæ minimum præ ſe fert. Allecti item dicebantur, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatum eſſent cooptati. Auctor Feſtus. A Græcis παρεγγεγραμμένοι. S. Quod quæſiuimus, perſpicuè nobis explicatum tradidiſti: iam de ratione lectionis audire auemus: niſi tu alio capite huic anteuertendum putas. A. Nihil eſt cur putem, ordine enim quæritis.

Lectionis ratio, & modus.

Senatus legendi officium fermè penes Cenſores erat, à quibus etiam ſenatores nonnunquam ſenatu mouebantur. Fuit cum ad illam lectionem Dictator crearetur. In legendo generis, ordinis, cenſus, ætatis, magiſtratus habitam rationem comperio. GENERIS, vt ex iis legerentur familiis, quibus ſenatus pateret. Patuit autem patriciis primùm, tum equitibus, poſt plebeis: qui quo primùm tempore in curiam venerint, ſcriptores diuerſum faciunt. ORDINIS, vt ex equeſtri potiſſimùm ordine, qui ſecundum dignitatis locum tenebat. GENVS, nam ab eo legi conſueſſe Senatorem Seneca his verbis teſtatur. Senatorum gradum cenſus aſcendere facit. Qui ideo in Senatore quærebatur & laudabatur, vt apparet, ne ſplendor ampliſſimi ordinis, tenuitate rei familiaris obſoleſceret. Atq; etiam poſtquā lectus eſſet, ſi cenſum labefactaſſet, ordine

dine excidebat: vſque adeo legi non poterat, cui cenſus Senatorius non eſſet. ÆTATIS, quam ſpectari ſolitam indicio eſt locus Gellii lib. 14. cap. 8. Præfectum vrbi Latinarum cauſſa relictum, ſenatum habere poſſe Mutius negat: quoniam ne ſenator quidem ſit, neque ius habeat ſententiæ dicendæ, cum ex ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit ſenatoria. Et ille in Maniliana. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cuius à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet imperium atque exercitum dari? Illa ætas eadem propemodum cùm Quæſtoria fuit, id eſt, anni quatuor & viginti. MAGISTRATVS, quoniam non legebantur, niſi qui honore aliquo perfuncti eſſent. Teſtimonio eſt lex illa apud Cicer. in 3. de leg. Omnes magiſtratus auſpicium iudiciumqúe habento; eqúe his ſenatus eſto. Non tamen ſi cui hæc adeſſent, is ſtatim in ſenatum aſciſcebatur neceſſariò: cùm & aſciſcendi, & prætereundi, & amouendi arbitrium ac ius omne cenſor haberet: vt quem recitandis nominibus appellaſſet, is lectus in ſenatum: quem præteriiſſet, is motus ſenatu duceretur. Porrò qui in lectione ſenatus primus nominabatur, is princeps ſenatus dicebatur: vt inter equites princeps Equeſtris ordinis. Atque is honor ferè iis tantum tribui ſolitus, qui ſummam eſſent in Repub. auctoritatem, & gloriam conſecuti. S. Qui nam fuerunt ſenatores Pedarii? aut quid nobis de iſtis ſentiendum præſcribis?

Pedarii ſenatores.

A. Diuerſas nuncupationis huius cauſſas legi. Tradiderunt quidam ita dictos, qui in ſenatu ſententiam non verbis dicerent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent. Sed enim cum in ſenatusconſulto per diſceſſionem id ab vniuerſis Senatoribus fieret, neminem non ita vocatum oportuit. Alii ſic. Senatores qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos in curiam vehi honoris gratia: quem magiſtratum qui non cepiſſent, pedibus itauiſſe in curiam. Quare nondum maioribus perfunctos honoribus Pedarios nominatos. Quam ego ſententiam non eiicio, immo approbo. Quam tertiam ex Varronis ſatyra Menippea affert Gellius de equitibus pedariis, qui in ſenatum venerint, & ſententiæ ius habuerint, relinquo. S. Etiam nobis media illa placet. Antequam autem reliqua interrogemus, de dignitate, ac poteſtate ſenatus breuiter diſſere.

Senatus dignitas, ac poteſtas.

A. Hic ordo ampliſſimus vocabatur. Cic. pro domo ſua. Quid cum ſenatum pro me non modò propugnare, ampliſſimum ordinem, ſed etiam plorare, & ſupplicare mutata veſte prohiberent, ne tum quidem vis erat? De prouinciis conſular. Reduxit me cum illo in gratiam ordo ampliſſimus, & ordo is, qui eſt publici conſilii, & meorum omnium conſiliorum auctor, & princeps. Præterea multùm ad declarandum huius ordinis ſplendorem faciunt, quæ ſcribit Liuius, de Alexandro Magno loquens. Victúsne eſſet conſiliis iuuenis vnius, ne ſingulos nominem, ſena-

 tusille,

tus ille, quem qui ex Regibus conſtare dixit, vnus veram ſpeciem Romani ſenatus cepit? Auctoritas porrò ſenatus, maieſtas populi dicebatur. Philipp. 3. Tantus autem conſenſus eſt municipiorum coloniarumq́ue prouinciæ Galliæ, vt omnes ad auctoritatem huius ordinis, maieſtatemq́ue popul. Rom. defendendam conſpiraſſe videantur. Inde læſæ maieſtatis, & auctoritatis crimina. Docet item Cicer. 3. de leg. auctoritatem in ſenatu, poteſtatem in populo fuiſſe. Vnde ille cenſere, hic iubere dicebatur. Liuius lib. 7. de bello Maced. Senatus eam pacem ſeruandam cenſuit, & populos iuſſit. Atque etiam ſenatui de ciue Romano iniuſſu populi ſtatuere non licebat. Attilius Regulus apud Liuium lib. 26. Per ſenatum egi de Campanis, qui ciues Romani ſunt, iniuſſu populi video non poſſe: idq́ue & apud maiores noſtros in Sutrianis factum eſt, cùm defeciſſent, vt M. Antiſtius Trib. pleb. rogationem ferret, ſciſceretq́ue plebs, vti ſenatui de Sutrianis ſententiæ dicendæ ius eſſet, &c. Verumenimvero à Cæſare Dictatore, ſeu tyranno deformata, & oppreſſa Repub. langueſcere cœpit ſenatus auctoritas: ac deinde poſt eius ſucceſſorem Auguſtum, cum vnius imperio omnia ſubiicerentur, penitus collabaſcere atque emori. Quo demum tempore mutata ſunt munera ſenatoria. Nihil enim de cætero negotii habuit, quemadmodum ante, in mandandis prouinciis, exercitibus decernendis, legationibus mittendis, & accipiendis, in Repub. demum ordinanda, & firmanda. Contra, munera eius hæc fuerunt (videte quàm aliena à priſtina grauitate & ſanctimonia) Principibus adulari: ad eorum libidinem ſontes inſonteſque nullo diſcrimine condemnare: flagitioſiſſimos in eorum gratiam ex reis eximere: eorum factis impotentiſſimis ſubſcribere: & in legibus iniquiſſimis auctorem fieri. Hæc omnia miſera ſeruitus ſemel eius ceruicibus impoſita extorquebat. S. O conſeſſus nobiliſſime, & ſanctiſſime, quomodo maximis tuis ornamentis tam indignè ſpoliatus es? Quantum lumen totius orbis cum ſenatu Romano extinctum eſt? Bonos quidem Principes nihil ferè, niſi ex auctoritate ſenatus ſtatuiſſe lego: ſed illi tot fuerunt, vt in vnius annuli gemma omnium facies cælari queant. Conſequens videtur, vt nos de tribus erudias. Per quos conuocari, & conſuli ſenatus potuerit, quo loco, quo tempore. A. Eodem ſeruato ordine reddam reſponſum ad ſingula breuiter, ac ſimpliciter.

Qui haberent ſenatum, item de loco ac tempore.

Recenſentur à Gellio lib. 14. c. 8. ex Varrone magiſtratus, per quos olim more maiorum ſenatus haberi ſoleret, Dictator, Conſul, Prætor, Trib. pl. Interrex, Præfectus vrbi. Quotieſcunque autem accidiſſet, vt omnes illi magiſtratus Romæ eſſent, qui eorum aliis prior eſſet, ei potiſſimùm ſenatum conſulendi ius fuiſſe: quod idem ius extra ordinem fuerit Tribunis militaribus cõſulari poteſtate, Decemviris, quibus imperium conſulare tum eſſet: item Triumviris Reipub. conſtituendæ, & Præfecto latinarum cauſa creato. Addam hoc vt corollarium. Qui ſenatum habiturus e-

ruserat, immolare prius hoſtiam, & auſpicari debebat, quò à religione inchoata res, maiorem boni euentus ſpem iniiceret.

Nefas autem erat ſenatum conſuli, ſeu ſenatus conſultum fieri, niſi in loco per Augures conſtituto, & conſecrato, quod templum appellabatur: nec ſi quod alibi factum eſſet, iuſtum legitimumq; cenſebatur. Quamobrem cùm profana eſſent curia Hoſtilia, Pompeia, Iulia, templa fecerunt Augures. Locus ipſe vbi ſenatus conſidebat ſenaculum dictus.

Ad tempus quod attinet, ſenatus aut legitimus erat, aut indictus, ſeu edictus. Prior ſtatis diebus habebatur, vt pote Calendis, Nonis, Idibus. Alter ob negotia quæ incidiſſent repentè cogebatur. Comitialibus diebus ſenatum indicere non ſolebant: ne videlicet ſenatores à ſuffragiis auocarentur, idque lege Pupia. Teſtis Cic. lib. 2. ad Q. F. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt. Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat. Sic apud Athenienſes νόμιμος ἐκκλησία dicebatur ἡ κυρία, καὶ ὡρισμένη τρὶς τοῦ μηνὸς, σύγκλητος δὲ ἡ ἐξαίφνης γινομένη διά τι κατεπεῖγον. Legitima concio, fixa ſtataque concio, quæ ter in menſe habebatur: conuocata autem, & indicta, quæ repentè, noua quadam de cauſa fiebat. Senatus conſultum, vt Varro prodidit, ante ortum, aut ſecundùm occaſum ſolis factum non erat ratum: exiſtimabanturque opus feciſſe cenſorium, per quos tum ſenatusconſultum eſſet factum. Menſis Februarius totus legationibus audiendis dabatur. Cic. ad Lentulum epiſt. 4. Senatus haberi ante Kalend. Februarias per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt: neque menſe Februario toto, niſi perfectis, (id eſt auditis, & dato reſponſo dimiſſis) aut reiectis legationibus. Hæccíne ſatis, an aliquid requiritis? S. Nihil certè. Quod ordo poſtulat, nunc de relatione ad ſenatum, & de more rogandarum ſententiarum exponito.

Relatio ad ſenatum, & rogatio ſententiarum.

A. De rebus diuinis prius, quàm humanis referebatur. Et oportebat referre aut infinitè de Repub. aut de ſingulis rebus finitè. Quoniam verò *dupliciter* ſenatusconſultum fiebat: aut per diſceſſionem ſi conſentiretur: aut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas, tenendum eſt, ordinem rogandi varium fuiſſe. Aliâs primus rogabatur, quem Cenſores principem in ſenatum legiſſent: Aliâs qui deſignati Coſſ. eſſent, poſt comitia nempe conſularia: & inter eos prior, qui priore loco deſignatus. Salluſt. in Catil. Tum Decius Iunius Sillanus primus ſententiam rogatus, quòd eo tempore Conſul deſignatus erat, de iis qui in cuſtodiis tenebantur. Quidam Coſſ. ſtudio, aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat, honoris gratia extra ordinem ſententiam primùm rogabant. Obſeruatum tamen, cùm id fieret, ne quiſquenquam ex alio, quàm conſulari loco ante omnes rogaret. Et quemadmodum in prima ſententia roganda, Prætorium Conſulari non præferebant: ſic deinde in aliis Prætorios ante Ædilitios, & hos ante Tribunitios rogabant. Manifeſtum hoc ex Philipp. 5. vbi iſta leguntur. Hoc dies [duodecim] perfecerunt, vt quem nemo præter Cotylam tum iu-

nentus ſit, qui defenderet, is habeat iam patronos etiam conſulares? Qui vtinam omnes ante me ſententiam rogarentur: quanquam ſuſpicor quid dicturi ſint quidam eorum, qui poſt me rogabuntur. Hinc ſuſpicari fas eſt, conſulares rogatos fuiſſe ante alios. S. Num toto anno Coſſ. eundem tenebant ordinem in rogando, quem Kalend. Ianuariis tenuiſſent? A. Eundem toto anno. S. Quid prætcrea in ſententiis vel rogandis, vel dicendis ſeruabatur? A. Licebat Senatores cenſentes ſententiæ rationem poſcere. Præterea arbitrarium erat Senatori, vt ſententiam rogatus diceret ante quidquid vellet aliûs rei, & quamdiu vellet. De ſcripto etiam dicere non vetabatur. Quod ſi quis in ſenatu loqui vellet, ſententiam nondum rogatus, venia à Coſſ. petita, id faciebat. Cùm venia item poſtulata, introductos in ſenatum interrogare permittebantur. Liuius lib. 20. de Carthaginenſium Legatis in ſenatum admiſſis. Cum more tradito à patribus, poteſtatem interrogandi ſi quisquid vellet Legatos, Prætor feciſſet: ſenioresque qui fœderibus interfuerant, alii alia interrogarent: nec meminiſſe ſe per ætatem (etenim omnes fermè iuuenes erant) dicerent Legati, conclamatum ex omni parte curiæ eſt, Punica fraude lectos, qui veterem pacem repeterent, cuius ipſi non meminiſſent. In ſenatusconſulto per diſceſſionem, is magiſtratus qui retulerat, ad ſenatum dicebat. QVI HOC CENSETIS ILLVC TRANSITE: QVI ALIA OMNIA, IN HANC PARTEM. Quibus verbis præibat ominis cauſſa, ne diceret, qui non cenſetis. S. Quid? omnéſne, an certum ſenatorum numerum ad ſenatusconſultum faciendum adeſſe oportebat?

Numerus ſenatorum ad ſenatus conſultum.

A. Si quæ res magni momenti viderentur, aut ad exemplum pertinerent, non minus centum requirebantur, vt ex Liuio colligitur lib. 9. de bello Maced. ſic ille, de Bacchanalibus agens. Si quis tale ſacrum ſolemne, & neceſſarium duceret, nec ſine religione, ac piaculo ſe id omittere poſſe apud Prætorem vrbanum profiteretur, Prætor ſenatum conſuleret. Si ei permiſſum eſſet, cum in ſenatu centum non minus eſſent, *ita* id ſacrum faceret. Tandem 400. adeſſe neceſſe fuit. Dio. enim *lib.* 54. de Auguſto inquit: cum videret ſenatum non ſemper frequentem conuenire, decreuit, vt eius conſulta etiam à paucioribus quàm à quadringentis fierent: prius enim non aliter, quàm eo numero conſtante rata eſſe poterant. Quod ſi legitimus ſenatorum numerus non eſſet, cuiuis ſenatori licebat dicere conſuli: NVMERA SENATVM. Duo ſenatusconſulta vno die non fiebant. Num eſt aliquid quod quæratis? S. Eſt vnum & alterum, ad quæ pari beneuolentia qua ad cætera, reſpondebis. Liberúmne erat venire, an non venire in ſenatum? an cogebantur? quo modo? aut qua tandem pœna?

Quomodo in ſenatum cogerentur.

A. Qui aberat, aut abſentiæ ſuæ legitimam purgationem afferebat, aut in culpa erat. Si in culpa, tum ei mulcta dicebatur, quæ quoad ſolueretur,

tur,

tur, pignus ab eo, aliquid nimirum de ſupellectili domeſtica auferebatur. Id ſi non redimeret, à Quæſtore ærarii vendebatur, pecunia in ærarium inferebatur. Philipp. 2. Quis autem vnquam tanto damno ſenatorem coegit? aut quid eſt vltra pignus aut mulctam? Conqueritur ibi Cic. iniuriam Antonii Conſulis, qui pignoribus captis aut mulcta indicta non contentus cogere eum in ſenatum, minatus eſt inſuper, cum fabris ſe ad domum eius diſturbandam venturum eſſe. Liuius lib. 3. Poſtquam citati non conueniebant, dimiſſi circa domos apparitores, ſimul ad pignora capienda, ſciſcitandumqúe an conſultò detrectarent. Et Cic. 3. de Orat. *Hîc* cum homini & vehementi, & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum Philippo, quaſi quaſdam verborum faces Craſſus admouiſſet, non tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribusqúe ablatis Craſſum inſtituit coercere. Ex quo loco diſcimus etiam pignora capi ſolita ab inſolenti ſenatore. S. Poſtremo nos doce, quid in ſenatusconſulto perſcribendo obſeruari ſolitum: deinde ad magiſtratus accedemus. In quo capite rurſum te nobis operam daturum ecquid promittis? A. Promitto verò. Accipite igitur, quod ſcire expetitis.

Formula ſenatusconſulti, & perſcriptio.

Facta diſceſſione, aut exquiſitis ſententiis ſenatusconſultum perſcribebatur, eratqúe mos, vt qua de re ſententiæ rogatæ fuiſſent, ſummatim prius exponeretur, hoc aut ſimili modo. Quod M. Marcellus conſul verba fecit de prouinciis, de ea re ita cenſuerunt. Quod ſi quid Coſſ. ſenatus mandaret, adiiciebatur: SI EIS VIDEATVR, Exemplum in Philipp. 9. Vtique C. Panſa, A Hirtius Coſſ. alter ambóve, ſi eis videatur, Quæſtoribus vrbanis imperent. Formulam vnam attingam ſenatusconſulti in ſententiam Ciceronis facti. Hoc autem tempore ita cenſeo decernendum. *Quod C. Cæſar. C F. Pont. Proprat. ſummo Reipub. tempore milites veteranos ad libertatem pop. Rom. cohortatus ſit, eosq; conſcripſerit, &c.* Tum enumeratis eius in Rempub. meritis adiungit. *Ob eas cauſſas ſenatui placere C. Cæſarem C. F. Pont. proprat. ſenatorem eſſe, ſententiamq; loco Prætorio dicere: eiusque rationem quacunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, ſi anno ſuperiore Quæſtor fuiſſet.* Tribuni ſenatusconſulto intercedere poterant. Gellius ex Varrone dicit intercedendi ius fuiſſe iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ii qui ſenatusconſultum facere vellent (qui nempe ſenatum cogere poterant) maioresúe eſſent. Interceſſionem barbari oppoſitionem vocant. Cæterùm cum ſenatus legitimus, id eſt, quo loco, quo die, quo numero, à quo magiſtratu oporteret habitus, aliquid vel de publica, vel de priuata re decreuerat, tum ſi ex collegio tribunorum plebis nemo intercedebat, rata ſenatus voluntas erat, & S C. dicebatur: eoqúe nomine inſcriptum publicis tabulis conſignabatur. Sin autem vel ſenatus non legitimus aliquid decreuerat, vel tribunus pl. interceſſerat, infirmum ac prorſus irritum decretum illud erat, nec S.C. ſed ſenatus auctoritas vocabatur: propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis teſtata ſenatus voluntas habere videbatur. Plura Ma-

Digitized by Google

nut. in epiſt. 2. lib. 1. ad familiares. Notabatur quoque is nominatim, in cuius ſententiam S.C. factum eſſet, & omnium nomina qui ſcribendo affuiſſent apponebantur. Statim vt perſcriptum erat, ad ærarium deferebatur, nec vltra in poteſtate ſenatus erat. S. Ergo, ſi rectè meminimus, hæc impedimenta fuerunt ſenatusconſulto. Si legitimus abfuiſſet numerus ſenatorum: ſi tempus, dies, locus non fuiſſent ſeruata; ſi quis interceſſiſſet. A. Demum peracta quaſi fabula, ſenatus à Coſſ. dimittebatur his verbis. NIHIL IAM VOS MORAMVR. P.C. Nec ego vos amplius moror. S. At nos te morabimur: de magiſtratu enim altera tibi reſtat explicatio. A. Ad longum ſermonem me vocatis.

ANNOTATIONES.

ANTIQVARIVS) *Antiquariorum nomen cadit primùm in eos, qui nimium priſcas, reconditas, & à conſuetudine ſermonis remotas voces curioſè ac putidè conſectantur, Græcis φιλαρχαῖοι: quales hodie quidam ſcriptitant, quos nominare nihil eſt neceſſe. Loquuntur ſcilicet cum Euandri matre, & quæ dicunt, neminem volunt, niſi ſui ſimiles intelligere. Quod in Tiberio Auguſtus vitio dedit, vt retulit Tranquillus cap. 86. Sed nec Tiberio parcit, & exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti. Etiam apud Gellium vetuſtè nimis ac priſcè loquens, quidam adoleſcens reprehenditur à Phauorino philoſopho lib. 1. cap. 10. Cadit deinde in eos, qui ſunt antiquitatis rerumq́ue veterum ſtudioſi, & qui ad manum, & quodammodo in numerato habent, quicquid vetuſtis temporibus geſtum eſt. Præterea antiquarij vocabantur, qui bibliothecæ codices deſcribebant, quiq́ue ideo ἀρχαιογράφοι & καλλιγράφοι dicebantur, ad diſcrimen aliorum, εἰς τάχος ſcribentium. Qua poteſtate nos hoc vocabulum vſurpemus, planum eſt.* ET LATINORVM ET GRÆCORVM) *Latinos enumerat complures Cicer. 1. de leg. Recentiores tam Græcos, quàm Latinos, recenſet in Indice ſuo Ioan. Bodinus.* PER ILLVSTREM PROFECTO, ET QVAMVIS) *Hoc deinceps ſatis, vt puto, demonſtratur laudibus Romanorum commemorandis: cui commemorationi adde ex Plinio iſtuc elogium. Gentium in toto orbe præſtantiſſima, vna omni virtute haud dubiè Romana extitit. Et illud lib. 3. cap. 15. Hic eſt ille domitor orbis populus, qui gentes & regna diribit. Florus prologo. Pop. Rom. à Rege Romulo in Cæſarem Auguſtum ſeptingentos per annos tantum operum pace belloq́ue geſſit, ita latè per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res eius legunt, non vnius populi, ſed generis humani facta diſcant. Nam tot laboribus periculiſque iactatus eſt, vt ad conſtituendum eius imperium contendiſſe virtus & fortuna viderentur. Multa de eius laudibus ſparſim Dionyſius. Item nec pauca, & præclara Macrob. lib. 7. cap. 8. ſed poëtas ad teſtimonium accerſamus.*

Ovid. 1. Faſt.

At poſtquàm fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit ſummos vertice Roma deos.

Idem

Idem 2. Faſt.

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romanæ ſpacium eſt vrbis & orbis idem.

Martial. lib. 12.

Terrarum dea, gentiumq́ Roma
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Claud. in 3. de Stilicone.

Proxime dijs Conſul tantæ qui proſpicis vrbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris,
Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur olympi,
Armorum legumq́ parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primiq́ dedit cunabula iuris.
Hæc eſt in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumq́ genus communi nomine fouit,
Matris, non dominæ ritu: ciuesq́ vocauit
Quos domuit.

Magnitudo autem imperii Romani è tribus præſertim æſtimari poteſt, ex amplitudine ditionis, potentia bellica, tam terreſtri, quàm nauali, ex ingenti pecuniæ copia. De amplitudine Strabo in fine ſexti, & libr. 17. Ioſeph. lib. 2. de bello Iud. cap. 3. Appianus proœmio hiſtoriæ Libycæ: qui non dubitat affirmare, omnes priores monarchias, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, vix dimidiatam imperij Romani partem confeciſſe. Quod idem ſentit Polybius. Potentia militaris & terreſtris non eadem ſemper fuit. Imperante Adriano, quo tempore ſcribebat Appianus, erant ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecenti elephanti, tria millia curruum: armorum verò in ſupplementum trecenta millia. Habebant porrò nauium duo millia, mille & quingentas triremes: magnas verò naues, proris puppibusq́ aureis, ad oſtentationem ſcilicet Romanæ maieſtatis, & vſus Imperatorum, octoginta. Adhæc parata erant inſtrumenta naualia eo numero, vt armandæ duplo maiori, quàm quæ dicta eſt, claſſi ſufficeret. Pecunia in diuerſis ærariis ad belli vſum fuit ſeptuaginta quinque millia talentorum Ægyptiorum. Talentum Ægyptium pendebat pondo, ſeu libras octoginta: quocirca ſingulis libris aureos centum aſſignando, vnum talentum valebat octo millia aureorum noſtrorum. Ergo tota ſumma ſexcenties dena centena millia aureorum, ſiue ſexcentos milliones. Ad tantum imperium concupiſcendum, quærendumq́ Romanos incitarunt amor libertatis, ne cuiquam ſubeſſent, cupido dominandi, laudis auiditas immenſa. Sed ad conſequendum valuit amor patriæ & boni publici, pro quo omnia, etiam vitam contemnebant. Valuit ſummum ciuilis iuſtitiæ ſtudium, & fides domi, foris erga ciues, erga hoſtes. Valuit magnitudo & conſtantia animi. Etiam victi ſemper inuicti, & in maximis cladibus erecti & interriti. Valuit ſeueritas contra repugnantes: clementia & humanitas ſingularis erga ſubiectos & ſibi de-

Digitized by Google

ſibi deditos. Valuit eximia prudentia, & grauitas in regendis populis, & diſciplina militaris ſumma perfectio. Hæc ſtrictim ex Bened. Pereria Comment. in Danielem lib. 8. SI PVLCHRVM SIT, VEL TERTIVM AVDIRE) *Platonis eſt, pluribus locis,* δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν *Bis ac ter quod pulchrum eſt. Lucianus in Dipſadibus, citans eundem* κόρος οὐδεὶς τῶν καλῶν. *Rerum honeſtarum nulla ſatietas. Horatius de pictura & poëſi egregia: hæc decies repetita placebit. Adagium contrarium ad ſummum tædium ex ignoratione indicandum,* δὶς κράμβη θάνατος. PATRES AB HONORE) *Qui Romanis Patres, & Patricij, Athenienſibus* εὐπάτριδαι, γενναῖοι, γνώριμοι. *Cæterùm pro duabus illis vocibus, latinis licet ac tritis, Cicero etiam dixit, Nobiles, aliquando Principes, Optimates. Pro Patriciis Liuius ſæpe nobilitatem ponit. Alter ordo aliâs plebs, aliâs multitudo, aliâs populus à Cicerone. Populus tamen nonnunquam ciues omnes continet, etiam Patricios ſcilicet, & Equites. Græci tantùm* δῆμος *dicunt: nos & populus, & plebs,* πλῆθος *illis multitudo eſt.* SABINO BELLO CONFECTO) *Hoc extremum fuit ob raptas virgines. Nam ea iniuria Cruſtuminos, & Antemnates quoque, non ſolùm Sabinos tangebat. Vno tamen nomine Sabinæ dicuntur, & raptus Sabinarum. Inde inſtitutum à Romulo, vt poſtea non vero, ſed ſimulato raptu omnis legitimi connubij ritus perageretur. Feſtus. Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum traditur, quod videlicet ea res fœliciter Romulo ceſſit. Catull. in nuptias Manlij, & Iuliæ.*

Collis ô Heliconij
Cultor, Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
O Hymen, Hymenæe.

EIVSQVE CONSORTI TATIO) *Inde (audita videlicet Sabinarum lamentatione, ſeſe in media tela inferentium, & dirimere infeſtas patrum, virorumq; acies conantium) aut fœdus faciendum duces prodeunt, inquit Liuius lib. 1. nec pacem modò, ſed ciuitatem vnam ex duabus faciunt, regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam, &c.* P. VALERIVS POPLICOLA) *Scripturam hanc non damnat quidem Turneb. lib. 30. cap. 38. tum propter originem, tum propter ſignificationem, latinius tamen, elegantius, & ſuauius iudicat Publicola.* DIMINVTVM INSTAVRAVIT) *Liuius lib. 2. Deinde quò plus virium in ſenatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regis diminutum Patrum numerum primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleuit: traditumq; inde fertur, vt in ſenatum vocarentur, qui Patres quiq; Conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum appellabant lectos.* QVOS ABORTIVOS VVLGVS) *Legitur etiam orcinos, & orciuos, quorum poſtremum eruditis hominibus magis blanditur, vt obſcuros, velut orco & terra natos intelligamus: præſertim cum Plutarchus* χαρωνίτας *vulgo nominatos fuiſſe narret.* CREATI A ROMVLO MAIORVM GENTIVM) *De Tarquinio Priſco Liuius. Ergo virum cætera egregium, ſecuta quam in petendo habuerat etiam regnantem*

gnantem ambitio eſt. Nec minus regni ſui firmandi quam augendæ Reipub. memor, centum in Patres legit, qui deinde minorum gentium ſunt appellati, factio haud dubia Regis, cuius beneficio in curiam venerant. Tacitus lib. 11. Iiſdem diebus in numerum Patriciorum aſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant. Quomodo porro hæc appellatio maiorum minorumq; gentium ad deos migrauerit, oſtendit ex Tuſcul. Bud. in Pand. In Academiis maiorum gentium Stoici nuncupantur, qui veri legitimiq; Stoici ſunt, quique fundamenta Stoicæ ſectæ iecerunt. NAM AB EO LEGI CONSVESSE) Cenſus ſenatorius erat triginta millia coronatorum: equeſtris duodecim millium Francicorum Bud. in Pand. AFFERT GELLIVS) lib. 3. cap. 18. HIC ORDO AMPLISSIMVS) Tres ordines ciuium Romanorum fuerunt, ſenatorius, equeſter, plebeius, Ariſtoteli τάξεις. Plin. lib. 33. cap 1. Sed annuli planè medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inſeruere: ac quod ante militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ iudices tribuunt. Nec pridem id factum: diuo Auguſto decurias ordinante maior pars iudicum in ferreo annulo fuit, iiq; non Equites, ſed iudices vocabantur, quia iudicum decuriæ ex equeſtri ordine deligebantur. Hunc eundem ordinem, ſenatorium inquam, in ea pro domo ſua, ſummum populi Romani conſilium: de Aruſp. reſp principem ſalutis mentiſq; publicæ: in Sextiana Reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem: 3. de leg. publici conſilij dominum vocat. QVEM QVI EX REGIBVS) Cyneas cùm turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiaſſet, interrogatus à Pyrrho, qualis Roma eſſet, reſpondit, Regum vrbem ſibi viſam. Sed Plutarch. reſpondiſſe ait de ſenatu, viſum ſibi βασιλέων πολλῶν συνέδριον, Regum multorum conſeſſum. AVCTORES FIERI) Auctoritas eſt interdum conſenſus maioru vel prudentioris alicuius, ſine quo res acta nihil valent, ſeu rata non ſunt. Sic antiqui vocabant auctores mulierum, ſine quorum approbatione rata non erant acta mulierum. Et Patres olim id iuris habebant, vt tum demum rata eſſent, quæ populus iuſſerat, ſi ipſi auctores fuiſſent, id eſt rem ſibi probari oſtendiſſent. Liuius lib. 1. Quod bonum, fauſtum, fælixq; ſit, Quirites, regem create, ita Patribus viſum eſt. Patres deinde, ſi dignum qui ſecundus ab Romulo numeretur crearitis, auctores fient. Idem lib. 6. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricij ſe auctores fore negabant. OPORTEBAT REFERRE) Referre aliqua de re ad ſenatum Coſſ. & ij quibus ſenatum cogere licebat, dicebantur, cum rem in ſenatu agitandam decernendamq; proponebant, rogãtes ſenatorum ſententias: Græci χρηματίζειν περὶ τῶδε. Vulgus ponere rem in deliberationem curiæ, eratq; ſolemnis in relationibus faciendis præfatio. Quod bonum fauſtumque ſit, patet ex Sueton. Aug. cap. 58. Calig. cap. 15. Neron. cap. 37. Claud. cap. 7. Domit. 15. AVT PER DISCESSIONEM) Hinc illa loquendi genera, in ſententiam alicuius ire, pedibus in ſententiam ire, idoneis ſcriptoribus tritiſſima. DICERET ANTE QVIDQVID VELLET) C. Cæſar conſul M. Catonem ſententiam rogauit, Cato rem quam conſulebatur, quoniam non è Repub. videbatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ, longa oratione vtebatur eximebatq; dicendo

diem. Cæſar Conſul viatorem vocauit, eumq́; cùm finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iuſſit: ſenatus conſurrexit, & proſequebatur Catonem in carcerem. Hac inuidia facta Cæſar deſtitit, & mitti Catonem iuſſit. Gell. lib. 4. cap. 10. DESCRIPTO ETIAM DICERE) *Philipp.* 10. *Hoc verò Q. Fuſi ſine offenſione noſtra amicitia, ſicut tecum, aut à te diſſentiens ſenator quæro: ita enim dixiſti, & quidem deſcripto. Ep.* 13 *lib* 10. *Id ex ipſo ſenatuſconſulto cognoſcere poteris: ita enim perſcriptum, vt à me de ſcripto ſententia dicta eſt, quam ſenatus frequens ſecutus eſt ſummo ſtudio. Dicitur item recitare: ſic enim Sueton de Aug. cap.* 84. *Nam deinceps neque in ſenatu, neque apud populum, neq́; apud milites locutus eſt vnquam, niſi meditata, & compoſita oratione, quamuis non deficeretur ad ſubita extemporali facultate: ac ne periculum memoriæ adiret, aut ediſcendi tempus abſumeret, inſtituit recitare omnino, Plin. ep. penult. lib.* 2. *Hortaris vt orationem amicis pluribus recitem. Faciam quod hortaris, quamuis vehementer dubitem. Neque enim me præterit, actiones quæ recitantur, impetum omnem, caloremq́; ac propè nomen ſuum perdere. Idem. Recitantium verò præcipua pronuntiationis adiumenta, oculi, manus præpediuntur. Hæc animaduerſa protuli ex illo theſauro eruditionis liberaliſſima annotationis Bud. in Pand. quē millies iam teſtem produxi, millies producam.* NVMERA SENATVM) *Feſtus. Numera ſenatum ait quiuis ſenator Conſuli, cum impedimento vult eſſe, quo minus faciat ſenatuſconſultum, poſtulatq́; vt aut res quæ referuntur diuidantur: aut ſinguli conſulantur: aut ſi tot non ſint ſenatores, quo numero liceat perſcribi ſenatuſconſultum. De ſenatu muliebri, & ſenatuſconſultis muliebribus ab Heliogabalo inſtitutis, lege Lampridium, & Vopiſcum in Aureliano.* PIGNVS AVFEREBATVR) *Capere vel auferre pignora eſt quod nunc dicimus captionem bonorum. Coërcere igitur pignoribus captis in* 3. *de Orat. Cic. dixit, quod nos cogere per captionem bonorum dicimus. Demoſth.* ἅψαϑαι τῶν κτημάτων, *quaſi manum facultatibus inijcere, quod etiam Græci dicunt* ἐνεχύραν λαμβάνεϑαι, *hoc eſt, pignora capere. Gell. lib.* 7. *cap.* 10. *Pignoris capionem hinc eſſe dictam à veteribus vt vſucapionem affirmat. Quod verò barbari arreſtare, latini inijcere manus in aliquem, vel in eius bona, vel merces: quando nimirum ille abire, vel res inde moueri aliqua auctoritate vetantur. Hinc manus iniectio. Bud.*

PROGYMNASMA
SEXTVMDECIMVM.
Ciuiles Romanorum poteſtates libera Repub.

IIDEM.

Rex.

ANTIQVARIVS. Magiſtratus regius omnibus reliquis magiſtratibus eſt antiquior, etiam apud Romanos. Primus Rex Romulus, quoniam

Digitized by Google

niam nec dum ſenatus vllus extabat, ſuorum ſuffragio creatus, niſi prius de cælo ſeruaſſet, occipere poteſtatē noluit. Quod deinde in morē verſū eſt, vt néue regnū, neúe magiſtratū quiſpiā niſi auſpicato iniret. S. Laudabile iſtuc, ſed quæ nam munera colebat Rex, aut quid efficiebat potiſſimùm? A. Hæc erant eius officia. Sacrificiis, ſacris ritibus, legibus, moribus præeſſe, de rebus grauioribus cognoſcere, minorum cognitionem ſenatui permittere: eum conuocare: populum ad concionem cogere: primo loco ſententiam dicere: quod eſſet à pluribus probatum, id ratum habere: belli auctoritatem ſummam tenere. Quo autem huic honori maior veneratio tribueretur, placitum eſt Romulo regem indui veſte purpurea: ſella vti eburnea cùm iura daret: duodecim circa ſe miniſtros habere, à numero auiū videlicet, quæ ſibi regnū portendiſſēt: aut certè à duodecim Etruriæ populis, apud quos ſinguli ſingulos regi lictores dabāt: lictores n. dicti ſunt, quorū munus, ſuccinctos, & expeditos eſſe ad pœnas ſontibus pro regis imperio infligendas. Ad eum finem duodecim virgarum faſces præferebant, intra quos totidem obligatæ ſecures, per ſummum acie prominente. Id erat indicium, vel iram magiſtratus diſſolutam eſſe non debere, hoc eſt nimis facilem & promptam: vel quòd ſolutio faſcium ad ſecurim liberandam (quod puncto temporis fieri nequit) illa morula iram mitigare, aut frangere, & ſententiam ſupplicii commutare poſſet. Virgæ illæ, vt ſcribit Plin lib. 16. ex betulla Gallica fiebant, quæ eſt candore, & tenuitate mirabili. S. Quid eſt quod virgæ, & ſecuris vnà præportabantur, & coniunctim? A. Quid ſit? Significabatur tacitè, illis ſanabilia, hac inſanabilia delicta punitum iri. Dicam apertius: amputari penitúſque præcidi oportere, quod medicina maius eſſet. Tarquinius Priſcus etiam coronam auream, ſceptrúmque eburneum cum aquila in eius apice geſtaſſe memoratur, quod reges poſteriores imitari voluerunt. S. Nunquid non etiam leges aliquas tulerunt Reges? A. Immo verò tulerunt, ſed paucas. S. Quare paucas? A. Quod eorum voluntas pro lege eſſet. S. Ideo ſolùm? A. Minimè, ſed quia ciuitas neque dum populo ſatis frequens, neque opibus locuples, legum multitudinem non deſiderabat. Inter paucos & aſſiduis bellis exercitos, nondum planè vis emerſerat: non luxuries, non illa quæ ferè opes conſequitur, malarum artium lues in vrbem inuaſerat. Regibus exactis, ſimul cum publicis opibus & noua nata vitia ſunt, & ea quæ fuerant, aucta. Proinde quemadmodum hominum diligentia morbis diuerſis varia medicamenta inuenit: ſic ad curanda ea mala, quæ latius per ciuitatem, & veluti contagia quædam ſerpebant, multas variaſque leges neceſſitas extudit. S. Prudenter hæc abs te, & verè. Num ſine cuſtodib. regē fuiſſe putandum eſt? alios nullos præter duodecim illos ſtipatores, ſeu potius anteambulones habuit, de quibus paulo antè? A. Corporis ſui cuſtodes ille trecentos iuuenes habuit, qui Celeres dicti. S. Quamobrem Celeres? A. Iam cauſſam faxo perſpiciatis, cùm de eorum Præfecto explanauero. S. De hoc igitur audiamus.

Præfe-

Præfectus, ſeu Tribunus Celerum.

A. Quomodo poſtea à Dictatore Magiſter Equitum, ſic à principio Tribunus Celerum proximum à Rege locum auctoritate ſortitus eſt. Tercentum fuerunt, robore & familia nobiles, qui regis latera aſſiduò ſtiparēt, eumque cuſtodirent, & eius iuſſa perficerent. Pugnam primi capeſſebant, pugna vltimi excedebant. Equo etiam militabant locis campeſtribus. Signati hoc nomine, vel à primo duce ſuo, qui Fabius Celer audiebat: vel à Celere quodam Romuli comite, Remique percuſſore: quem etiam nonnulli principem huic ordini præfuiſſe tradiderunt, Celeremque cognominatum, quod occiſo Remo celeriter in Etruriam profugerit, ne à Remi familiaribus viciſſim necaretur: vel certè, quod ego malo, à celeritate officii exequendi: quia nimirum quotieſcunque opus eſſet, & id rex imperaret, perceleri opera ad Reipub. ferendam opem accurrerent. Hos Flexumines poſtea, inde Troſſulos, tum equites dictos ex Feſto & Plinio apparet. Feſti verba hæc ſunt. Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus. Idem. Troſſuli equites dicti, quod oppidum Tuſcorum Troſſulum ſine opera peditum ceperint. Plin. lib. 33. Equitum nomen ſæpe variatum eſt, in iis quoque qui ad equitatum trahebantur. Celeres ſub Romulo regibuſque appellati ſunt, deinde Flexumines, poſtea Troſſuli, cum oppidum in Tuſcis citra Volſinios paſſuum nouem millia ſine vllo peditum adiumento cepiſſent eius vocabuli, idque durauit vltra C. Grachum. Iunius certè, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea Troſſulos vocabant, nunc equites vocant, ideo quia non intelligunt, Troſſulos nomen quid valeat: multos pudet eo nomine appellari, & cauſſam quæ ſupra indicata eſt exponit, inuitoſq; etiamnum tamen Troſſulos vocari. Tribus claſſibus ſeu centuriis diſtincti cùm eſſent, ſingulæ ſuos Præfectos habebant, qui Centuriones appellati. Qui præfuit ſimul omnibus, ipſis quoque Centurionibus, dictus eſt Præfectus, ſeu Tribunus Celerum. Et vt hi germanicè **Hetſchierer** / ſic ille, **der Hetſchierer oberſter Hauptman** vocari aptè poſſit. S. Placet ſane vt hi latino vocabulo Celeres appellentur. Verum, quoniam de Rege expoſuiſti, par exiſtimamus, vt antequam ad cæteros magiſtratus procedas, de Interrege, propter nominis ſimilitudinem diſſeras. A. Obſequar voluntati veſtræ, & agam haud ita multis. S. Nobis tua pauca non pauca videntur.

Interrex.

A. Totum illud interuallum temporis, quod à rege mortuo ad creationem ſucceſſoris intercedit, interregnum vocatur, quique interim cum poteſtate regia inſignibuſque præerat, Rex dicebatur. Id ex Liuio clariſſimè intelligetis, cuius locum recitabo. *Timor deinde Patres inceſſit, ne ciuitatem ſine imperio, exercitum ſine duce, multarum circa ciuitatum irritatis animis vis aliqua externa adoriretur: & eſſe igitur aliquod caput placebat,*

Digitized by Google

cebat, & nemo alteri cedere in animum inducebat. Itaq; rem inter ſe centum Patres, decem decuriis factis, ſinguliſq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum praeſſent, conſociant: decem imperitabant, vnus cum inſignibus imperij & lictoribus erat: quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque interuallum regni fuit. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum. Iam verò ſublata veteris Reipub. forma, & ad vnum redacto imperio, Interreges creari deſierunt: qui non regum modò, verum etiam Coſſ. temporibus creabantur. Nam ſi qua fortuna, aut caſu Conſules creari nequirent, ſi vitio creati eſſent, ſi reipub. cauſſa abeſſent, & comitia habere non poſſent, ſi contentio inter magiſtratus, & plebem de creandis magiſtratibus incidiſſet, ſi qua turbulenta confuſio, & neceſſitas premeret, ſi Dictatorem dici comitiorum cauſſa non placuiſſet, res ad interregnum redibat, ac per interregem comitia habebantur. Atque hæc iſto modo. S. Interregnum fortaſſe appellare nos quoque haud inſcitè poterimus illud tempus, quod in maioribus poteſtatibus Chriſtianorum, ſiue ſacris, ſiue ciuilibus inter defunctos, & ſubrogatos magiſtratus labitur. A. Qui ni? maximè immo. S. Licebit ad reliqua progrediare.

Præfectus vrbi abſente magiſtratu.

A. Quem Auguſtus Præfectum vrbis ordinarium inſtituit, de eo poſtea dicemus, cùm de magiſtratibus mutata Republ. diſſeremus: nunc de illo, qui extraordinarius fuit, cuius prima mentio apud Liuium, qui ait, Lucretium à Tarquinio Superbo rege contra Ardeates profecto, hunc Præfectum inſtitutum ac imperium in vrbe rege abſente habuiſſe. Porro ſub regibus ſemper vſitatum fuiſſe, auctoremque eius Romulum, in 9. Annalium Tacitus prodidit, iſtis verbis. *Antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, ad tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur, feruntq; à Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam, Martium, & à Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impoſitos, dein Coſſ. mandabant: duratq; ſimulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus vſurpet.* Ergo profectis in bellum regibus, hi eorum locum, & munus obtinebant, vrbanaſque res adminiſtrabant. Exactis autem regib. ante præturam inſtitutam Præfecti vrbis etiam à Coſſ. legebantur, qui pro Coſſ. præeſſent, quotieſcunque illis cum exercitu exeundum foret. Prætoribus creatis, hoc genus Præfectorum deſiit. Veruntamen Latinarum cauſſa vrbe profectis magiſtratibus, ne vrbs interea ab iis nuda omnino eſſet, domi Præfectus declarabatur, cui nullum ius, niſi illo tempore, cum populo agendi: tametſi, vt Gellius docet, ſenatũ etiam cogere poterat. Reuerſis in vrbem magiſtratibus, ipſe poteſtate decedebat. Vultis de Candidatis? S. Volumus certè. A. Ergo de his prius, tum de Coſſ.

Candidati.

Cùm magiſtratum peterẽt, petitionem ſuam apud populum in toga candida

dida profitebantur, ex quo nomen illis inditum Candidatis: & permittebatur cuiuis eſſe candidato: hoc eſt, petere honorem, qui, quod vellet, ſe obtenturum confideret. Euigilabat tamen in eo cura magiſtratus ac ſenatus, ne poteſtates aut indignis, aut contra leges mandarentur. Quare cùm ante comitiorum diem profiteri nomina oporteret apud magiſtratum, qui comitia eſſet habiturus, ſi haud indigni viderentur, cum quibus Reſpub. communicaretur, nomina recipiebantur: ſin autem, reiiciebantur, etiamſi populus eorum cauſſa omnia cuperet. Profeſſio aliquando integro anno ante comitia inchoabatur. Quia verò populi amicorumque beneuola ac propenſa voluntas magnoperè petitionem adiuuare poterat, multam ſibi candidati in ea concilianda, & adiungenda diligentiam ponendam ſtatuebant. Amicos hoc loco non tantùm propinquos àc neceſſarios, ſed eos omnes intelligimus, qui ad gratificandum petitoribus ſeſe paratos oſtenderent: ii fermè aut ſalutatores, aut deductores, aut ſectatores erant. Salutatores die ſurgente domos petitorum veniebant, ſalutemque precati recedebant: illi ſiquidem inambulantes, ſalutatoribus copiã ſui mane faciebant. Deductores tandiu in ædibus morabantur, quoad prodeuntes in forum deducerent: qui etiam obſeruare eos dicebantur. Sectatores nunquam pæne ab eorum lateribus diſcedebant. Illa autem popularis conciliatio voluntatis quatuor rebus continebatur, nomenclatione, blanditia, aſſiduitate, benignitate. Nomenclatio in eo erat ſita, vt petitor quemque ciuem ſuo vocabulo appellatum ſalutaret. Quare operam dabat, vt noſſet ſingulos, eorumq; nomina ne ignoraret: quod quoniam in tam frequenti populo fieri non poterat, Nomenclator eſt inſtitutus, qui occurrentium nomina petitori ſubiiceret, quem pro Muræna Cic. monitorem vocat: Feſtus fartorem, qui clam veluti infarciret ſalutandorum nomina in aurẽ Candidati. Blanditiam adhibebant, cùm obuios honeſtiore, & gratiore aliquo nòmine ſalutarent: vt ſi patrem, patronum, fratrem nominarent. Aſſiduitatis munera erant ambire, prenſare, rogare. Non autem Romæ duntaxat, & in foro, ſed per Italiam quoque (quibus nempe in locis multi ciues Romani negotiandi cauſſa verſarentur) ambibant. Prenſabant, cum rogantes ſimul dexteram ſingulorum prehendebant. Rogabant demum, cum precibus ſuffragium petebant, beneficiumque repoſcebant: quod munus ſupplicationis admonitioniſue aut ipſi exercebant, aut eius cauſſa claros viros allegabant, qui ſuffragatores dicti. Hi cum virtutes petitorum populo commemorabant, tum collata in eum beneficia percenſebant. Benignitas poſtulabat congiarium, prandia, gladiatores, diſtributionem pecuniarum: quibus in rebus multi patrimonia ſua conſumpſerunt. Extremis temporibus conſuetudo tenuit, vt ſuffragia præſenti pecunia emerentur. Quam ad rem miniſtri adhibiti interpretes, ſequeſtres, diuiſores. Per interpretes pactio inducebatur: apud ſequeſtres pecunia deponebatur: diuiſores nummos ſingulis diſtribuebant. Hæc de Candidatis. S. Bella & per iucunda hæc diſputatiuncula. Nunc igitur, vt recepiſti, de Coſſ. qui pulſis regibus ſupremum dignitatis gradum, ſummumq; imperium atque ius habuerunt, adeò, vt tantum no-

men

men commutatum, & duo reges pro vno facti viderentur. Certum ſiquidem eſt, quæ reges potuerunt, ea Coſſ. omnia potuiſſe.

Conſules.

A. Tribus nominibus dicti ſunt, Prætores, Iudices, Conſules, quarum appellationum rationes ex illis M. Tullii de Leg. manifeſtæ fient. *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor.* Nominati itaque Conſules ab eo, quod plurimùm Reipub. conſulerent. Hinc illud in Piſoniana. Si Conſul eſt, qui conſulit patriæ, non igitur Conſul Piſo, qui eam euertit. Varro, Cõſul nominatus, inquit, quòd conſulere populum, & ſenatum deberet: niſi illinc potius, vnde Accius in Brutó, qui recte conſulat, Conſul fiat, Græcis ὕπατος à præcellentia poteſtatis. S. Quid cauſſæ, cur duo crearentur? A. Iuſtiſſima cauſſa: vt ſi alter ſuperbius ageret, à collega, cuius par poteſtas, cohiberetur. S. Quare hic magiſtratus annum tantum durabat? A. Vt modeſtius ſe gererent, qui ſe anno euoluto priuatos iterum futuros ſcirent. S. Sine nos hoc etiam percunctari: quotus annus erat conſularis? A. Tertius & quadrageſimus: quanquam honoris, & præmii cauſſa ante legitimum tempus nonnullis conſulatus eſt mandatus, ad quem gradatim, per quæſturã ſcilicet, ædilitatem, præturam aſcendebatur. S. Licebatne continenter hoſce magiſtratus gerere, an tempus aliquod intercedere oportebat? A. Sanè inter conſulatum & præturam minimum biennium: tantundem inter ædilitatem & præturam. Nec fas abſentem, aut denuo in annum ſequentem renuntiari Conſulem: annos decem neceſſe erat interuenire. Quoſdam quartùm, quintùm, Marium ſeptimùm Conſulem fuiſſe legimus, vbi tot anni intercedere non potuerunt. Sed nos de caſu non loquimur. Atque initio patriciis tantum, poſt etiam plebeis hic honor patuit. Inſignia Coſſ. lictores duodecim cum faſcibus: ſed penes alterum tantùm erant alternis menſibus: ne ſi ambobus præferrentur, duplicatus terror videretur: & is maior Conſul appellabatur. Prior ſumebat maior natu: aut, vt quidam alii, qui plures haberet liberos. Præterea eorum erant ſella curulis, trabea purpurea, prætexta. Per conſules annorum numerus notabatur. S. De cauſſa nominis, numeri, temporis, anno conſulari, annis mediis inter magiſtratus, inſignibus cognouimus. Quid reſtat, niſi de muneribus conſularibus vt audiamus? A. Coſſ. omnes magiſtratus, præter Tribunos plebis, ſubiiciebantur. Senatum populumqúe per accenſos, & præcones cogebant: exercitus ductabant: iis prouinciæ deſcribebantur, ſeu eas inter ſe comparabant. Atque vt ne prorſus. & per omnia regiam ſibi poteſtatem vendicarent, latum eſt, vt ab eis eſſet prouocatio, & ne iniuſſu populi in ciuis Romani caput animaduerterent. In atroci tamen diſcrimine eis à ſenatu præcipiebatur, viderent, ne quid Reſp. detrimenti caperet. Tantùm coërcere poterant, & iubere in vincula duci. Principiò tamen capitalem animaduerſionem habebant: ſiquidem L. Iunius Brutus filios ſuos, alioſq; adoleſcentes nobiles morte multauit, quod aduer-

ſus

Digitized by Google

ſus patriam cum Tarquiniis conſpiraſſent. Legem de prouocatione ad populum Poplicola tulit, idemque ſecures in vrbe Conſulibus ademit, extra vrbem reliquit. Dictatori quidem ſemper præferebantur. In ſenatum legatos introducebant: de Repub. referebant: quidquid per plebem perficiendum eſſet, ad publica negotia ſpectans, ipſi exſequebantur: edicta, & ſenatuſconſulta promulgabant: militiæ ius ſummum habebant: ſalus populi iis ſuprema lex erat: ſumptus ex ærario, Quæſtore obediente, quantos videretur faciebant. Nihilominus ſenatus auctoritatem reuereri neceſſe erat. Qui conſulatu perfuncti eſſent, conſulares nominabantur, vt qui prætura Prætorii, cenſura cenſorii, & reliqui ad eundem modum. E conſularibus porro Dictatores, Magiſtri Equitum, Cenſores fiebant, omnes magiſtratus extraordinarii. S. Quia magna eſt venuſtas ordinis in rebus omnibus, etiamſi ſæpe non requiritur, ne ante quæſumus ad alios magiſtratus delabare, quàm de Proconſulibus egeris. Quanquam quid te monemus, tua ſponte id facturum? A. Et veſtrum, & meum in hoc iudiciũ ſequar, ſimiliterq; in aliis faciam, vt quæ nomine coniuncta ſunt, tractatione ipſa coniungantur.

Proconſules.

A. Poſthumio Albo, & Sp. Fuſio Coſſ. bello contra Æquos euentu infelici geſto, in magna ciuitatis trepidatione Proconſul creatus eſt, qui ſubſidium alteri Conſulum ferret. T. Quintius, & is primus hunc magiſtratum cepit. Dicti Proconſules, quod pro coſſ. mitterentur in prouinciam, eorũque vice functuri, ſeu cum imperio conſulari præfuturi. Fuerunt iis cætera inſignia communia cum Coſſ. excepto quòd ſex tantum lictores præibant. Poteſtatem Procoſ. niſi in ea prouincia quam ſortitus erat, exercere non poterat. Apud eum ſeruorum manumiſſio, & adoptio fieri poterat. Euoluto anno ſucceſſorem in prouincia exſpectabat, eiq; aduentanti obuiam prodibat, præſentique præſens prouinciam, & exercitum tradebat. Deinde intra dies 30. decedebat: quo tempore omni adminiſtratione ſuperſedebat. Si ante ſucceſſoris aduentum fortè deceſſiſſet, aliquẽ in prouincia cum imperio, vt Quæſtorem, aut Legatum relinquebat. Succeſſore, aut Vicario declarato decedebat, ſi prius pecuniæ rationes confectas apud duas prouinciæ ciuitates reliquiſſet. Romam veniens, niſi triumphum petere cogitaret, lictoribus dimiſſis, & depoſito paludamento, vrbem priuatus inibat: Si peteret, aliquandiu ad vrbem manebat, faſcibus & lictoribus donec triumpharet retentis: ſenatuque in ædem Bellonæ euocato, res à ſe geſtas exponebat, ac triumphum denique agebat. Vbi ſeu triumphans, ſeu priuatus vrbem introiſſet, poſtridie rationes referre ad ærarium cogebatur: nec multò poſt Centuriones, reliquoſque prouincialis curæ ſocios ad ærarium in beneficiis, ſi liberet, deferebat. Porrò quemadmodum ſi præclarè ſegeſſiſſet, exquiſiti cùm in ipſa prouincia, tum in vrbe honores ei habebantur: ſic contra, ſi quid deliquiſſet, iudiciorum laqueis irretitus manebat. Inprimis autem tribus

Digitized by Google

bus quæſtionibus fiebat obnoxius, peculatus, maieſtatis, repetundarum. Peculatus, ſi prædam, aut pecuniam publicam auertiſſet. Maieſtatis, ſi aut exercitum, aut prouinciam hoſti prodidiſſet: aut aliò exercitum è prouincia eduxiſſet: aut bellum ſiue S. C. intuliſſet. Repetundarum, ſi ſe in ſocios aut auarè, aut ſuperbè, aut libidinosè, aut crudeliter, aut iniuſtè geſſiſſet. Fuiſſe autem maximum proconſulare imperium inde liquet, quod Romani Principes in auſpicando imperio proconſulare ius, & imperium cum tribunitia poteſtate aſſumere ſolebant, vt ſe auguſtiores ſanctioresqúe facerent. Capitolin. in Marco philoſopho. *Poſt hæc Fauſtinam duxit vxorem: & ſuſcepta filia, tribunitia poteſtate donatus eſt, ac imperio extra vrbem proconſulari.* Lamprid. in Alexand. *Accepit imperium Alexander, cum ante Cæſar eſſet à ſenatu appellatus, mortuo ſcilicet Macrino, Auguſtumqúe nomen idem recepit, addito, vt & patris patriæ nomen, & ius proconſulare, & tribunitiam poteſtatem, & ius quintæ relationis deferente ſenatu vno die aſſumeret.* Vopiſcus in Probo. *Decerno igitur Patres conſcripti, votis omnium concinentibus, nomen Cæſareum, nomen Auguſtum: addo proconſulare imperium, Patris patriæ reuerentiam, Pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, tribunitiam poteſtatem.* Nunc de Dictatore.

Dictator.

S. Vnde nam hoc illi nomen? A. Vel quòd à Conſule diceretur: vel quòd eius dicto omnes audientes eſſent: vel ab auctoritate dictandi, id eſt, iubendi quæ vellet. Cauendum ſiquidem putauit ſenatus, ne inuidioſum ei moleſtumqúe nomen imponeret, qui eſſet in ciuitate libera poteſtatem ſupremam ac planè regiam, extra ordinem tamen, habiturus. Dictus item Magiſter populi. Prodebatur ab altero Conſulum, auſpicatò, ſub noctem, ſilentiò: tametſi interdum & populus eum, & ſenatus creabant. S. Quantum nos aſſequi poſſumus, neceſſe fuit magnis de cauſſis hunc magiſtratum induci. A. Magnis vtique. Cùm populo aucto crebra bella exiſterent, & quædam acriora à finitimis inferrentur. Cùm ſeditio maior eſſet ſedanda. Cùm in peſtilentia, aut ſeditione clauus eſſet figendus. Cùm habenda comitia, maiori magiſtratu abſente. Item feriarum Latinarum, ludorum Romanorum cauſſa, quòd ſignum daret mittendis quadrigis: ad ſenatum denique legendum, quod bello Punico ſecundo propter ſolitudinem curiæ inſtitutum eſt. S. Quid eſt, obſecramus, quod de clauo figendo dixiſti? A. De ea re verba Liuii è lib. 7. proferam. *C. Genutio, L. Æmilio Mamerco II. Coſſ. cum piaculorum magis conquiſitio animos, quam corpora morbi afficerent, repetitum ex ſeniorum memoria, dicitur, peſtilentiam quondam clauo à Dictatore fixo ſedatam. Ea religione adductus ſenatus, Dictatorem Claui figendi cauſſa dici iuſſit, &c.* Simulatque porrò id, cuius cauſſa creati erant, impleuerant, abdicabant: nec vltra menſem ſextum durabat poteſtas: niſi quod in magnis periculis, nonnullis ad annum Dictatura continuata fuit. Hinc illa lex apud Cic. *Aſt quando duellum grauius, diſcordiæue ciuium eſcunt, œnus, ne amplius ſex*

 menſes,

menſes.ſi ſenatus creuerit, idem iuris quod duo Coſſ.teneto: iſq́ue aue ſiniſtra dictus, populi Magiſter eſto. Primus Sylla dictator perpetuus: alter Cæſar, cuius dictatura Reipub.exitium fuit, cum qua etiam ipſe magiſtratus interiit. S. Hic vexauit omni ſcelere Rempub. ô male præcinctum puerum, in quo multi Marii. Iam eius magnitudinem poteſtatis declara. A. Creato Dictatore omnium aliorum magiſtratuum iuriſdictio, præterquam Tribunorum ceſſabat. Non illi duodecim, ſed quatuor & viginti lictores cum faſcibus, & ſecuribus præibant. Pactiones & fœdera eius iniuſſu inita nulla erant, & abrogari poterant. Sine ſenatus, aut populi conſilio ciues Romanos in vincula coniiciebat, & indicta cauſſa morte afficiebat. Honores aliis mandare, aliis auferre, conſulatu deiicere poterat. Salus ciuium vniuerſorum, ius de tergo vitaq́ue, iudicis libertas, aræ, foci, & Dii penates, inſuper bona coniugis, & liberorum pudor, pudicitia eius tutelæ, poteſtati fideiq́ue credebantur: cognationes quoque, capita rerum habere, in exilium agere, bonis interdicere, bellum, pacem, fœdera, ſocietatesq; etiam iniuſſu populi facere, & dirimere eius arbitrii, & iuris erat. Siue delectum habere vellet, ſiue ad hoſtes ducere, aut aliquos auxilio iuuare, eius dicto parere oportebat: cuius arbitrium erat pro numine. Omnium denique negotiorum plena penes illum, ac ſine prouocatione poteſtas. Si quando in conſulis prouinciam iret, ſine lictoribus, aut aliquo inſigni honorum, Conſul veritus maieſtatem viri, ſolus procedebat, priuatúsque vbi Dictator erat, & ſine magiſtratu cenſebatur. Verùm quamuis tanta eſſet eius maieſtas, tamen vt ſine aliquo circumſcriberetur, equo vehi niſi permiſſu populi non poterat. Quoties ſe abdicaret, prius abire magiſtratu Magiſtrum Equitum oportebat, ne cum proximam Dictaturæ dignitatem obtineret, Dictatore deſito aliquid moliretur. Neque ante deponebat Dictaturam, quam iuſſu Patrum prius Coſſ. creatis, qui Reipub. præeſſent. Tum pauca, & modicè locutus, à populo & primoribus Patrum frequenti amicorum officio ſtipatus, cum gratulatione, & gaudio domum deducebatur, quod ferè omnibus magiſtratibus commune fuit.

Magiſter Equitum.

Mox vt dictus erat Dictator, ipſe ſibi Magiſtrum Equitum dicebat, vt plurimum hominem conſularem, aut alioqui induſtrium: qui ſic appellabatur, quòd ei ſumma poteſtas eſſet in Equites, vt Magiſtro populi ſumma in populum. Erat velut imperii ſocius, conſiliorumq; eius moderator. Et omnino quale officium, ſeu dignitas fuit poſtea apud Imperatores Præfecti prætorio, aut Regum temporibus Tribuni Celerum; talis apud Dictatorem Magiſtri Equitum: cui ſubiectus erat, ac citra eius voluntatem nihil audebat. Abſente Dictatore, eius munus ipſe ſuſtinebat. De hoc lex eſt apud Cic. quam docti hoc modo legunt, eſt enim corrupta in codicibus peruulgatis. *Equitatum quicunq; regat, habeto pari iure, vel par ius cum eo, quicunq; erit iuris diſceptator*: voluntque Ciceronem parem Magiſtri equitum poteſtatem facere imperio prætorio. Aliquando, ſed raro,

Varrò, Dictatores ſine Magiſtris Equitum conſtituti ſunt. Sequitur vt de Cenſoribus diſſerendum ſit. S. Non tu illorum times ſupercilium? non animaduerſiones, ſubſcriptiones, notas, ſtylum? A. Nihil horum.

Cenſores.

Cenſoribus, qui & Magiſtri morum, nomen Varro inditum ait, quòd ad eorum cenſionem, id eſt, arbitrium populus cenſeretur. Feſto Cenſores dicti, quod rem ſuam quiſque tanti æſtimare ſolitus ſit, quanti illi cenſuiſſent. Liuius lib. 9. appellatos narrat, quòd cenſui præeſſent. Perutilis Reipub. cenſus, à Seruio Tullio primum inſtitutus: ſiquidem publicè intereſt ſciri, quæ ſint priuatorum facultates, vt cum tempora poſtulauerint, omnes pro portione in commune conferre cogantur: & ob id ſanè inuentus cenſus, quem principiò reges ipſi, deinde Coſſ. agebant. Poſtremo Cenſores creati anno CCCX. ex viris auctoritate virtuteqúe claris, & vt plurimum conſularibus. Quinquennalis erat poteſtas: nam quinto quoque anno noui creabantur: tametſi nonnunquam annua, immo etiam ſemeſtris facta eſt: nec poſt Martium Cenſorem vlli fas fuit iterum cenſuram capeſſere. Mors cenſoris omen infauſtiſſimum habebat ea de cauſſa, quòd eodem anno Cenſor diem ſummum expleuerat, quo Roma à Gallis fuiſſet occupata: vt eius obitus tam diram calamitatem prænuntiaſſe videretur. Collegam quoque confeſtim magiſtratu abire oportebat: nec ante creationis tempus quiſquam in demortui locum ſuccedebat. Iam verò cenſus hac ratione fiebat: Edebat quiſque nomen, & tribum ſuam, numerum familiæ, liberos, ſeruoſqúe, prædia ac poſſeſſiones ſuas, & quantum ex eis caperet. Quæ omnia in libros cenſuales referebantur. Luſtrabant vrbem quinto, quoque anno, quod ſpatium dicebatur luſtrum, & ſuoue taurilia faciebant. Legebant ſenatum: locabant publica, ſingulorum mores obſeruabant, & de iis iudicabant, & ignominia quos videretur notabant: ſenatorem loco mouebant: equiti equum, & annulum adimebant: & quidquid probitatem impediret, tollendum curabant: ex quo Magiſtri morum dicti. Si quis agrum ſuum paſſus fuerat ſordeſcere, eumqúe indiligenter curabat, ac neque arauerat, neque purgauerat: ſiue quis arborem ſuam vineamqúe habuerat derelictui, opus cenſorium feciſſe iudicabatur; & fiebat à Cenſoribus ærarius. Præterea ſi quis Eques Romanus equum haberet gracilentum, aut parum nitidum, impolitiæ notabatur, id eſt, incuriæ. Scipio & Popilius omnes ſtatuas circa forum, quæ non eſſent populi, aut ſenatus ſententia poſitæ ſuſtulerunt. Fullonibus modum in poliendis veſtibus fuiſſe ab eis præfinitum auctor Plinius. Cenſu peracto Senatorum, & Equitum nomina recitabantur: qui erant præteriti, dignitate ſua ſpoliati intelligebantur. Notati à Cenſoribus, non ideo per omnem vitam vt infames honoribus excludebantur: Etenim cum illi plerunque fama ſolùm laborantem, etiam indicta cauſſa notarent, à ſucceſſoribus, aut à iudicibus, aut à populo re cognita priſtino loco reſtituebatur, vel etiam nouus illis honos decernebatur. Deniq; Cenſoria officia, quæ epiſt. 10. li. 3. dicit eſſe maximi animi,

ſummiqúe conſilii, paucis complectitur in 3. de leg. Cicero his verbis. *Cenſores populi, æuitates, ſoboles, familias, pecuniasq́; cenſento: vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populiq́; partes in tribus deſcribunto: cælibes eſſe prohibento: maiores populi regunto: probrum in ſenatu ne relinquunto: bini ſunto: magiſtratum in quinquennium habento: reliqui magiſtratus annui ſunto.* Item Trebellius Pollio in Valeriano etiam paucis hunc in modum. *Suſcipe cenſuram, quam tibi detulit Romana Reſpub. quam ſolus mereris, iudicaturus de moribus noſtris. Tu æſtimabis qui manere in curia debeant: tu equeſtrem ordinem in antiquum ſtatum rediges: tu cenſibus modum pones: tu vectigalia firmabis: diuides ſtatum; respublicas recenſebis. Tibi legum ſcribendarum auctoritas dabitur, Tibi de ordinibus militum iudicandum eſt. Tu arma reſpicies: tu de noſtro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentiſſimis iudicabis: excepto deniq; Præfecto vrbis Romæ, exceptis Coſſ. ordinariis, & ſacrorum Rege, ac maxima virgine Veſtalium (ſi tamen incorrupta permanebit) de omnibus ſententias feres.* Exempla cenſoriæ ſeueritatis complura extant apud Valer. Max. lib. 2. ca. 9. Cenſuram idem ſcriptor inſigniter commendat, pacis magiſtram cuſtodemq; vocat. Nam vt opes pop. Rom. in tantam amplitudinem Imperatorum virtutibus exceſſerunt: ita probitas & continentia cenſorio ſupercilio examinata eſt. Opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodeſt, foris eſſe ſtrenuum, ſi domi malè viuitur? Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis iniiciantur manus: niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus ſedem ſtabilem non habebit. S. De ſeueritate quidem illud legiſſe meminimus, eos ciuem Romanum paulò altius in publico oſcitantem ignominia affeciſſe. A. Tamen illud quoq; legiſtis, cum hoc legeritis, vbi reſciſſent id non in continentia, ſed valetudine factum, hominem illico reſtituiſſe. S. Ita eſt. Ab initio non magno orta quàm magnis aucta eſt incrementis? Nunc quam potiſſimùm diſputationem huic ſubtexere eſt animus? A. Quam? de Prætoribus. S. Et nobis huius magiſtratus cognitio adſcripta veterum intelligenda, vti aliorum quoq;, non leue præſidium afferet. A. Hæc pæne ſola cauſſa eſt, cur veſtræ voluntati morem gerendum putauerim.

Prætores.

Conſules olim ius dicebant: qui cum & bello foris gerendo, & iure domi dicundo nimiùm onerarentur, nec poſſent labori ſufficere, Prætor creatus eſt, qui quod in vrbe ius redderet, vrbani cognomen accepit. De hoc ita edictum apud Cic. 3. de leg. *Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicariúe iubeat, Prætor eſto: is iuris ciuilis cuſtos eſto: huic poteſtati parento. Quotcunque ſenatus creuerit, populusúe iuſſerit tot ſunto.* Siquidem poſt annos aliquot cum Prætor vnus non ſufficeret, quod multa peregrinorum turba in ciuitatem conflueret, alius Prætor creatus eſt, quem, quòd plerumq; inter peregrinos ius dicebat, Peregrinum cognominarunt. Idem & Prætor inter peregrinos, & Prætor inter vrbanos, & peregrinos nomina-

nominabatur. Quòd autem plerumque dixi, ideo dixi, quia etiam ciuibus ius dicebat, & ſæpiuſcule idem Prętor vtramq; iuriſdictionem exercebat. Et quidem ambo iuriſdictionem habebant tantùm, id eſt, merum imperium: gladii enim poteſtate carebant, quam in vrbe ſolus populus habebat, aut is, cui eam populus, aut in magno aliquo Reipub. diſcrimine ſenatus ad certum tempus dediſſet. Quare nec ſecures magiſtratibus in vrbe præferebantur. Atq; vt ne lateret ciues, quod ius de quaque re dicturus eſſet, ſeq́ue præmunirent, edicta proponebat, quæ edicta Prætorum, ius honorarium effecerunt. De hoc Cic. in Verr. lib. 1. Qui plurimum tribuunt edicto, Prætoris edictum legem annuam eſſe dicunt. Tu edicto plus complecteris, quàm legę. Si finem edicto Prætoris afferunt Kalend. Ianuarii, cur non initium quoq; naſcetur à Kalend. Ianuarii? Iuris dicundi munus his verbis tribus comprehendebatur: do, dico, addico: Prætoris ſiquidem iuriſdictio, & poteſtas, tribus rebus circumſcribebatur: & concedenda agendi poteſtate ei qui petiuiſſet: & iure inter litigantes dicundo: & re de qua agebatur adiudicanda. Primum illud dicebatur dare agendi poteſtatem. Secundum ius dicere, ac reddere. Tertium addicere, id eſt, adiudicare. Inſignia prætoria, prætexta, ſella curulis, equi albi, haſta, gladius. Illa ad iuriſdictionem: hic ad quæſtionem ſignificandam. Vrbanus inſuper lictores duos, ſiue vt placet aliis, 6. habebat, qui turbam coercebant, aut ſummouebant. Scribis vtebatur, qui actiones in tabulis perſcribebant. Item Accenſis, qui citarent, & horam eſſe tertiam, aut meridiem admonerent. Par erat vtriusq; poteſtas, alterq; alterius decreto poterat intercedere. Dignitate vrbanus anteibat: ideo maior, & Peregrinus contra minor appellabatur. Apud Vrbanum ſoli ciues agebāt. Apud eundem lege agebatur. Idem edictum in albo proponebat. Creati tandem Prætores ſex, quorum qui dicti ſunt duo, ius dixerunt tantùm, nō de vllo crimine quæſiuerunt: niſi ſi quando in eis fortè extra ordinem mandatum eſſet. Alii quæſtionum publicarum, id eſt, publicorum criminum, de repetundis, maieſtate, ambitu, peculatu, parricidio, de falſo, &c. quæ quæſtiones non ſemper eædem fuerunt, neq; vllæ erant ordinariæ: Sulla Dictator eas conſtituit, id eſt, certas quaſdam & ordinarias eſſe voluit, de parricidio, de ſicariis, &c. quas quotannis Prætores ſortirentur, & exercerent. Ideo dictæ quæſtiones perpetuæ: tum quod lege erat præſcripta quædam forma perpetua iudicii de his rebus exercendi, ne noua ſemper lege opus eſſet: tum quod annuam Prouinciam in his quæſtionibus exercendis illi Prætores peragerent: non quemadmodum antea fieri ſolebat, vt cum ita caſus tuliſſet, vt quærendum videretur, tum primum crearentur qui quærerent, ſtatimq́ue hoc abſoluto iudicio poteſtatem quærendi de eadem re non haberent. Sulla denuo quatuor adiecit, vt eſſent decem. Alii deinde alios, vt aliquando octodecim ius dixerint. Addam quæ reſtant de Prætoribus.

Prætores prouinciales, Proprætores.

Prouinciis principiò præfecti ſunt Prætores, qui & ius prouincialibus di-

Digitized by Google

cerent, & ſi res poſtularet, bellum adminiſtrarent. Auctior deinde factus Prætorum numerus, quoniam & prouinciarum. Sed quia ſæpe tumultus ac bella grauiora exiſtebant (quæ initio per Coſſ. tantùm gerebantur) hinc etiam Coſſ. commiſſæ prouinciæ, vt duo potiſſimum ordinarii prouinciarum rectores fuerint, Prætores qui in prætura, & Coſſ. qui periculoſiore vrgente bello in conſulatu prouincias adminiſtrarunt. Creabantur comitiis centuriatis. Inſignia eorum eadem quæ Prætorum Vrbanorum: tempus annus integer. Qui porro in Græciam cum imperio mittebatur, non Græciæ, ſed Achaiæ Prætor, Proconſulue nominabatur. Quod ideo factum docet Pauſanias in Achaicis, quia ſubegerunt Græciam Romani, Achæis Græciæ principatum obtinentibus: victis igitur illis, vnà reliquas Reſpub. ciuitatesque Græcorum in poteſtatem ſuam redegerunt.

Propratores appellati, qui prorogato imperio in prouinciis vltra legitimum tempus manſerunt. Quo etiam nomine vocati, qui ex priuatis ad bellum gerendum, non ad gubernandam prouinciam miſſi. Item qui prætura in vrbe geſta, ſub finem anni in prouincias profecti, eis præfuerunt, quorum imperium & poteſtas eadem quæ Procoſſ. niſi quod 6. tantùm lictores, & prouincias minores obtinuerunt. Pertinent porrò etiam ad Proprætores, quæ de Proconſulum profectione in prouincias, & comitatu, de imperio, iuriſdictione, curatione, deceſſione dicuntur. Admonet me locus, vt de legatis Propræt. atque adeo Procoſſ. ſubiungam.

Legati Procoſſ. & Propræt.

Legatos Varro definit lib. 4. qui lecti publicè, quorum opera conſilioque vteretur peregrè magiſtratus, quiue nuntii ſenatus aut populi eſſent. Animaduertitis igitur duo fuiſſe Legatorum genera: alios qui voluntatem Senatus ad alios nuntiarent: alios qui præſidibus prouinciarum attributi, auxilio eis adeſſent, & in partem curarum laborumque venirent, vt Procoſſ. & Propræt. Comites igitur, & adiutores hi à ſenatu dabantur: aut eius permiſſu ab ipſis Præſidibus aſciſcebantur: aut lege aliqua extra ordinem deligebantur. Numerus erat minimum trium. Nec dubitandum, habitam in eo rationem gradus prætorii & conſularis, ipſius prouinciæ, belli, hominis. Quamobrem nonnullis Legatorum numerum auctum fuiſſe legimus. Qui rem militarem coluiſſent, cupidius legebantur: item qui aliis ipſi prouinciis præfuiſſent. Quin & frater fratrem, & filius patrem Legatos ſibi adiungebant. Quo de munere, etſi ſatis dictum videtur, tamen dicamus iterum. Vicarii quidam erant, & cum Præſidibus molem rerum ſuſtinebant: ac nihilominus lictoribus, faſcibusque vtebantur. Priuatarum tantum cauſſarum cognitionem habebant, in quibus non ſua, ſed mandata auctoritate vtebantur: & ſi quid occurreret, quod eſſet maioris diligentiæ opus, ad Procoſſ. remittebant. Ius in cuiuſquam caput animaduertendi nullum illis erat, nec atrociter verberandi. Si tamen abeſſent Procoſſ. à prouincia, tum Legatis committebantur, quæ animaduerſionem poſtularent. Iudices litigantibus, tutores etiam pupillis dare

lis dare Legatus poterat, & cuſtodiarum quæ per prouinciam inſtationibus eſſent diſpoſitæ, cognitionem habebat. Si procoſſ. aut Propræt. ante ſucceſſoris aduentum de prouincia decederet, Legatos interim, vel Quæſtores præficiebant, qui & ipſi Procoſſ. aut Proprætores appellabantur. S. Faciendum videtur, vt quoniam de Legatis quædam attuliſti, de Conſulum Legatis adiicias: quod fortaſſe voluiſti, ſed oblitus es. A. Conuenientius quidem de iis egiſſem, poſtquam egi de Coſſ. Veruntamen ne nunc quidem omnino locus alienus eſt. S. Ita iudicamus etiam nos.

Legati Conſulum.

A. Conſulibus ſortitis prouincias, ſenatus plerunque ex plebe aut Patribus, nonnunquam ex Prætoriis aut Conſularibus Legatos vel præſentes legebat, vel abſentes nominabat, viros prudentia nobiles, quibus ſecundum Coſſ. totius prouinciæ legionumque, atq; exercitus cura mandabatur: quique illis eſſent omnium negotiorum adiutores, & conſiliorum adminiſtri: quibus ſuadentibus, aut diſſuadentibus arma vel ſumebant, vel deponebant: quique eorum decreta cum fide & cura exſequebantur, & prouincias ſæpe ab hoſtili incurſu defendebant, atque in officio retinebant, & abſentibus vel impeditis Coſſ. ſummam rerum ipſi adminiſtrabant. Conſiliorum & fortium factorum, ac virtutis, & ignauiæ cuiusq;, qua cura, fide, diligentia, quaq; diſciplina militari duces exercitui & caſtris præfuiſſent, ſi quid fictum vanumque, aut parum integra veritate afferrent, locupletiſſimi teſtes erant: ſoli denique geſta Conſulum diligenti æſtimatione perpendere debebant. Veruntamen Coſſ. liberum tenebant imperium: Legati ad imperium, & præſcriptum Conſulis agebant omnia. Si quid per Legatos in prouincia abſentibus Coſſ. & dum eorum vicem gerunt, fortiter ac dignum laude, & triumpho geſtum foret, poterant ſine Coſſ. ſuo iure ac merito triumphare. Et quoties Conſuli imperium prorogabatur, etiam ea prorogatio ad Legati munus pertinebat. Item Lictores cum faſcibus habuerunt. S. De Ædilibus, Tribunis, Quæſtoribus, & aliis fortaſſe ſupereſt vt diſputes: tu eum tenebis ordinem, qui tibi placuerit magis: noſtra quidem haud multum intereſt, dummodo plenam operam naues commodis noſtris. A. De tribus Ædilium generibus prius.

Ædiles plebis, Curules, Cereales.

Ædiles plebis ex plebe creabantur, non diſſimiles Græcorum Agoranomis: ſacras & priuatas ædes curabant: Tribunorum permiſſu cauſſas leues iudicabant: iis qui plus quàm lege definitum eſſet agri poſſiderent, diem dicebant, matronas probri accuſabant: fœneratores coercebant: popinas & ganeata obſonia inhibebant: in facta, dicta inciuilia, & improba animaduertebant, mulctamque indicebant. Decretorum, plebiſcitorum, ſenatuſconſultorum cuſtodia ad eos pertinebat: frangere poterant, quæ in via publica iter impedirent: menſuras item iniquas, & pondera iniuſta corrigebant: de aleæ luſibus cognoſcebant: cloacæ publicæ,

Digitized by Google

aquæductus, & cætera ædificia vt lauta, munda, integra & expedita ſeruarentur curabant.

Curules à ſella curuli qua vehebantur dicti ſunt, Plutarcho maiores Ædiles. Creabantur ex Patriciis, de qua iniuria Tribunis conquerentibus, conuenit inter eos & ſenatum, vt alternis annis ex plebe crearentur: poſtea promiſcuum fuit. Munus horum Cic. Verr. ſatis expreſſit in hæc verba. *Nunc deſignatus ſum Ædilis, habeo rationem quid à populo Rom. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæq; faciendos: mihi Floram matrem populo plebiq; Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primùm Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione, Ioui, Iunoni, Mineruæq; eſſe faciendos: mihi ſacrarum ædium procurationem: mihi totam vrbem tuendam eſſe commiſſam: ob earum rerum laborem, & ſollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius, imagines, ad memoriam poſteritatemq; prodendam.* Hæc Cicero. Ad eos abſentibus vel impeditis Coſſ. ſumma rerum, & maieſtas imperii conſularis ſæpe delata eſt. Curabant etiam vt templa, theatra, ſtadia, fora, porticus, baſilicæ, atq; mœnia magnificis operibus ornarentur, & inſtaurarentur. Lege cautum erat, ne quis Romanorum quid ſcriberet, niſi ante ad Ædiles curules acceſſiſſet, atq; ab iis poteſtatem impetraſſet. Eorum muneris etiam fuit, cuilibet ordini ſuum locum aſſignare. Ad eoſdem maximè pertinebant cauſſæ & lites redhibitionum, id eſt, quibus agebatur de rei vitio, quam quis vendidiſſet, aut commutaſſet. Cum Kalend. Ianuariis iniſſent, non aliter quam prætores edictum proponebant: in quo quemadmodum de ſingulis controuerſiis ius eſſent dicturi, populum præmonebant. Annus quo petere Ædilitatem licebat, erat ſeptimus & triceſimus.

Cereales vocati, quòd Cereri, hoc eſt frumento ſeu annonę præeſſent, à C. Iulio ex patriciis inſtituti. Dabant operam hi præparando, conuehendoq; frumento, & oleo, ne vrbs penuria rerum ad victum neceſſariarum conflictaretur: & quæ bello vſui eſſent, commeatus nempe, in caſtra deferrentur. Ideo Manius, Martius, & Trebeius quod in ſumma caritate frumentum populo in modios aſſibus dedere, commeatusqúe inuexere, ſtatuas in capitolio & palatio cum titulis honorum meruere. Videtur huic Ædili ſubſeruiiſſe, quem PRÆFECTUM ANNONÆ vocabant. Eius partes, videre, ne plebs inopia & caritate annonæ grauaretur: ſed panis copia redundaret, & vt is pondere iuſto, ac munditia debita veniret. Si quid ad annonam ſpectans commiſſum eſſet, ipſe cognoſcebat. Munera eius explicant Caſſiodor. lib. 6. Variar. & Seneca de Breuitate vitæ, cap. 18. & 19. Videndus Lipſius, Elect. lib. 1. cap. 8.

Tribuni plebis, Tribuni militum, ſeu militares conſulari poteſtate.

De duobus Tribunorum generibus accipite. Regibus exactis, cum multis an-

tis annis nulla concederetur pop. Rom. à bellis ceſſatio, plurimi quibus eſſet res tenuior, tum propter frequentes expeditiones, tum propter tributa, aliaque opera cogebantur nomina facere. Poſtea cum ſoluendo non eſſent, à creditoribus in ſeruitutem vincti rapiebantur, miſereque habebantur. Et quia nec debitorum remiſſio, nec ſubleuatio impetrabatur, populus auctore Sicinio à Patribus in montem Auentinum (qui poſtmodum ſacer dictus eſt, quod illic plebs arma non ſumpſiſſet) ſeceſſit: nec ante in vrbem reuocari potuit, quàm Patres per legatos, quorum princeps Menenius Agrippa, nexorum ſolutionem, & tribunatum plebis obtuliſſent. Rediit, creati Tribuni duo. Inde additi tres, poſtremo facti decem. Tribunos vult appellatos Varro, quod ex Tribunis militum primũ facti. Militum autem Tribunos, quod terni è tribus tribubus, Ramnenſium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mitterentur. Creati porro his conditionibus: vt eſſent patroni ac defenſores plebis, contra vim ac poteſtatem ſenatus, præſides & cuſtodes libertatis: vt eſſent ſacroſãcti: nec vnquam per dictaturam tollebatur poteſtas tribunitia. Quemuis contra vim à ſuperiore intentatam tueri poterant. Quibuſuis decretis licitum erat iis intercedere. Curiam quidem intrare fas non erat: ad limen eius ſedebant, actaque ſenatus examinantes accuratiſſimè, modò probabant, modò damnabant. Si probaſſent, T. litteram ſuppingebant: qua nota ſignificabant, ſe eadem cenſuiſſe. Quemcunque vellent, arreptum in concionem perducebant: quibus de rebus interrogaretur, reſpondere cogebant. Veruntamen homines turbulenti ac ſeditioſi, multò plus iuris, quàm conceſſum eſſet ſibi ſumpſerunt: Conſulumque, & ſenatus auctoritatem vehementer labefactarunt, & ſeſe maximarum turbarum auctores atque duces ſæpiſſimè præbuerunt. Extra vrbem pernoctare non erat eis integrum: nec abeſſe totum diem, niſi feriis Latinis. Prehenſionem habebant, vocationem non. Domus eorum interdiu noctuque, tanquam portus, & commune perfugium patebat. Si cæteri omnes Tribuni ſtatuiſſent aliquid, vnicus autem refragaretur, ad irritum res cadebat. Poſt magiſtratum Dictatori, & Conſuli capitis diem dicere poterant. Porro Tribuni cum Patribus & Patriciis multa extorſiſſent, tandem etiam hoc ad populum tulerunt, vt tribunos militum, qui pro Coſſ. eſſent, tam ex plebe, quàm ex Patribus promiſcuè liceret fieri, de Coſſ. nihil immutaretur. Creati A. Sempronius Atratinus, L. Attilius, T. Clælius patricii omnes: ſiquidem plebs eo duntaxat contenta fuit, quòd eius habita ratio videretur. Penes hos itaque Tribunos eadem poteſtas fuit, quæ penes Conſules, cum iiſdem inſignibus: nomine tantum differebant.

Quæſtores vrbani, ſeu ærarii, prouinciales, parricidii, Proquæſt.

Quæſtorum vocabulum, vt placet Varroni, à quærendo ducitur, & dicti Quæſtores, qui conquirerent pecunias publicas, & maleficia, quæ trium-

uiri capitales nunc conquirunt. Ab his poſtea qui quæſtionum iudicia exercerent, quæſtores dicti, nimirum, quaſi quæſitores. Ex hiſce verbis duo fuiſſe Quæſtorum genera perſpicimus, ærarii & parricidii, ſeu rerum capitalium. Fuit & tertium, prouincialium, de quo poſtea. Nunc de primo. S. Cùm ſint etiam qui Proquæſtores dicuntur, magiſtratus vtique prouincialis: ſi eum non omittis, de quatuor Quæſtorum generibus dicturus videris. A. Non omittam. Primus ergo magiſtratus vrbanus Quæſtura: annus petitionis eius ſeptimus ſupra viceſimum. Ex variis Quæſtorum officiis præcipua hæc fuerunt: Curam gerere ærarii, & *vectigalium populi* Romani. Pecuniam publicè, vel priuatim erogare, vel in ærarium condere, atque in tabulas accepti atque expenſi referre. Cùm exercitus ſcribi, & in campum legiones duci oporteret, ſigna militaria ex ærario depromere, atque ad Coſſ. in expeditionem profecturos mittere. Reges Romam venientes, pro dignitate pop. Rom. excipere: illis obuiam venire, curare hoſpitium: muneribus illos colere: ne qua res deſit proſpicere: ſi ægrotent, curam eorum ſuſcipere: ſi moriantur, è publico eis funus facere: Apud Quæſtores è bello redeuntes ac triumphum petentes. Imperatores iurare cogebantur, nihil falſi ſcriptum ad ſenatum de hoſtium occiſorum, amiſſorumquè ciuium numero: alioqui triumpho excidebant. Prædam ex hoſtibus captam vendere: pecuniam inde redactam in ærario reponere, ſenatuſconſulta aſſeruare. Imperium nullum habebant: non ſellam curulem, non lictores, non viatorem, nec vocationem, nec reprehenſionem. Apud Prætorem à priuato in ius vocari poterant. Poſterioribus temporibus Quæſtores etiam orationes & epiſtolas Principum in ſenatu recitabant. Tranquillus in Nerone cap. 15. Orationes ad ſenatum miſſas præterito Quæſtoris officio, per Conſulem plerumque recitabat. Idem in Tiberio cap. 6. Vt orationes etiam recitaret Quæſtoris vice. Tacitus lib. 16. Oratio Principis in Senatu per Quæſtorem eius audita eſt. Dicuntur hodie Quæſtores Magiſtri computorum, poſſuntque Præfecti ratiociniorum appellari. S. Quam ingens ſylua vocabulorum non latinorum in linguam latinam irrepſit? Et quidem per ſolam inſcitiam: nam qui vel modicè literas Ciceronis, Liuii & aliorum ſcriptorum veterum attigerunt, infinita ſuis nominibus efferunt, quæ iſti barbari vel impropriis, vel Gallicis, aut Italicis, vel ineptis demum circuitionibus exprimunt. A. Vera dicitis, & Budæus in ſuis libris admodum multa emendat, quem vobis commendo. Ad reliqua decurram.

Quæſtores cum Coſſ. Prætoribus in prouinciam mittebantur, quanquam ſæpe aut multò ante, aut multò poſt eos proficiſcerentur. Rem pecuniariam curabant, ita vt ſtipendium exercitui perſoluerent, viaticum Legatis, cohorti prætoriæ ſuppeditarent, atque in alios demum vſus impenderent, vectigalia exigerent, Romamquè ad ærarium tranſmitterent. Hodie theſaurarii bellici. Quam autem pecuniam ex ærario Romæ accipiebant, attributa dicebatur. Cicer. Ver. 3. Ne diutius teneam, pecunia attributa numerata eſt: profectus eſt Quæſtor in prouinciam,

Digitized by Google

venit in Galliam expectatus ad exercitum conſularem cum pecunia. Poteſtatem ac nomen Imperatorum, ſeu Præſidum ipſorum obtinebant, ſi illi non exſpectato ſucceſſore de prouincia deceſſiſſent. Lictores, & togam prætextam habebant: iure dicundo conuentus circumibant: iudices & recuperatores dabant. Quanta autem neceſſitudo Quæſtori cum ſuo Præſide interceſſerit, declarabunt loci aliquot M. Tullii. In Diuinat. *Sic enim à maioribus noſtris accepimus, Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere: nullam neque grauiorem, neque iuſtiorem cauſſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publici muneris ſocietatem. Quamobrem ſi iure poſſis eum accuſare, tamen cùm is tibi parentis numero fuiſſet: id piè facere non poſſes.* Philipp. 2. ait hanc Quæſturæ coniunctionem maiores liberorum neceſſitudini proximam eſſe voluiſſe. Videndus idem 2. de Orat. & Plin. epiſt. 15. libro 4. Vt autem in caſtris Prætorium dicebatur Prætoris tabernaculum: ſic etiam Quæſtorium Quæſtoris. Liuius libro 10. Itaque captum Quæſtorium, Quæſtorque ibi Panſa occiſus. Cic. pro Plancio, Theſſalonicam me in Quæſtorium perduxit.

De Quæſtoribus parricidii iſta legi. Cùm Coſſ. iniuſſu populi de capite ciuis Romani non poſſent iudicare, Quæſtores à populo conſtituebantur, qui capitalibus rebus præeſſent, & hi Quæſtores parricidii nominabantur, quorum etiam lex XII. tabularum meminit. Feſtus. Parricidii Quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſſa rerum capitalium quærendarum. Nam parricida non vtique is, qui parentem occidiſſet, dicebatur; ſed qualemcunque hominem. Ideo forſitan, quia parem occidiſſet; quippe cùm omnes homines natura inter ſe pares ſint. Deinde ad probandum legem Numæ Pompilii recitat. SI QVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARRICIDA ESTO. Quæ clauſula, PARRICIDA ESTO, in omni re capitali ponebatur. Cic. 2. de leg. ſacrum ſacróue commendatum qui clepſerit rapſitúe, parricida eſt. Id eſt, Capital eſto. Quòd porro hoc ſæculo quidam patricidam, non parricidam ſcribi volunt, cum rationi, tum librorum veterum conſenſioni, & auctoritati repugnant. Huius magiſtratus in ſcriptis antiquorum tenuis eſt relicta memoria, vt de eo vix aliquid certum affirmare poſſimus. Non videntur certè ſumendi de ciuibus ſupplicii poteſtatem habuiſſe, contra, quàm nonnulli credunt. Etenim cum id ne Coſſ. quidem permitteretur, quorum tamen inter ordinarios magiſtratus præcipuum ſcimus fuiſſe imperium, quî poterimus in animum inducere, aliis licuiſſe? Forte hoc tantùm eorum munus fuit, vt quærerent, & re cognita, aut abſoluerent, aut pronuntiarent, videri feciſſe: tum referri ſolitum ad populum.

Proquæſtor qui mortuo Quæſtori Præſidi erat Quæſtoris loco. Item qui Quæſtore non exſpectato ſucceſſore decedente, prouinciæ interea præerat, quam ab ipſo Prætore, aut Conſule accipiebat. Ad Decemuiros nos transferamus. S. Vehementer ſuper his erudiri cupimus: & erit, vt putamus, non minus huius, quàm aliorum magiſtratuum nobis vel neceſſaria, vel iucunda ſcientia. A. Rectè putatis.

Digitized by Google

Decemuiri legibus ſcribendis, & litibus iudicandis.

Cùm tuliſſent leges quaſdam Reges Romani, pauciores tamen, quàm quæ ciuilibus controuerſiis diſceptandis ac diiudicandis ſatis eſſent, quas quidem ſine ordine latas Papyrius Pontifex Max. in vnum corpus collegit, de ſuo nihil appoſuit, quod ius ciuile Papyrianum vocatum eſt, vixit populus ſine lege certa, ſine certo iure. Pulſis regibus, omnes illæ leges rogatione L. Iunii Bruti, qui tum Tribunus Celerum erat, & in eo honore vltimus, exoleuerunt. Hinc iterum iure magis incerto populus viuere cœpit, annis prope LX. quod ne diutius fieret, viſum publica auctoritate conſtituendos decem viros, per quos leges à Græcis ciuitatibus Romæ fundandæ peterentur. Ergo anno CCLXXXIX. Sp. Tarpeio, A. Aterio Coſſ. Legati tres in Græciam miſſi, qui leges, & inſtituta Græcorum cognoſcerent, Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, Seruius Sulpitius Camerinus. Tertio poſt anno cũ legibus reuerſi ſunt, T. Menenio, P. Seſtio Coſſ. Deſignati iam erant in annum ſequentẽ Coſſ. Ap. Claudius, T. Genutius, qui cum ex S. C. abdicaſſent, creati ſunt Decemuiri, cum imperio conſulari ac regio, ſine prouocatione, legum ferendarum ſcilicet. Eorum nomina hæc feruntur. P. Seſtius Coſ. prioris anni, Coſſ. ipſi qui abdicàrant, Ap. Claudius, T. Genutius, tres Legati, Sp. ſcilicet Poſtumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpitius Camerinus, præterea T. Romilius, C. Iulius, P. Curatius, S. P. Veturius. Has leges perſcriptas in tabulis æreis decem propoſuerunt, vt poſſent apertius percipi, datumq; iis ius ſummum eo anno, vt leges & corrigerent, ſi opus eſſent, & interpretarentur. Cæterum cùm animaduerteretur aliquid deeſſe iſtis primis, ſequenti anno per alios decem duæ tabulæ prioribus adiectæ ſunt, atq; ita velut corpus omnis Romani iuris abſolutum eſt. Hæc origo XII. tabularum, quarum ferendarum auctorem decemuiris fuiſſe Hermodorum quendam Epheſium exulem in Italia ſcribit Cicer. 5. Tuſcul. Laërt. in Heraclito. Strabo lib. 14. Creati igitur rurſus in annum ſequentem noui Decemuiri, manente ex prioribus tantum Ap. Claudio, vt id quod deeſſet ſupplerent, & legum iam latarum obſeruationem à volentibus nolentibus exigerent. Cùm verò hi ſtatim initiò adminiſtrationis ſuæ conſpiraſſent, ne quis ex collegio vlla in re alteri aduerſaretur, ſed quod vni eorum placuiſſet, id cæteri omnes approbarent: neúe comitia haberent, perpetuoq; imperium retinerent: neúe quenquam alium ad id admitterent, ipſiq; pari honore, pari poteſtate eſſent, ſenatuſconſultis, plebiſcitis nonniſi raró, idq; neceſſario vterentur, cum multa tyrannicè agerent, ſinguli cum ſingulis inſignibus regis prodirent, accedente etiam cæde Siccii, & iudicio Virginiæ, Decemuiri damnati, & ſublata poteſtas tertio anno poſt, quam in Remp. introducta fuiſſet.

Porro etiam creati qui haſtæ præeſſent Decemuiri, & dicti Decemuiri litibus, aut vt veteres loquebantur, litibus iudicandis, hoc eſt rebus. Nam lites iudicare, & res iudicare idem. Nam & res, & lis idem. Vnde illud in veteri

Digitized by Google

veteri formula. QVAM REM, SIVE LITEM DICERE OPORTET. Indidem res proferri, & ad res rediri. Meminit horum Cic. in Orat. Perſ. Planè duumuirorum iudicium aut triumvirorum capitalium, aut decemuirorum litibus iudicandis dico nunquam. Haſtæ ſubiiciebantur ea quæ publicè venundabant. Quæ venditiones in foro fiebant, ad ædem Saturni, in qua erat ærarium, & eis antiquitus Quæſtores præerant, ad quos cura pecuniæ publicæ pertinebat. Colligitur ex Capteiuis Plauti. Sed cùm diſtraherentur aliis occupationibus, prætereaque ſoli huic muneri non ſufficerent, creati ſunt Centumuiri, qui & haſtæ præeſſent, & res iudicarent. *Feſtus*. Centumuiralia iudicia à Centumuiris ſunt dicta. Nam cum eſſent Romæ triginta, & quinque tribus, terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum, qui Centumuiri appellati ſunt. Et licet quinque amplius quàm centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, Centumuiri ſunt dicti. Veruntamen è Centumuiris decem tantum erant magiſtratus, qui dicebantur Decemuiri litibus iudicandis. Hi cogebant iudicia centumuiralia. Lucanus carmine ad Piſonem.

Seu trepidos ad iura decem vocat haſta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice cauſſas.

S. Iam deſcendere neceſſe erit à decem ad octo, ſeptem, quinque, tres, duos etiam: minores enim numeri, quod nos non fugit, cum voce vir coniunguntur in magiſtratibus quibuſdam, quorum explicationem quoque, vt perfectum quiddam fiat, exſpectamus. A. Non ante quieſcam: quam ad huius curriculi metam pedes me pertulerint. Quærendi defatigatio turpis eſt, ait M. Tullius, cùm id quod quæritur ſit pulcherrimum. Quod ille dixit de quærendo, vos de audiendo, ego de diſputando intelligam æquè dici potuiſſe. Quin, ſi vultis, continenti ſermone quæ reſtant abſoluam. S. Ita facias licet: amplius verborum nihil interponemus.

Quinqueviri menſarii, turribus muriſque reficiendis, cis & vls Tiberim.

A. *Improbitas* fœneratorum, & magnitudo æris alieni qua plebs opprimebatur: Quinqueuiros menſarios creauit, quod factum anno CDI. inclinatus ſemel in concordiam animis. Leuarunt rem fœnebrem noui Coſſ. P. Valerius Poplicola, C. Martius Rufus, & ſolutionem æris alieni in publicam curam verterunt, creati Quinqueuiri, & menſarii à diſpenſatione pecuniæ appellati, meritique propter diligentiam, & æquitatem æternam ſui per omnium annalium monumenta memoriam. Fuere C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papyrius, Q. Publius, T. Æmilius, qui rem difficillimam tractatu, & plerunque vtrique parti, ſemper certè alteri grauem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quàm iactura ſuſtinuerunt. Tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum, quàm facultatibus, menſis cum ære in foro poſitis diſſoluerunt, vt populo prius caueretur: aut æſtimatio æquis rerum pretiis liberauit: vt non modò ſine iniuria, ſed etiam ſine querimoniis partis vtriuſque exhauſta vis ingens æris alieni ſit. Hæc Liuius lib. 23.

De

De aliis Quinqueuiris idem. Comitia deinde à Prætore vrbano de ſenatus ſententia, plebiſq; ſcito ſunt habita, quibus creati Quinqueuiri turribus, muriſque reficiendis. Comitiis tributis intelligite. Et quia magiſtratus veſpertinis temporibus in publico verſari nec decorum, nec tutum cenſebatur, propter inimicitias quas illi ſibi conciliant: & multos neceſſe eſt timeat, quem timeat multi, conſtituti ſunt Quinqueuiri cis & vls Tiberim, qui poſſent pro magiſtratibus fungi. Vls veteres pro vltra dixerunt. Non igitur tam magiſtratus erant, quàm magiſtratuum vicarii.

Quatuoruiri curandarum viarum.

Fuit etiam vetuſtis temporibus permagna ſenatus in reficiendis, muniendis, faciendiſque viis tam intra, quàm extra vrbem diligentia. Quod munus cum fuiſſet primùm Cenſoribus commiſſum, cum illi demum aliis multis officiis diſtinerentur, & operam huic neceſſariam ſuppeditare nequirent, ſeparatim ei rei curatores ſunt inſtituti. Propriè tamen Duũuiri viam extra vrbem, Quatuoruiri intra vrbem curabant: De Triumuiris paulò longior erit ſermo, quia eorum plura genera.

Triumuiri capitales, nocturni, valetudinis, monetales, Reipublic. conſtituendæ, coloniæ deducendæ, iuuenes idoneos ad arma conquirendi, curatores tribuum.

Triumuiris capitalibus (qui & treſuiri, & treuiri) cuſtodia carceris tradebatur: & cùm in quempiam plagis animaduertendum eſſet, id iis præſentibus fiebat, quibus octo lictores ſubſeruiebant. Hoc totum ex Plautina Amphit. Aſin. Aulul. Perſa colligitur. Horat. ſectus flagellis hic triumuiralibus. Salluſt. Catil. Triumuiros, quæ ſupplicium poſtulabant, parare iubet. Latomiis etiam præerant. Ad columnam Mæniam in foro quæſtionem in eos exercebant, qui cùm ciues non eſſent, nihilominus in vrbe habitabant. De facinoroſis, furibus, ſeruis improbis, & infimis hominibus tantùm cognoſcebant: quanquam nondum conſtitutis publicis quæſtionibus etiam de aliis maleficiis, quod ex Aſinaria diſcimus. Sacramenta item exigebant, quam pecuniam in res diuinas conferebant. Sacramenti nomine id æs dici cœptum, ait Feſtus, quod & propter ærarii inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Obſeruandum, eos ſua ipſorum manu in damnatos non animaduertiſſe, ſed eorum iuſſu lictores, & carnifices, quales fuerunt Athenis vndecimuiri, vt ex Phædone Platonis conſtat.

Datum nomen Tribunis nocturnis; quòd excubarent, & incendiis reſtinguendis præeſſent, familia circa portas muroſque diſpoſita, vnde etiam, ſi vſus poſtularet, vocabatur. Meminit horum Cornelius Tacitus: Triumuiri nocturni, inquit, quòd ad incendium in ſacra via ortum tardè

vene-

Digitized by Google

Venerant, à Trib. pl. die dicto damnati. Hos poſtea Præfectos vigilum dictos oſtendit Pomponius Iurecoſ. his verbis. Præfectus vigilum cognoſcit de incendiariis, & effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus, & vt inquit Paulus de officio Præfecti vigilum, apud vetuſtiores incendiis arcendis Triumuiri præerant, qui ex eo, quod excubias agerent, nocturni ſunt dicti.

Tribunorum valetudinis, niſi in vetuſtis numiſmatis, nulla reperitur apud antiquos ſcriptores mentio. Quales ſunt noſtra ætate, qui alicubi peſtis cauſſa creantur, & domini ſanitatis appellantur: quibus ſuſpectis de contagione temporibus non parua poteſtas conceditur.

Monetales Triumuiri cudendæ monetæ præfuerunt, nominati etiam A.A.A.F.F. id eſt, auro, argento, ære, flando, feriundo. De his accipiendus locus Cic. ad Trebatium. Treuiros vires cenſeo: audio capitales eſſe, mallem auro, argento, ære eſſent.

Iam verò cùm Iulius Cæſar in ſenatu eſſet interfectus, Octauianus ab eo adoptatus, anno IↃCCX. conſul cum Q. Pedio, Hirtio, & Panſa ad Mutinam occiſis, nihil moliebatur aliud, quàm vt interfectores patris ſui vlciſceretur. D. Bruto ad Aquileiam interempto, M. Brutus Macedoniam, Caſſius Syriam ex S.C. obtinebant. Octauius cum Antonio, & Lepido de ordinanda, & corrigenda Repub. conſultauit. Conuenit vt in quinquennium omnia pro arbitratu, neque ſenatu, neque populo conſulto agerent: ſuas quiſque prouincias ſortiti ſunt, Romamque ingreſſi, ſuos ſinguli inimicos proſcripſerunt, in quibus plurimi equites. CXXX. ſenatores, & in hoc numero etiam M. Tullius. Inierunt triumuiratum V. Kalen. Decemb. ab. V. C. DCCX. Cùm per quinquennium geſſiſſent, ſe in alterum quinquennium renuntiarunt. Non multò poſt nato diſſidio inter Octauium & Lepidum, Octauius eum perſecutus, Triumuiratum ademit, ſupplicem vita donauit. Pòſt in Antonium mouit, quo victo, ipſe etiã Triumuiratu abiit. Non vltra decennium hic magiſtratus in Repub. fuit. Quanquam dubitari poteſt, ecquid hic triumuiratus poteſtatibus annumerandus ſit. Quæ enim præter iuſſum, & auctoritatem ſenatus, per libidinem dominandi arripiuntur, tyrannides potius dicendæ, quàm magiſtratus.

Et quia mos Romanis, nunc hos, nunc illos Italiæ populos ſubiugatos parte agri multare, & in eam colonias deducere, aut in iam ante condita oppida nouos colonos ſui generis adſcribere, quæ coloniæ tanquam præſidia in bello partis imponebantur, cum ad plebiſcitum, aut S. C. factum, vt colonia deduceretur, & numerus colonorum ſcriptus, creabantur comitiis tributis curatores, qui deducerent, interdum tres, interdum quinque, ſeptem, decem, viginti. Qui inde Triumuiri, Quinqueuiri, Septemuiri, Decemuiri, Vigintiuiri coloniæ deducendæ. Item Quinqueuiri, Septemuiri, &c. agris dandis attribuendis. Agros enim nouis colonis diuidebant, vrbes deſignabant: ædificare volentibus, areas partiebantur: commodis regionibus vrbem diſtinguebant: legibus & magiſtratibus formabant: & ad ſpeciem optimæ gubernationis Remp. effingebant.

Secun-

Digitized by Google

Secundo autem bello Punico Coſſ. cum ægrè delectum conficerent, quòd inopia iuniorum non facilè in vtrumque, vt & nouæ vrbanæ legiones, & ſupplementum veteribus ſcriberetur, ſufficiebat, ſenatus abſiſtere eos incepto vetuit, & Triumuiros binos creari iuſſit: alteros qui citra, alteros qui vltra quinquageſimum lapidem in plateis foriſquê, & in conciliabulis omnium copiam ingenuorum inſpicerent, & ſi qui roboris ſatis ad arma portanda habere viderentur, ad populum ferrent, vt qui minores ſeptem. & decem annis ſacramentà dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum, aut maiores milites facti eſſent.

Duumuiri nauales, perduellionis.

Duumuiri nauales creati anno CDXLII. quo tempore acerrimum pop. Rom. bellum cum Samnitibus. Tum populus rogante M. Decio Trib. pl. duumuiros nauales claſſis ornandæ reficiendæque iuſſit. Eorum igitur munus fuit, reficere & ornare claſſem, curareq; vt naualibus ſociis imperaretur, & inſtrueretur commeatu. Creatus idem magiſtratus poſtea bello contra Ligures & Illyricos, vt patet ex Liuio lib. 40. & 41.

Duumuiri perduellionis à Tullo Hoſtilio tertio Romanorum Rege inſtituti, de quo Liuius lib. 1. legendus. Exactis regibus mos aliquandiu retentus, poſtea intermiſſus, quem tamen à Labieno Trib. pl. poſtremis temporibus in remp. relatum grauiſſimè Cicero conqueritur.

Curatores tribuum, qui commoda tribuum procurarent, vt in vicis vicorum Magiſtri. Immenſum ſpatiis confecimus æquor: itaq; interquieſcamus aliquandiu cenſeo, antequam alia perſequi inſiſtamus. S. Nos ſanè libentiſſimè, vel huius quantum eſt reliquum diei te quieſcere patimur, & ſi iubes, in craſtinum redibimus. A. Nolo vel vnam noctem debere. Interea dum ego paulullum inambulo, vos, ſi noſtis, arreptis, quæ illic pendent, teſtudinibus, canite. S. Optimè, hoc placet.

ANNOTATIONES.

DE CÆLO SERVASSET) *Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen, coortum à ſatis miti principio, &c. Liuius libro 1. Augurum erat de cœlo ſeruare, & obnuntiare, id eſt, per auguria aliquid publicè agi non licere ſignificare. Niſi igitur antea de cœlo ſeruatum eſſet, nihil ritè ac legitimè, præſertim publicis in rebus actum putabatur.* COGNITIONEM SENATVI PERMITTERE) *Cognoſcere & cognitio idem ſunt vulgata notione & tritiſſima, quod intelligere, percipere, intelligentia, perceptio. Eſt tamen cupidis elegantia obſeruandum, quibus verbis à Cicerone vocabulum abſtractum, cognitio, copuletur. Apud eum igitur ita eſt, 5. de finibus. Quæ corporis ſunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, & cognitionem habent faciliorem. In Topic. cauſſarum cognitio cognitionem euentorum facit. Ad Attic. epiſt. 18. libro 16.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ lex earum rerum, quas Cæſar geſſit, magnam Coſſ. cognitionem dedit. Et 1. de Orat. Nam ipſa quidem res in perfacili cognitione verſantur 1. de nat. deor. Ad hanc prouidentiam naturæ tam diligentem, tamque ſollertem adiungi multa poſſunt, è quibus intelligitur, quantæ res hominibus à Deo, quamque eximiæ tributæ ſint: qui primùm eos humo excitatos, celſos & erectos cōſtituit, vt deorum cognitionem, cælum intuentes, capere poſſent. Ibid. Quæ contuens animus, accipit ab iis cognitionem deorum. Aliquando cognoſcunt rem quampiam, vel de re aliqua quibus commiſſum eſt illa de re negocium & velut onus cognoſcendi impoſitum. Cic. ad Att. lib. 16. Interfuiſti cum Coſſ. oporteret ex S. C. de actis Cæſaris cognoſcere. In Bruto. Decreuit ſenatus, vt ea de re cognoſcerent & ſtatuerent Coſſ. Nonnunquam iudiciale verbum eſt, & eo modo nos adhibemus, quando dicimus cauſſam, vel de cauſſa cognoſcere, id eſt, cauſſam examinare, diſcutere, vt diiudicetur. Cicer. Verr. 4. Verres calumniatores apponebat: Verres cauſſam cognoſcebat: Verres cauſſam iudicabat. REGEM INDVI VESTE) Ab induo, amicio, præcingo veteres dicebāt indutus indutui, amictui, præcinctui, quarti ordinis. Induit autem, quod corpus ita integit, vt ei adhæreat & comprehendat, capitium, tunica, ſubucula. Amicit, quod corpori circumiicitur, vt ricinium, pallium. Præcingunt, quæ ad medium corpus, aut pectus hærent, nectuntur, ligantur, comprehendunt, vt ſtrophium zona, caſtula. Eſt autem Nonio caſtula palliolum, quo nudæ infra papillas præcingebantur. Turneb. lib. 23. cap. 1. ILLA MORVLA) Vtile præceptum Ouidii. Differ, habent parua commoda magna moræ. Docet hoc præclare Næuium M. Tullius in Quintiana. Tu non modò aut C. Aquillium, aut L. Lucullum, ſed ne ipſe quidem te conſuluiſti: ſed ne ipſe quidē ad te retuliſti: ne hæc quidem tecum locutus es. Heræ duæ fuerunt. Quintius ad vadimonium non venit. Quid ago? Si mehercule hæc tecum duo verba feciſſes, Quid ago? reſpiraſſet cupiditas atque auaritia paululum: aliquid loci rationi, & conſilio dediſſes: tu te collegiſſes, &c. PRÆFECTVS VRBI) Tria genera Præfectorum vrbis inuenimus. Vnum eorum, qui ſub Regibus & primis Coſſ. temporibus extraordinarium hunc magiſtratum geſſerunt: alterum eorum, qui ſecutis temporibus, veruntamen adhuc libera ciuitate & Præfecti vrbis Latinarum cauſſa dicti ſunt: poſtremum eorum, qui ſub Imperatoribus ordinarii magiſtratus fuerunt. Erant autem extraordinarii magiſtratus, qui non ſingulis annis creabantur, nec annuam habebant poteſtatem: ſed tum demum, cùm neceſſitas flagitaret: qui ſimul vt munere, cui diligebantur, perfuncti eſſent, magiſtratu ſe abdicabant. TAMEN LATINARVM CAVSSA) Feriæ Latinæ agebantur ad renouandam recordationem fœderis antiquiſſimi, olim inter Romanos & Latinos icti. Populi omnes Latini in montem Albanum conueniebāt cum hoſtiis, veniebant eodem omnes Romani magiſtratus, etiam Tribuni, quibus alioqui extra vrbem pernoctare haud licebat. Ibi triduum aut quatriduum Ioui Latiali ſacrificabant. Atque vt ne interim vrbs ſine magiſtratibus eſſet, Præfectus vrbi creabatur. CANDIDATI) Fuerunt etiam, qui candidati Principis aut Cæſaris dicerentur. Tranquill. in Aug. Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat ſuppli-

Digitized by Google

cabatq; more ſollemni Ferebat & ipſe ſuffragium in tribu, vt vnus è populo. Candidatos Auguſti nominat eos petitores, quos ipſe populo commendabat, & quibuſcum ſingulis ex more ambientium prehenſabat, ciuilem perſonam ad tempus aſſumens Principis depoſita. Inde iocus apu Fabium lib. 6. cap. de riſu. Iungitur, inquit, amphibolia ſimilitudo: vt Lucius Galba, qui pilam negligenter petenti: ſic, inquit, petis tanquam Cæſaris candidatus. Nam illud, petis ambiguum eſt. ſecuritas ſimilis. Cæſaris autem candidati propterea negligenter petebant, ambibantq;, quod Principis commendationem non fruſtra futuram confidebant Bud. in Pand. QVIA VERO POPVLI AMICORVMQVE) Q. Cicero M. frater, libellum ornatiſſimum confecit de petitione Conſulatus, in quo quæ in re diſperſa, atq; infinita videbantur, ratione ac diſtributione ſub vno aſpectu poſuit. In eo (quod quidem ad hunc locum illuſtrandum pertinet) ſic ait. Et petitio magiſtratuum diuiſa eſt in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum ſtudiis, altera in populari voluntate ponenda eſt. Amicorum ſtudia beneficiis, & officiis, & vetuſtate, & felicitate ac iucunditate naturæ parta eſſe oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quàm in cætera vita. Quiſquis eſt enim, qui oſtendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero eſt habendus. Sed tamen qui ſunt amici ex cauſſa honeſtiore, cognationis, aut affinitatis, aut ſodalitatis, aut alicuius neceſſitudinis, his charum & iucundum eſſe maximè prodeſt. PRENSABANT EVM) Prenſare Græcis eſt φιλοτιμεῖσθαι, φιλοφρονεῖσθαι, σπουδαρχεῖν, μνᾶσθαι, ἀρχαιρεσιάζειν, δεξιοῦσθαι. MARIVM SEPTIMVM CONSVLEM) Ita dicendum cum, quoties aliquis conſulatum ceperit, indicare volumus, tertiùm, quartùm, quintùm &c. non tertiò quartò, quintò, &. Gellius lib. 10. cap. 1. de quo fruſtra dubitat Magius Miſcel. lib. 3 cap. 9. CVM FASCIBVS) Hinc manauit illa locutio, ſummittere faſces. Plin lib. 7. cap. 30. Cn Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonii profeſſione ſapientiæ clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces lictoris ianuæ ſubmiſit, is cui ſe Oriens Occidensq; ſubmiſerat. Cic. in Bruto. Nam mihi, Brute, in te intuenti, crebrò in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria. Cùm enim in maximis cauſſis verſatus eſſes, & cùm tibi ætas noſtra iam cederet, faſceſq; ſubmitteret, ſubitò in ciuitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipſa, de qua diſputare ordimur, eloquentia obmutuit. Eſt porrò faſces ſubmittere, inſignia vimq; imperii maieſtati vel reuerentiæ alicuius ſubmittere, vt Poblicola, qui primus hoc inſtituit. Liuius lib. 2. ANNORVM NVMERVS NOTABATVR) Sic ætatem vini declarare voluit Horat. Ode 8. lib. 3.

Hic dies annò redeunte feſtus,
Corticem adſtrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Chriſtiani annos ab ortu Saluatoris numeramus EA SINTER SE COMPARABANT) Liuius lib. 20. Cn. Seruilius Cæpio, & Cn. Seruilius Geminus Coſſ. cum de Repub. belloque, & prouinciis ad ſenatum retuliſſent,

cen-

Cenſuerunt Patres, ut Coſſ. inter ſe compararent ſortirenturq́; uter Brutios, aduerſus Hannibalem ac Ligures haberet prouinciam. Obſeruatu dignum genus loquendi elegans. IN CIVIS ROM. CAPVT) *Cum octo pœnarum genera apud Romanos fuerint, damnum, vincula, verbera talio, ignominia exilium, ſeruitus, mors, ſciendum poſtremam raro infligi ſolitam: quando populus ille à ſanguine ſuorum, quamuis meritorum, fundendo vehementer abhorruit* NE QVID RESPVB. DETRIMENTI) *Cic. in 1. Catil. Decreuit quondam ſenatus, vt L. Opimius Conſul videret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet, Nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus clariſſimo patre natus, auis, maioribus. Occiſus eſt cum liberis M Fuluius conſularis. Simili SC C. Mario, L. Valerio Coſſ. permiſſa eſt Reſpub. &c. Pro Milone. Quanquam quis hoc credat, Gn. Pompeium iuris publici, moris maiorum, rei denique publica peritiſſimum, cùm ſenatus ei commiſerit, vt videret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet (quo vno verſiculo ſatis armati ſemper Coſſ. fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exſpectaturum fuiſſe in eius conſiliis vindicandis, qui vel iudicia ipſa tolleret? Vim quoque decreti huius ſat plenè demonſtrat Salluſtius in Coniurat. his verbis. Cicero rem ad ſenatum refert. Itaque quod plerunque atroci in negotio ſolet, ſenatus decreuit, vt darent operam Coſſ. ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios, atque ciues, domi militiaque imperium, atque iudicium ſummum habere. Aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt. Tunc autem committi, & permitti Reſpub. Coſſ. dicebatur. Philipp. 5. Quapropter ne multa nobis quotidie decernenda ſint, Coſſ. totam Rempub. committendam cenſeo, iiſque permittendum, vt Rempub. defendant, prouideantque ne quid Reſpub. detrimenti capiat. Catil. 2. C. Mario, L. Valerio Coſſ permiſſa eſt Reſpub.* IN VINCVLA DVCI) *In vincula publica: nam & ergaſtula priuata erant.* SVOVETAVRILIA) *Solitaurilia, ſeu ſuouetaurilia, genus ſacrificii, immolatione trium hoſtiarum conſtans, tauri, arietis, verris: quod omnes integri ſolidiq́; corporis ſunt: ſollum quippe lingua Oſcorum ſignificat totum & ſolidum. Sic Feſtus. Meminit Liuius in Seruio Tullio. Cenſu perfecto quem maturauerat metu legis de incenſis lata, cum vinculorum minis mortiſque edixit, vt omnes ciues Romani equites pediteſque in ſuis quiſque centuriis in campo Martio prima luce adeſſent. Ibi inſtructum exercitum omnem ſue, oue, taurilibus luſtrauit. Idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt.* SI QVIS AGRVM SVVM) *De notis & animaduerſionib. cenſoriis Gell lib. 4. cap 12.* EQVVM HABERET GRACILENTVM) *Equiti Romano nimium compto, ſplendidoque, equum ſtrigoſum, & vix oſſibus harentem habenti, cum obequitantes vrbem cenſores veniſſent obuiam, percunctantibus, vt quid ipſe tam ruber, & comptus, equus tam macilentus, & ſqualore obſitus eſſet: hic eques Rom. quoniam, inquit, ipſe me curo, equum verò Statius meus ſeruus. Viſum eſt id parum reuerens reſponſum, atque ob id ignominia à Cenſoribus notatus eſt.*

Digitized by Google

PRÆTORES) *Prætorem Varro lib. 4. appellatum affirmat, quod præiret iure & exercitu: quo loco poſitus eſt caſus ſextus pro tertio, quod veteres non rarò fecerunt, vt & Nonius obſeruauit. Sic Virgil. Æneid 6. Teq́; aſpectu ne ſubtrahe noſtro. Idem lib. 12. curruq́; abſciſſa ſuſpendit capita. Vegetius, vt eſt in manuſcriptis, lib. 1. cap. 9. ſed & curſu præcipuè aſſuefaciendi. Adhibebant etiam nonnunquam datiuum pro ablatiuo teſte Nonio, cuius inſuper hæc ſunt. Conſulum & Prætorum proprietas, quòd conſulant & praeant populis auctoritate Varronis oſtenditur de vita pop. Rom. lib. 2. Quòd iidem dicebantur Conſules & Prætores, quod præirent populo Prætores: quod conſulerent ſenatui Conſules.* GRÆCORVM AGORANOMIS) *Plaut. Capt.*

Euge, edictiones ædilitias hic habet quidem.
Mirumq́; adeo eſt, ni hunc fecere ſibi Ætoli Agoranomum.

Ædiles minores, ſeu plebis ita à Græcis vocantur. PRÆDAM EX HOSTIBVS CAPTAM) *Huc referas illud Plautini Hegionis, Capt. ad Lorarium.*

Aduorte animum ſis tu, iſtos capteiuos duos,
Here quos emi de præda, de Quæſtoribus,
His indito catenas ſingularias.

A PRIVATO IN IVS VOCARI) *Gell libro 13. cap. 13.* CONVENTVS CIRCVMIBANT) *Conuentus erant loca, in quæ populi ad ius accipiendum à magiſtratibus iuridicis congregabantur. Sic intelligendum illud Cæſaris lib. 5. comment. His confectis rebus conuentibusque peractis in citeriorem Galliam reuertitur. Tranquill. in Iulio cap. 7. Quæſtori vlterior Hiſpania obuenit: vbi cum mandato Prætoris conuentus circumiret. Auctor eſt Plinius lib. 3. in Bethica fuiſſe iuridicos conuentus 4. Gaditanum, Cordubenſem, Aſtyſitanum, Hiſpalenſem.* M. TVLL. IN DIVINAT.) *Cur hæc oratio, quæ aliâs 1. Verrina, Diuinatio nomen habeat, cauſſam differit Gell. lib. 2. cap. 4.* CVM TVLISSENT LEGES QVASDAM) *Romanæ leges aut à Regibus latæ ſunt, aut ab iis magiſtratibus, quos regno ſublato, alios aliis temporibus creatos ciuitas habuit. Ipſas leges magna ex parte aliunde ſumptas facilè crediderim. Non enim dubitandum eſt, quin, cum ea tempeſtate in Italia & Albani, & Sabini, & præter cæteros Etruſci floruerint, cumque Alba Romulus, in Sabinis Numa, Priſcus etiam matre Etruſca, patre in Græcia nato, in Etruria educato genitus eſſet, ad ſuam quiſque patriam reſpexerit, & ea quæ in iis populis probabiliora videbantur inſtituta delegerit, Romæque legibus ſanxerit. Lege quæ ſequuntur in Pauli Manut. Comment. de Leg. Rom. nam ad caput iſtuc plurimùm faciunt.* EXACTIS REGIBVS) *Sic loquebantur veteres, quamuis tantum vnus eiectus ſeu exactus eſſet, idque propter iuſiurandum, quo populum adegit Brutus, neminem vnquam paſſuros Romæ regnare. Diem quo pulſus vrbe Tarquinius eſt, regifugium in poſterum dixerunt.* PERSCRIPTAS IN TABVLIS ÆREIS) *Adducam Liuii verba de lib. 3. quoniam non mediocrem hiſce noſtris perſpicuitatem datura ſunt. Decemuiri ingenti hominum exſpectatione, propoſitis duodecim tabulis, populum ad concionem aduocauerunt. & quod bonum, fauſtum, felixque reipub. ipſis liberiſq́; eorum eſſet,*

Digitized by Google

ire & legere leges propoſitas iuſſere: ſe, quantum decem hominum ingeniis prouideri potuerit, omnibus ſummis, infimiſque iura æquaſſe. Plus pollere multorum ingenia, conſiliaque. Verſarent in animis ſecum vnamquamque rem, agitarent deinde ſermonibus, atque in medium quod in quaque re plus minusúe eſſet, conferrent Eas leges habiturum pop. Rom quas conſenſus omnium non iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet. Cum ad rumores hominum de vnoquoque legum capite edito ſatis correcta viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ ſunt, quæ nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatiq; eſt iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deeſſe tabulas. Poſtero anno & hæ comitiis centuriatis ſunt perlatæ. HOC TOTVM EX PLAVTINA AMPHIT.) *Apud Plautum hæc eſt Soſiæ ſerui oratio.*

Qui me alter eſt audacior homo? aut qui me confidentior?
Iuuentutis mores qui ſciam: qui hoc noctis ſolus ambulem?
Quid faciam nunc ſi treſuiri me in carcerem compegerint?
Inde quaſi è promptuaria cella depromar ad flagrum.
Nec cauſſam liceat dicere mihi: neq; in hero quidquam auxilii ſiet.
Nec quiſquam ſit, quin me omnes eſſe dignum deputent, ita
Quaſi incudem me miſerum homines octo validi cædant, ita
Peregrè aduenìens hoſpitio publicitus accipiar.

Aſinaria.

At malo cum tuo, Nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad treſuiros, veſtraq; ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego & filiam.

Ex reliquis comœdiis adſcribere teſtimonia ſuperuacaneum ducimus. NOMINATI ETIAM A.A.A.) *Vide Crinit lib.17.cap.7.*

PROGYMNASMA
SEPTIMVMDECIMVM.
Ciuiles Romanorum poteſtates mutata Repub.

IIDEM.

SCISCITANTES. Luſimus ſatis: ſi tu etiam ambulaſti ſatis, nihil eſt cauſſæ quin regrediamur ex iſto velut diuerticulo in viam: & tu quidem reliquum ſermonem pertexas, nos autem tibi ſedulam, vt hactenus, operam demus auribus & mentibus. A. Inambulaui quidem ſatis: aut nondum ſatis mecum miſeratus ſum calamitatem illius omnium florentiſſimæ, & auguſtiſſimæ Reipub. quam velut adultam & pudicam virginem à ſe raptam Imperatores, Iulium Cæſarem ſecuti, impotenti exardeſcentes libidine conſtuprarunt, & è libera atq; ingenua ſeruam reddiderunt: dum leges tantum dare, non item accipere, &

Digitized by Google

omnia ſuperbiæ, immanitatis, auaritiæ, luxuriæ, impietatis exẽpla edere voluerũt: quaſi ij demũ Imperatorum digni nomine cenſerẽtur, qui ſceleroſis facinoribus modũ omnẽ, ac terminos omnes exceſſiſſent. Si Tiberios videlicet, Domitianos, Nerones, Caligulas, Claudios, & alia huius ordinis portenta dicis, quorum res monumentis mandauit ita Suetonius, vt à doctis non perinde prudentia ſcriptoris, quàm eruditio ſermoq́; laudetur: quanquam ſunt, qui harum quoq; laudum neutram illi magnoperè concedant. A. O Deum immortalem, à quibus monſtris aliquando an gubernatus, an vexatus, ac deformatus eſt orbis? Verùm in hoc argumento longiores nos eſſe & tempus, & propoſitum vetat. Initium monarchiæ Romanæ explicare occipio. S. Ei caput vtiq; Iulius, ſucceſſor Auguſtus, & huic Tiberius, & alii deinceps aliis: donec ad hæc tempora ventum eſt, quibus perdito penitus imperio, nomen tamen remanet. Sed nos taceamus, ne tuas tibi partes imprudenter & impudenter videamur quodammodo præripere. En fauemus linguis. A. O lepidos homines.

Imperatores, Auguſti, donati Tribunitia poteſtate, pontificatu, conſulatu.

Cæſar debellatis in Hiſpania Cn. Pompeii filiis, belloq́; ciuili ad exitum perducto, poſtquam in Vrbem rediit, ſenatus, qui frequens à Pompeio ſteterat, cum magno in timore eſſet, ne ille victoria, quæ naturà inſolens ac ſuperba eſt, elatus, ſeſe atrociter vlciſceretur, exquiſitos ei honores decernendos putauit, in quibus hi vel præcipui: vt pater patriæ appellaretur: vt conſulatum gereret in decennium: dictaturam in perpetuum retineret: ſacroſanctus haberetur: Quintilis menſis ab eo Iulius nominaretur: comitia tributa in eius poteſtate eſſent: in eiuſdem acta magiſtratus ineuntes iurarent: atq; etiam vt Imperator appellaretur. Hæc omnia velut hæreditas Octauio venerunt, cum aliis inſuper honoribus: & Imperatoris vocabulum ad alios deinde profluxit. Voluerunt autem hac voce eum intelligi, non qui propter rem bello præclarè adminiſtratam auctoritate ſenatus ſic fuiſſet appellatus, ſed qui ſummam in Repub. poteſtatem, ſummumq́; ius obtineret. Quanquam iidem monarchæ, & Principes numero victoriarum etiam II. III. IV. V. Imperatores dicti ſunt. Nominati ſunt præterea Auguſti, quo nomine primus affectus eſt Octauius. Cùm enim ſenatus populusq́; ſingulari eum aliquo nomine illuſtrare cuperet, & nonnulli vocandum arbitrarentur Romulum, quia & ipſe conditor vrbis eſſet (quo nomine valde recreatum fuiſſe Octauium ſcribitur) tamen ne hoc modo in ſuſpicione regni affectati, ſeu tyrannidis poneretur, placuit Munatii Planci ſententia, vt Auguſtus non tantum nouo, ſed etiam ampliore cognomine diceretur: quod loca quæq; religioſa: & in quibus augurato quid conſecraretur, & omnia, quæ maximo honore digna iudicantur, auguſta ſolent appellari. Adhæc tribunitia poteſtate donabantur, Pontifices Maximi creabantur: quòd omnia quæ in veteri ſtatu formaq́; Reipub. multùm valuiſſent, quo in maio-

maiore veneratione ſe collocarent, ac ſeſe pleniſſimam poteſtatem adeptos oſtenderent, aſſumenda putarent. Gratianus Valentiniani filius, edicto propoſito, primus ſe Pontificem adpellari vetuit. S. Non igitur hi functiones ipſas, ſed poteſtatem auctoritatemq; his nominibus quæſierunt, vt apparet. A. Certè nihil aliud.

Principes iuuentutis; Cæſares, nobiliſſimi Cæſares.

Qui autem dicebantur Principes iuuentutis, Cæſares, nobiliſſimi Cæſares; non illi quidem propriè magiſtratus erant: capiendis tamen magiſtratibus deſtinabantur. Nam Impp de filiis, aut nepotibus, aut conſanguineis, quorum præſtantem cognouiſſent indolem, quoſque ad imperandum fore idoneos iudicaſſent, ſibi in imperio ſucceſſores legebant, quos principiò Principes iuuentutis nominabant: poſt dicti ſunt Cæſares, tametſi Cæſaris gentiles non eſſent, tota nimirum deleta familia: cœpit enim eſſe dignitatis nomen tantùm, quod retinere viſum eſt, etiam cùm ad culmen imperatoriæ maieſtatis aſcendiſſent: nempe vt Cæſares Imperatores dicerentur. Tandem Principes illi iuuentutis nobiliſſimi Cæſares appellari conſueuerunt. S Iucunda quædam, quæ nos fermè latebant, aperuiſti. Varios Præfectos fuiſſe regnantibus Imperatoribus certum eſt. Ergò de his ſequatur explicatio: niſi tu aliud ſubiicere meditaris. A. Accipite iam de Præfectis.

P R Æ F E C T I.

Vrbis, ærarii, prætorii, frumenti populo diuidendi, vigilum, Aegypti, Præfecturarum, Conſulares quatuor per Italiam.

PRÆFECTVS VRBIS. Suaſit Auguſto Mæcenas, vti hunc Præfectum inſtitueret, cuius exemplũ poſteriores Imperatores tenuerunt. Præcipua porro huius præfecti officia illa comperi. Seruorum in dominos, & contra horum in ſeruos querelas atq; criminationes audire. Patronis de liberis ingratis querentibus ius dicere. De Tutorum Curatorumue criminibus cognoſcere: nummulariorum, argentariorumque fraudes coercere: carnium curam gerere: quietem populi procurare: illicita collegia coercere: ſpectaculorum diſciplinæ præeſſe. Denique quidquid non intra vrbem modò, ſed etiam intra centeſimum ab vrbe lapidem commiſſum eſſet, animaduertere: ſic, vt & vrbe, & Italia interdicendi poteſtatem haberet, itemq; in inſulam deportandi. Primus Præfectus proditur C. Cilnius Mæcenas, homo decantatiſſimus. Satiſne planè hoc præfecturæ genus intelligitis? S. Satis planè. A.

PRÆFECTVS ÆRARII. Ad vrbem tutandam, cuſtodiendoſque imperii fines, quia legiones plurimæ, & præſidia alenda, cùm in eam rem ſumptus parum ſuppeditaret, retulit ad Patres Auguſtus; vt quo ſine cuiuſquam iniuria detrimentoque militibus ſtipendia perſoluerentur, præmiaque diſtribuerentur, cenſus aliquis perpetuus conſtitueretur. Cùm nihil conueniret, ſenatoreſque grauiter ferrent huiuſcemodi

rationem quæri, Auguſtus ipſe proprium ærarium militare conſtituit, atque in id pecuniam pro ſe & Tiberio intulit, & ſe id in annos ſingulos facturum promiſit. Eum ſecuti reges aliquot, & populi, idem promiſerunt. Veruntamen cùm ne ſic quidem ſatis locupletaretur ærarium, & alius inueniri modus non poſſet, decreuit, vt hæreditatum, legatorumq; pars viceſima eò referretur, iis exceptis, quæ proximis cognatis aut pauperibus relinquebantur. Huius igitur ærarii adminiſtrationem tribus Prætoriis ſorte lectis ad triennium mandauit, qui binis lictoribus, aliiſque miniſtris idoneis vtebantur: quanquam poſtremis temporibus lictores eis dati non ſunt.

PRÆFECTVS PRÆTORIO. Iam noſſe vos oportet, veteres magiſtratum omnem, cui paret exercitus, prætorem appellaſſe: eius tabernaculum prætorium, & in caſtris porta quædam prætoria. Præfectus itaque prætorio, qui militibus iis præeſſet, quos ad cuſtodiam corporis ſui Impp. allegerant. Inuentorem habuit hoc inſtitutum Auguſtum, confirmatorem Tiberium. Ex Equitibus tantùm Romanis initiò legebatur: poſtmodum cum ex Præfectis Impp. crearentur, & ſenatoribus, & conſularibus ad hanc dignitatem aditus apertus eſt, durauitque ad Conſtantini tempora, qui orbe Romano in quatuor præcipuas partes, ſeu diœceſes diuiſo, quatuor item Præfectos prætorio creauit, vnum Præfectum prætorio Galliarum, alterum Italiæ, tertium Illyrici, quartum Orientis. Qui in vrbe cohortibus prætoriis præficiebatur, eius maior fuit amplitudo: qualis Magiſtri Equitum ſub Regibus. Plena ei publicæ diſciplinæ corrigendæ poteſtas, nulla ab ea appellatio. Vt primùm erat lectus, tradebatur ei ab Imp. cingulum cum gladio. Traianus quidem ita dixiſſe fertur cum Suram Præfectum legit: Græca verba cultius, & grauius rem exprimentia apud Suidam hæc ſunt. δέξαι τὸ ξίφος τοῦτο, καὶ εἰ μὲν καλὸς ὑπάρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ εἰ δὲ μὴ κατ' ἐμοῦ χρῆσαι. Accipe hunc enſem, & ſiquidem rectè atq; è repub. imperauero, pro me, ſin ſecus, in me vtere. S. O vocem æquitatis & iuſtitiæ indicem. Nulla re tam facilè in officio retinentur ciues, quàm cùm violati iuris pœnam etiam ipſi Principes expendunt: & quibus tanto ſunt ſuperiores, iis fiunt colenda ad vnguem iuſtitia pares. Quod genus Præfecti ſequitur? A.

PRÆFECTVS FRVMENTI, populo diuidendi. Gracchi lege, ſenis trientibus in ſingulos modios conſtitutis, frumentum populo dabatur. Sed rogatione P. Clodii effectum eſt, vt gratis daretur: quod vt ſeruaretur, Auguſtus ad imperium euectus lege ſanxit. Et quò plus gratiæ apud populum colligeret, eò frequentius diſtribuendum curauit. Diſtributioni huic præpoſitus, Præfectus frumenti populo diuidendi audiuit. Frumentum quoq; in annonæ difficultatibus ſæpe leuiſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt, teſſeraſq; nummarias duplicauit, ait Suetonius. S. Quid ſunt teſſeræ nummariæ? A. Quibus allatis promiſſi pro congiario nummi præberentur. Sic legimus teſſeras frumentarias, olearias, cœnarias: quas reddentibus frumentũ, oleum, aut cœna daretur.

PRÆFECTVS VIGILVM. Idem Imperator cum opportunis *locis*

co-

Digitized by Google

cohortes ſeptem conſtituiſſet, & vnaquæque binas vrbis regiones tueretur, Tribunos eis præfecit, & his omnibus virum ſpectata fide, qui Præfectus vigilum diceretur. Hic cognoſcebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus. Et quoniam incendia fermè habitatorum culpa proueniunt, aut fuſtuarium iniungebat illis, qui ignem negligentius habuiſſent: aut ſeuera increpatione multa comminatus eos caſtigabat. Noctem totam vigilabat: cum hamis & dolabris obambulabat: omnes de cauendo incendio, de aqua in promptu ad flammam, ſi orta fuiſſet, reſtinguendam admonendos curabat.

PRÆFECTVS ÆGYPTI. Cæterùm omnes Auguſtus, quos extra Italiam prouinciis præpoſuit, Præfectos appellauit, fuitque eadem propemodum eorum ratio, quæ olim Proprætorum, & Proconſulum. Ægypti Præfectus, quem victis Antonio & Cleopatra, & Ægypto in prouinciæ formam redacta, impoſuit, qui etiam Auguſtalis, fiebat ex Equeſtri ordine: nam quò minus hanc præfecturam ſenatoribus crederet, cauſa fuit, quòd verebatur, ne nouis rebus ſtuderent, ſi qui ingenio turbulentiore fuiſſent Immo etiam poteſtatem in Ægyptum proficiſcendi, niſi id ipſe alicui nominatim permiſiſſet, omnibus ademit. Primus Præfectus nominatur Cornelius Gallus, amicus P. Virgilii.

PRÆFECTI PRÆFECTVRARVM, qui Præfecturis præerant, & in iis ius dicebant: propriè prouinciales magiſtratus non erant. Appellabantur enim in Italia præfecturæ illæ vrbes, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & earum erat quædam Reſpub. neque tamen ſuos magiſtratus habebant, in quas quotannis mittebantur, qui ius dicerent. Earum genera duo: alterum, in quas ſolebant ire Præfecti, populi ſuffragio creati: alterum, in quas Prætor vrbanus quotannis Præfectos mitteoat.

CONSVLARES QVATVOR, qui per Italiam ius dicerent, ab Hadriano ſunt inſtituti. Is cùm Italiam in quatuor regiones diuiſiſſet, in ſingulas Præfectos miſit, poteſtate ferè proconſulari, qui, quòd prius Romę conſulatum geſſiſſent, Conſulares dicti. In diſceptandis Italorum controuerſiis tantùm erant occupati: rem militarem non attingebant.

Aduocati fiſci.

De Aduocatis fiſci paucis expediam. Fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ ſpartea vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Vnde quia maior ſumma pecuniæ publicæ, quàm priuatæ, vt pro cenſu priuato loculos, & arcam, & ſacellos, ſic pro publico theſauro ærarii fiſcum dicebant. Propriè fiſcus Principis erat, vt ærarium populi. Qui huic fiſco patrocinabatur, fiſci Patronus, vel Aduocatus dicebatur, iſque à M. Antonino Philoſopho primus eſt inſtitutus.

Varii magiſtratus ab Auguſto.

Denique quò plures partem adminiſtrandæ Reipub. caperent, ait Sueton. in Auguſto, noua officia excogitauit: curam operum publicorum,

Digitized by Google

viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, præfecturam vrbis, triumuiratum legendi ſenatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet, Cenſores creari deſitos longo interuallo creauit: numerum Prætorum auxit. Idem cùm vrbem in quatuordecim regiones diuiſiſſet, per ſingulas duos curatores, & duos denuntiatores creauit. Curatorum munus erat, procurare apud principem commoda regionum, decorem & elegantiam viarum, & vicorum vrbis: ne à priuatis nouis ædificiis interrumperentur, prouidere, & alia eiuſmodi, Denuntiatorum, quidquid regioni tam publicè, quàm priuatim accideret, denuntiare. Magiſtri vicorum, qui & Vicomagiſtri, quatuor per ſingulos vicos creabantur, vt illos tuerentur. De his crebra mentio apud Sex. Rufum, & P. Victorem libris de regionibus vrbis, Sueton. cap. 30. Hæc quàm breuiſſimè vt & ego potui, & vos fortaſſe voluiſtis. S. Nos quidem plura cupiebamus: ſed moleſti eſſe nolumus benemerenti noſtro. De miniſtris tamen magiſtratuum velut auctarium expectamus. A. Et hoc dabo vobis.

ANNOTATIONES.

SVNT, QVI HARVM QVOQVE LAVDAM) *Suetonium cum Tacito componens oratione 12. volum. 2. Muretus hunc illi longè anteponit: in quo nihil ſit: ex quo eius aut prudentiam, aut eloquentiam, aut eruditionem vllam eximiam agnoſcas. A veterum nemine inter eruditos, aut diſertos nominatum: nimis ſubtiliter ac particulatim ſpurciſſima flagitia Imperatorum perſecutum, vt docere voluiſſe videatur. Lege locum. Quod de libidinibus Imperatorum dicit Muretus, negare non poſſum: cætera diuerſum ſentio, & ei acutiſſimi doctiſſimique viri, Iuſti Lipſii iudicium oppono, conceptum in hac verba. Suetonium Tranquillum non iniuria ſæpe commendo iuuentuti: Verba vides? pura, terſa, propria. Filum totum orationis? breue, neruoſum. Rem ipſam? Vtilis pariter & iucunda hiſtoria eſt, &, quod mihi caput, plena moris & doctrinæ antiquæ. Quis obſecro ritus olim publicus priuatuſque fuit, quem velut de induſtria non tangat? Quod munus, quis magiſtratus, quem non libet? Tangat & libet dico non enim explicat quod inſtitutum eius vetuit, & ratio ſcribendi. At viam tamen latam ſternit Indagandum, & aures atque animum imbuit auditione aliqua, immò cognitione. Ad quam qui curam deinde adiungit ſubtilius perquirendi (& id Lectorem ſerium decet) quid eſt, quod occultum & ignotum ei eſſe poſſit in omni genere ſcriptorum? Elect. lib. 2. cap. 7.* SACROSANCTVS HABERETVR) *Sacroſanctum dicitur, ait Feſtus, quod iureiurando interpoſito eſt inſtitutum, ſi quis id violaſſet, vt morte pœnas penderet. Cuius generis ſunt Tribuniplebis, Ædileſque eiuſdem ordinis. Quid differant inter ſe ſacrum, ſacroſanctum ſanctum, religioſum, Aldus de quæſit. per epiſtolam lib. 2. cap. 10* HÆC OMNIA VELVT HÆREDITAS) *Patrem patriæ dictum teſtatur Ouid 2. Faſt.*

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.

Res

Digitized by Google

Res tamen ante dedit: ſed nunc quoque vera tuliſti
Nomina, iam pridem tu pater orbis eras.

PROPTER REM BELLO PRÆCLARE) *Honoris ampliſſimi, nomen Conſulis eſſe dixit M. Tull Philip. 14. ſed virtutis, & victoriæ, Imperatoris. Ibidem Panſam, Hirtium, Cæſarem Octauium repub bene aduerſus M. Antonium geſta Imperatores cenſet appellandos. Duobus enim modis vſi ſunt vocabulo Imperatoris. Vno pro quocunque exercitus duce, qui ius belli gerendi haberet: altero qui hoſtibus magno numero cæſis profligatiſque, aut rebus magnis geſtis eo nomine primùm acclamatione militum, poſt ſenatus decreto eſſet affectus. Cic. Magnum numerum hoſtium cecidimus, caſtella munitiſſima cepimus, incendimus, Imperatores appellati ſumus. Etiam Legati, & Quæſtores ſecundis prœliis ſi, abſente duce, rem bene geſſiſſent, idem nomen conſequebantur.* NON TANTVM NOVO, SED) *Ouid. ad Germanicum Cæſarem 1. Faſt. Et tuus Auguſto nomine dictus auus. Poſtea per collationem multorum, quibus inclyta nomina obtigerunt, oſtendit nullum eſſe tam glorioſum. Tandem hæc addit.*

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic ſocium ſummo cum Ioue nomen habet.
Sancta vocant auguſta patres auguſta vocantur
Templa, ſacerdotum ritè dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque ſua Iupiter auget ope.

PRINCIPES IVVENTVTIS) *Hic titulus aliquando honorificentiſſimus fuit in equeſtri ordine Patet clariſſimè ex Liuio lib. 42. vbi ſe de victoria efferens Perſeus Macedonum Rex, victos eſſe dicit Romanos equites illos principes iuuentutis, equites ſeminarium ſenatus: vnde legerentur Patres, vnde Coſſ. & Impp. crearentur. Cic. L. Domitium Ahenobarbum iuuentutis principem vocat, tanquam ſummæ expectationis iuuenem. Sic pro Sulla L. Torquatum principem, & ſigniferum iuuentutis: quoniam in tumultu Catilinario inter equites ſtudium ſuum aduerſus rempub. eximiè oſtenderat. Imperateres poſtea Romani exemplo Auguſti ſuos ita nepotes & conſanguineos appellarunt, velut apices nobilium iuuentutis, Auguſtus igitur nepotes ex Iulia duos cùm adoptaſſet, & L. atque C. Cæſares appellaſſet, tenera ætate in equeſtrem ordinem retulit, qui mox ab eodem ordine clypeis aureis, haſtiſque puris donati, & principes iuuentutis nuncupati ſunt.* IN PROVINCIÆ FORMAM REDACTA) *Nihil erat aliud olim in prouinciæ formam redigere, quàm leges domeſticas adimere, Romanas dare, ac Prætorem, qui quotannis prouinciam ex legibus datis adminiſtraret, inſtituere. Prouinciales autem ſunt, non ii ſolùm, qui ex prouincia oriundi ſunt, ſed etiam ii, qui in prouincia domicilium habent.* ADVOCATVS FISCI) *A fiſco deflexum eſt verbum Confiſcare, pro deferre ad fiſcum Principis. Et apud Sueton. in Aug. Confiſcata bona, quæ fiſco ſunt adiudicata.*

PRO-

PROGYMNASMA OCTAVVMDECIMVM.

Miniſtri magiſtratuum.

IIDEM.

ANTIQVARIVS. Miniſtri, de quibus quæritis, hi fuerunt. Scribæ, apparitores, accenſi, interpretes, præcones, lictores, viatores, ſerui publici, carnifices. De ſingulis quo ordine enumerati ſunt dicamus. S. Quod tua & noſtra ex ſententia eueniat.

A. SCRIBÆ proprio nomine antiquis dicti ſunt, auctore Feſto, & librarii, & pöëtæ. At nunc dicuntur, inquit, ſcribæ quidem librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis. Apparuerunt ſingulis magiſtratibus, ipſique eos ſibi legebant ea de cauſa, vt publicas rationes in tabulas referrent, legeſque & acta omnia perſcriberent. Eorum erant decuriæ, in quarum aliqua locum ſibi emebant, qui ſcribæ fieri volebant: ſed pro dignitate magiſtratuum, quibus ſcriptum faciebant, etiam ipſi honorabantur. Ergò Quæſtoribus ſcriba inferiore loco, quam Ædilitius, aut Prætorius ducebatur: ſolebantque pro elogiis ſibi adſcribere, quibus magiſtratibus ſcribendo ſeruiiſſent, quod ex vetuſtis monumentis patet. Veruntamen vniuersè neque grauem admodum, neque honeſtum valdè ſcribarum ordinem fuiſſe duo quædam fidem faciunt. Vnum quod Probus in Eumene multò honorificentius apud Græcos ait, quàm Romanos id officii genus fuiſſe. Apud hos enim mercenarios, vt erant, habitos: cum apud illos nemo, niſi honeſto loco, fide & induſtria cognita, admitteretur: quia neceſſe eſſet, eum omnium conſiliorum eſſe participē. Alterum, quod Gellius lib. 6. c. 9. ex 3. Annali Piſonis retulit. Cn. Flauius, patre libertino natus, ſcriptum faciebat. Iſque in eo tempore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles ſubrogantur. Eumque primæ tribus Ædilem Curulem renuntiauerunt. At Ædilis, qui comitia habebat, negat accipere. Neque ſibi placere, qui ſcriptum faceret, eum Ædilem fieri. Cn. Flauius, Annii filius, dicitur tabulas poſuiſſe, ſcriptu ſe abdicaſſe. Iſque Ædilis, & Curulis factus eſt. Idem dicitur ad collegam veniſſe viſere ægrotum. Et in conclaue poſtquam introiuit, adoleſcentes ibi complures nobiles ſedebant. Ii contemnentes eum, aſſurgere ei nemo voluit. Id ille arriſit. Sellam curulem iuſſit ſibi afferri. Eam in limine appoſuit, ne quis illorum exire poſſet: vtique ii omnes inuiti viderent ſeſe in ſella curuli ſedentem. Manifeſte igitur cernitis adeo vile, & inglorium fuiſſe ſcribarum munus, vt qui eo fungerentur, non ſatis digni magiſtratu cenſerentur.

APPA-

Apparitores *οἱ παρεστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιώσεως*, qui magiſtratibus apparebant, atque ad eorum iuſſa efficienda paratos ſe promptoſque offerebant. Nomen eſt generis, de miniſtris nimirum magiſtratuum, præſertimque de viatore, qui aliâs ſtator, vſurpari ſolitum. Actus ipſe miniſteriumque, ſeu officium apparendi, apparitura dicitur. Hinc apud Sueton. de claris Grammat. alicui apparituram facere. Vocatur item apparitio. Et apparere, quod ex dictis colligitis, eſt exhibendi officii, & obſequii gratia præſtò eſſe, quod ad illum Virgilii verſum 12. Æneid. Seruius docuit.

Hæ Iouis ad ſolium, ſæuiq́ in limine Regis
Apparent, acuuntq́ metum mortalibus ægris.

Accensi, qui decurionibus accenſebantur, hoc eſt, attribuebantur in militia: qui etiam ferentarii, quòd ſcilicet his armis depugnarent, quæ ferrentur, non quæ tenerentur, pugnis & lapidibus. Ita Nonius. Item qui in locum mortuorum militum ſurrogabantur, & ad ſupplementum legionum adſcripti eſſent. Præterea miniſtri magiſtratuum, qui accirent, id *eſt*, vocarent, quique moleſtis interpellatoribus ſilentium imperarent. Accenſus ſiquidem inſtar præconis, iubente Conſule, Quirites ad concionem cogebat. Singulis prouinciarum præſidibus accenſi dabantur: nec niſi libertorum id munus erat, vt Cic. ad Q. F. epiſtola quadam teſtatus eſt.

Interpretes ii vocati, quos inter gentes exteras ad earum orationem interpretandam adhibebant. Alioqui interpres etiam is eſt, vt ſcitis, qui inter aliquos vel conditionis, vel amicitiæ, vel alterius commodi proxeneta & conciliator eſt: cuius præmium græcè *ἑρμηνευτικὸν*, quaſi æs interpretitium, & pararium dicas.

Præcones varium multiplicemque vſum habuerunt. Ad haſtam ſtabant, ſeu in auctione rei pretium indicebant. In concionibus audientiam faciebant. In comitiis magiſtratuum tribus ad ineunda ſuffragia citabant, & eos qui deſignati erant, renuntiabant. In ferendis legibus, ſubiiciente ſcriba, leges populo pronuntiabant. In iudiciis & quæſtionibus, iudices, reos, accuſatores, & teſtes citabant, oratores dixiſſe proclamabant. Inde præconium facere.

Lictores, *Etruſcorum exemplo, Romulus inſtituit. Valgius Rufus & Nonius à ligando dici lictorem putant. Nam antiquis erat ligo ligere, ligui, lictum: vt frico fricui frictum, plico plicui, plictum. Tiro apud Gell. lib. 12. c. 3. à licio, vel à limo nomen iſtuc inclinat. Licio enim tranſuerſo, ait, quod limũ appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrant cincti erant. Verius eſt, à ligando. S. Quid ligabant? A. Manus reorum. Etenim antiquitus carnificis officium fungebantur. Vnde illud I lictor, colliga manus, verbera vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. S. Seruine erant, an liberi? A. Liberi, è libertis, aut libertinis: habebant ius togæ, & omnino ciues erant. S. Quæ, aut quotnam præcipua eorum munera? A. Tria, præire magiſtratui cum faſcibus: ſummouere, animaduertere. S. Percupide arripiemus, quæ abs te ſparſim lecta, & in vnum velut corpus collecta nobiſcum communicare volueris. Et*

quoniam

Digitized by Google

quoniam ita propoſuiſti, de prætione primùm audire lubet: pòſt de ſubmotione: tandem de animaduerſione. A *Sic agemus.*

Ante magiſtratum lictores incedebant non gregatim, aut confusè, non bini, terniue, ſed ſinguli. & in lineam: & primus dicebatur qui anteibat, & tanquam agmen ducebat: proximus qui claudebat, proximeque à magiſtratu aberat Valerius libro 1. *Maxima diligentia maiores hunc morem retinuerunt. ne quis ſe inter Conſulem, & proximum lictorem, quamuis officii cauſa vnà progrederetur, interponeret. Non igitur proximus lictor, idem, qui primus: nam primus ab ordine euntium cuius proprium munus ſubmouere, quod primus in turbam incurrebat. Proximus inter* X I I. *poſtremus, qui mandata à magiſtratu, aut literas accipiebat, & operam familiariorem præſtabat. Aliâs etiam ſummus lictor, & lictorum caput, Græcè ἀρχιραβδοῦχος.*

Submotio cum ſtrepitu, & imperio quodam fiebat: voce, manu, virga, locum ſequenti magiſtratui faciebant: Feſtus, Matronæ, inquit, à magiſtratibus non ſubmouebantur, ne pulſari contrectariue viderentur, néue grauidæ concuterentur. Habetis in his verbis teſtimonium duplex, de manu & virga: pulſari ait, & contrectari: nam virgam ad pulſandi vſum geſtabant. De voce quanquam nullum videtur dubium, tamen declarat expreſsè illud Liuii lib. 8 *de ſubito aduentu Papirii in curiam. Repentè ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmouentium auditur: & ipſe infenſus aderat. Diligentiſſimè porrò obſeruabant lictores, vt ſubmouerent perſonas infames, puta lenones, meretrices, & id genus: ne occurſu hominum iſtorum quaſi obſcœno & mali ominis, maieſtas magiſtratus contaminaretur. Seneca in controuerſ. Maieſtatem læſam dixiſſem, ſi tibi exeunti lictor è conſpectu non ſummouiſſet meretricem.* S. *Quid ſibi voluit Plin. libro* 9 *cap* 35 *cùm ſcripſit: cupiuntque iam & pauperes, lictorem fœminæ in publico vnionem eſſe dictitantes? Quis eſt iſte lictor fœminæ?* A. *Pauperes fœminas vnionibus gaudere ſignificat, quòd in publico cùm ſint, ipſis de via decedatur, videanturque diuites: vt margarita ſit pro lictore fœminis, turbamque ſubmoueat.* S. *Iſti tam feſtiuæ explicationi qui non aſſentiatur, putamus futurum neminem.* A. *Animaduerſio lictoris ſolebat verbis & clamore fieri: animaduerti iubebat, & animaduertere à magiſtratu iubebatur: eſtque proprium hoc in re lictoria verbum, quo comprehendebant, quidquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſolemne eſſet, vt aſſurgere, caput aperire, equo aut curru deſcendere, ferrum ponere, & ſi quid eiuſmodi. Nec ſolùm priuati aſſurgebant, verùm etiam minor magiſtratus maiori. Viri ſedentes cum vxoribus in vehiculo deſcendere non cogebantur. De muneribus nihil præter hæc. Sunt tamen quædam coniuncta cum inſignibus, de quibus vtriſque aliquid.* S. *Valdè id te oramus.*

A. *Inſignia lictorum faſces & virga. Faſces bacilli aliquot teretes ex vlmo, aut betulla arbore, loro colligati in modum faſcis, colligati ſecuribus, quas inuidia Conſulum minuendæ primus ademit Poplicola. Manſerunt igitur in bello tantum, & extra vrbem. Ferebant in humeris, aut fortaſſe etiam ſurrectos. non enim quidquam certum. Quod ſi per viam magiſtratui*

alicui

alicui maiori occurrerent, ſtatim ſubmittebant, & honoris cauſa inclinabant. Auctor moris Valerius, qui primus ſummiſſis populo faſcibus, id eſt, in terram depreſſis & ante pedes quodammodo deiectis, in concionem aſcendit. Gratum id multitudini ſpectaculum, ſummiſſa ſibi eſſe imperii inſignia, confeſſionemque factam, populi, quam Conſulis maieſtatem, vimque maiorem eſſe. Imo verò ad huiuſmodi occurſum ſi extra vrbem fieret minor magiſtratus etiam ſecures deponebat. Præter faſces, manu virgam geſtabant, tum ad ſummouendum, vt dictum eſt, tum ad ianuam tangendam. De hoc more Martialis.

Bis ſenos iubet en redire faſces
Nato Conſule nobiliq́ virga
Vatis Caſtalii domum ſonare.

Quoties enim magiſtratus ſuam aut alienam domum intraturus erat, lictor præcedens virga fores percutiebat, ad ſignificandum eius aduentum. Plinius lib. 7. C. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonii ſapientiæ profeſſione clari domum fores percuti de more à lictore vetuit. Hucuſque de lictoribus dictum eſto.

VIATORES ex eo inducti, quod cùm agri eſſent in propinquo vrbis, & initio omnium tribuum aſſiduò ruſticarentur Romani, crebrius homines ſeu ſenatores à magiſtratibus, ſeu à ſenatu in curiam per miniſtros vocari oportebat: quorum opera cùm tam eſſet crebra, ſeu crebrior in via, quàm in vrbe, & ab agris in vrbem, ab vrbe in agros toties commearent, appellati ſunt Viatores. Poſtmodum, conſuetudine loquendi, ad eos translatum eſt hoc nominis, qui iuſſu magiſtratus, reos in ius vocarent: qui tum Apparitores, tum Executores litium plerumque dicuntur. Plin. lib. 18. cap. 3. Aranti quatuor ſua iugera Cincinnato, Viator attulit Dictaturam, & quidem nudo, plenoque puluetis etiamnum ore. Cui Viator, vela corpus, inquit, vt proferam ſenatus populique mandata.

SERVI PVBLICI, quorum miniſterio magiſtratus fermè omnes vtebantur. Romani quippe morem hunc retinebant, vt Reſpub. ex gente captiua plerunque ſeruos quoſdam ſeligeret atque ſeponeret ad varios vſus. Itaque ſcriptum eſt apud Liuium lib. 26. Scipionem, victa Carthagine, opifices ad duo millia hominum publicos fore edixiſſe, cum ſpe propinqua libertatis, ſi ad miniſteria belli enixè operam nauaſſent. Qui mos fuit etiam in Græcia. Ideo in Palliata Plauti ſcriptum cui index Captiu.

Sed is priuatam illic ſeruitutem ſeruit, an publicam?
HEG. Priuatam, medici Menarchi.

Huiuſcemodi ſeruos vt diſtinguerent, a prouinciis vnde adducti, aut à perſonis eorum, qui vicerant, quique adduxerant, appellabant. Prioris generis fuerunt Brutiani, Cyprii, Picentes, Lucani. Poſterioris Corneliani, Clodiani, &c. Atque hi plerunque in libertatem aſſeri ſolebant: vt tamen nihiloſecius officia quædam Reipub. deberent, quaſi liberti. Quibus & annua quædam Reſpub. ad victum & veſtem largiebatur.

CARNI-

Carnifices non ſolùm in numero ciuium non erant, ſed ne domicilium quidem in vrbe habebant. Per eos ſontes in crucem agebantur, vt per lictores ſecuri feriebantur. Saluſt. in Catilin. vindices rerum capitalium. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Expoſui vobis, quæ ſciebam, pœne omnia, & vt arbitror, magis famem veſtram irritaui, quàm expleui. S. In præſens quod reſpondeamus nihil eſt, niſi hoc vnum, te de vtroque noſtrum tam bene meritum eſſe, quàm qui optimè. A. Iam iſtuc gaudeo, quia vos gaudetis.

ANNOTATIONES.

QVIBVS SCRIPTVM FACIEBANT) *Scriptum facere (quod barbarè dicas notarium eſſe) ſcribendi artem exercere ac profiteri, ſcribam eſſe. Abdicare ſe ſcriptu, eſt eo officio renuntiare. Notare Quintiliano in præfat. eſt compendioſo ſcribendi genere excipere: quod etiam dici poteſt, notum ſcribere & excipere. Scriptura item compendia dicere licebit, quas barbari abbreuiationes.* LICTORES) *De lictoribus quæ afferuntur, decerpta ſunt ex Lipſio, Elect. lib. 1. cap. 23. vt quæ de ſeruis ex eiuſdem Elect. lib. 1. cap. 22. niſi quod illis dialogi faciem dedimus.* SVBMOTIO CVM STREPITV) *nec tamen vt multitudinem ſubmouere poterant, ita etiam arcere ac depellere curas animi, & moleſtias. Quò reſpexit Horatius Ode 16. lib. 2. cùm ſcripſit,*

neque conſularis
Summouet lictor miſeros tumultus
Mentis.

Significat honoribus homines non eſſe beatiores, cum fœlicitas animi tranquillitate cenſeatur, quam præſtare non poteſt lictor. Nam vt ſubmouere poſſit turbam, non tamen poterit vitiorum, & perturbationum tumultum arcere. Turneb. lib. 15. cap. 10. De lictore curato vide eundem lib. 11. cap. 10. CARNIFICES) *Quamobrem carnifices in odium hominum incurrant, docet Magius Miſcel lib. 4. cap. 16. Cenſoriæ leges eos foro, & domicilio vrbis priuârunt. Teſtatur idipſum Cic. pro Rabirio, ſed moreretur prius acerbiſſima morte millies Gracchus quàm in eius concione carnifex conſiſteret: quem non modò foro, ſed etiam cælo hoc ac ſpiritu cenſoriæ leges, ac vrbis domicilio carere voluerunt. Rhodiorum lege etiam vrbem ingredi vetabatur. Apud Terentium magni probri loco carnificis nomen tribuitur.*

PRO-

PROGYMNASMA NONVMDECIMVM.

Num ſint è Repub. perpetui magiſtratus.

CREMVTIVS, LINVS.

CREMVTIVS. Non multum effluxit temporis, Line, cum tale quiddam mihi contigit, quale Melibœo in ecloga contigiſſe Maro noſter feſtiuè comminiſcitur L. Quomodo? C. Audies. Conſederant forte in ſolo loco Sabinus & Fundanius, vterq; vtriq; noſtrum veteri neceſſitudine coniunctiſſimus, & inter ſe, quod animaduertebam, acriter diſputabant. Aderat tanquam Daphnis, & arbiter certaminis Conſtantius. Is vbi me prope ambulantem, & præterire volentem conſpexit, ocyus inquit, Cremuti, huc ades. Et ſi quid ceſſare potes, ſub iſta ilice mecum in vmbra requieſce, atq; vtrius horum ſententia veritati videatur magis conſentanea, iuxta mecum conſidera. Qua de re, inquam, contendunt? De perpetuitate magiſtratus, ait. Partem affirmantem tuetur Sabinus: inficiantem Fundanius. Nondum cœperat continenter dicere poſterior: tantùm interpellabat aduerſarium, & argumenta eius eleuabat: & ille iam parabat deſinere, paratus audire, quid contra ſe afferretur. Datum eſt mihi hoc à Sabino, vt breuiter, à ſe dicta, & à capite repeterer. Quæ cùm haud abſurda apparerent, nec penitus incredibilia, factum eſt tamen, vt Fundanii oratio ad aſſentiendum me vehementius impulerit. Quare vbi aſſurrexi vt abirem, duos de ſeptima ecloga extremos verſiculos παρῳδικῶς vſurpaui in hunc modum.

Hæc memini, & fruſtra victum pugnare Sabinum.
Ex hoc Fundani nobis Fundanius eſto.

L. Sunt & mihi carmina, & gliſcit animus ſimilem diſputationem capeſſere, & cum Fundanio quæſtionis huius partem negantem, vt veriorem defenſitare. Quod vt me facete ſinas, ita te oro, ſi perſonam Sabini ſimilare velis, tuiſque verbis firmamenta iterare, & de tuo addere, ſi quid addendum putabis. C. Concedam petitioni tuæ, & in ſpeciem te laceſſam. Tu ſi feruentius contra diſſerere volueris, Sabinum tibi aduocabo, qui pertinaciter placitum ſuum defendit. L. Mihi curæ erit, ne nihil lædentem vlciſcar. C. En tibi ratiocinationes.

Pars aiens.

Si vno & altero anno tantum gerendus eſt magiſtratus: prius honore ſuo perfungentur, & ad priuatum vitæ ſtatum reuertentur, quibus ſe gerendam reſpub. commiſerit. quam illi cauſarum, negotiorumq; ciuilium notitiam acquiſierint. Temperari autem ciuitatem ab inexpertis, in exerci-

ercitatis, nullo, aut mediocri vſu præditis, non poteſt in fructuoſis numerari. Qui diutiſſimè, aut ſemper gubernacula tenent, vt aliis aliquando perſpicacitate ingeniorum cedant, exercitatione quidem & experientia, quæ magiſtros vincit omnes, longè antecellunt. Quis porrò neſcit, magiſtratum in tempus breue mandatum nulla eſſe auctoritate? Et profectò, qui ſe haud multo poſt loco motum iri non ignorat, aut amiſſionem poteſtatis metuit, is neutiquam iniuſtæ Principum voluntati libidiniq; aduerſabitur: tenuiores aduerſus opulentos minimè tuebitur: populi commodorum paruam rationem ducet: ne cum prouinciam alteri tradiderit, ſibi à potentibus multa accidant contra æquitatem, iniuriæq; graues inferantur. Nec verò ita promptè ac nauiter eorum imperia exſequimur, qui cum paulò antè eodem quo nos ordine cenſerentur, rurſum paulò pòſt in eundem ordinem redigendi ſunt. Adde quod ad compeſcendam Principis tyrannidem nihil eſt præſentius, continuata per omnem vitam poteſtate: ſiquidem frequens honorum mutatio eius potentiam auget ac ſtabilit: quæ deinde aucta & ſtabilita, dominatum inuadit, & omnia iura peſſundat. Quo autem amplius de imperio Principis detractum fuerit: ſeu quò magis imminuetur, eò tolerabilius euadet. Atqui perpetuitate honorum diminuitur: dubitare ergo non conuenit, quin Reip. commodet ſucceſſione carens magiſtratus. Natura quoq; dux optima in omnibus, immutabilis eſt, quam continuatio poteſtatum pulchrè imitatur. Metuendum præterea, ne noui magiſtratus pauperioribus incommodent: quippe adhuc vacui, & proinde compendiorum ſuorum ſitientes: cum veterani quæſtus ac diuitiarum pleni iam ſint. Antoninus pius viuenti bono magiſtratui ſucceſſorem nō dedit, præterquam Orphito Præfecto vrbi, ſed roganti. Tiberius item prouinciarum Prætoribus niſi fato functis ſucceſſores nullos mittebat, ob eandem ſcilicet aliasq; cauſſas. Hoc item Claudianus in Honorio laudat.

crebris nec ſuccedentibus vrges
Iudicibus.

Nunc tu quandiu voles contrà diſſere: libenter intelligam, tunc an Fundanius hanc partem eruditius, acutiusq; tractauerit. L. Futurum ſpero planè, vt ſi non maiorem, at ſimilem certè voluptatem rationes meæ tibi pariant. Eas explico in hæc verba.

Pars negans

Certum eſt, ſi Rectores adminiſtrationum ſuarum rationes edere non cogentur, ad tyrannidem aſpiraturos. Quî autem cogentur, ſi eorum poteſtas nullo termino, ac fine temporis circumſcribitur? Si imperandi parendiq; commutatio tollitur? quæ ſuperba ingenia in gyrum quodammodo ducit, nec animos licentia ebrios fieri permittit. Quòd ſi paucorū menſium honor ſpiritus arrogantes ſæpe facit, quid tandem cōplures anni? quid vniuerſa vita? Si libertatem, quo omnes omnium cogitationes ſemper referuntur, retinere cupimus in ciuitate, parendi imperandique viciſſitudo retinenda eſt: aliter illa conſeruari nequit: cum nimirum im-

imperio ad vnum aut paucos in perpetuum delato, ſperare cæteri non poterunt, ſe eundem honorem aliquando adepturos. Sunt autem honoris perſtudioſi omnes: quem vbi præreptum ſibi in omne tempus cognouerint, quo nam modo id ſedatis animis perferent? non res nouas molientur? non inuiti ac repugnantes parebunt? non cœtus celebrabunt? non ſeditiones, non ſimultates naſcentur? non odia offenſionesq́; magnoperè ſtatum Reip. labefactantes concitabuntur? Intolerabile apparet in libera ciuitate vnum continenter præeſſe. Confirmat id luculentiſſimis verbis Æmylius Mamercus apud Liuium, cum dictaturam vnius diei ſpatio geſtam ſe depoſuiſſe dicit: quò planum faceret, quàm ſibi diuturna imperia non placerent. Optimus ciuis tum maximè imperare condiſcit, cum paret: & dum in magiſtratu eſt, perutile videretur eum certò ſcire, futurum breui, vt pareat. Sic lenius ac leuius eius reddetur imperium: vtpote qui ſe non regem, ſed publica poteſtate ad mediocre tempus fungentem intelliget. Sic plures ciuium eodem honore ornabuntur, & arctioribus cum repub. vinculis adſtringentur. Quocirca prudenter ſuaſum Auguſto à Mæcenate, vt vrbibus atq; prouinciis Præfecti, neq; minus triennio (niſi deliquiſſent) neq; plus quinquennio magiſtratum obirent. Nam & annui illi, & ſemeſtribus aut minoribus ſpatiis incluſi magiſtratus hoc habent, vt cum quis aliquid in his addidicerit, prius decedat, quàm dare eius ſpecimen poſſit: & diuturnitas imperandi multos ad faſtum, & res nouandas ſollicitat. Extant item leges in iure ciuili de honoribus, & muneribus non continuandis. Et in XII. tabulis ſcriptum erat. *Eundem magiſtratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito: ciuitatem annali lege ſeruanto.* Laudandi Romani, laudandi Athenienſes, apud quos nulla fuit magiſtratuū perpetuitas. Præclara ſunt verba Salluſtii. Poſt vbi regium imperium, quod initiò conſeruandæ libertatis, atq; augendæ Reipub. fuerat, in ſuperbiam dominationemq́; conuertit, immutato more, annua imperia, binos imperatores fecére. Eo modo minimè poſſe putabant per licentiam inſoleſcere animum humanum. Negare nolim, vſum tempore comparari, & infœliciter eos gubernare, qui gubernandi rationem, negotiorumq́; naturas nōdum calluerint. Attamen vtilior Reip. mihi videtur, imperitia quædam cum modeſtia, quàm peritia cum arrogantia: quæ plerunq; diuturnitatem imperii comitatur, in breuitate locum non habet. Quid verò? nonne iſtam rationem exempla refutant? Vno tantum anno Coſſ. Romani peritè ſatis & doctè Remp. gubernabant. Si præterea adſit ingenium & prudentia, res maximæ, & multis explicatæ difficultatibus citò diſcutiūtur. Atq; hæc res, prudentia, inquam, auctoritatem conciliat. Qui porrò non ſeipſum, ſed Remp. amat, non ſpectabit, quamdiu magiſtratum geſturus ſit, ſed quid ſe deceat diligentiſſimè conſiderabit, & communis commodi ſalutisq́; cauſſa nullius periculi caſum extimeſcet. Nec diuturnitas honoris Principem tyrannum fieri vetat: immo ea ipſa tyrannos facit. Hæc imparatus, & ex tempore. Qualia ſint, tute iudicato: mihi, niſi fortè mihimet blandior, non infra omne pretiū videtur. C. Eadē, & æq; diſſertè à

Fundanio dicta recordor: quamobrem & vitula tu dignus, & ille. L. De teſtimonio grates ibi magnas. Sum aliquid, ſi tu me non ſpernis.

ANNOTATIONES.

CONSERVANDAE LIBERTATIS) *Frequens locutionis genus Salluſtio, quod in ſcholiis obſeruauit Aldus Manutius, & nos de eo alibi admonuimus.* DOMINATIONEMQVE CONVERTIT) *Vocula, ſe, tollenda eſt, cum alibi quoq; ita loqui conſueuerit Salluſtius. Na iſta nobis manſuetodo & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet. Benefacere iam ex conſuetudine in naturam vertit. Cic. Sed hoc vitium in bonum ei vertebat. Liuius. Auſpicia in bonum vertunt. Virgil. Et tota ſolidam in glaciem vertere Lacuna. Plura teſtimonia producit idem Manutius in ſcholiis Coniurat.* SI TV ME NON SPERNIS) *id eſt. ſi me amas, magni facis: per figuram, qua λιτότης græcè. Tale illud Virgilii eclog. 3. Quid prodeſt, quòd me ipſe animo non ſpernis Amynta? Et in 7. Æneid. Munera nec ſperno. Quod autem Grammatici pleriq; hanc figuram Liptoten appellant, Græco item, vt putant, vocabulo, fœdo errore labuntur. Explicat vim λιτότητος Seruius in 1. Ænei. ſuper iſto verſu, Mihi iuſſa capeſſere fas eſt, his verbis. Figura eſt Litotes: quæ fit, quotieſcunq; minus dicimus, & plus ſignificamus, per contrarium intelligentes, vt hoc loco: non ait, licet mihi implere quæ præcipis: ſed, nefas eſt, non implere quæ iuſſeris. Adi libellum Henric. Steph. de abuſu linguæ Græcæ c. 7.*

PROGYMNASMA VICESIMVM.

Meliora eſſe legum imperia: tum de legibus vniuersè, mox de Romanis.

PRISCVS, ANTONIANVS, CARPVS.

PRISCVS. Quæſtionem nec inelegantem, & grauem: eamque politicam ponere vobis conſtitui, ſodales, de qua pro arbitratu diſſeratis prius, quàm, id quod à me ambo contendiſtis, de legibus, præſertimque Romanis, diſputationem ingrediar. A. Quin tu vtrumq; facis, munusque tuum alio munere cumulas, atq; ita duplici nos beneficio, aſtringis, qui nec ſimplum reddere poſſumus? P. De reddendo nolim vos cogitare: redditis, ſi libenter debetis: & ego non tentandi cauſſa, verùm vtriuſq; veſtrum audiendi in re pulcherrima, quæ diſputationi meæ præmuniatur, iſtuc à vobis præſtari peruelim. C. Si tu iſtuc, Priſce, ex animo, nō ſimulatè dicis, id eſt, ſi verè de ingeniis doctrinaq; noſtra paulò præclarius exiſtimas, non videbimur profectò magiſtros audiuiſſe, qui nos magna mercede nihil docerent ſapere: nec tanquam forum re-

rum

rum venalium otioſi ſpectatores, obiuiſſe tot annis gymnaſium. E quo tamen longè tu, quàm nos, inſtructior, coëmptis mercibus, rediſti. P. Excuſare ignorantiam nihil attinet: fateor ego, mé, qualis ſum, ſi modò aliquid ſum, non ex vna, ſed pluribus academiis exiuiſſe: nec mihi vnquam velitationes veſtræ litterariæ, quibus crebrò interfui, non valde vehementerque placuerunt. Quæro igitur, meliúſne ac ſalutarius cenſeatis, Rectorum arbitrio, an ſcripto iure, ſeu legibus ciuitatem gubernari. A. Super hoc nimirum ſcholam habere vis, vtrum animatam iuſtitiam inanimæ anteferre oporteat. P. Eum ſenſum continet quæſitum meum. Vtram partem tibi ſumis Antoniane? A. Sanè poſteriorem, ſiue illam de legibus, quia probabilior. C. Itáne? O hominem elegantem: nihil ago. Tamen experiar, quod eſt improbabile, argumentis efficere veriſimile. P. Age, mi Carpe, quodq; ſemper potes, fac vt poſſis hodie.

Pro magiſtratu.

C. Animata iuſtitia maximam rationem ducit æquitatis, ac ſummum ius, ſummam interpretatur iniuriam: temporum, morum, negotiorum, perſonarum, locorum viciſſitudinem ac differentiam ſedulò perpendit, & ea varietate imperia voluntatemq; ſuam dirigit: ipſaq; nihil aliud, quàm lex loquens eſt: ſicut viciſſim legem mutum magiſtratum vocare conſueuimus. Hoc autem leges præſtare quî poſſunt? vt ſemel latæ ſunt, ita manent. Quid quòd ibi fælicius imperatur, vbi ſtudioſius, & alacrius obeditur? Atqui quoniam leges non ſolùm multæ, verùm etiam difficiles, rigidæ, & inexorabiles videntur, vocem Principis & magiſtratuum in loco legis complecti omnes malunt. Temporibus regum Romanorum paucæ leges in vrbe fuerunt, propterea quod eorum iuſſa, vim auctoritatemq; legum obtinebant: ad quos deferebatur, ſi quid controuerſum, aut maioris momenti incidiſſet: ad eorum ſe arbitrium nutumque omnes, nec inuiti conuertebant. Et omnino, præter Superbum, ea cum moderatione & ſapientia ſummæ rei præfuerunt, vt L. Iunius Brutus, qui illum exegit, peſſimo publico id facturus fuerit, ſi libertatis immaturæ cupidine alicui priorum regum extorquere regnum ſtuduiſſet. Refero pedem, dictum à me ſatis. A. Audaciorem ſi eſſem nactus aduerſarium, ſic contra eum ingrederer.

Pro legibus.

Tametſi lex nihil videtur aliud, quàm recta ratio, nihilominus neminem fugit, eandem rationem noſtram turbulentis motibus, conſiliariis profectò amentiſſimis ſubiectam eſſe. Plura iudicant homines, inquit M. Tullius, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. Quamobrem quî tandem conducibilius putetur, ex arbitratu & ſententia gubernatorum, quam ex legibus adminiſtrari Rempub? Quid eſt aliud, obtemperare legibus, quàm ſanctiſſimis philoſophiæ præceptis

obſequi,& ſecundùm naturam viuere? Quo vno ſi ſalutarius fieri nihil poteſt, deſinamus quærere, num voluntas iudiciumque Rectorum legibus meritò anteponatur. Vereor magnoperè, ne ius ſcriptum tollendi,& ex opinione omnia ſtatuendi, alia cauſſa nulla reperiatur, quàm faſtidium, inſolentia,& rerum ignoratio: quòd potentiores ſcilicet legum vinculis alligari atq; conſtringi libidines ſuas nolunt. magiſtratus verò, velut ſeruitium quoddam ægrè patiuntur, cogi ſe, non quid ſibi, ſed quid iureconſultis viſum ſit, decernere: quaſi muti, & adhuc in tutela eſſent, cum ſe quoq; à ſtolidis longè abeſſe, & ſapere opinentur. Proinde Caligulæ Imperatori teterrimo ſimiles ſunt, qui, ſi vitam prius ipſe non perdidiſſet, omnia iureconſultorum ſcripta (ſic enim cogitauerat) perdidiſſet. Nec animaduerterunt iſti tot exempla Rerumpub. ſapientiſſimorumq; hominum, qui leges condiderunt, ac re ipſa compererunt, abſque iure ſcripto nullam in pace ac tranquillitate futuram ciuitatem: omnia ſurſum ac deorſum permiſtum, confuſum, ac perturbatum iri. Haud ineptè forſitan leges ſcriptas cum doctrina medica comparauerimus. Prorſus reprehenſionem ſtultitiæ non effugeret, qui repudiatis litteris, quibus medendi ratio modusque comprehenditur, ægrotos ſecundùm communem ſenſum prudentiamque vulgarem habendos decerneret. Sæpius mandata inſipientiæ, inſcitiæ, iracundiæ, & aliarum motionum rationi inimicarum ederentur. Bene igitur Ariſtoteles, Qui legem ciuitati præeſſe volunt, ij videntur Deum & leges præeſſe velle: qui verò hominem præficiunt, ij addunt ei belluam, cupiditatem ſcilicet, & excandeſcentiam, quæ belluarum ſunt, & quæ viros quantumuis bonos à recta mente detorquent. Lex autem mens eſt, cupiditate penitus vacans. Huc accedit, quòd leges longo tempore,& accuratiſſimè prius conſiderentur, quàm ferantur: iudicia pleraque repentina ſunt. Largiamur autem hoc aduerſariis fore ſemper animis ſedatis, compreſſis omnino turbidis motibus,& ſapientes magiſtratus: an non multæ inter eos opinionum diſſenſiones orientur? Aliud huic, aliud illi videbitur. Atq; vt conſentiant, non ideo populus facilè ſibi perſuadebit, rectum, iuſtum, æquum eſſe, quod illi decreuerunt, ſi de iure ſcripto taceatur. Etiàm aduerſus improbos,& contumaces litigatores iudicibus auctoritatem conciliant,& importunis eorum vociferationibus ſilentium imponunt. Athenis confuſio ad ordinem, perturbatio ad quietem ante leges conſtitutas redigi non potuit. Populus Romanus certos homines in Græciam leges deſcritum miſit. Deus ipſe ius ſcriptum approbauit, qui in Repub. Iudæorum ordinanda leges tulit,& ſcripſit digito ſuo. Et quia omnis poteſtas eſt à Deo, ſentiamus licet, etiam aliarum Rerump. leges diuinitus latas. Nec qui contrà pugnant, plus vident, quàm Solon, quàm Lycurgus, quàm Moyſes, quàm prudentiſſimæ ciuitates, quàm Deus ipſe. Æquitas autem,& moderatio nequaquam excludentur, quas adhibere in conſilium etiam ipſæ leges iubent, iubet ratio, iubent exempla. Hinc leges velut plumbeas regulas ad negotia accommodare præcepit Ariſtoteles. Quia enim leges de vniuerſo genere ſunt, ac definito numero, actiones autem homi-

hominum ſingulares, ac prope infinitæ, fieri nequit, vt leges omnia complectantur. Proinde ſapienter idem admonuit, conandum, vt ſi leges amplecti non poſſint omnia, ſaltem minimam partem iudicibus relinquant. Hæc ego ad tuendam ſententiam meam ſufficere iudico. P. Prô quàm illuſtris, & copioſa legũ defenſio! narro tibi, doctior multò factus ſum. C. Hoc futurum ſciebam. Attamen præmium victoriæ tuæ, quia nullum poſitum eſt, nullum tollis. A. Aliud quiddam tollo. C. Intelligo: at illud aliud maius eſſet, ſi plures auditores affuiſſent. Num quid igitur impedit, Priſce, quin tu iam in medium partes tuas acturus prodeas? P. Incipio. Quin dicis, Quod dii bene vertant? C. Quod bonum, fauſtum, felix. Inſuper omnes deos deaſq;, ſi vis, tibi inuocabo. P. Mitte nugari.

De natura & notatione legis Cic. 1. de leg. in hæc verba. *Lex eſt ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria. Eadem ratio cum eſt in hominis mente confirmata & confecta, lex eſt. Itaque arbitrantur prudentiam eſſe legem, cuius ea vis ſit, vt rectè facere iubeat, vetet delinquere: eamq; νόμον illi putant græco nomine à ſuum cuiq; tribuendo appellatam: ego noſtro à legendo. Nam vt illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrumq; legis eſt.* Lib. autem 2. ita definit. *Lex eſt iuſtorum iniuſtorumq; diſtinctio, ad illã antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quã leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & defendunt ac tuentur bonos.* Legum illuſtris commendatio extat apud Demoſt. orat. priore aduerſus Ariſtogit. Lex eſt, inquit, cui omnes homines obtẽperare conuenit, cùm ob alia multa, tum vel eò maximè, quod lex omnis inuentum quoddã ac munus deorũ eſt, decretum verò hominũ prudentium: adhæc flagitiorũ conſultorum inconſultorumq; emendatio, cõſpirantis deniq; ciuitatis conuentũ, ad cuius præſcriptum omnes in ciuitate agentes, vitã inſtituere par eſt. Legis porrò virtus eſt imperare, vetare, permittere, punire. Imperãtur bona: vetantur, & pœnis coërcentur mala: permittuntur μέσα ſiue ἀδιάφορα. Quæ imperat lex, facere omnes debent: quæ vetat, nemo: quæ permittit, ea vel facere liberum eſt, vel omittere. Punitur autem, ſi quis, quod lex imperat, non fecerit: ſi, quod vetat, fecerit: ſi, quod permittit, id facere alium iniurioſè prohibuerit. Neq; verò hæc duntaxat lex facit, quæ dicta ſunt, verùm etiam præmium interdum quippiam facientibus proponit.

De Romanis legibus.

Iam ſi circumſpiciamus omnium gentium leges, vt Lacedæmoniorum, Athenienſium, Locrenſium, Cretenſium, & aliarum, inueniemus eas, quanquam bonas, iuſtas & vtiles, & à ſapientiſſimis viris conditas, nullo modo cum Romanorum legibus comparandas. A. Quî hoc intelligamus? Tu illas aliorum populorum leges commendas, quas cum Romanis diſſimiles fuiſſe negare non poſſis, quærimus quo pacto tum illæ, tum hæ laudabiles videri queãt. P. Nihil facilius diſſoluitur. Ad vnam eandemq; metam at non ſimili & eadem via tendebant. Si quidem primi legum inuentores ius naturæ, in quo nihil eſt inæquabile, ſibi propoſuerunt, cuius imaginẽ, quantũ imitatione licuit,

in ſuas quiſq; leges tranſtulit. Ideo autem in tradendo iure, quò pariter intendebant, diſſimilem rationem obſeruarunt, quia nec eiuſdem loci, nec cæli, nec ingenii hominibus legem præſcribebant. C. Quomodo igitur euenit, cùm tam bonis vterentur legibus, vt Athenienſium gloria ante Lacedæmoniorum; horum ante Romanorum occiderit? P. Non iſtuc legum vitio factum eſt. A. P. Ergo vnde? Inde nimirum, quòd Athenæ citius, quàm Sparta, & hæc citius, quàm Roma à maiorum conſuetudine receſſit, & legum præcepta contempſit.

Quia verò publica res ita cum priuata cohæret, vt altera alterius commodo nitatur, nec ferè niſi vtriq; rectè ſit, diu vigere & ſtare ciuitas vlla poteſt, idcirco quæ vtriq; conſulerent leges, diuerſis temporibus latæ: fuitq; ius aliud publicum, aliud priuatum. Publici iuris pars altera ad religionem, altera ad res humanas pertinebat. Priuatum alias leges de iure ciuili, alias de criminibus continebat.

A. A quibus, & quibus comitiis leges ferri mos erat? P. Non ferebantur, niſi à magiſtratibus, Prætore, Conſule, Dictatore, Interrege, Trib. pl. Comitiis autem tributis, aut centuriatis, aut etiam (vt in imperio mandando, & in adoptionibus) curiatis. Si tributis, aut cum S. C. aut ſine. Si centuriatis, è S. C. ſemper. Plus dignitatis atque auctoritatis erat in centuriatis: ſed poteſtatis non minus in tributis. Æquè enim populus vniuerſus tenebatur iis legibus, quæ tributis comitiis ferebantur à plebe, atq; iis, quæ centuriatis. C. Rectè à plebe rogata quod ſanctum eſſet, ad vniuerſum populum pertinere dixiſti: non enim idem plebs, quod populus, ſed plebs pars populi.

A. Quid agebat magiſtratus legem laturus? P. Domi eam ſcribebat, & cum peritis conſultabat, ne quid contra rem aut voluntatem populi ſanciret: ne fortè pugnantia capita ſimul ferret: neúe quid, quod vetus aliqua lex, ſi ferretur, inane, infirmumque iuberet eſſe (etſi quæ poſtea ferretur lex, ſuperiores omnes præter ſacratas abrogabat) ne curationem, poteſtatem, commodúmue aliquod ipſe ſua ſibi lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: quod legibus Licinia & Æbutia vetabatur. Item ne pluribus de rebus, quæ non eiuſdem generis viderentur, vna rogatione ferretur. Ita faciendum iudicat Cic. 3. de leg. Qui agent, non plus quàm de ſingulis rebus conſulunto. Addebatur illa exceptio, vt ſi quid ius non eſſet rogari, ne eſſet rogatum. Item ſi quid contra alias leges eius legis ergò latum eſſet, vt ei, qui eam legem rogaſſet impunè eſſet. Hæc omnia cauebantur in ferenda lege bonis viris: donec, tempore procedente, nihil præter potentiam & vtilitatem ſuam ſpectare cœperunt, qui leges ferebant.

A. Quid? ſtatímne, atq; ſcripſerat ferebat? P. Minimè. Antequam eam promulgaret, ad ſenatum referebat, vt, quò plus ponderis, & maiorem vim haberet, de ſenatus eam ſententia ferret. Si magiſtratus eſſet ſeditioſus aut popularis, auctoritatem ſenatus nihil curabat. A. Quid eſt promulgare legem? P. Eſt quaſi prouulgare, id eſt, in publico ponere. Id eò fiebat, vt inſpiceret qui vellet, inſpectam conſideraret: non ſolùm vt intercedi poſſet, antequam ferretur: verùm etiam vt aliquantò antè ſtatuere cuiuis liceret, vtrum cùm ferretur, antiquanda ſuffragiis, an accipienda lex eſſet, & vt quis monere legulatorem poſſet, vel de corrigenda, vel omnino de non ferenda lege. Spatium

pro-

promulgationis, quacunque de re lex ferretur, erat trinundinum, id eſt, per trinas nundinas, vt cum nundinarum cauſa, nono ſcilicet die ex agris in vrbem ciues conuenirent, per trinundinum à ruſtica plebe ter legi cognoſcique poſſent. Inter diem igitur illum, quo lex promulgata erat, & eum, quo deinde ferretur, trinæ nundinæ intercedebant, id eſt dies ter nouem, ſeu ſeptem & viginti. Poſt tertias nundinas, magiſtratus in eum locum, vbi legem laturus erat, ſiue in forum, ſiue in campum Martium populum conuocabat. Ibi cum legem præco, ſubiiciente ſcriba, recitaſſet: tum, primùm quidem is, qui legem promulgârat populo, ſuadebat, vt rogationem acciperet: ſed poſt eum alii, non priuati modò, quibus ab aliquo magiſtratu concio daretur (nam alioqui concionandi poteſtas priuatis non erat) verum etiam quandoque magiſtratus, pro ſuo quiſque ſenſu vel ſuadebat, vel diſſuadebat. Cic. 3. de Leg. populum docēto, doceri à magiſtratibus priuatiſque patiuntor. In quo ſignificatur, vt & ipſi magiſtratus, qui legem ferent, doceant, hoc eſt de ipſa lege dicant, & dicere alios quoque tum magiſtratus, tum priuatos patiantur. Immo etiam interdum eius rogationis, quam ferebat, ipſemet qui ferebat, diſſuaſor erat. Hoc tum fiebat, cum magiſtratus non è ſua, ſed è ſenatus ſententia rogationem ferebat. Neque enim prohibebatur diſuadere ad populum quod nō probauerat in ſenatu. Qui ſuadebant, aut diſſuadebant legem, Cicer. pro Flacco legis auctores vocat, legis, inquam, accipiendæ, aut antiquandæ.

Nunc de loco, vnde ſuadebant aut diſſuadebant. Nemo ad populum, niſi de ſuperiore loco concionabatur, quò longius à ſtantibus in concione tum exaudiri vox, tum intelligi verba poſſent. Concionabatur igitur, ſi in foro, de roſtris: ſi in campo Martio, vel alibi, de ſuggeſtu, aut editiore loco. Et ſæpius de Roſtris, quàm in campo conciones habebantur, quia ſæpius in foro, quàm in campo leges ferebantur. Sed cum priuatis, niſi poteſtate à magiſtratu accepta, concionari non liceret, magiſtratus omnis ſuo iure id poſſet, tamen Tribuni ſi vellent, non priuatos modò, verùm etiam magiſtratus ipſos, atque etiam Conſulem prohibere concione poterant. C. Mira & magna poteſtas Tribunorum. Nam hos Coſſ. quoquo vellent etiam, & vel ad ſupplicium deducere, & de curru triumphantes detrahere potuiſſe legi. P. Si hæc quæ hactenus explicata ſunt, & probè percepiſtis, & approbatis, pergam ad reliqua. Sin aliquid requiritis, id explicemus prius. A. Nos verò haud quidquam perge modò quoad libuerit.

P. Cum ſuaſerant, diſſuaſerántue legem primo loco priuati, ſecundo magiſtratus, qui legem ferebant. A. Ignoſce mihi, quod te interpello: paulum dubitationis hoc loco exiſtit. Cur tu priuatos ante magiſtratus nominas? P. Quia idem Cic. fecit 3. de Legibus. De promulgatione, de ſingulis rebus, de priuatis, de magiſtratibus audiendis. C. Cur autem fecit? ſecus enim fieri debuit. P. Non debuit: prior enim priuatis locus in ſuadenda, diſuadendáue lege ideo datus eſt, ne ſi eos, qui magiſtratum gerebant, ante audiſſent, ab iis diſſentire non auderent. A. Reſponſum placet: iam ad alia. P. Cum ergò factum eſſet, quod dicebam, tum præſentibus ſacerdotibus, & diuina exponentibus ſitella vel vrna deferebatur, in quam ſiue tribuum, ſi tributis comitiis lex ferretur, ſiue centuriarum, ſi centuriatis nomina coniiciebantur. Deinde ſortibus æquatis, hoc eſt, ita agitata ſitella, ne qua ſors ſubſultaret, atque exiſteret, ſed pariter omnes

æquata iacerent, ſortitio fiebat: quæque prima vel tribus, vel centuria, quæ ſecunda, quæ tertia de ſitella exiiſſet, eundem quem ſors dederat, in ſuffragio ferendo locum atque ordinem obtinebat. Hæc dum agerentur, ſi quis Tribunus vellet intercedere, locus erat. C. *Ergo interceſſio tribunitia impedimento erat legi perferendæ, quanquam promulgatæ iam & ſuaſæ?* P. *Sanè. Et eorum erat proprium intercedendi ius, cum ederent vocem illam Veto.* A. *Num alia præterea impedimenta?* P. *Immo alia tria. Cùm is, qui promulgârat, vel amicorum precibus adductus, vel ſenatus auctoritate commotus, vel ipſe ſua ſponte conſilium mutabat. Cum neque intercedente Tribuno, neque eo, qui promulgauerat, conſilium mutante, comitiales dies, id eſt, eos quibus agi cum populo licebat, conſul eximebat, vel ſupplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, latinis & imperatiuis. Auſpicia item impediebant comitia, quâcunque de cauſſa haberentur. Eorum fuerunt duo genera. Vnum ſpectio dicebatur, vel de cœlo ſeruare, de quo Philip. 2. & Varro apud* Nonium. *Hoc magiſtratus tantum vtebatur: alterum genus ad augures pertinebat, cum ex auium ſignis, id eſt, volatu, cantu, tripudio ſoliſtimo auſpicium faciebant. Nam ſi quid aduerſi viderant, aut audiuerant, id nuntiantes comitia impediebant. Illo priori genere vel ſi aduerſi nihil eſſet, ipſa tamen per ſe ſpectionem impediebat.*

Sortitione tribuum, aut centuriarum facta, dicebat is, qui legem ferebat: Si vobis videtur, diſcedite Quirites, quod verbum non hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, vbi lex fertur, ſed in ſuam quiſque tribum diſcedit, in qua eſt ſuffragium laturus. Populus enim confuſus, vt ſemper aliâs, ita & in concione.

Cum igitur de concione iuſſi diſcedere, in ſuam quiſque tribum, aut centuriam abiiſſet, priuatos homines inuenio, qui de lege laborarent, ipſos, ne quid fallaciæ committeretur, aut tabellas diſtribuiſſe, aut diſtribuentibus præfuiſſe, idque diribere proprio vocabulo dicebatur: quod muneris quia ferè vocari, obirique ſoleret ab iis, qui neque ætate graues, neque geſtis honoribus inſignes admodum eſſent, id ſibi & à ſenibus & à dignitate præſtantibus præcipuè contigiſſe gloriosè memorat Cicero in Piſonem. Tabellæ, quibus lex ſciſcebatur, duabus erant literis ſignatæ, V. R. id eſt, vti rogas: eæ quibus lex reiiciebatur, vna litera erant inſcriptæ, A. quæ valebat, Antiquo, hoc eſt, nihil nouari volo, antiqua probo, & in morem priſtinum reduco.

Ciſtis ſuffragiorum cuſtodiendis certi homines in comitiis præerant, Nongenti appellati. Ciſtæ cum ſuffragiorum tabellis quò tutius cuſtodirentur, pontibus quibuſdam imponebantur, ex quibus tabellæ populo miniſtrabantur in capite pontium: nam in extremis pontibus aliæ ciſtæ, in quibus tabellas ſuas quiſque deponeret, quod erat ſuffragium ferre. Tranſibant igitur per eos pontes ad lationem ſuffragii, tabellis acceptis in prima pontis parte, quas in extrema redderent. Erant autem quot tribus, quot centuriæ tot pontes, tribuum 35. centuriarum 139. vt per ſuum ſingulæ pontem ſuffragium ferrent: alioqui negotiũ longi temporis nec ſine aliqua perturbatione fuiſſet, ſi ponte vnico tribus omnes, aut centuriæ tranſire cogerentur. C. *Plures fuiſſe ex eo etiam liquet, quod mihi nunc in mentem venit. Operæ Clodianæ, inquit Cic. pontes occupârant:*

occupârant: &, pontes lex Maria fecit anguſtos. Et Cornificius ad Herennium: pontes diſturbat, ciſtas deiicit.

P. De ordine in ſuffragiis ferendis audite. Primo loco ea tribus, eáue centuria, quæ omnium tribuum aut centuriarum nominibus in ſortem coniectis, prima de ſitella ſorte exierat, ſuffragium ferebat: eaque prærogatiua dicebatur, quia prima rogaretur à magiſtratu, qui comitia habebat. Sed in ipſa tribu aut centuria primus, quem magiſtratus legem ferens deligebat, quem, & dignitate præſtare, & rogationi ſuæ præter cæteros fauere iudicabat. Poſt, ſuffragiis centuriæ aut tribus in vtramque ſententiam dinumeratis, & eorum numero punctis notato, eius tribus aut centuriæ voluntas cognoſcebatur, eaq; à præcone renunciabatur, & eadem in reliquis tribubus aut centuriis ratione ſeruata, ex maiore tribuum centuriarumúe numero vel antiquabatur, vel ſcribebatur lex. Hoc autem dirimere ſuffragia, & diremptio ſuffragiorum dicebatur.

Scita atque accepta lex omnium ciuium iureiurando confirmabatur, poſt iuſiurandum in æs incidebatur, aliquando non in tabulis modò, verum etiam in columnis æneis. Scripta iam lege, promulgata, perlata, in æs inciſa, non eadem fuit omnium ratio. Aliquot, maximeq; æneis columnis inciſæ, in publico proponebantur, vt oculis ciuium paterent. quæ æneis tabulis eſſent inciſæ, ad ærarium deferebantur, vti etiam ſenatuſconſulta. Ibi cum publicis pecuniis, omniumque publicarum rationum libris condita aſſeruabantur.

De legum tempore hoc dicendum. Neque omnibus diebus licuiſſe legem ferri, neque quibus liceret, per omnes horas. Licebat faſtis tantum diebus, nefaſtis non licebat. Nec verò faſtis omnibus, ſed comitialibus duntaxat. Comitialibus autem ita licebat, ſi nemo de cœlo ſeruaret. Clod. Trib. pl. vt armaret immodica licentia tribunitiam poteſtatem, dierum diſcrimen, & impedimenta auſpiciorum ſuſtulit. Nec diebus religioſis, in quibus Atri, legem ferre licebat. Horæ omnes idoneæ erant intra ortum ſolis & occaſum: reliquis non licebat.

Fracta erat vis legis, non modò cum alia lege nominatim abrogaretur, ſed etiam cum non omnino tota, ſed eius pars lege poſterius lata tolleretur: quod derogare dicebatur: aut cum nulla ſuperioris legis facta mentione, aliquid ei contrarium poſteriore lege rogaretur, quod erat abrogare. Abrogare omnes licuit præter ſacratas, quæ violatæ ſunt ſæpe, abrogatæ nunquam. Quæ ad legum Romanarum rationem attinent, & ponderis alicuius fuerunt, & ad cognoſcendum in promptu poſita, ferè omnia quam breuiſſimè ſum perſecutus. C. Prorſus res ad cognoſcendum multis de cauſſis vtiliſſimas pertractaſti.

ANNO-

ANNOTATIONES.

QVæ hoc progymnaſmate diſſeruntur de Romanis legibus, & diſſimilibus literis excuſa cernuntur, ex libro Pauli Manutii de legibus delibata, & à me in dialogum coniecta ſunt, breuitate quanta citra obſcuritatem fas fuit. Seneca epiſt. 49 non probat, Platonis legibus adiecta eſſe principia: legem enim breuem eſſe oportet, quò facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa diuinitus vox ſit. Iubeat, non diſputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quā lex cum prologo. Mone, dic quid me velis feciſſe. Non diſco, ſed pareo. In ſuppliciis vſurpabant Romani agere, aut lege agere. Non enim dicebant, occide, ſed lege age, cum in damnatos animaduertere iubebant: vt lenitas verbi ſcilicet triſtitiam rei mitigaret. VT FORVM RERVM VENALIVM) *Mercatum appellat Cicer. 3. Offic. Athenienſe Gymnaſium, Cratippum cum mercatore comparans, artes honeſtas cum mercibus. Verba ſequuntur. Suſcepiſti onus præterea graue Athenarum & Cratippi, ad quos, cum tanquam ad mercatum bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & vrbis auctoritatem, & magiſtri. Pythagoras dixit ſimilem ſibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ, &c. 5. Tuſcul.* PESSIMO PVBLICO) *Liuius lib. 2. Nam priores ita regnarunt, vt haud immeritò omnes deinceps conditores partium cœpta vrbis, quas nouas ipſi ſedes ab ſe aucta multitudini addiderunt, numerentur. Neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ ſuperbo exacto rege meruit, peſſimo publico id facturus fuerit, ſi libertatis immatura cupidine priorum regum alicui regnum extorſiſſet. Peſſimum publicum Liuio eſt calamitas publica. Poterimus item ſic nominare, quod barbari ſcandalum publicum.* ACCVRATISSIME CONSIDERANTVR) *Ariſtoteles lib. 1. Rhetori tribus nominibus leges commendat, quòd latæ ſint à viris prudentibus: quòd illi, antequam quidquā conſtituerent, diu ac multum cogitârint: quod neque gratia, neque odio, nec denique vlla eiuſmodi re deflecti à vero potuerint, cùm de futuris ſtatuerent. & in commune, non de hoc aut illo, in quem benè aut malè affecti eſſent. Ideo lib. 3. de Repub. vocat legem* νοῦν ἄνευ ὀρέξεως. LEGES DE VNIVERSO GENERE SVNT) *Iura, inquit Vlpianus, non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur. Non enim vetat lex, ne hic adulterium cum hac muliere faciat: ſed omnino, ne quis adulteretur. Et ita in reliquis. Sic eſt in præceptis artium. Non enim docet Hippocrates, aut Galenus, quid huic, aut illi ægrotanti dandum ſit: ſed quid omnibus hoc aut illo morbo laborantibus. Nam quæ præcipiuntur, finita eſſe oportet: ſingularia autem ſunt infinita. Idem Vlpianus: Neque leges, neque ſenatusconſulta ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur.* INVENTVM QVOQVE AC MVNVS DEORVM) *Opinabantur conſtanter antiqui, bona omnia cœlitus aduenire mortalibus. Leges referebantur ad Themin, aut etiam ad Cererem, quam ob id Virgilius legiferam vocat, & cuius ſacra dicebantur Theſmophoria. Ouidius. Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.* LACEDÆMONIORVM, ATHENIENSIVM)

Legiſla-

Legulator Lacedæmoniorum Lycurgus fuit, Athenienſium Solon. Locrenſium Zaleucus, Cretenſium Minos, Getarum Zamolxis. Iam quò plus haberent auctoritatis leges apud populum, pleriq; eas à diis accipere finxerunt. Minyas, qui Ægyptiis leges dedit, à Mercurio, Minos à Ioue, Lycurgus ab Apolline, Solon à Minerua, Zamolxis à Veſta. Apud Romanos Numa Pompilius cum dea Egeria nocturnos ſibi congreſſus eſſe ſimulabat: eius monitu quæ acceptiſſima diis eſſent, ſacra inſtituere: ſacerdotes ſuos cuiq; deorum præficere. Callidè hæc Numa: non minus Lycurgus, qui quoties legem aliquam excogitaſſet, Delphos ibat conſultum, ecquid ea vtilis eſſet. Sacerdos autem corrupta, ſemper reſpondebat, eſſe vtilem. Ita Lacedæmonii eius legibus cum diuino quodam metu, tanquam oraculis parebant. Retulit in ſtrategematis Polyænus lib. 1. DE SINGVLIS REBVS CONSVLVNTO) *Conſulunto, eſt populum roganto. Conſulitur enim populus, cùm lex rogatur. Sic in Miloniana. Nihil de eius morte populus conſultus: nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. Pro domo ſua. Si populus de iſta re conſultus eſſet. Et Feſtus. Rogatio eſt, cùm populus conſulitur. Etiam in ſenatu conſulere, eſt rogare ſententias. Ad Attic. lib. 12. Hic me laudat, inquit, quòd retulerim, non quòd patefecerim, quòd cohortatus ſim, quòd deniq;, antequam conſulerem, ipſe iudicauerim,* ANTIQVANDA SVFFRAGIIS) *Non ſunt idem antiquare, & abrogare, in quo tamen multi falluntur. Antiquat populus latam rogationem, cum perferri non ſinit: abrogat autem iam perlatam.* ERAT TRINVNDINVM) *Trinundinum non ſolùm in lege ferenda, ſed & in magiſtratu aliquando ſeruabatur, ob eam ſcilicet cauſam, vt conſuleretur candidatis pariter & populo: illis, ad magis conciliandos ſibi animos: huic, ne imprudenter repentè aliquem crearet, quem creatum poſtea nollet. Manut.* TRIPVDIVM SOLISTIMVM) *Cùm paſcerentur aues, neceſſe erat aliquid ex ore decidere, & terram pauire, & hoc terripauium primò, pòſt terripudium, deinde tripudium eſt dictum. Cum igitur oſſa iam ex ore pulli deciderat, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nuntiabâtur.* DIRIBERE PROPRIO VOCABVLO) *Inde diribitores pro pecuniarum diuiſoribus, & diribitorium domus publica, vbi ſtipendia militibus perſoluuntur. Sueton. in Claud. Quum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus manſit.* PRÆROGATIVA DICEBATVR) *Prærogatiua, vt ſcribit Aſconius, etiam ſignificat aliquod dictum aut factum liberaliter ab eo, qui nobis benefacturus eſt, ante ipſum beneficium nobis præſtitum. Cic. lib. epiſt. 10. Si triumphi prærogatiuam putas eſſe ſupplicationem. Idem in Verr. dedit prærogatiuã ſuæ voluntatis eiuſmodi.* ABROGARE OMNES) *Abrogare, eſt publico conſenſu aliquid abolere, tollere, obliterare, vt legem, imperium, magiſtratum. Abrogamus alicui fidem, quando efficimus, vt nulla ei fides habeatur.* PRÆTER SACRATAS) *Sacratæ leges ſunt, ait Feſtus, quibus ſanctum eſt, qui quid aduerſus eas fecerit, ſacer alicui deorum ſit, cum familia pecuniaque. Sunt qui eſſe dicant ſacratas, quas plebs iurata in monte ſacro ſciuerit. Sacratiſſimæ leges apud Iureconſultos, quæ ſunt ab Imperatoribus latæ, quomodo ſacræ largitiones epiſtolæ & alia.*

DE

PROGYMNASMA
PRIMVM ET VICESIMVM.
Togæ militiaque comparatio.
IRENE, ENYO.

IRENE. Eminus ego te contra ambulantem aduertens, ipſam proculdubio Palladem è magni Iouis vertice procreatam exiſtimabam: nunc quando facta eſt propior, clariſſimè video, nihil te aliud eſſe quàm Enyo, hoc eſt, caſtrenſem quandam furiam: quam iuuat clamor virûm, clangor tubarum, fragores & ſtrepitus tormentorum, internecina odia, alterna vulnera, enſes imbuti ſanguine, acerui contrucidatorum corporum, vaſtationes, & cadauera florentiſſimarum vrbium. Quin tu ipſa recens, vt aliâs, in medias phalangas irruiſti, editiſque ſtragibus atrociſſimis in miſerorum cæde perbacchata es: nam id cruentata quæ portas arma loquuntur: polluta cruore lorica: polluta galea, ſariſſa, clypeus. O veſanam, ô truculentam, ô furoris ebriam. E. Haud te à contumeliis, & maledictis auſpicari ſermonem oportuit. Hæccine tua ſalutatio? Pacem pacificam eſſe conuenit. Audi. Suum officium exequi vnumquemque æquum, & bonum eſt. Mihi hæ, aliæ tibi partes mandatæ ſunt. Mihi bellum curæ eſt: tu quietem curato. Quod ſi tibi iſtam oleaginam coronam, ramumque viridiſſimum, & reliquum adeò decorum inſignemque cultum, & concinnam faciem minimè inuideo: ſi tuum munus non reprehendo, quid eſt quod tu habitum iſtum meum actioneſque criminere? I. Depone pauliſper arma, & pacato vultu me intuere, ſi potes: Inermis ſum, nihil tibi à me orietur mali. E. Depono, & ſcire opto, cur me tibi inimicam arbitreris: verbis enim ſat truculentis, & impotentius in me inuaſiſti. I. Quoniam ſicut tenebræ luci, amarum dulci, incommodum vtili, tempeſtas tranquillitati, calamitas beatitudini, ita mihi tu iracundia implacabili perpetuò repugnas, & aduerſaris. Atque vbi tu pedem ponis, inde me confeſtim neceſſe eſt aufugere. Prius inter calorem & frigus, inter aquam & ignem, inter noctem & diem, inter vitam & mortem, quàm inter nos familiaritas conciliabitur. E. Tam tu mihi infenſa es, quàm ego tibi: tam tu me expellis, quàm ego te. Quamquam ego te minus odi re ipſa, quàm tu ſomnias. Potius te amo, cum inſectari, & perſequi videor. At enim vtra iuſtius alteram exterminet atque profliget: & vtram regnare ſit æquius, id peruidendum duco. Neutri noſtrûm optandum autumem regnum poteſtatemque perpetuam. Eſt nimirum quando te, eſt quando me mortales indigent. Si nulla imponatur iniuria,

non

non ego quemquam ad arma expedienda, hoſtemque vlciſcendum cohortabor: ſin ſecus, quis, quæſo, vir prudens numerari poterit, qui pacem bello mutare recuſauerit? In quo ſi ei fortuna arriſerit, ſtultus poſteà ſit, niſi ad pacis ſeſe portum quietiſſimum rurſus recipiat. Quomodo autem proſpero belli euentu eum ſuperbire fas non eſt: ſic neque pacis dulcedine captum iniurias ſuas negligere honeſtum eſt. Quid nunc bona Irene? quid reſpondes? nondum intelligis me ſeruire tibi? Vt enim in pace ſine offenſione, ac detrimento viuatur, ideo ad tela ferrumque aliquando deſcendere oportet. Et cùm duo ſint genera decertandi: vnum per diſceptationem: alterum per vim, confugiendum eſt ad poſterius, quoties ſuperiore vti non licet. Fateor nihilominus, illud proprium eſſe hominis, quem natura nudum, inermem atque imbecillum produxit: hoc belluarum, quibus eadem natura ab initio arma ſua attribuit, & ab illis bello nomen impoſitum, vt quorundam eſt ſententia. I. Aptè ac verè à belluis. Longiſſimè abeſt ab omni humanitate tam capitalis, & exitioſa diſſenſio. Si namque corpus, & figuram hominis contemplemur: nunquam eum ad conflictus, & diſſidia, ſed ad omnem placabilitatem: nunquam ad interitionem cuiuſquam, ſed ad communem ſalutem: nunquam ad lædendum, ſed ad benefaciendum eſſe natum confitebimur. Leones tenent vngues ſuos, tauri cornua, apri dentes quibus ſe tueantur. Aliæ animantium teſtis, aliæ corio muniuntur. Nonnullis pernicitas, quibuſdam venenum ad defenſionem à natura inditum eſt. Pleręq; ad aſpectum ſunt horribiles, ipſiſque vocibus terrorem iniiciunt. Vnus homo nudus, nullis communitus armis, carne molliſſima, cute leui intra oras huius luminis productus eſt. In cuius corpore toto, membris omnibus, voce, vultu nihil prorſus cernitur, quod ad violentiam datũ iure arbitremur. Ad amorem illi beneuolentiamque conciliandam valent omnia: ad timorem cæteris incutiendum nihil. E. Túne ergo hinc efficere niteris, contra naturam eſſe bellum gerere, & hoſtilem elicere ſanguinem? I. Hoc molior. E. Dicito mihi: num eſt ſecundùm naturam ita manſuetam ac placidam vt deſcripſiſti, ſibi mutuò inſtruere inſidias, cognationum & affinitatum omnia vincula diſrumpere, aliena rapere, cædes meditari, diuinas humanaſque leges peruertere? I. Non eſt. E. Patiundáne hæc, an vindicanda? I. Præcipio quò intendas, & fructus meos, meaque delectamenta non eſſe chariora hominibus doleo. E. Ergo eo iure, quod gẽtibus natura pręſcripſit, iuſta de cauſa, & legibus approbata, Principis aut Reipub. auctoritate intercedente bellum gerere licet: eo animo, vt ſine iniuria, & in pace viuere liceat. I. Tua verò incommoda & plurima, & extrema, vtinam homines aut noſſent, aut deteſtarentur magis. E. Quaſi tu dicas, nihil mihi adeſſe boni: immo adſunt bona ingentia. I. Ingentia? Nimirum cuius non modò præſentia, ſed ipſe metus quoque calamitoſus eſt. E. Quare? I. Cùm hoſtium copiæ ſupra caput ſunt, quamuis irruptiones, populationes, & alia militaris impietatis exempla edita nondum ſint, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit, emporia clauduntur, omnia infida ſuſpectaque fiunt.

At pa-

At pacis ipſum nomen dulce, res iucunda & ſalutaris, qua inanima quoque, quibus nullus eſt ſenſus, lætari recrearique videntur: nec poſſet à Deo aliud quidquam optabilius donari hominum generi: ſine qua mundum collabi atque interire neceſſe eſt.

pax optima rerum
Quas homini nouiſſe datum: pax vna triumphis
Innumeris potior.

E. Si tu meam cauſſam velles agere, perfacilè reſponſum ad ea inuenires, quæ mihi obieciſti. Veruntamē plura ad me vituperandam effunde, vt vno labore pauciſq; ſimul euertam omnia. I. Tu euertas? non euertes: nō enim tam ſunt leuia. Nam ſi quid eſt in vita, quod aut neruis omnib. fugere, aut longa cum deliberatione aggredi oportet, bellum eſt: ſiquidem impium, ærumnoſum, tetrum, funeſtum, & humana natura indignum eſt: ſeminarium quoddam flagitii, turpitudinis, calamitatis, iniuriæ, exitii. In quo religiones proſſundantur (quando milites ſceleratiſſimi etiam templa ipſa diruunt, & incendunt: ornamenta ſacrilegè diripiunt: ſacra pedibus proterunt: in homines ſacratos carnificum more deſæuiunt) pulcherrimæ vrbes incendio, excidio, ac ruïnis dantur: viri fortes, & præclari iugulantur: matres ingenuæ adulteriis, virgines ſtupris contaminantur: liberi ſeruitute afficiuntur: regnorum denique ſtatus fortunæque perturbantur, & corrumpuntur. Cùm defendere ciues debeant, ſæpe violant, & expilant iſti milites, & canes officio luporum funguntur. Reddunt alios miſeros, & ipſi tamen manent infelices. Tanquam victimæ paſcuntur: vt vbi tempus affuerit, hoſtili ferro immolentur. Quin, vt vitam ſeruent, ad mortem accedunt. Cui militi ad vltimum ætatis omnia proceſſerunt ex arbitrio? ſemper inquietus eſt miles: ſemper contemptui periculoque obnoxius. Ad opes & honores quoſdam militia prouexit: at infinitos ad egeſtatem, ad carceres, ad ſeruitutem, ad orcum, etiam victores: non enim omnium præliorum idem eſt, ac proſper exitus: & qui pro iuſtitia pugnauit, non rarò cecidit. Sperant victoriam, libertatem, diuitias. At ego vt multa multis ſecundum ſpem, & præter ſpem eueniſſe bona ſcio: ſic etiam qui ſperauerint, ſpem decepiſſe multos non neſcio. Sanè qui ſectatur caſtra, qui rem militarem colit, is videtur ſentire, non adeo eſſe malis inſignem vitam humanam, cum ea ſit pleniſſima incommodorum, miſeriarumque omnium.

Quis fuit horrendos primùm qui protulit enſes?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſauas quod dedit ille feras.

E. Ad egregias vtilitates vix vnquam peruenitur ſine doloribus, ſine damnis ſeu tuis, ſeu alienis: totaque cuiuſcunque rei laus, & reprehenſio à fine pendet, quem ſibi quiſque proponit. Debent autē qui bello manus commit-

committunt, id vnum ſpectare, vt pace perfrui liceat. Si quid præterea audax perfidusqúe miles, æquumqúe & iuſtum flocci pendens aut contra diſciplinam bellicam, aut contra ducem Imperatorumque voluntatem auarè, libidinoſe, crudeliter, impiè deſignat, non hoc bello, ſed ipſius ſceleri attribuendum. Sunt nihilominus, quæ humanitus atque diuinitus, tametſi lacrymoſa, acerba, & horribilia, iuſta victori permittuntur. Nunc tu viciſſim mea decora auſculta. I. Auſcultabo: longum quippe, ſi maxime velis, non potes facere. E. In profuſione verborum non conſiſtit laus. I. Hem oraculum. E. Vis neceſſitatem belli gerendi oſtendam? I. Oſtende. E. Homo naturà imbecillum, ac ſibimet haud ſufficiẽs animal, ſocietate opus habet, qua mutuatione operarum acquirant ſinguli, quo egent. Hæc ſocietas, ſeu hic conuentus atque cœtus eſt ciuitas: quam ſapientes nonnulli tres in partes deſcripſerunt. Vt prima ſit eorum, qui conſilio rempub. gubernent, quod ſit tanquam animus in corpore. Altera eorum, qui eandem armis, & obiectu corporum defendant. Tertia ex iis, qui artes neceſſarias exercent: in quam poſtremam & opifices, & agricolas, & mercatores incluſerunt. Harum verò ſecunda eſt eiuſmodi, vt ſine eius ope atque præſidio munera ſua obire duæ reliquæ tutò nequeant: ipſa enim Reipub. ſalutem, & incolumitatem quærit, & ab hoſtium incurſionibus domi eam foriſq; defendit. Alia iſtuc ipſum ratione demonſtrabo. Manus ad ſeruiendum corpori fabricata eſt: vt nempe noxia futura repellat: lædentia retundat, neceſſaria admoueat, reliquas partes conſeruet, & augeat. Quæ niſi ſimilem in modum ciuitatibus, regniſqúe præſtat militia, tu me prorſus amentem ac ſtolidam dicas. Belli tempore quantæ vtilitates publicè comparantur? Nam ad caſtra ſe conferre coguntur multi, qui domi cum otio inertiſſimo, in vita molli & eneruata conſeneſcebant. Nomina dant, qui vias infeſtas habebant, prædones, fures, latrones, fœneratores, aliiqúe ciuitatibus, & toti mortalium generi pernicioſiſſimi mortales. Ruſticorum inſolentia comprimitur, mercatorum arrogãtia corrigitur: potentium ſpiritus coercetur. Bello non modò res quæruntur, ſed augentur etiam, & conſeruantur. Non poteſt niſi cum grauiſſimo reipub. detrimento amitti ſcientia belli gerendi, quæ ſubiectos, ne quid machinentur, abſterret: hoſtes arcet, & ab alienis inuadendis abſtinere docet. Nec aliud æquè Romanæ ciuitati nocuit, quàm poſt deletam Carthaginem militare otium. Metus quippe hoſtilis iuuentuti acuendæ pro cote erat: quo ſublato, pro bonis artibus malæ artes, pro eximiis virtutibus ingentia rempub. vitia occupauerunt. Armis Aſiã ſubegerunt Macedones: armis Roma totum orbem perdomuit, & victorem terris pedem impoſuit. Iam quid tam glorioſum ad famam, quàm bello occumbere? in acie, non in lecto, & in pluma animam exſpirare laudabile eſt. Quapropter celebrantur trecenti Lacedæmonii, qui apud Thermopylas vitam patriæ largiti ſunt. Quale nomen conſecuti ſunt trecenti Fabii apud Romanos, qui aduerſus Veientes vna in pugna omnes oppetierunt? Porrò ob res bello geſtas, & ob militarem ſcientiam, aliaſq; virtutes imperatorias, quantis feruntur laudibus Cyrus Perſarum Rex, Alexander

Digitized by Google

Magnus Themiſtocles, Epaminondas, Pompeius, Cæſar, Scipiones, Annibal, & alii? Quis hanc immortalitatem illis præter me ſolam peperit? Prima nobilitatis initia, Ducum, Comitum, Marchionum, Baronum nomina, familiarum inſignia, multaq; commoda, ſtatuæ, trophæa, triumphi à re militari originem ſumpſerunt. Profer tu quos beaueris. Non me præterit pacis tempore in Repub. gubernanda excellentes viros extitiſſe, qui ad poſteritatem litteris commendarentur: veruntamen eorum prudentia, & ingenium hoc præſtitit, non tu. At ego præceptis meis, & auxiliis creaui Fabios Maximos, Scipiones, Paulos Æmilios, Lucullos, Beliſarios. Quid amplius, ô ventoſa & verboſa, ad te commendandam eloqui potes? I. Nimis multa, & quæ audire digna non es. E. Fortè illa, te inimicam eſſe litibus, ſeditionibus, tumultibus: quæ res ne ego quidem propter ſeipſas amauerim. Te regnante omni adempta formidine in vtramuis aurem otioſè homines dormire, frequentari conuiuia, coli literas, florere vrbes omnibus copiis, domos liberis, enſes conflari in falces, galeas in vomeres: & illa inſuper, quæ poeta Elegiacus laudator tuus canit. Nam vt tu verſiculos ex eo mihi occinuiſti, quibus accuſarer: ſic ego viciſſim alios, quibus tu laudere, bona, vt opinor, tua venia occinam.

Interea pax arua colat, pax candida primùm
Duxit araturos ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ,
Funderet vt gnato teſta paterna merum.
Pace bidens vomerq́; vigent, ac triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
Ruſticus è lucoq́; vehit male ſobrius ipſo
Vxorem plauſtro, progeniemq́; domum.

Hæc ego ſingula cum veritate conſentire concedo, nec ea contemno. Hoc tamen aio, ſæpenumerò ipſa hęc ſine armis, & conflictibus non contingere, nec ſine iis retineri. I. Tua laudatio mihi eſt nauſea, & nautea. Habeo alia, quæ de laudibus meis cantare poſſim. E. Quæ? I. Vt Pindarus tranquillitatem dixit iuris filiam, ita pax iuris mater appellari queat. Pace viget ius, vigent roganturq; leges: præmia virtutibus, ſupplicia peccatis conſtituuntur: boni ſpe, mali timore, vt æquum eſt, afficiuntur. Quibus ampla res, tutò poſſident: quibus mediocris, eam rectis rationibus amplificant: ex pauperibus multi euadunt opulenti. Sanè ſapientes quidam ex altè reconditis opibus Pacem verè βαθύπλουτον nominarunt. Nihil datum hominibus, vt ſim breuis, Pace optatius, melius, iucundius. Tu porrò ſeu fictè, ſeu ex animo me laudaueris, & qualiſcunque ſis, fieri profectò non poteſt, quin te auerſer, fugiamque medullitus.

ANNOTATIONES.

E MAGNI IOVIS VERTICE) *Videbis dialogum Luciani, in quo, ni fallor, Mercurius narrat, quo pacto Vulcanus accerſitus, Iouis caput infecta ſecuri acutiſſima diffiderit, indeq́; mox virguncula armata proſiluerit.*

NIHIL

Digitized by Google

NIHIL ALIVD, QVAM ENYO) *Quæ Latinis eſt Bellona, & antiquis Duellona, ſicut bellum duellum, Græcis eſt Enyo. Huius ſacerdotes ſuo ſanguine, non victimis cæſis illi ſacrificabant, furenteſq; vaticinabantur. Gyrald. ſyntagm.* 10. POLLVTA CRVORE) *Inquinata, fœdata, impura, cruor ſiquidem contaminat, impurumq; reddit. Inde cruentum cælum Lucretio, pro impuro. Qui igitur manus cruentas habent, quiq; hominem occiderunt, impuras: contra qui cædis inſontes ſunt, puras manus habere dicuntur.* SI NVLLA IMPONATVR INIVRIA) *Thucydides l.* 1. *in Orat. Corinthiorum ad Lacedæm. Vt enim modeſtia eſt quieſcere, ſi non afficiaris iniuria: ita iuſtitia eſt, cùm iniuria afficimur bellum paci anteferre. & repreſſa iniuria, poſt bellum rurſus pacem facere, nec aut ſucceſſu in bellis elatos plura appetere, nec pati iniurias mollitie, & amore otij.* ET AB ILLIS BELLO NOMEN) *Quidam etiam per contrarium, quia non bellum ſit: ſed verior ambabus ſententia eſt, à duello, antiqua voce natum vocabulum bellum. Itaque proferemus locum Cic. ex Orat. perf. Antiqui duellum antè dicebant, quod poſteà bellum vocarunt: Quid verò licentius, quàm quod hominum etiam nomina contrahebant, quò eſſent aptiora? Nam vt duellum bellum, & duis bis, ſic Duellium eum, qui Pœnos claſſe deuicit, Bellium nominarunt: cùm ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellij. Ex his etiam cognoſcis duellum & bellum idem valere: niſi quod vnum vetus, alterum recentius eſt. Sic Horat. Græcia Barbariæ lento colliſa duello.* OMNIVM PRÆLIORVM) *Bellum etiam ſine prælio eſt, cùm indicitur prælium ipſa pugna Fronto.* ET IVSTVM FLOCCIPENDENS) *Idem eſt floccipendere, flocco habere, flocci æſtimare, nihili pendere, ludificari, riſui ludibrioq; habere: quoniam floccus res deſpicabilis, & nihili eſt. Cùm autem additur negatio, non, vt, non flocciſacere, maior vtique contemptus ſignificatur. Nam floccus etſi res parui momenti, & contemnenda, tamen non omnino nulla eſt.* TRECENTI FABII) *Fabia gens ſenatum adiit, ſibi bellum contra Veientes ſolis velut familiare, priuato ſumptu gerendum depopoſcit. Perierunt omnes præter vnum prope puberem ætatem domi relictum, ſtirpem genti Fabiæ, dubiiſque rebus populi Rom, ſæpe domi belliq; vel maximum futurum auxilium. Liuius lib.* 2. *Ouid.* 2. *Faſt.*

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos perdidit vna dies.
Vt tamen Herculeæ ſupereſſent ſemina gentis,
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe deos.
Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis,
Vnus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet vt poſſes olim tu Maxime, naſci:
Cui res cunctando reſtituenda foret.

ADEMPTA FORMIDINE) *Metus motus eſt animi: timor quaſi tumor: formido fert interdum rationem: pauor puerilis eſt. Fronto.* QVAM SAPIENTES NONNVLLI) *Vt Hippodamus Mileſius, in cuius ſententia referenda refellendaq; Ariſtotelem ſecundo πολιτικῶν parum bona fide verſatum docuit Muretus lib... cap* 14.

PROGYMNASMA ALTERVM ET VICESIMVM.

Armamentarium, ſeu inſtrumentum militare.

COELIVS, MORELLVS, PRIMITIVVS.

COELIVS. Arma tradit Feſtus propriè dici ab armis, id eſt, humeris dependentia: vt ſcutum, gladius, pugio, ſica, & ea, quibus propè præliatur: ſicut tela, quibus procul. Terentius Varro lib. 4. ab arcendo nomen ſortita vult, quòd his arcemus hoſtem. Vtrum tandem veriloquium cenſetis probandum magis? M. Vtrum? Illud ſanè, quod ab effectu, non à voce ductum eſt: quod tamen non eiicimus: Varronem quàm Feſtum audire malumus, cuius, Varronis inquam, notatio patet latius. Erunt enim in armis lapides, quia hoſtes arcent, dum eos vel inuadimus, vel propulſamus, & ab humeris minimè pendent: vereque in armatis ſunt, qui gerunt aliquid, quo nocere poſſint: vt glebas, ſaxa, fuſtes, & ſimilia. Quapropter rectè Poeta: furor arma miniſtrat. Qualia? gladios, credo, haſtas, ferrum denique. Iamque faces & ſaxa volant, inquit. En faces, & ſaxa non veretur arma dicere. Facibus igitur & lapidibus ad lædendum inſtructi, habendi ſunt pro armatis. Armamenta cùm aliarum rerum, tùm maximè nauium inſtrumenta ponuntur, vt vela, rudentes, antennæ, &c. Quare quod ſcribitur epiſtola quadam ad Atticum, venire ſublatis armamentis, eſt nauigare ſublatis velis, ad celeriorem curſum: nam quò magis elata ſunt, eò velociore curſu naues prodeunt: quia ſcilicet ventos, quibus impellantur, benignius accipiunt. P. Tam clarè hæc, vt te, Cæli, dubitare nihil poſſe, ego nihil dubitem. Armaturam, cuius vocis me ſuperiores duæ, arma videlicet, & armamentarium admonuerunt, eſſe quoddam genus exercitii militaris, & à campi ductoribus tradi ſolere, eoqúe imbuendum tyronem docet Vegetius. Eidem armaturæ ſunt milites certi generis, iiqúe iuniores, qui ſub campi ductore meditabantur, & armaturam docebantur: quibus locus inter leuis armaturæ milites. Tribuni & Rectores Armaturarum ab Ammiano memorantur. Scholæ item Armaturarum, iuniorum nempe ac ſeniorum leguntur. C. Quandoquidem tuopte nutu, Primitiue, iſta in medium attuliſti, licebit etiam de vocabulo armamentarium, his de quibus hactenus ab vtroq; veſtrum profecta eſt explicatio, prorſus affini diſſeras. P. Quoniam id tibi complacitum video, fungar Grammatici munere aliquantulum. Fuerunt armamentaria, vbi arma aſſeruabantur, & inde militibus diſtribuebantur. Cic. pro Rab. Ex ædificiis armamentariisque publicis arma pop. Rom. C. Mario Coſſ. diſtribuente dantur. Et 1. de Orat. Philo Architectus, qui Athenienſibus armamentarium fecit. Armarium, ait Iſid. eſt locus, vbi quarumcunque artium inſtrumenta reponuntur. Armamentarium verò, vbi tantùm tela armorum. Vnde Iuuenal. Quidquid habent telorum

telorum armamentaria cœli. Hæc non in vrbe duntaxat, & prouinciis, verùm etiam in ipſis caſtris exercituq; cum appoſitis armorum cuſtodibus fuiſſe putandum eſt, & ibi reponi atque cuſtodiri ſolita arma grauiora maioraqúe, vt lanceas, haſtas, clypeos, ſcuta, loricas, &c. M. Quod de armamentariis in ipſo exercitu caſtriſqúe affirmaſti, huic fidem valde facit, quod ſcriptum reperimus apud Vegetium, legionem non habuiſſe ſolum fabros tignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, pictores, aliosqúe artifices, hybernis ædificiis, machinis, turribus ligneis ad expugnandas, aut propugnandas vrbes, item ad arma, vehicula, & cætera inſtrumenta bellica, ſeu noua fabricanda, ſeu quaſſata, & vitioſa reficienda: ſed fabricas quoque ſcutarias, loricarias, arcuarias: in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, & quoduis demum genus armorum fieret: ſiquidem nihil exercitui neceſſarium deeſſe volebant. Præterea hoc quoque proditum eſt literis, arma in exercitationibus præluſionibusqúe illis polemicis tyronum, grauiora quàm in veris ac publicis præliis vſurpata. C. Quam ob cauſſam? M. Vt tyro, cum vera aliquando leuioraqúe arma induiſſet ſumpſiſſetqúe, tanquam iniquiore pondere liberatus, ſecurior & alacrior pugnam capeſſeret. Quamobrem cratis ei, & claua dupli pondere dabatur. C. Laudabilis ergo Lycurgus, qui durius habuit iuuentutem domi, quàm foris: & tum crebriora, tum maiora militibus exercitia intra muros, quàm intra caſtra imperauit. Inde adeo factum, vt ingruente bello Lacedæmonii nullo timore, ſed lætitia complerentur: vt qui virtutis oſtentandæ materiam eſſent adepturi. P. Et hoc planè militare, quod Romani gladios ac pugiones etiam fodientes nunquam deponebant. Sine gladio extra vallum progreſſum militem capite pœnas dediſſe retulit in hiſtoriam Tacitus. Si miles arma aut vendidiſſet, aut in prælio amiſiſſet, haud ſecus quàm deſertor capitale ſupplicium luebat. Qui aliena ſurripuiſſet exauctorabatur. Quòd ſi quiſpiam ſitu ſqualentia, & rubigine deformia geſtaret, verbis aſperioribus caſtigabatur. M. Hac fortaſſis occaſione Iulius milites ſuos armis auro argentoqúe politis exornauit: partim ad ſpeciem: partim quò in conflictu eorum tenaciores eſſent. G. At Græcis non qui haſtam gladiúmue, ſed qui clypeum amiſiſſet, puniebatur: cenſebant enim prouidere militem diligentius oportere, vt ne acciperet ipſe, quàm, vt daret alteri malum. Ita Epaminondas apud Mantineam occumbens, tum denique ſibi ſpiculum auelli iuſſit, cùm percontatus audiſſet, clypeum eſſe ſaluum. Et celebratum eſt illud Laconicæ mulieris, ſcutum filio in militiam abituro tradentis ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Aut cum hoc (ſubaudi, ſaluus fac redeas) aut ſuper hoc (ſubaudi, glorioſè interfectus ex acie efferare.) Imitati Lacedæmonas ſunt Germani, apud quos, vt narrat Tacitus, ſcutum reliquiſſe præcipuum ducebatur flagitium. Præterea armatum ſe dedere, aut proiectis armis fugam inire, magnæ turpitudini dabatur. Addo inſuper ad illa, quæ de Iulii Cæſaris inſtituto prædicaſti. Tribunorum ſolitam commendari induſtriam, ſi miles veſte nitidus, armis pulchrè munitus atque fulgens incederet. Auidius quidem Caſſius legionibus Syriacis præfectus,

Digitized by Google

ſectus, ſingulorum armaturam ſeptimo quoque die luſtrabat, cum veſtimentis, & calceamentis etiam. Similiter fecit Maximinus tyrannus legioni ab Alexandro Seuero præpoſitus. M. Mores hi & crimine & comminatione vacant: vt ille quoque, quòd in funere militum arma inuerſa portabant. Tangit conſuetudinem hanc Virg. 11. Æneid. vbi de Pallantis exequiis.

tum mœſta phalanx Teucriq́; ſequuntur,
Tirrheniq́; duces, & verſis Arcades armis.

Vehementer porrò, vt ſalutaris: ita laudibus ferenda Martiani Aug. conſtitutio, qua edixit, ne cuicuimodi arma ad hoſtes, aut ferrum per mercaturam transferrentur. *Nemo alienigenis barbaris cuiuſcunque gentis ad hanc vrbem ſacratiſſimam, ſub legationis ſpecie, vel ſub quocunque alio colore venientibus: aut in diuerſis aliis ciuitatibus, vel locis, loricas, ſcuta, & arcus, ſagittas, & ſpathas, & gladios, vel alterius cuiuſcunq; generis arma audeat venundare, nulla prorſus iiſdem tela, nihil penitus ferri vel facti, vel adhuc infecti ab aliquo diſtrahatur. Perniciosum namque Romano imperio, & proditioni proximum eſt, barbaros, quos indigere conuenit, telis eos, vt validiores reddantur, inſtruere. Si quis autem aliquod armorum genus quarumcunque nationum barbaris alienigenis, contra pietatis noſtræ interdicta vbicunque vendiderit, bona eius vniuerſa protinus fiſco addici, ipſum quoque capitalem pœnam ſubire decernimus.* Certè niſi transfugæ noſtri Turcas armorum vſum fabricationemque docuiſſent: niſi auaritia mercatorum tantam ferri copiam iis apportaſſet, non tam miſerabiliter orbem Chriſtianum ab illis immaniſſimis belluis vaſtatum laceratumque videremus. C. Quàm non ingrata cognitu, quàm etiam multa nos hactenus, & quidem generatim de armis? Iam ſi quis, Morelle, diuiſionem armorum abs te poſtularet, quo tandem modo ea diuideres? M. Dicerem ex tempore, alia ad tegendum muniendumqúe corpus valere; alia ad inuadendum, ſeu laceſſendum, aut defendendum: & hanc partitionem ex M. Tullio confirmarem, qui 1. de Orat. in laudanda eloquentia, quam cum armis comparat, triplicem eorum vſum videtur ſtatuiſſe; ex quo manat omnis illa, quæ inter ea ſiue in materia, ſiue in forma, ſiue in magnitudine apparet differentia. Quid autem, inquit, tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel ipſe tectus eſſe poſſis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus? P. Quoniam eadem ferè ſunt, quibus cum ad oppugnandum, tum ad defendendum vtimur, ſit hoc ſecundum genus: illud autem quo nos tegimus, primum. C. An tu machinas bellicas in armis non habes? P. Immo verò, & in poſteriore genere eas colloco. M. Ad ordinem igitur primum, tegentium, inquam, armorum, imprimis pertinet ſcutum: quod cùm ipſum genus ſit, nihilominus etiam pars generi ſubiecta numeratur. C. Quænam ergo ſunt partes? M. Scutum propriè dictum, clypeus, parma, pelta, ancile, cetra, quæ omnia communiter ſcuta appellantur. P. Optimè. M. SCVTVM eſt, quod nobiles ſcriptores Græci θυρεὸν nominant, oblonga forma, quadrata, ad ianuæ ſimilitudinem, vnde illi appellatio; curua tamen ſuperficie. Quare non

vna

ma perpetua tabula, ſed diſſectis pluribus fieri oportuit. Inde Varronis notatio. Scutum à ſectura: vt ſecutum: quòd à minutis conſectum ſit tabellis. Latitudinem dicit Polybius fuiſſe pedum duorum, & ſemis: longitudinem quatuor. Tegebatur corio: quocirca placet nonnullis dictum à σκύτος, quod corium ſignificat: ſiue etiam quòd ex pellibus totum conficeretur, qualia fuiſſe antiquorum ſcuta, quæ poſtmodum firmitatis gratia è ligno fabrefacta fuerint, demonſtrat Polybius. Non autem è quibuſuis, ſed aquaticarum præſertim arborum ligno ſcuta faciebant: ficus & ſalix propter leuitatem maxime probabantur. Equeſtria ſcuta breuiora fuerunt, quò leuitate adiuuante, promptius mouerentur: maior enim ab equite, quàm à pedite curſus requiritur. CLYPEVS nuncupatus, quod clepit, id eſt, quaſi furatur & celat, periculoque ſubducit corpus, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν furtum facio: ſiue à γλύπτειν ſcalpere. Plin. lib. 35. cap. 3. Scutis, qualibus ad Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines: vnde & nomen habuere clypeorum, non vt peruerſa Grammaticorum ſubtilitas voluit, à cluendo. Clypeus cauus fuit & rotundus. Vetuſtiſſimus enim poeta Attius cœlo clypeum comparauit, cùm dicit Agamem. In altiſſimo cæli clypeo: adiicit Varro, cauum enim clypeum. Virgil. item 3. Æneid. Ære cauo clypeum magni geſtamen Abantis. Deinde Ouid. vnicum Polyphemi oculum clypeo ſimilem cecinit Metamorph. 13. Vnum eſt in media lumen mihi fronte, ſed inſtar Ingentis clypei. Virgil. 3. Æneid. de eodem.

& telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Oculi ingentis, Argolici clypei, & ſolis eandem formam facit, rotundam videlicet. In Feſti fragmentis eſt, clypeum antiqui ob rotunditatem etiam corium bouis appellarunt, in quo fœdus Gabinorum cum Romanis fuerat deſcriptum. Verùm poſterioribus temporibus ad ouatam ſpeciem redacti ſunt clypei. Eſt itaque ſcutum quadratum, clypeus rotundus. Præterea integumentum pelliceum, ac duplex tabulatum ligneum, quod ſcuto Polybius tribuit, clypeo non conueniunt: qui pellibus carens totus erat æreus. Ex quo Virgil. 2. Æneid. Ardentes clypeos. Oſtendunt item diſcrimen verba Liuii lib. 8. Clypeis antea Romani vſi ſunt (de Latinis armatura Romana inſtructis loquitur) deinceps poſtquam ſtipendiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecêre. Adhæc cùm de Romana armatura agunt Liuius, Polybius, Dionyſius, diſſimilibus vtuntur nominibus. Nam quod latinus ſcutum dicit lib. 1. Græci θυρεὸν & Polybius lib. 6. ὀμφαλὸν vocat: quod ille clypeum, hi ἀσπίδα. VMBO clypei pars media eminentior, quaſi vmbilicus. Virgil. 2. Æneid. Et ſummo clypei nequidquam vmbone pependit. Varro ait à græco duci vocabulum: Græci namque ἄμβωνας vocant extumida & prominentia, vt ventrem ampullarum. Plutarch. Lycurgo. In montibus quoque ὑψηλοὺς τόπους ita vocant. In quam ſignificationem & Latini vmbonem vſurparunt. Statius Achilleide,

Digitized by Google

leide, vndiſonæ quos circuit vmbo Maleæ. Id eſt, quod poëtis Græcis πρών. Idem Thebaide.

Stant iuga, & obiectus geminis vmbonibus agger
Campum exire vetat.

Et aliis præterea locis. PARMA ex eo dicta, vt placet Varroni, quòd à medio in omnes partes par. Rotunda figura fuit, diametrum habens tripedalem. Idem Varro apud Nonium. Quem ſequuntur cum rotundis velites parmis. Quòd autem Nonius affirmat, breue ſcutum parmam, ſciendum eius æuo minorem fuiſſe parmarum magnitudinem. Fuit leuis armaturæ parma, & velitum. Liuius lib. 31. Veliti Romano parmam gladiumque habenti. Virgil. 9. Æneid. Enſe leuis nudo, parmaque inglorius alba. Equeſtres quoque parmæ à Liuio nominantur lib. 2. Deſiliunt ex equis, prouolant in prælium, & pro anteſignanis parmas obiiciunt. lib. 8. Equus ad vulneris ſenſum, prioribus erectis pedibus, magna vi, cùm caput quateret, excuſſit equitem: quem cuſpide parmaq; innixum, attollẽtem ſe graui caſu, Manlius ab iugulo, ita vt per coſtas ferrum emineret, terræ affixit. Equeſtres tamen parmæ à velitaribus differebant magnitudine, cùm dicat Liuius de velitibus lib. 26. his parmæ breuiores, quàm equeſtres. P. Subit mentem Horatianæ parmulæ memoria, quam ille ſe celeriter in campis Philippeis fugientem non benè reliquiſſe confitetur: additque, Mercurii opera nube ſibi circumfuſa ſeruatum euaſiſſe. C. Vt Venus ſcilicet Paridem nube tectum certamini ſubduxit apud Homerum. Sed Horatius animoſior profecto τοῦ Βάκχου, ἢ τοῦ Ἄρεος θεράπων, & ad rem poculis quàm gladiis gerendam aptior fuit, quem mittamus. M. PELTA latinum non eſt: Græcum ſi eſt, ex eorum ordine eſt, quæ Varroni primigenia, quòd aliunde non gignuntur, ſed ſuas radices habent, cetræ ſimilis. Liuius lib. 28. Menippum quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis (pelta cetræ haud diſſimilis eſt) Chalcidem mittit. Et lib. 31. Nocte cetratos, quos peltaſtas vocant, loco opportuno, inter bina caſtra in inſidiis abdiderat. Scuti genus breuiſſimum, in modum lunæ mediæ, ſeu ſemiplenæ. Virgil. 1. Æneid. Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis. Et Suidas, πέλτην ἀσπὶς ἥτις ἴτυν μὴ ἔχουσα, clypeus rotunditatem non habens. Vtebantur pelta Amazones, quæ ob id peltiferæ Ouidio, Macedones, Afri, Hiſpani, Cretenſes. Seruius ait loreum ſcutum fuiſſe. ANCILE ab anciſu, ab am veteri præpoſitione, & cædo, quaſi circum cædo: vt ambio eſt circum eo, & amburo circumuro. Scutum fuit ab vtraq; parte inciſum, vel ab omni parte anciſum, & rotundum. Ovid.

Idq; ancile vocant, quòd ab omni parte reciſum,
Quemq; notes oculis angulus omnis abeſt.

Feſti verba ſic habent. Ancile ſcutum breue, ſic appellatum, quia ex vtroque latere erat reciſum, vt ſummum infimumque eius latus medio pateret. Materiam ſi quæritis ære conſtabat. Salii ſacerdotes Martis ea geſtare ſoliti. Varro armiluſtrium ſcribit eſſe dictum à luendo, aut luſtro, id eſt, quòd circumibant ludentes ancilibus armati. In veteri lexico ὁπλοκαθάρσιον, & ὁπλοκάθαρμος vocatur. Feſtus hoc modo. Armi-

luſtrium

luſtrium feſtum erat apud Romanos, quo rem diuinam armati faciebant: ac dum ſacrificarent, tubis canebant. Hæc de ſcutorum generibus. C. Cœpiſti tu quidem tegere ſeu munire militem tuum, nondum penitus texiſti ac muniuiſti. Quod igitur reliquum eſt huius laboris, mihi auſim depoſcere. P. Dum nos in pace ſimus, etiam vrbes te oppugnare perfacilè finemus. C. De eo tu videris: machinas certè oppugnatorias tute fabricabis, ſed lingua, non manu. P. En Morelle, quàm iuſtis partibus operum laborem æquat nôſter Cælius. Bellicarum machinarum deſcriptio perobſcura eſt: quam obſcuritatem auget librorum, vnde eam petere debemus, deprauatio. Quæ ipſe dicturus eſt, expeditiorem habent explicatum. Veruntamen quia de armis diſſerere cœpimus, & ſatis longè progreſſi ſumus, quid eſt, cur citra finem velimus reſiſtere? Sumam ego mihi partem de machinis, & machinabor aliquid pro viribus. Tu Cœli, tuum decurre ſpatium. C. Ergo de capite primum videamus, cui impono galeam. GALEA à γαλῆ, fele dicta, quod felina pelle conſtaret. Malè enim Varro, qui à galero deducit. Sic κυνῆ quod canina, λυκῆ quòd lupina. Eminens in ſumma galea, quo criſta figitur, Græci appellant κῶνον. Hinc illis galea nō ſolùm τρυφάλεια, ſed etiam quia ſæpe criſtata eſt, λόφος. Caſſis idem galeæ. M. Duas ob cauſas memini legere, galeas ſeu tegi, ſeu confici olim conſueſſe non eorum modò animalium, quæ nominaſti, ſed captarum quoque, arietum, elephantorum pellibus. Ad terrorem hoſtibus incutiendum: & vt eſſent inſignia per quæ quiſque aut ſtrenuè, aut ignauiter ſe in prælio gereus: à Præfecto ſuo agnoſceretur. Alii rebus aliis in galea vel ad horrorem faciendum, vel ad ornamentum vſi ſunt, vt hiantium animalium formis. Exempli loco proferam verſus Maronis de lib. 7.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Suſtinet Æthnæos efflantem faucibus ignes.

C. Quaſi non eadem ego legiſſem, aut de re tam bella, tam oportuno loco taciturus fuiſſem. M. Poſthac te non interturbabo: da veniam imprudentiæ. C. Ornatus galeæ, & id quod ſuperponitur in picturis, ſculpturis, cælaturis, hodie quoque familiarum ſigna diſtinguit. Et id à militia ortū, non eſt in dubitatione ponendum. Inſident, quod ſæpe obſeruaſtis, galeis, leones, lupi, cerui, canes, aquilæ, vultures, dracones, aliarumq; beſtiarum ſiue capita, ſiue cornua, ſiue pedes, Primi auctores feruntur Ægyptii, quorum Reges leonis, tauri, aut draconis caput inſigne principatus geſtabant. Ab his mos ad Græcos manauit: inde, vt alia militaria & ciuilia permulta, ad Romanos. Cæterum apud Homerum Iliad. 3. ducibus forti turis de monomachia, ſeu ſingulari certamine cum Hectore, ſortes in galeam deiiciuntur. Quare Homerica imitatione, vt aliàs millies, ſcripſit in quinto Virgil. Extremus, galeaque ima ſubſedit Aceſtes. Sic Æſchyl. in Septem ad Thebas.

Τρίτῳ γὰρ ἐπάλλῃ τρίτος πάλος

ἐξ ὑπτίου πίλημα ὑπὲρ κεφαλῆς.

Erat igitur hominibus illis militantibus galea pro forenſi, aut vrbana ſitella, ſiue vrna: LORICA Varroni dicitur, à loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant: poſteà ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex annulis ferream tunicam, χαλκοχίτωνα ſcilicet, vt Homerus frequenter vocat. Nec ferreæ duntaxat, verum lineæ, aut æneæ quoque loricæ quondam vſitatæ fuerunt. Heroës Græci apud Homerum ſunt λινοθώρηκες. Narrat de eodem more Herodot. Polymnia. Idem Liuius de Hiſpanis lib. 31. qui & Samnites totam legionem linteam habuiſſe ſcribit. lib. 9. Iphicrates quoque, teſte Æmilio Probo, militibus Athenienſibus pro ænea lineam dedit, qualem auctore Plutarcho etiam Magnus Alexander induit. Squamam legi eſſe loricam ferream ex lamellis ferreis, aut æreis cõcatenatam, in modum ſquamarum piſcis, & ex ipſo ſplendore ſquamarum ac ſimilitudine nuncupatam. Thorax eſt pars trunci à collo ad ſtomachum. Hinc tegumentum eius ferreum ita dictum: ſolum etenim pectus muniebant, quod tergo non eſſet metus. Hinc vt loricati, ſic etiam thoracati. OCREÆ, ferrea crurum munimenta. Dictas cenſet Varro, quod opponebantur ob crus. Ocrem, ait Feſtus, antiqui vocabant aſperum montem & confragoſum: Vnde fortaſſe etiam ocreæ ſint dictæ, inæqualiter tuberatæ. Græcis κνημῖδες. Ab Ocreis Homerus frequentiſſimè addit epitheton militibus, ἐϋκνήμιδας appellitans, quod ex Plauti Amphit. poſſis vertere, nimis pulchris armis præditos: hoc enim vult poëta Græcus eſt ἐϋκνήμιδας. Satis iam tectus eſt miles noſter. Sequitur vt ei demus in manus, qui ſe defendat, aliumúe laceſſat. Primas teneat GLADIVS, quem affirmat à clade nominatum Varro, c. in g. mutato: quod nempe fiat ad hoſtium cladem gladius, ſimiliter ab omine. Clades etiam dicebatur ſurculorum detritio, κλάδος ramus. Sic calamitas calamorum: ſtrages ſtratarum arborum: deinde hæc tria ad homines migrarunt. Enſem arbitrati ſunt quidam ſignificare ferrum tantum, gladium totum telum, cuius pars capulus, vel quia caput eſt gladii, vel quia ibi capitur, vt teneatur. Verutum nominant, quod enſem à quibuſdam appellari dicebamus, Die Klinge: in quo acies, ab acumine. Mucro extrema pars gladii, qua in cuſpidem deſinit. Iam gladius quidam eſt ab vna parte acutus, quidam anceps, ſeu bis acutus, græcè ἑτερόστομον, ἀμφίστομον ξίφος. Memoratu dignum. Republic. adhuc beata & florente, Romanis fuiſſe gladios minores, & ad femur dextrum geſtari ſolitos. Deinde deſidente & in præceps abeunte imperio, & maiores factos, & à ſiniſtro latere dependiſſe, qui mos nunc eſt. Sunt complura gladii genera, quæ paucis perſequar. Spata, ſeu ſpatha cum nota aſpirationis, genus eſt gladii maioris, ſemiſpatha minoris. Meminerunt huius formæ Veget. lib. 2. cap. 15. & Tacitus in Annal. Iſid. lib. 18. cap. 6. Spatha, inquit, à paſſione dicitur, græco verbo παθεῖν, ſeu à latino, quòd ſpatioſa ſint, id eſt, lata & ampla. Vnde & ſpatula in pecoribus. Semiſpathium à media longitudine ſpathæ. Framea gladius vtrinque acutus, dicta quod ferrea: quocirca omnis gladius framea dici poſſit. Haſtam Germanorum vult eſſe Tacitus, anguſto breuique ferro, ſed acri & habili ad

vtram-

Digitized by Google

vtramque pugnam ſiue cominus,ſiue eminus pugnare libeat, Romphæa idem cum framea. Sica à ſecando,gladius breuis latronum, occultus pugiunculis.Hinc ſicarii. Cic.2.Catil. de pueris quibuſdam è familiaribus Catilinæ,qui ſicas vibrare,& venena ſpargere didicerunt. Ex quo colligitur,non ita longam fuiſſe.Harpe falcatus enſis,acinaces gladius Perſicus, ſeu Turcicus. Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum diſcrepat,inquit Hora.vbi idcirco Medum appellat, quia Medorum imperium ad Perſas translatum fuit, Medique & Perſæ vni Cyro paruerunt, vt aliàs Medos pro Perſis cum ipſe,tum Catullus poſuit.Harpen poëtæ Mercurio & Perſeo tribuunt. Dolones ſunt vaginæ ligneæ intra quas later pugio:à dolo,quoniam fallunt, & intra ſe ferro abſcondito decipiunt,ligni enim ſpeciem præferunt. Pugio à pungendo,& transfigendo, puſillus gladius & bis acutus,lateri adhærens.Clunabulum etiam, ſeu clunaculum,quod ad clunem religetur. Parazonium pugionis genus,de zona dependens, Waidner. P. Multos bellatori tuo præbuiſti gladios:etiámne varias illi haſtas porriges?C.Videbitis. HASTA nomen accepit, quod aſtans ſolet ferri:antiquitus enim aſta ſcribebant,citra halitum, & aſtare pro adſtare, aſſum pro adſum.Haſtile diminuendi forma ab haſta. Haſta pura,ferro non munita. Sic donatus,Seruius & alii:Sed errant. Eſt enim haſta pura ἄναιμος, καὶ ἀναίμακτος λόγχη,ſeu incruenta & innoxia,quæ nullum adhuc ſanguinem bibit,nec vllo vulnere facto intepuit. Præpilata,ferream habens cuſpidem. Amentata,quæ amento excuſſa vibratur. Velitaris,leuis,quæ vice iaculi emittitur. Contus ferrum non habet, tantum cuſpide acuta eſt. Virgil.Ferrataſque ſudes,& acuta cuſpide contos. Trudes,ab eo quod trudunt & detrudunt. Virg.Ferrataſque trudes. Venabula, quod venationi habilia.Virgil.4.Æneid.

It portis iubare exorto delecta iuuentus,
Retia rara plagæ,lato venabula ferro.

Verutum, genus haſtæ breue &anguſtum,ferro,inſtar veru anguſto præpilatum.Lancea,haſta amentata:dicta, quia æqua lance, id eſt æquali amento ponderata vibratur. Amentum vinculum iaculorum, haſtilium, quod mediis aptatur.Spiculum, lancea breuis, à ſpicarum ſimilitudine. TELVM proprie, omne genus armorum, quod in longum mittitur,à τηλοῦ longè,Telorum, iaculorum, gladiorum vocabula è veteribus hiſtoricis enumerat Gellius lib.10.cap.25.nempe hæc. Haſta,pilum,phalarica, ſemiphalarica, ſoliferræ, geſa, lancea, ſpari, rumices, faces, tragulæ, frameæ, meſanculæ, cateiæ, romphææ, ſcorpius, ſcibones, ſicilices, veruta, enſes,ſicæ,machæræ,ſpatæ,lingulæ,pugiones,climaculæ. Lingulam dixerunt gladiolum oblongum, in ſpeciem linguæ factum. Aclides, genus teli, quod amento longè iacitur, peractoque vulnere reuocatur. Pyroboli miſſilia ignita. ARCVS dictus quod arcet aduerſarium:item ob ſpeciem, quod eſt curuatus arctius. Hinc curuare, lentare cornu: lunare, ſinuare arcum. Habet cornua ſua, quorum crenis vtrinque neruus immittitur. SAGITTÆ (pro quo poëtæ ſæpius arundo,calamus) à ſagaci iactu, hoc eſt, veloci ictu: pennis enim

enim fertur tanquam auis. Crena eſt inciſura in ſagitta, quæ neruum admittit. Sagittarii nonnunquam Iureconſultis, qui ſagittas edolant. Iam quod pluribus in vrbibus loca quædam ſagittariis exercendis deſtinata cernimus, ſciamus licet, id à maioribus ad vtilitatem Reip. fuiſſe inſtitutum, vt eſſet progymnaſma bellicum. Sed hodie illorum nemo, qui ſe ad ſcopum ſagittis mittendis exercent, quidquam aliud, præter inanem delectationem ſibi ea exercitatione petit. Scorpio, ſagitta venenata, arcu aut tormento excuſſa, quæ cum ad hominem venerit, virus quod gerit, more ſcorpionis infundit in vulnus. PHARETRA, eſt theca ſagittarum, à ferendo: vt feretrum in quo fertur funus. CORYTI propriè, arcuum thecæ, ſeu repoſitoria. FVNDA, quòd ex ea funduntur lapides. Scutale coriũ fundæ, cui lapis excutiendus imponitur. Semper aſueſcendum, ait Veget. vt ſemel tantùm funda circa caput rotetur, cùm ex ea emittitur ſaxum. Aliud tamen ſeruatum videas apud Virgilium, propter vim vtique maiorem lib. 9. Æneid.

Stridentem fundam poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adducta circa caput egit habena,
Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Abſoluimus ego & Marcellus ferè omnia, quæ militi adeſſe debent ad pugnam. Reſtat tractatio machinarum: quarum aliæ ſunt oppugnatoriæ, quib. hoſtes impetimus: aliæ repugnatoriæ, quæ etiam à defenſione propugnatoriæ dici poſſunt. Sed hoc tuum negotium eſt Primitiue, quod vt agas, quemadmodum promiſiſti, te oratum volumus.

Machinæ bellicæ.

P. In explicatione iſta tormentorum militarium hunc tenebo ordinem, vt primùm omnia ea recenſeam: deinde quæ, quantúmque iudicaueto declarem. Nam velle in his certum ſequi ordinem, eſt puerile, vt opinor. M. Vt voles. P. Πολιορκητικὰ igitur ſunt Teſtudines, Arietes, Fundibulæ, Aſſeres, Balliſtæ, Arcuballiſtæ. Carroballiſtæ, Harpagones. Epoſtræ, Falces, Muſculi, Trifaces, quæ ex Balliſtis emittuntur, Fuſtibali, Cataphractæ, Plumbatæ, quas vocant Martiobarbulos, Onagri, Heliopoles, Pluteí, Sambucæ, Præla, Scorpiones, quos Manuballiſtas appellant, Ambulatoriæ turres, Tribuli, Sariſſæ, Poliorces, Vineæ, Tollenones, Phalæ, ex quibus intorquentur Phalaricæ, Bipennes, crates metallæ. ARIES Carthaginenſium inuentum eſt. De eius inuentione, & conſtructione referam vobis quæ ſcripſit Vitruuius lib. 10. cap. 19. *Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. Cùm autem caſtellum antè cepiſſent: id demoliri ſunt conati. Poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt lignum, idq; manibus ſuſtinentes, capiteq; eius ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deijciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſſipauerunt. Poſteà quidam Faber Tyrius, nomine Pephaſmenos, hac ratione & inuentione inductus, malo ſtatuto,* ex

ex eo alterum tranſuerſum, vt trutinam ſuſpendit, & reducendo, & impellendo vehementius plagis deiecit Gaditanorum murum. Cetras autem Calcedonius de materia primum baſim, ſubiectis rotis fecit, ſupraq; compegit arrectariis, & iugis varas, & in his ſuſpendit arietem, coriiſq; bubulis texit, vti tutiores eſſent, qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati. Id autem quòd tardos conatus haberet, teſtudinem arietariam appellare cœpit. Porrò ad figuram & impetum huius tormenti planius cognoſcendum, proderit noſſe, quæ affert Ioſeph. de bello Iudaico lib.3.cap.6. Sic autem loquitur. *Immenſa eſt materia, malo nauis adſimilis, cuius ſummum graui ferro ſolidatum eſt arietis effigie fabricatum, vnde nomen accepit. Dependet autem funibus medius ex alia, velut ex trutina, palis vndique fulta. Retrorſum autem magna virorum multitudine repulſus in fronte prominente ferro, mœnia percutit.* Remedia porrò aduerſus arietes, culcitas, centones, & alia tradit Veget.lib.4.cap.23. Centonibus etiam, qui obſidebant vrbem, vineas aduerſus incendium integebant. Qui eos conficiebant centonarii, ſicuti qui materiam ad machinas conficiendas è ſyluis aduectabant, dendrophori nominabantur. Iſid.lib.18. Contra impulſum, inquit, arietis remediũ eſt, ſaccus paleis plenus, & in eum locum demiſſus, quo aries percutit. Laxo n. ſaccorũ ſinu ictus arietis illiſus mollitur. Duriora n. molliorib. facilius cedunt. Quo artificio Iudæi aduerſus Veſpaſianum ſe tutabantur. Verùm Romani animaduertentes ſaccorum mollitie machinæ vim eludi, perticis falcatis lora, vnde ſacci dependebant, tandem inciderunt. Diſſoluebantur autem arietes, & ita in expeditionibus circumferebantur. Feſtiuiſſimus iocorum promus Plautus ad impetum arietis muros verberantis reſpiciens, in Truculento dixit. Quis eſt, qui tam proteruè noſtras ædes arietat? hoc eſt, tanquam ariete quatit, ſeu verberat. Vſus eſt hoc verbo etiam Virgil.12. Æneid. immiſſis pars cæca & concita frænis Arietat in portas. HELEPOLIS ab vrbibus euertendis nomen acquiſiuit, cuius opera Demetrius Antigoni Rhodo, & aliis vrbibus expugnatis, Poliorcetes cognomentum inuenit. Condita eſt pro ariete, qui ob crebritatem vileſcebat. Deſcriptionem vnam vobis ex Ammiani lib.23 recitabo: alteram ex Plutarchi Demetrio petat, cui viſum fuerit. *Teſtudo compaginatur immanis, axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo aſperguntur eius ſuprema, vt flammeos detrectet, & miſſiles caſus. Conſeruntur autem eius frontalibus triſulca cuſpides, præacuta, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores oſtendunt fulmina, vel fictores, vt quidquid petierit, aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem palis, & funibus regens numeroſis intrinſecus miles, languidiori murorum parti viribus admouet concitis, & niſi deſuper propugnantium valuerint vires, colliſis parietibus aditus patefacit ingentes.* Meminit huius machinæ Vitruuius lib.10.cap.22. TESTVDO à ſimilitudine quam gerit veræ teſtudinis, vocabulum ſumpſit; quoniam ſicut illa modo reducit, modò profert caput: ſic machinamenti iſtud genus trabem nunc reuocat, nunc

Digitized by Google

exerit, vt validius feriat. In ipſis enim teſtudinibus quoque arietes ædificabantur. Varias teſtudines Vitruuius deſcripſit lib. 10. cap. 20. & 21. eaſque vſui fuiſſe docuit, vel ad congeſtionem foſſarum tantum, vel etiam ad muros vt accederent, & inhærente ariete impetum facerent. Fuit prætereа teſtudo ſcutorum connexio, curuata in morem teſtudinis, συνασπισμός. Eam exercitus faciebat, ſe tegumentis ſcutorum vndique operiens, quemadmodũ teſtudo ſuo putamine obducta eſt, eaque ſpecie tectũ ædificiorum referebat. Ita cooperti ſagittas, & miſſilia ſupernè incidentia nulla ſentiebant. Talem Maro videtur intellexiſſe 2. Æneid. obſeſſumque acta teſtudine limen. Troiano bello excogitatum Diodorus putat. TOLLENON dicitur, ſi audiamus Vegetium, *Quoties vna trabes in terram prealtè defigitur, cui in ſummo vertice alia transuerſa trabes longior dimenſa medietate connectitur, ac libramento, vt ſi vnum caput depreſſeris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus, ſiue tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati, Tunc per funes vno attracto, depreſſoque, alio capite eleuati imponuntur in murum* FALX vocatur ab eo, quod incurua eſt, vt de muro extrahat lapides. Haſce falces murales laqueis iniectis deflectebant obſeſſi. Teſtes Appianus de bellis Punicis, & Cæſar lib. 7. de bello Gall. Falcis naualis meminit Veget. lib. 2. cap. vltim. eam explicat lib. 4. cap. 46. *Falx dicitur acutiſſimum ferrum curuatum ad ſimilitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, colatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repentè præcidit, collapſiſque velis, liburnam pigriorem, & inutilem reddit.* In eodem capite Aſſeres, & Bipennes deſcribit. *Aſſer dicitur, cùm trabes ſubtilis & longa ad ſimilitudinem antennæ pendet in malo, vtroque capite ferrato, Hunc ſiue à dextra, ſiue à ſiniſtra parte aduerſariorum ſe iunxerint naues, pro vice arietis vi impellunt, qui bellatores hoſtium, ſiue nautas ſine dubio proſternit & perimit, ipſamque nauem ſæpius perforat. BIPENNIS, eſt ſecuris, habens ex vtraque parte latiſſimum & acutiſſimum ferrum. Per hanc medio ardore pugnandi peritiſſimè nautæ, vel milites ſecretò incidunt funes, quibus aduerſariorum ligata ſunt gubernacula, quo facto ſtatim capitur, tanquam inermis ac debilis nauis.* PLVTEI è vimine contexebantur, erantque ſimiles iis appendicibus, quas ædificiis adiungimus: tectum in vnam partem deuexum habebant, haud ſecus, quàm plutei, ſuper quibus ſcribimus. Feſtus, Plutei, inquit, erant crates, corio crudo intentæ, quæ ſolebant opponi militibus opus facientibus: & appellabantur militares. Nunc etiam tabulæ, quibus quid præſepitur, eodem nomine dicuntur. Ternis nitebantur rotulis, quarum vna in medio, duæ in capitibus, velut carpentum circumagebantur, ad muros applicabantur, & per eos tuti qui oppugnarent, ſagittis, fundis, miſſilibus defenſores de propugnaculis deturbabant. AGGER ex terra lignisq; extollitur contra mœnia ſeu muros, vnde tela proiiciuntur. VINEIS ad ſubruenda murorum fundamenta penetrabant. Quò poſtquam penetraſſent, dolabras ad muros ſubruendos adhibebant. Liuius libro 30. Cùm muros defenſoribus nudaſſet, tum Annibal occaſionem ratus quingentos ferme Afros cum dolabris ad ſubruendum ab imo murum mittit.

Digitized by Google

Nec erat difficile opus, quod cæmenta non calce durata erant, ſed interlita luto ſtructuræ antiquæ genere. Itaque antequam cæderetur ruebat, perque patentia ruinis agmina armatorum in vrbem vadebant. Accipite porrò deſcriptã vineam è Vegetio in h. c verba. *Et lignis leuiorib. machina colligatur, alta pedib octo, lata pedib. ſeptẽ, lõga pedib. ſexdecim. Huius tectũ munitione duplici tabulis cratib⁹ q; cõtexitur: Latera quoq; vimine ſepiũtur, ne ſaxorũ telorumq; impetu penetrentur. Extrinſecus a., ne immiſſo concremetur incendio, crudis ac recentibus cor ii is vel cẽtonibus operitur. Sub iis obſidentes tuti ad ſubruenda murorum penetrant fundamenta.* Magnus ſane vſus tabularum, & corii crudi, & quo minus cederet flammis, etiam humectati, in communiendis contegendiſque machinis militaribus. Quin & argillam cum capillo ſubactam ad eam craſſitudinem ſolebant inducere, vt ignis nocere nihil poſſet. Ad madefacienda autem illa machinarum tegumenta aceto potius, quàm aqua vtebantur. Præterea materies alumine perungebant, ne quid obeſſet ignis. MVSCVLVS ſola paruitate à teſtudine differt, vt quidam volunt. Aliter tamen à Vegetio exprimitur lib. 4. cap. 16. Cauſſam nominis hanc affert. Vocantur, ait, à marinis belluis Muſculi. Nam quemadmodum illi, cùm minores ſint, tamen balænis auxilium, adminiculumque iugiter exhibent: ita iſtæ machinæ breuiores, deputatæ turribus magnis, aduentui illarum parant viam, itineraque præmuniunt. Contigit autem hoc aliis quoque machinis, vt animalium nominibus vocitentur. Vt Aries, de quo diximus, Ericius, Scorpio, Cuniculus, Teſtudo. C. Scire peruelim, quo pacto muſculus ille marinus balenæ auxilium exhibeat. P. Moderamine caudæ ſuæ iter balenæ regit, necubi impingat. Et quoniam hæc luſciola eſt, præuio illo piſciculo deducitur, ac reducitur. Plin. lib. 9. cap. 52. Balenæ muſculus quandoque prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis, infeſtantia magnitudinem vnda prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur. Perelegantibus verſiculis docuit hoc ipſum Claudianus.

Sic ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Bellua, ſulcandas qui præuius edocet vndas,
Immenſumq; pecus parua moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monſtro

M. Quam ingenua cognitio in re parua latebat? Proſequere machinas tuas, quas tibi adhuc multas ſupereſſe iudico. P. Superſunt quidem multæ, verùm mihi non omnes libet explicare ne iuſto longior fiam. Legantur Vitruuius, Vegetius, Athenæus, Robertus Valturius, Iſidorus & alii, ex quibus ipſis noſtra fluunt. TVRRES ex trabibus, & tabulatis compactæ extructiones, formam ædificiorum referunt, atque aduerſus incendia crudis coriis centonibuſùe perteguntur. Earum altitudini latitudo reſpondet. Ambulatoriæ ideo dicuntur, quod rotis ſubiectis promouentur reducunturque. Perſæpe ad ingentem hoſtibus terrorem ac metum iniiciendum valuerunt. Scriptum eſt lib. 2. de bello Gall. Gallos vt in caſtris Cæſaris turrim procul conſtitui primùm viderint, irriſiſſe de muro, & in-

& increpitaſſe vocibus. Quam vbi moueri, & appropinquare mœnibus conſpexerunt, noua atque inuſitata conſternati ſpecie, legatos de compoſitione pacis miſerunt. Præter armatorum numerum, quos ex turribus pugnaſſe conſtat, machinæ item bellicæ in iiſdem per tabulata diſponebantur, vt catapultæ, baliſtæ, &c. Frontes ferratas accipiebant interdum, vt à flamma ne læderentur. *Habebant in inferioribus arietem, cuius impetu murum lacerabant, circa medium pontem, factum de duabus trabibus, ſeptumque de vimine, quem ſubitò prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in ciuitatem tranſeunt, & occupant muros. In ſuperiore autem parte contati, & ſagittarij collocantur, qui defenſores vrbis contis, miſſilibus, ſaxiſque proſternant.* Ita Vegetius. Pons qui de turri in murum repentè proiicitur, exoſtra vocatur. Quomodo autem per tellenonem, & exoſtram, ſic per ſcalas & ſambucam in muros euadunt obſeſſores. Scalarum oppugnatio inuenta fertur à Capaneo: & magnum adeunt periculum, qui ſcalis aſcendunt mœnia. BALISTA *funibus neruinis tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quanto maior fuerit, tanto ſpicula longius emittit: quæ ſi iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui menſuram eius ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunq; percuſſerit.* Fuerunt diuerſæ baliſtæ, tametſi ad vnum finem effectumque comparatæ. Aliæ enim vectibus & ſuculis, nonnullæ polyſpaſtis, aliæ ergatis, quædam etiam tympanorũ rationibus torquebantur. Sed quia maior eſt huius tormenti obſcuritas, aliò curſum flectamus. De Scorpione, quem cum Onagro confundit, legendus Ammianus lib. 19.23.24. Scorpiones diſtinguit ab Onagris Vegetius, & ſic appellatos confirmat, quòd paruis ſubtilibuſq; ſpiculis inferant mortem. PHALARICA *Iſidoro telum ingens, torno factum, habens ferrum cubitale, & rotunditatem de plumbo in modum ſphæræ in ipſa ſummitate. Dicitur etiam & ignem habere affixum. Hoc telo pugnatur è turribus, quos phalas dici manifeſtum eſt.* Sed perfectior eſt Liuiana deſcriptio. *Phalarica erat Saguntinis miſſilé telum, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum vnde ferrum extabat: id ſicut in pilo quadratum, ſtupa circumligabant, linebantq; pice. Ferrum autem tres in longum pedes habebat; vt cum armis transfigere corpus poſſet Sed id maximè etiamſi hæſiſſet in ſcuto, & non penetraſſet, pauorem faciebat: quod cùm medium accenſum mitteretur, conceptumq; ab ipſo motu multò maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat.* MALLEOLI, manipuli ſpartei, pice contecti, qui incen[illegible], aut in muros, aut in teſtudines iaciuntur. Sic Nonius. Feſtus verò. Malleoli vocantur, non ſolum parui mallei, ſed etiam ii, qui ad incendium faciendum aptantur, videlicet ad ſimilitudinem priorum dicti. Melior deſcriptio reperitur apud Ammianum. CVRRVS FALCATI à Parthis frequentati, contra quos Romani tribulos ſpargebant. Tribulus eſt ex quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodocunque abieceris, tribus radiis ſtat, & erecto quarto infeſtum eſt. Vocantur item murices. Coruum pleriq; cum manu ferrea confundũt, Harpagones vocant quidã

lupos.

lupos. Mortaria, Colubrinæ, Falcones, Moſcheti, Bombardæ noſtrorum temporum machinæ tormentaque ſunt. Sclopus Fäuſtling. Igniarius fomes, aut igniarium Zindſtrick. Effudi omnia, quæ ex tempore in mentem mihi venerunt. Alterum de vobis copioſius & planius hæc diſputaturum fuiſſe opinor. M. Vberius, forſitan, planius quidem neſcio an de his rebus explicari queat: quarum pleraſque multi nec pictas vnquam viderunt, nec ſcriptas aliquando vel molli brachio legerunt. Ego quoque, ſi vobis videtur, ex quodam noſtræ ætatis hiſtorico perelegantem tormenti noſtri curulis declarationem recitabo. P. Age, recita. M. *Nondum apparuerunt gentibus illis (Indicis) nouæ ſubtilitatis, & operis admirandi balliſtæ, oblongum in tubum, & æqualiter teretem ex ære fuſili figuratæ: quæ non funibus aut neruis intentæ ſingula mittunt ſpicula: ſed incogitata priſcis ratione, ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos cum incremento multiplici rapiendos certo primùm nitrati ac ſulphurei pulueris modulo temperatæ, inſertos dein ore patente ferreos ex arte globos, catenasque & alia obturamenta, fulminis inſtar flammis eluctantibus cum horrendo fragore contorquentur.*

ANNOTATIONES.

CAMPIDVCTORIBVS) *Campiductores, Armidoctores ſunt ὁπλοδιδακταί, & ὁπλοδιδάσκαλοι. Campiductores iidem. Ductores autem à ducendo, vnde & auctare, & ductus.* INTER LEVIS ARMATVRÆ MILITES) *Adducamus ex Varrone militis etymon. Miles, inquit, quòd trium millium primò legio fiebat, ac ſingulæ tribus, Tatienſium, Ramnium, Lucernum millia ſingula militum mittebant. Caterùm leuis armaturæ fuerunt ferentarij, armaturæ, ſagittarij, funditores, tragularij. Hi ante aciem procedētes prouocabant hoſtem. Si fugare poterant, inſequebantur. Si eius virtute reprimerentur, recipiebant ſe ad ſuos. Iam quos Vegetius ferentarios, & funditores, alij Rorarios appellant, de quo Varro lib. 6. Rorarij dicti à rore, qui bellum committebant antè, ideo quod antè rorat, quam pluit. Feſtus. Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi prælium committebant, quòd vt ante imbrem ferè rorare ſolet, ſic illi ante grauem armaturam quòd prodibant, rorarij dicti. Grauis armatura quæ fuerit, diſcas licet ex Vegetij lib. 2 cap. 15. Idem armaturam geſtum, numeros vocat: quæ qualia fuerint, cognoſcetur ex eiuſdem lib. 2. c. 23. & lib. 3 cap. 4. & libr 1 cap. 11 In quæ capita videndus etiam Stewechius de Vegetio tam bene meritus, atque etiam de vniuerſa diſciplina militari, quàm qui optimè* ARMARIVM EST LOCVS) *Interdum ſignificat locum, in quo nummi reconduntur. Cic pro Cælio Tunc aurum ex armario tuo promere auſa es? pro Cluent. Cùm eſſet in ædibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum & auri, noctu duos conſeruos dormientes occidit. Plaut. Epid Quin ex occluſo, atque obſignato armario Decutio argenti tantum, quantum mihi libet Hoc idem valere in Capt. vult Lamb. quo loco puer Hegionis de paraſito, Cellas refregit omnes intus, recluſitque armarium: de quo iudicet lector.* DVRIVS HABVIT IVVENTVTEM)

Digitized by Google

Nec mares tantùm, ſed fœminas quoque Cic. Tuſcul. 2. Itaq; illi qui Græciæ formam rerumpub. dederunt, corpora iuuenum firmari labore voluerũt. Quod Spartiatæ etiam in fœminas tranſtulerũt, quæ cæteris in vrbibus molliſſimo cultu parietum vmbris occuluntur. Illi autem voluerunt nihil horũ ſimile eſſe apud Lacænas virgines. quibus magis palæſtra Eurotas, ſol, puluis, labor, militia in ſtudio eſt, quã fertilitas barbara. ARMIS AVRO ARGENTOQVE) *Suet. in Iulio c. 67. Alexander item Magnus, quem fortaſſis imitatus eſt Cæſar aduerſus Indos moturus phaleras equorum, & militum arma argento ornauit: ex quo à clypeis inargentatis argyraſpides appellati ſunt. Idẽ traditum eſt de Alexandro Romanorum Imp. qui auctore Lampridio etiam chryſoaſpidas fecit, id eſt, aureis ſeu inauratis clypeis præditos milites. Veruntamẽ ſatis argenteus & aureus eſt miles fortis, & in omnes caſus paratiſſimus: alioqui nihil niſi præda eſt: quod inſinuare Annibal voluit. Nam dũ profugus apud Antiochum regem ageret, & is ei exercitum magnificè, & ſumptuosè ornatum oſtenderet, quæreretq;, nũ hæc ſatis eſſent futura Romanis: reſpondit ille extemplo: planè ſatis, etiamſi auariſſimi ſint futuri. Præter expectationem reſponſum. Rex de prælio interrogabat: reſpondit Pœnus de præda. Vide inſuper apud Curtium lib. 3. quid Eudemus Dario de multitudine copiarum glorianti perſapienter reſponderit* EPAMINONDAS APVD MANTINEAM) *Scribit hunc in modum de exitu Epaminondæ Æmilius. At Epaminondas cùm animaduerteret, mortiferum ſe vulnus accepiſſe ſimulq; ſi ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animam ſtatim amiſſurum, vſq; eò retinuit, quoad renuntiatum eſt viciſſe Bœotios. Id poſtquam audiuit: ſatis, inquit, vixi, inuictus enim morior. Tum ferro extracto, confeſtim exanimatus eſt. Clypei nullam mentionem facit. At faciunt Diodorus, Cicero epiſt. 12. lib. 5. & rurſum 2. de finib. his verbis. Non ego iam Epaminondæ, non Leonidæ mortem huius morti antepono, quorum alter cùm viciſſet Lacedæmonios apud Mantineam, ſimulque ipſe graui vulnere exanimari ſe videret, vt primùm deſpexit, quæſiuit, ſaluúſne eſſet clypeus. Cum ſaluum eſſe flentes ſui reſpondiſſent: rogauit, eſſentne fuſi hoſtes? cumq; id quoq;, vt cupiebat audiuiſſet, euelli iuſſit eam, qua transfixus erat, haſtã, Ita multo ſanguine profuſo, in lætitia & victoria eſt mortuus Facit præterea Iuſtinus lib. 7. & Valerius lib. 3. cap 2.* SCVTVM EST QVOD NOBILES) *De diſcrimine ſcuti & clypei Turneb. lib. 11. cap. 27.* CLYPEVS NVNCVPATVS) *Togâ brachium clypeare (quomodo vetus quidam poëta locutus eſt) eſt togam circum brachium contorquere, vt clypei vicem impleat.* VMBO CLYPEI PARS) *Et ſæpe totus clypeus, aut ſcutum, figura vſitata. Candidus vmbo apud Perſium ſat. 5. eſt clypeus candidus, carens inſigni, & argumento, qualem primis ſtipendiis gerebant. Quod voluit etiam Virgil. in parma alba 9. Æneid. Turneb. lib. 20. c. 1* BREVE SCVTVM PARMAM) *Et quia breue, ideo eo armati in arena, quoniam non ſatis erant tecti, ſæpius vincebantur.* Martial *lib.* 4.

> *Hæc quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere rarò,*
> *Parma tibi ſcutum pumilionis erit.*

Parmularius apud Suet. in Domit. eſt qui Thracum armaturæ fauet: vſos

enim

Digitized by Google

enim Thracas parmis etiam ex Ariſtoph. Arcanenſ. conſtat. CVI IMPONO GALEAM) *Lacedæmoniis galeæ inuentionem tribuit Plin. lib. 7. c. 56. cui primi criſtas illigarunt Cares, qui iidem in ſcutis ſimulacra finxerunt, & lora adiunxerunt. Herod. lib. 1. Ocreas & criſtas iidem inuenerunt.* AD TERROREM HOSTIBVS) *De variis galearum tegumentis & ornamentis, conſulatur Alex. ab Alex. lib. 1. c. 20.* GESA) *Geſum proprie telum Gallorum, vt ſariſſa Macedonum, framea Germanorum.* FVNDA QVOD EX EA) *Phœnices Plin. lib 7. cap. 56. Baleares Vegetius & alii fundæ inuentores prodiderunt. Eam nonnulli ſic deſcribunt. Eſt funiculus, qui duobus capitibus manu capitur: altero cum anſula, ne exeat: altero ſine, vt dimitti poſſit: atq; in medio latior eſt, vt ibi lapis contineatur. Hunc circumacto validè funiculo, & ab vno capite demiſſo, vehementer proiiciebant funditores.* COLATORIOS FVNES) *Colatorii & Chalatorii funes, quibus antenna & attollitur, & demittitur. Conſule Turneb. lib. 24. c. 25.*

PROGYMNASMA
TERTIVM ET VICESIMVM.
Probatiſſimus miles.
ARISTOMACHVS, NICIAS.

ARISTOMACHVS. Quod te clam non eſt, Nicia, volutatur in ſermonibus prouerbium: Dulce bellum inexpertis: & non aliud creditur ex rebus humanis tam prouida deliberatione, tam lenta feſtinatione, immo potius, tam magna cunctatione, ac tarditate dignum, vt militem induere, & caſtris vitam addicere, cum bellum multis & horribilibus incommodis, aſſiduoque mortis metu plenum ſit: quæ ceruicibus bellatorum propius, quàm Tantalo ſaxum impendeat. Quapropter quanquam arma nemo non commendat, ab armis tamen plerique refugiunt, & hoc noſtrum vitæ genus neque attingere extremis digitis, neq; guſtare primoribus labris volunt. Multi etiam, ſi detur opportunitas, ex ipſa acie fugiunt: nec quidquam (noſtro præſertim ſæculo) æquè rarum, vt videre ſenem militem: quippe cùm omnes ferè, quos Martis vis, & ira victoriæ non perculit, primo aut ſecundo cœtu militia ſe abdicare, & caſtrenſibus rebus nuntium mittere conſueuerint. At ego audacter dico, etiam experientibus, & expertis perſæpe bellum dulce fuiſſet quoties videlicet militare ſuaſit amor patriæ, laudumque immenſa cupido. Patria ſiquidem vel timidiſſimum & ignauiſſimum, poteſt fortiſſimum efficere: & in cohortationibus bellicis mirum quantum valet eius nomen, & commemoratio: nec vulnerum atque mortis adeo acerbus, vt gloriæ & immortalitatis iucundus eſt ſenſus. N. Si ſecus eſſet, non vtique tam multi bella quæſiſſent. Quæſiuerunt autem propter gloriæ cupiditatem: quod quidem in magnis animis, & ingeniis plerũ-

que contingit,& eò propenſius,ſi ſunt ad rem militarem apti,bellorumque gerendorum cupidi. A. Charitas patriæ,æternumq; cuiuſdam honoris deſiderium trecentos Fabios contra Veientes eduxit,nec reduxit. Ob eaſdem res legio Martia ad Mutinam occubuit. Occubuerunt etiam trecenti Lacedæmonii duce Leonida ad Thermopylas, & rurſum aliàs totidem pro agro Thyrea aduerſum Argiuos,duce Othryade fortiſſimè decertantes. In campis Marathoniis quàm exiguæ copiæ Athenienſiū, quanto cum exercitu Perſarum certiſſimo internecionis periculo ob amorem patriæ libertatis conflixerunt? Legiones ſcripſit Cato ſæpe alacres in eum locum profectas, vnde ſe nunquam redituras arbitrarentur. Cuius alacritatis cauſſam quam tandem inueniemus,præter eas, quæ paulò antè à me poſitæ ſunt? Nec vniuerſis modo verùm etiam ſingulis oſtendere licet,bellum dulce fuiſſe. Horatius Cocles pro ponte ſtans, quem ingenti gradu obtinebat, auſus eſt ipſe vnus Hetruſcorum multitudinem prouocare,& vndique in ſe tela hoſtium excipere. Qui cum ſe in Tiberim armatus miſiſſet, tutum natandi euentum habuit, diis quodammodo eius fortitudinem admirantibus, vt ait Valerius: & vnus tot ciuium tot hoſtium in ſe oculos conuertit, ſtupentium illorum admiratione,horum inter lætitiam & metum hæſitantium: vnusque duos acerrima pugna conſertos exercitus, alterum repellendo , alterum propugnando diſtraxit. Et vnus Romæ tantum ſcuto ſuo,quantum Tiberis alueo munimenti attulit. Quid? parúmne dulce bellum fuit M. Cæſio Scæuæ Centurioni,qui cum à Cæſare caſtellum defendendum accepiſſet, Pompeianiq; magno numero ad id capiendum miſſi eſſent, omnes qui propius acceſſiſſent neci dedit,ac ſine vllo regreſſu pedes pugnans,ſuper ingentem aceruum à ſe factum corruit. Cuius capite, humero,femore ſaucii,& oculo eruto cæci ſcutum centum & viginti ictibus perfoſſum apparuit. De L. Siccio, ſiue Sicino Dentato vix credibilia referuntur. Centies & vicies in aciem deſcendiſſe, ſena ſupra tricena ſpolia ex hoſte retuliſſe, ciues quatuordecim ſeruaſſe,quinque & quadraginta vulnera aduerſa excepiſſe,auerſum nullum, nouem triumphales Imperatorum currus ſecutum, totius ciuitatis oculos numeroſa donorum pompa in ſe conuertiſſe, cùm ei præferrentur aureæ coronæ octo,ciuicæ quatuordecim,murales tres, obſidionalis vna, torques tres & octoginta ſupra centum,armillæ centum quadraginta , haſtæ octodecim, phaleræ quinæ & vicenæ,ornamenta etiam legioni, nedum militi ſatis multa. Prætéribo C. Atilium,Scæuam, Cynegirum , & alios aliquam multos, quibus hoc corpus magnum decus petentibus vile fuit , quique non adeo miſerum eſſe docuerunt,mori: ſed pulchrum potius in armis mori , & mortem non in pluma domi, ſed in acie foris per vulnera oppetere. Quorum laudibus haud ſcio, an poſſit eſſe par vllius eloquentia. Nullum mihi videtur tam diuinum, & incredibile genus orationis poſſe reperiri,quod tam fortium, inuictorumque militum excellentia non ſuperet. N. Attamen cum facundè, tum magnificè laudata eſt legio Martia à Principe Oratorum lib Philippicarum vltimo. Quam ego laudationem

tionem quoniam ad verbum edidici, ad vtrunq; noſtrum oble&andum pronuntiare non recuſabo: ſi id à tua voluntate non eſt abhorrens. A. Nequaquam. Quid enim aut vnquam malui, aut quid tandem malle poſſum audire, quam M. Tullium, cuius oratio ipſius eloquentiæ vox eſt? N. *O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria eſt potiſſimum reddita. Vos verè patria natos iudico: quorum etiam nomen à Marte eſt: vt idem Deus vrbem hanc gentibus, vos huic vrbi genuiſſe videatur. In fuga fœda mori eſt: in victoria glorioſa. Etenim Mars ipſe ex acie fortiſſimum quemq; pignerari ſolet. Illi igitur impij, quos cecidiſtis, etiam apud inferos pœnas parricidij luent: vos verò, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem & locum conſecuti. Breuis à natura vobis vita data eſt: at memoria benè redditæ vitæ ſempiterna. Quæ ſi non eſſet longior quàm hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus, & periculis, ad ſummam laudem gloriamq; contenderet? Actum igitur præclarè vobiſcum, fortiſſimi dum vixiſtis, nunc vero etiam ſanctiſſimi milites, quod veſtra virtus nec obliuione eorum, qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cum vobis immortale monumentum ſuis pæne manibus ſenatus populusq; Romanus extruxerit. Multi ſæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari & magni fuerunt: nec tamen vllis tale genus honoris tributum eſt. Atq; vtinam maiora poſſemus, quandoquidem à vobis maxima accepimus. Vos ad vrbe furentem Antonium auertiſtis: vos redire molientem repuliſtis. Erit igitur extructa moles opere magnifico, inciſæque literæ, diuinæ virtutis teſtes ſempiternæ. Nunquam de vobis eorum, qui aut videbunt veſtrum monumentum, aut audient, grauiſſimus ſermo conticeſcet. Ita pro mortali conditione vitæ, immortalitatem eſtis conſecuti.* Hactenus Cicero. Perſimili encomio, & iiſdem prope verbis vti poſſet quiſpiam in Chriſtianos, prælio contra Turcas, aut hæreticos occumbentes. Nam illorum animos cælum petere, piorumque ſedem & locum conſequi: horum autem ad inferos deuolui extra dubitationem eſt. Qui enim cum pietate dormitionem accipiunt, vt de militibus Maccabæis legimus, optimam habent repoſitam gratiam. A. Non eſt etiam oratio defutura Spartanos volenti cohoneſtare: quorum tam inopinatum, & omnibus ſæculis inauditum facinus ingentem trepidationem atque formidinem Perſarum mentibus attulit, cùm nunquam vel leuiſſimè eſſent ſuſpicati, in trecentis, aut quingentis hominibus (de numero enim non conuenit inter ſcriptores) tantum fore animorum, vt decies centena millia inuaderent, & omnem poſteris tantæ gloriæ adipiſcendæ ſpem auferrent. Qui in mediis caſtris hoſtium, cum ceu turbines validi obuia quæque ruerent, & ferro ſibi quacunque viam aperirent, defectione ſola virium, non virtute aduerſariorum ſuperati ceciderunt, victores etiam victi. Hæc in eos dici poſſent, & alia multa, quæ à Diodoro ſcripta nuper legi. Laudauit & Pericles apud Thucydidem ciues ſuos in pugna pro patria interfectos. Et in Menexeno Platonis dialogo profertur oratio, quæ ſolenni Athenienſium more quotannis recitabatur in publico eorum funere, qui pro Repub. oppetiiſſent. Ideo autem profertur, vt illorum exem-

Digitized by Google

plo ad amandum colendamque patriam omnes excitentur, eiuſque ſalutem, & felicem ſtatum rebus ſuis omnibus, adeoque vitæ ſuæ anteponendum exiſtiment, & beatos ducant, qui in tali cauſſa ſanguinem libentes atque alacres profuderint, quos proinde æternum famæ præconium ſecuturum ſit. N. Cùm omnes iſti, quos commemorauimus, perfectiſſimi, & quamuis egregia commendatione digniſſimi milites fuerint, nonne putas diſquiſitione haud indignum, quibus rebus potiſſimum fiat, vt quis talis euadat? Non enim quempiam continuò vocauerim probatum ac præſtantem bellatorem, ſi libenter & cum voluptate militet, & in acie mori paratus ſit, cùm poſſit bello parum idoneus videri, idque duabus de cauſſis: vel quia principiò ſecundum eas res delectus non eſt, ſecundum quas maximè debuit: vel quia militaribus exercitiis non eſt prætentatus, vt inde perſpiceretur, num ad fungendam militiam aptus eſſet: quod ideo magni momenti eſt, quoniam magis ars, & exercitatio, quàm virtus indocta triumphos conciliat: & in hoſtem pugnandi audacia periculoſa eſt, niſi bellandi ſcientiam pro nutrice habuerit: faciliusque victoria ad exercitatam paucitatem, quam ad rudem imperitamque multitudinem aduolat. Nihil ea Repub. aut firmius, aut felicius, aut præſtabilius, in qua eruditorum militum magnus numerus: quando nec veſtium nitor, nec gemmarum auriue copia tantum hoſtes mouet, quantum ſolus armorum terror. Et poſſunt aliarum rerum delicta emendari: præliorum peccata correctionem nullam recipiunt, cum pœna ſtatim ſequatur erratum. Aut enim confeſtim pereunt, qui ignaui, imperiteque pugnarunt: aut in fugam effuſi, victoribus vltra eſſe pares non audent. Miles indoctus prælium formidat, exercitatus deſiderat: & quod in campo ſæpius fecit, per ludum in acie nulla trepidatione facit, En Ciceronem iſta pulchrè confirmantem Tuſcul. 1. *Quid exercitatio legionum? quid ille curſus, clamor quanti laboris eſt? Ex hoc, ille animus in prælijs paratus ad vulnera. Adhuc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur. Cur? tantum intereſt inter nouum & veterem exercitum, quantum experti ſumus. Aetas iſtorum plerumq; melior: ſed ferre laborem, contemnere vulnus conſuetudo docet.* A. Res ita prorſus eſt, vt autumas. Ecquid ergo rectè faceret, ſi, qui delectus habet, nationem cælique plagam intueretur ante omnia? N. Rectè verò. Temperatior enim aut nimium calenti, aut nimium frigenti oræ præferenda eſt. Nam temperatis regionibus nati, & abundant ſanguine, vnde vulnerum mortiſque contemptio: & valent prudentia, ex qua, exiſtit & in caſtris modeſtia, & non mediocris inter ipſa certamina vtilitas: modeſtiam certè continentiamque perinde vt virtutem, & magnanimitatem deſiderare ſe in milite Cæſar teſtatus eſt in ſeptimo de bello Gall. Erit igitur hoc modo corpore atque animo ad opus Martium comparatus miles. Nationes etenim, quæ vicinitate ſolis amplius torrentur, plus etiam ſapiunt: ſanguine deficiuntur: quocirca ad cominùs pugnandum ſegnes reperiuntur: ne idipſum ſcilicet, quo non abundant, totum perdant.

Quæ

Quæ à feruoribus ſolis abſunt longius, conſilio parum ſunt vtiles: ſed ad arma propter ſanguinis copiam paratiſſimæ. A. Præcipua vis ſolis in corpora, & inde omnis pæne in coloribus, ſaporibus, odoribus, formis varietas. Atque vt ſemina in aliud ſolum iacta, ſic homines aliis locis habitantes naturam exuunt. Plura porrò in corpore, ſeu ad corpus militare pertinentia, conſideranda ſunt. Ruſtica enim vrbanis præſtant: educata videlicet nudo ſub ætheris axe: in laboribus, non in otio: in ſole, non in vmbra. Balneas, & cuicuimodi delicias ignorant: Parvo victu contenta, geſtare ferrum, ducere foſſam, ingentia portare onera, & quiduis durum pati queunt. Quæ conſuetudine facit plebs ruſtica, ad ea diu præparanda eſt vrbana. Ex quo delectum militem nunc ſub diuo, nunc ſub papilionibus habitare opus eſt, & remoueri ab oppidanis illecebris. Itaque caſtra dicta quaſi caſta, eò quod ibi caſtraretur libido. Et antiquitùs militibus matrimonia non concedebantur. Illud quoque non ſtultè præcipiunt, vt quod ad ætatem attinet, adoleſcentes deligantur: quandoquidem quæ diſcenda ſunt, multa autem ſunt, citius arripit, & altius imbibit minor ætas: & corpore iam in ſenectutem inclinante, ſpatium multis rebus diſcendis non relinquitur. Quare hoc etiam merito in laudibus Romanorum poſuit Salluſtius. Iam primum, inquit, iuuentus ſimul belli patiens erat, in caſtris per laborem vſu militiam diſcebat. Ferè autem non adſcribebatur quiſquam ad militiam infra annum XVII aut ſupra XLVII. Fuit tamen lex annalis, quæ anno demum quinquageſimo miſſionem vacationemque concederet. Etiamſi verò magis referat militem eſſe fortem quàm grandem, tamen non negligebatur ſtatura. Eam volebant eſſe mediam, quæ militaris, iuſta, commoda dicebatur. Qui hanc excederent, ſtatura proceri, ipſa ſtatura eminens, prolixa, procera vocabatur. Iuſto minores, exiles, breues, breui ſtatura dicti ſunt. Et quomodo in reliquis animantibus, vt in equis, in canibus, ſic in humanis item corporibus virtus ex ipſo vultu, ex oculis, ex habitudine, & conformatione totius corporis quodammodo ſublucet. Quærebant igitur in tyrone oculos acres, erectam ceruicem, latum pectus, humeros muſculoſos, brachia valentia, digitos longiores, ventrem modicum, clunes exiliores, ſuras pedeſque neruoſos magis, quam carnoſos. N. Haud immeritò venter modicus quærebatur, cùm legamus, milites intereà, dum ſtipendia facerent, abdomen adeptos, ab Imperatoribus multatos. Obeſum militem vt reipub. parum vtilem Cato inceſſiuit. Et habet hoc ipſemet in oratione quadam. Nimis pingui, & corpulento cenſores equum adimere ſoliti: ſcilicet minus idoneum rati, cum tanti ponderis corpore, ad faciendum equitis munus: quæ res cum ignominia facta eſt. Galli ſolebant exercere ſe, vt ne ventre prominente, & pingui eſſent. Et ſi quis iuuenis præſcriptum zonæ modum excederet, multabatur. A. Gallos iuxta ac Romanos laudo. Spectabant præterea quod artificium quiſq; noſſet, excludebantq; piſcatores, aucupes, dulciarios, &

quibus vterentur ad ornatum luxumque ſuum mulieres. N. Intelligo, nempe omnes illos, quos in Aulularia matronas dotatas exagitans Megadorus percenſet: quæ obiectant viris: quæ ſibi dari poſſunt aurum & purpuram, ancillas, mulos, precio qui equos ſuperent, muliones, pediſequas, ſalutigerulos pueros, & vehicula. Sed auſculta, dum opifices illos muliebres adductis in medium verſibus enumero. A. Age, enumera, auſculto. N.

Nunc quoquò venias, plus plauſtrorum in ædibus
Videas, quàm ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum eſt, præ quàm vbi ſumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarij, induſiarij,
Flamearij, violarij, cariuarij.
Aut manulearij, aut murobathrarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, ſutores, diabathrarij,
Solearij aſtant, aſtant molochinarij.
Petunt fullones, ſarcinatores petunt.
Strophiarij aſtant, aſtant ſemizonarij.
Iam hoſce abſolutos cenſeas, cedunt, petunt.
Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atriis.
Textores, limbolarij, arcularij, ducuntur, datur
Æs, iamq; hoſce abſolutos cenſeas,
Cùm incedunt inſectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt, quæ aliquid petat.

Viden' turbam? A. Immo. N. Fabros ferrarios, credo, carpentarios, macellarios, venatores haud reiiciebant. A. Minimè. Verùm iam de exercitationibus ſeu præluſionibus agamus. quibus campiductores, & armorum magiſtri præerant, & duplam annonam accipiebant: milites autem qui parum profeciſſent in diſciplina exercitiorum, pro frumento hordeum, idque tamdiu donec inſpectante aut Præfecto legionis, aut Tribuno, quæ ſibi deeſſent, exercendo ſe adiungerent. Ad exercitationes porrò, vti ad omnem militiam, imprimis conducunt robur, velocitas, confidentia. Primùm erudiebantur quemadmodum gradu militari procederent, vt horis quinque æſtiuis vicena paſſuum millia ambularent. Pleno autem gradu, cum videlicet progrederentur celerius, totidem horis quatuor millia ſupra viginti conficiebant. Neceſſarium igitur erat, vt modum incedendi æqualiterque ambulandi condiſcerent, cùm inæqualitas & confuſio exercitus nunquam non hoſti ad nocendum opportuna videatur. Iam, firmo progreſſu & maximo progreſſu etiam loquendi genera militaria ſunt, valentque idem quod magnis & maximis itineribus. Ad curſum iuniores potiſſimum ideo exercebantur, quò concitatius, & impetu maiore in hoſtem ſeſe inferrent, loca idonea, ſi ita res tuliſſet, maturius caperent, & in eo aduerſarium anteuerterent, fugientes facilius aſſequerentur. Quin & armati, & cum ſarcinis currebant.

Digitized by Google

bant. Quid de ſaltu dicam? Eius meditationis patebat vtilitas, cum aut tranſilienda foſſa, aut impendens aliqua altitudo ſuperanda foret. Porrò in ipſo congreſſu cum curſu ſaltuque inuadens in hoſtem miles, eius oculos perſtringebat, mentem perterrebat, plagam antè imponebat, quàm ille, quo pacto vel ictum euitaret, vel reſiſteret, cogitare ſecum potuiſſet. N. Frequentes illæ, de quibus diſſeruiſti exercitationes tres, gradus militaris, curſus, ſaltus: frequens nihilominus natatus. Vtilis ſiquidem natandi peritia cùm in pugnis naualibus, tum in fluminibus, torrentibuſque vel niuibus liquatis, vel immodicis pluuiis exundantibus tranſmittendis, cùm vel cedendum eſt, vel fugientes inſequendi. Quapropter delectus eſt campus Martius Tiberi vicinus, in quo iuuentus delaſſata militari gymnaſtica, ſudorem pulueremq; ablueret, & vſum natandi ad reliqua bellicarum artium tyrocinia adiiceret. Nec in Tiberi duntaxat, ſed domi etiam, aliquando in ipſis gymnaſiis, & à priuatis balneis natatum diſcebant. Quem ſi didiciſſet Cyri exercitus, tam inſignem calamitatem, de qua Xenophon, non accepiſſet: & ſi ignoraſſet Iulius Cæſar, magnis commodis ſæpe, & aliquando vita ipſa caruiſſet. De quo ſic Suetonius cap. 57. longiſſimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda centena paſſuum millia in ſingulos dies, ſi flumina morarentur, nando traiiciens, vel innixus inflatis vtribus, vt perſæpe nuntios de ſe præuenerit. Rurſum cap. 64. Alexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcapham, pluribus eodem præcipitantibus, cùm deſiliſſet in mare, nandò per CC paſſus euaſit ad proximam nauem, elata leua, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Sed quàm iucunda lectu, & commemoratu palaria exercitio? A. Quid iſtuc verbi, exercitio? N. Non eſt cur aures offendat tuas. Vt enim ab exercito exercitatu venit exercitatio: ſic ab exerceo exercitu aliud verbale, ſimili ſignificatu cadere poteſt, exercitio: qua voce, ſi alios vſos nondum videas, at Iureconſultos videas, & Papinianum imprimis. Deinde cùm Cicero dixerit inſtitiones, Varro partiones, cur analogia quadam exercitiones dicere vetemur? A. Liceat tibi nouare verba: perge de palariis tyronibus. N. Viminea ſcuta, rotunda, & in modum cratis, publicis ſcutis altero tanto grauiora contexebant: id, vnaque ſudes ſeu claues ligneas admodum ponderoſas pro gladiis tyroni dabant: qui palum ſibi humi depangebat adeo validè, vt nutare non poſſet, ſex pedes, id eſt, virilis ſtaturæ altitudinem ſupra terram eminentem. Aduerſus huiuſcemodi palum tanquam contra verum aduerſarium, ſcuto illo, & claua armati ferebantur, magnaque contentione dimicabant: & modò velut caput eius aut faciem petebant, modò lateri imminebant. Nunc poplitibus, nunc cruribus, quaſi ea ſucciſuri, gladio minabantur. Accedebant, recedebant, aſſiliebant, inſiliebant, reſiliebant, nihilque bellici artificii omittebant, & omnem, vt in pugna ſeria, impetum conatumque vſurpabant. Quæ omnia dum facerent, diligentiſſimè cauebant, ne qua parte ipſi ad ictum paterent. Ad palum ſimili

modo etiam gladiatores exercebantur: nec vel in arena, vel in campo laudem meruit, qui ſe ſtudioſè ad palum non exercuiſſet. Haſtilia item grauiora veris iaculis, magnis adnixi viribus, & miſſilia procul in palum dirigebant: quò & dexterarum virtus atque robur, & ſcientia iaculandi ſagittandíue creſceret. Hæc igitur alia palaria, ſeu aliud genus prælusionis ad palum fuit, cui prope tertia, aut quarta pars iuniorum deſtinabatur: quæ nimirum arcubus & ſagittis luſoriis aptior iudicaretur, adiungebanturque doctores, & adhibebatur ſolertia, vt ſcienter teneretur arcus: vt ſiniſtra fixa, dextra cum ratione duceretur: vt ad illud, quod feriendum eſſet, oculus animuſque conſentirent. Inuenio etiam ſagittarios, ac funditores ſcopas, ſeu fruticum ſtramentorumque faſciculos pro ſcopo ſolitos ſibi ad ſpatium pedum ſexagenorum conſtituere, quem ſagittis aut lapidibus è fuſtibalo peterent. Exercebantur præterea rudibus, ſeu virgis, cum duo pluréſue milites aliquando exercitus totus committebatur. Exemplum extat apud Liuium lib. 26. Tertio, inquit, die rudibus inter ſe, in modum iuſtæ pugnæ, concurrunt. De eodem genere ſcriptum à Xenophonte in 2. de vita Cyri. Cæſim pugnantes deridere ſoliti ſunt Romani: quare ſuos punctim ferire docebant. Quamuis enim magno impetu veniat cæſa, non tamen frequenter interimit, nudaturque latus dum cæſa infertur. At puncta vel tecto corpori inferri poteſt, qua læditur hoſtis, vt grauiſſimè ita celerrimè. Fundam Baleares creduntur inueniſſe, qua ſe à paruis exercebant: traditumque eſt memoriæ, matres filios puſillos nullum ſiuiſſe cibum contingere, niſi quem ſibi ab ipſis monſtratum lapide ex funda percuſſiſſent. Et quoniam euenit nonnunquam, vt in locis lapidoſis pugnandum, aut mons, aut collis defendendus, aut ab obſidione oppugnationéue vrbis aut caſtelli hoſtis lapidibus, ac fundis repellendus ſit, idcirco in omnibus veterum præliis funditores militabant, & Romani hanc quoque προγυμνασίαν non prætermittebant: cum, quod eſt expeditius, ſola etiam manu libralia ſaxa iacerent meditationis cauſſa. Verùm cùm Vegetius etiam plumbatarum, id eſt, glandium plumbearum exercitationem iunioribus tradendam moneat, quid eſt quod eaſdem plumbatas Martiobarbulos vocari dicit? Ego quidem iſtuc nominis haud intelligo. A. At ego pulchrè. Milites ipſi, qui plumbatas tenebant, hoc eſt, Martiobarbulos, dicti ſunt laſciuia militari Martiobarbuli. Plumbatæ autem ilocaliter appellatæ hac voce, quod cum barbi & barbuli piſces in deliciis eſſent, ipſæ non conuiuii, ſed Martis barbi, & cibi eſſent. Placet expoſitio? N. Si minus vera eſt, quod neſcio, ab ingenio tamen acuto eſt. Fuit & equorum ſalitio, ſiue celer in equum aſcenſus in exercitationibus. Nam equi lignei hybernis menſibus ſub tecto, æſtiuis in campo locabantur: quos iuniores primò inermes, poſtea vt facilitatem eis conſuetudo peperiſſet, induti armis debebant conſcendere, idque cum à dexteris, tum à ſiniſtris, inſilire etiam, & ad pedes deſilire. Dicuntur autem (vt hoc παρέργως adiiciam) Liuio & aliis deſultores, qui alterum equum attrahunt, in

quem

quem celeriter poſſint tranſilire, vbi res poſtulauerit. Feſtus. Paribus equis, id eſt, duobus Romani vtebantur in prælio, vt ſudante altero tranſirent in ſiccum. Equi autem deſultorii. Aſcenſores illi ſtrictos item enſes, aut contos tenebant manibus cum aſcenderent. Et equites iubebantur ſe & equos ſuos non modò in planis, verùm in abruptis quoque locis, difficilibus ſemitis, foſſarum hiatibus exercere, ne quid improuiſum eis atque incognitum poſſet accedere. A. Quid horum noſtri milites? Pondus fortaſſe 60. librarum baiulant, interim gradu militari progredientes, & in expeditionibus arduis præter arma etiam annonam portant. Laborioſum hoc, niſi aſſiduitas reddat omnia facilia. Vbi de ordine & interuallis in acie ſeruandis tanta cura? Nam vt diſpoſito conſiſterent ordine, néue aut conglobarent agmen, aut laxarent, & condenſati ſpatia pugnandi amitterent, ſeſeque mutuò impedirent, rariores autem, & interlucentes perrumpendi facultatem hoſtibus offerrent, in campum deducebantur, & è catalogo, vt erant vocati, ſic in ordinem dirigebantur, faciebantque primò ſimplicem, & extenſam aciem, nullo ſinu, nulla curuatura, diſtabatque æquali, & legitimo ſpatio miles à milite. Tum iubebantur repentè duplicare aciem, eodem ordine conſeruato. Adhæc vt quadratam ſubitò aciem efficerent. Eandem in trigonam, ſeu cuneum mox mutabant. Præterea orbem conſtituebant: quo genere interrupta ab hoſtibus acie reſiſtebatur. Et poſſunt ſanè illo modo defenſionis exercitati milites, vel pauci admodum multis ita repugnare, vt vincant. Eo autem felicius, ſi paulò editiorem locum occupare quiuerint. Et pedites, & equites ter in menſe ambulatum mittebantur. Pedites decem millia paſſuum, armati inſtructique telis omnibus, ſic, vt cùm gradu militari ambularent, aliquam partem itineris nihilominus curſu peragerent. Equites ſimiliter in turmas diuiſi, & armati tantum viæ conficiebant: atque, vt etiam pedites, per cliuoſa, & ardua loca aſcendebant, & deſcendebant. Cæterùm qui cogitauerit exercitum ab exercitio nomen habere (exercitus, inquit Varro, quod exercitando fit melior) non mirabitur tot modis ad militiam præparari ſolitam iuuentutem. Nec eximebantur antiquiores, qui ſemel per diem exercebantur, cùm id iunioribus manè, & ſecundum meridiem fieret. Veterani, inquam, milites nihilominus neceſſe habebant exerceri: cum vel poſt multa ſtipendia inexercitatus miles pro tyrone duceretur, vt is, qui diu à pugna abſtinuiſſet. Quamobrem tempore hyemis tegulis, aut ſcindulis, aut cannis, vlua, culmo & porticus tegebantur ad equites, & quædam velut baſilicæ ad pedites: in quibus tempeſtate vel ventis aere turbato, ſub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem etiam hybernis diebus, ſi niues tantùm pluuiæque ceſſarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermiſſa conſuetudo & animos militum debilitaret, & corpora. Milites quoque perinde exercendos hyeme, vt æſtate, Claudianus docet his verſibus.

ſi bella

Digitized by Google

ſi bella tonant prius agmina duris
Exerce ſtudiis, & ſæuo præſtrue Marti.
Non bruma requies, non hybernacula ſegnes
Eneruent torpore manus.

Imperator Probus aiebat, annonam gratuitam militem comedere non debere. Placet ſubtexere penultimum caput de ſecundo libro Vegetii, quo per exempla ab aliis artibus ad militaris exercitii amorem ſtudiumque hortatur omnes, qui in præſtantibus militibus numerati concupiſcunt.

Athleta, venator, auriga propter exiguam mercedem, vel certè plebis fauorem, quotidiana meditatione artis ſuæ, aut certare, aut agere, conſueuit. Militem (cuius eſt manibus ſeruanda reſpub.) ſtudioſius oportet ſcientiam dimicandi, vſumq; rei bellicæ iugibus exercitiis cuſtodire: cui contingit non tantum glorioſa victoria, ſed etiam amplior præda: quemque ad opes, & dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicium conſueuit euehere. Artifices ſcenici ab artificiis non recedunt pro laude vulgi. Miles ſacramento lectus, ab exercitiis armorum, vel nouellus, vel etiam vetuſtus ceſſare non debet: præſertim cùm antiqua ſit prudenſquè ſententia. Omnes artes in meditatione conſiſtere. Atque ita huius colloquii noſtri finis eſto, quo ſatis arbitror nos probati militis laudes expreſſiſſe. Nullo diſcrimine lectus non videtur euadere poſſe exercitatus: inexercitatus, id eſt, armorum doctrina non imbutus, à pagano haud quidquam differt.

ANNOTATIONES.

QVOD TE CLAM NON EST) *Præpoſitio clam, tertio, quarto, & ſexto caſui iungitur. Exempla primæ ſyntaxeos. Plaut. Milite. Serua iſtas fores Me tibi clam ſe ſubterducat iſtinc, atque huc tranſeat. Ibid. meretricem commoueri, quam ſanè magni referat, mihi clam eſt. Secunda Terent. Hecyr. Non me clam haberet, quæ celaſſe intelligo. Plaut. Mercat. Muſca eſt meus pater: nihil poteſt clam illum haberi. Tertia, Terent. Heaut, Hæc clam me omnia. Plaut. Rud. Clam me, clam te eſt. Priſcianus libro decimo quarto, clam magis aduerbium eſſe, quàm præpoſitionem, aliquot rationibus docet.* DVLCE BELLVM INEXPERTIS) *Pindarus* γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. *Dulce bellum inexpertis: aſt expertus quiſpiam horret corde, ſi acceſſerit, ſupra modum. Licebit vti hoc adagio in iis rebus, quarum mala & pericula non niſi experientia ipſa cognoſcuntur. Sic Horat.*

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit.

Sic vita aulica non experto videtur felix & ſplendida. Item amores meretricij videntur dulces. quibus tamen nihil reperitur amarius, quod docent Plautus, Propertius, Horatius. Plautus quidem omnium copioſiſſime, vt ſæpiſſimè. NEQVE ATTINGERE EXTREMIS) *Quomodo Plato in 3. de repub. ſeparatim vſus eſt verbis* ἅπτεσθαι, & γεύεσθαι *tralatione quadam, ita quo-*

que

que M. Tull. Sed copulatè. Pro Cælio, Equidem multos vidi in hac ciuitate, & audiui, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, vt dicitur digitis attigiſſent. Pro Archia. Quod ſi ipſi hæc neq; attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus. Adeundus Victor. lib. 9. cap. 19. LEGIO MARTIA AD MVTINAM) Legiones Martia & Quarta ab Antonio ad Octauium defecerunt: id eſt, vt ſcribitur 3. Philipp. ad ſenatus auctoritatem, populiq́ue Rom. libertatem ſe contulerunt. Philip. 4. Quid Legio Martia? quæ mihi videtur diuinitus ab eo ipſo Deo traxiſſe nomen, à quo populum Rom. generatum accepimus, nonne ipſa ſuis decretis hoſtem iudicauit Antonium? Et Philip. 5. Quid? Legio Martia: quid? Quarta, cur laudantur? ſi enim Conſulem ſuum reliquerunt, vituperandæ ſunt: ſi inimicum popul. Rom. iurè laudantur. TRECENTI LACEDÆMONII) Diſſentiunt de numero ſcriptores. Iuſtinus habet ſexcentos. Diodorus quingentos. Cicer. 2. de finibus, Seneca in Suaſoriis, ÆElianus in var. hiſtor. Valerius l. 3. trecentos. PRO AGRO THYREA) Rem narrat Herodot. lib. 1. Et Valerius lib. 3. cap. 2. Othryadæ quoque pugna pariter ac morte ſpecioſa Thyreatium laude, quàm ſpatio latius ſolum cernitur. Qui ſanguine ſuo ſcriptis literis, direptam hoſtibus victoriam, tantum non poſt fata ſua in ſinum patriæ, cruento trophæi titulo retulit. Ouid. 2. Faſt. ad Terminum.

Tu populos vrbeſq; & regna ingentia finis,
　Omnis erit ſine te litigioſus ager:
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro,
　Legitima ſeruas credita rura fide.
Si tu ſignaſſes olim Thyreatida terram,
　Corpora non letho miſſa trecenta forent.
Nec foret Othryades congeſtis tectus in armis.
　O quantum patriæ ſanguinis ille dedit.

IN CAMPIS MARATHONIIS) ÆEmilius Probus in Miltiade. Iuſtinus libro ſecundo, Cic. 1. Offic. Contraq; in laudibus, quæ magno animo, & fortiter excellenterq; geſta ſunt, ea neſcio quomodo, quaſi pleniore ore laudamus Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris, &c. HORATIVS COCLES PRO PONTE) Eximia & admirabilis viri huius fortitudo à Liuio deſcripta eſt libro ſecundo. Valerium vide inſuper libro tertio, capite ſecundo. M. COESIO SCEVÆ) Cæſar de bello ciuili libro tertio, capite ſecundo. Lucan libro ſexto. de Cynegyro Herodot. libro ſexto. Cynegyrus Euphorionis filius, dum ſummam puppim apprehendit, abſciſſa bipenni manu, cecidit. Latius Iuſtinus libro ſecundo, Cynegyri quoque militis Athenienſis gloria magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt: qui poſt prælii innumeras cædes, cùm fugientes hoſtes ad naues egiſſet, onuſtam nauem dextra manu tenuit, nec prius dimiſit, quàm manum amitteret: tum quoq; amputata dextra , nauem ſiniſtra comprehendit: quam & ipſam cùm amiſiſſet, ad poſtremum morſu nauem detinuit. Tantam in eo virtutem fuiſſe, vt non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amiſſis victus, truncus ad poſtremum, & veluti rabida fera dentibus dimicauerit. DE SICCIO DENTATO) Hunc inter maximè fortes primum nominat Plinius

Digitized by Google

nius lib. 7. cap. 28. plusquam credi poteſt ſtrenuum fuiſſe bellatorem, & ob ingentem fortitudinem nomen ei factum Achilles Romanus; tradit Gellius lib. 2 c. 11. De eodem Valer. lib. 3. c. 2. QVÆ A DIODORO SCRIPTA) *lib nempe 1. à Valerio lib. 3. c. 2. à Iuſtino lib. 2.* PERICLES APVD THVCYDIDEM) *De Pericle Cicer. in Bruto, qui cùm floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude (eloquentia) clariſſimus. Plura in eodem libro. Solebat optare, ne quod ſibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. Quintil. lib. 12. cap. 9.* SOLENNI ATHENIENSIVM MORE) *Proditum hoc quoque à Cic. Orat. perfecto. Vocum concurſionem ait Platonem haud fugere: nec ſolum in his ſermonibus, qui dialogi dicuntur: ſed in populari oratione. quâ mos eſt Athenis laudari in concione eos, qui ſunt in præliis interfecti: quæ ſic probata eſt, vt eam quotannis, vt ſcis, illo die recitari neceſſe ſit.* VICTORIA ADVOLAT) *Olim fingebatur & pingebatur Fortuna cum alis. Vnde ab Auſonio dicta præpes, id eſt, aligera, pennata, quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſſet, ſed volatus. Turneb. lib. 27. c. 2. & 5.* ET IN CASTRIS MODESTIA) *Ad modeſtiam quoq; pertinet quod dicit Salluſtius in Catilinario In bello ſæpius vindicatum eſſe in eos, qui contra imperium in hoſtes pugnauerant, quiq; tardius reuocati prælio exceſſerant, quàm qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant.* PARVÒ VICTV CONTENTA) *Crediderim Vegetiũ vocaſſe paruũ victũ, quem alij vilem, parui pretij parabilẽ. Non enim paruum, hoc eſt, modicum victum, patitur agricolarũ labor. Steuechius.* SVB PAPILIONIBVS HABITARE) *Iſidorus lib. 15. c 10. Papiliones vocantur à ſimilitudine paruuli animalis volantis, quod maximè abundant florentibus maluis. Hæ ſunt auiculæ, quæ lumine accenſo conueniunt, & circumuolãtes ab igne proximo interire coguntur. Papiliones, quæ aliàs tentoria, fiebant propriè è velis tenſis. Fuerunt itẽ tentoria è tabulis conſertis mutatilia, quæ Cæſari & aliis tabernacula, à ſimilitudine tabernarum, quæ ipſæ à tabulis, vnde fiebant, nomen tulerunt. Fuerunt item tentoria ſcortea, quæ Cicero, Tacitus, & alij pelles vocant. Ex quo apud Hiſtoricos, ſub pellibus eſſe, ſub pellibus hybernare.* FVIT TAMEN LEX ANNALIS) *Lege annali ſeu annaria cauebatur de æuitate, & de annis: h. e. quâ ætate, quibuſq; temporibus capiendi magiſtratus forent? Qualis illa de ſenatoribus, vt ab omni ſenatus munere vacarent, qui annum vitæ ſexageſimum abſoluiſſent Item de militibus, ne ſupra quinquageſimum annum militiæ ſacramento tenerentur. Æuitas, exponendum eſt ſenium. cùm iam prouectiores homines ſunt, & quaſi capulares. Crinit. libro octauo, capite decimo tertio,* MISSIONEM VACATIONEMQVE) *Quinq; inueniuntur miſſionum genera. Honeſta, quæ dabatur emeritis ſtipendiis Qui ſic mittebãtur, teſtimoniales accipiebant, ne obnoxij eſſent aliorum calumniis. Caſſaria, ob legitimam cauſam, vt ſenectam, morbum, &c. Ignominioſa, ob aliquod admiſſum facinus Item ſi quis euitandorum munerum cauſa ſubiiſſet militiã, talis mittebatur, vt domi potius, quàm foris Reipub inſeruiret. Poſtrema fuit miſſio gratioſa, quoniam per gratiam ab Imp. impetrabatur. Et quomodò qui militarent vocabantur cincti: ſic qui miſſi erant, diſcincti, militia exuti, cingulo priuati. Erat porrò magno honori cingulo & baltheo donari, ac pro-*

inde

Digitized by Google

inde magna ignominia, eo priuari. Et erat cingulum iſtuc è corio, bullis exornatum, pro dignitate eius, qui geſtaret. Virgil. 2. Aeneid.

Et iam iamq́ magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat, infelix humero cum apparuit ingens
Baltheus, & notis fulſerunt cingula bullis.

Quin & caligæ militum exornatæ & diſtinctæ fuerunt. VENATORES HAVD REIICIEBANT) *Ad bellicam fortitudinem, & aſtum militarem prodeſſe venationum exercitamēta docet Xenophon in vita Cyri lib.* 1. *Proditum eſt à Capitolino ab Imp.* Maximino, *Romanas legiones ſolis venatibus frequēter exercitatas fuiſſe.* FVGIENTES FACILIVS ASSEQVERENTVR) *Lacedamonij inſequebantur quidem hoſtem à ſe victum, & in fugam verſum, non vt eum aſſecuti cæderent, ſed vt victoriam ita confirmarent.* Alienū quippe *credebant à magnitudine animi, illos morti dare, qui cederent, & aufugerēt.* Ex *ea re tamen honorem & vtilitatem conſequebantur.* Nam *ſi quando acrius aduerſarios inuaſiſſent, malebant illi in fugā ſe tradere, quàm reſiſtere: quod ſcirent pugnantib ſibi interitū, fugiētibus ſalutem eſſe propoſitam. Imò verò vt auctor eſt Polyen. Strateg. lib* 1. *Lycurgus legē tulit* τοὺς πολεμίους φεύγοντας μὴ φονεύετε, ἵνα μὴ τοῦ φεύγειν ἡγοῖντο τὸ μένειν λυσιτελέστερον. *Fugientes hoſtes ne cecideritis: ne conducibilius ducant manere, quàm fugere. Quoniā videlicet ſalutis aliqua ſpes manenti, & pugnanti relinquitur in virtute: nulla fugiēti, niſi in ſorte quam præſtare nullus poteſt.* DELECTVS EST CAMPVS MARTIVS) *De campo iſtoc, & ludis in eo exerceri ſolitis, item de natatione Tiberina Horat.* Ode 8. *li.* 1. *qua iuuenem quendam, vt obſcœnis amoribus emollitum ac perditum carpit. De ornamentis huius campi* Marlianus *Topographia vrbis li.* 6. *c.* 19. CAPVT EIVS, AVT FACIEM PETEBANT) *Petere nonnunquam eſt aggredi, aut inuadere quempiam feriendi cauſa Virgil.* 9. *Aeneid.*

At Niſus ruit in medios, ſolumq́ per omnes
Volſcentem petit, in ſolo Volſcente moratur.

Seruius ait, petitiones propriè dici impetus gladiatorū Cic. 1. *Catil. Ego huius petitiones ita coniectas, vt vitari non poſſe viderētur, parua quadā declinatione effugi. In Orat. perf. Sed nec oratio facit plagā grauē, niſi petitio fuerit apta. In Verrē. Noui omnes hominis petitiones.* E FVSTIBALO PETERENT) *Fuſtibalus, fuſtis eſt, longus pedes quatuor, cui per mediū ligatur funda de corio: & vtraq́ manu impulſus, prope ad inſtar Onagri dirigit ſaxa. Veget. li.* 3. *c.* 14. TRIBVS QVISQVE PVGNABAT) *De hac re apponam verba Diodori è li.* 6. *Arma eis ſunt fundæ tres. Vna caput cingūt, altera ventrem, tertia in manibus geſtatur. In prælio lapides multò maiores, quàm reliqui iactant robuſtè, vt aliquo tormento lapis miſſus videatur. In pugna verò ſcuta, galeas, omneq́ armorū genus confringunt. Ita autem rectè lapides propellūt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus.* EQVI AVTEM DESVLTORII) *Talibus vtebantur Numidæ & Maſſaſyli. Item Indi, vt refert Herodot. li.* 7. *Sueton. in Iulio c.* 39. *Circenſibus, ſpatio Circi ab vtraq́ parte producto: & in gyrum Euripo addito, quadrigas, bigaſq́, & equos deſultorios agitauerunt nobiliſſimi iuuenes. Quem in locum* Torrentius. *Deſultores vocabant, non eos ſolùm, quos Græci* ἀμφίππους, *quod binos ducentes equos, ab altero in alterū ſubinde ſaltabant:*

tabant: ſed eos quoq; de quibus Dionyſius extremo lib. 7. antiq. Rom quos παραβάτας, ut inquit ipſe, poëta: Athenienſes verò, ἀποβάτας appellabant. Vnde ἀποβατῶν ἀγωνίζεσθαι. Plutarch. Phocione, & Cic. pro Murana. Neſcio quo pacto mihi videtur Prætorius Candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere. Liuius quoque lib. 44. hunc morem ſignificat his verbis Semel quadrigis, ſemel deſultore miſſo. Suetonij locus de vtroq; deſultorum genere intelligi poterit. PONDVS 60. LIBRARVM BAIVLANT) Qui vecturas onerum corpore ſuo, victus aut mercedis cauſa faciunt, eos græcè βαστάζοντας, latinè baiulos nominari affirmat Gell. lib. 5. c. 3. Plaut. Pœnulo. Collo rem ſoluam iam omnibus quaſi baiulus. Iam, quid ſit baiulare, apparet. Apud Plaut. Mercat. ait Paſicompſa impudica fœmina.

Namq; adepol equidem, mi ſenex, non didici baiulare,
Nec pecua ruri paſcere, neq; pueros nutricare.

Baiulos dicebant antiqui, inquit Feſtus, quos nunc dicimus operarios. Vnde adhuc baiulari dicitur. PRÆTER ARMA ETIAM ANNONAM) Et quidē annonam dierum XVIII. teſte Ammiano lib. 17. Cicer. Tuſcul. 2. Noſtri exercitus vnde nomen habeant, vides. Deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus: arma etiam membra militis eſſe dicunt, quæ quidem ita gerunt aptè, vt ſi vſus foret, obiectis oneribus, expeditis, armis, vt membris pugnare poſſint. DE ORDINE ET INTERVALLIS IN ACIE SERVANDIS) Ordinum non ſeruatorum pœna fuit capitalis. Scipio ad Numantiam, quem militem extra ordinem deprehendiſſet, ſi Romanus erat, vitibus: ſi extraneus, fuſtibus cædebat. Non minus capitale erat, ſigna deſerere. Lex Charondæ apud Atheniēſes ſanxit, vt qui in prælio ſigna ordineſue deſtituiſſent, aut arma pro patria capere penitus refugiſſent, muliebri cultu induti, medio foro, idq; tertiùm diebus ſingulis ſiſterentur. Maluit probri metu corrigere, quod leges priores mortis ſupplicio coërcebant, & à fœminea timiditate hoc potiſſimùm modo ſuos auocare. ET PEDITES, ET EQVITES) Cùm res militaris conſtet armis & viris, hanc partem Veget lib. 2. c. 1. diuidit in equites, pedites, claſſes. Equitum dicuntur alæ, quod aciem velut alæ vtrinq; protegant Equitibus campi, claſſibus maria, & flumina, peditibus colles, vrbes, plana & abrupta ſervantur. Hi Reipub. magis ſunt neceſſarij, cum poſſint vbiq; prodeſſe, & minore impenſa maior peditum numerus alitur. EXERCITVM AB EXERCITIO) Exercitus ex re ipſa atque opere exercitii nomen habet, vt ei nunquam liceret obliuiſci, quod vocabatur. Varro, & Priſcianus. ATHLETA, VENATOR, AVRIGA) De ludis populo exhiberi ſolitis hæc accipienda ſunt. A PAGANO HAVD QVIDQVAM) Paganos vocant Iureconſulti, qui non militant, ſed in pagis & vicis ſuis munera ſubeunt. Crebrò militibus opponuntur, vt togati ſagatis, & cinctis. Propriè Ruſtici, quod domi relinquebantur ad ruris culturam.

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA
QVARTVM ET VICESIMVM.

Romanorum virtus, & diſciplina militaris.

MANILIVS, HERENNIVS.

MANILIVS. Martem ſummi Iouis filium, bellorumq; moderatorem ac præſidem generaſſe Romulum, populi Romani conditorem pro vaniſſimo habendum nemo neſcit: Finxerunt hoc illi, vt originis ſuæ primordia auguſtiora facerent. Sed vt hoc vanum prorſus & incredibile: ita certum omnino, nullaq; cum dubitatione coniunctum, veteres illos Romanos in re militari & virtute multùm; & diſciplina plurimùm excelluiſſe: atque ideo poſteris ſuis cùm magnam in rebus omnibus, tum in re bellica maximam gloriam tradidiſſe. H. Certiſſimum ſanè iſtuc: & ab vtroq;, à fortitudine, inquam, & ſcienta militandi gentem hanc commendaſſe video ſubtiliſſimum breuitatis artificem, hiſtoricumque à neruis & grauitate laudatum Salluſtium. Domi militiæque intenti feſtinare, parare: alius alium hortari, hoſtibus obuiam ire; libertatem, patriam, parenteſque armis tegere. Hæccine tantum? non tantum: nam vbi pericula virtute propulerant; & ſecurum ſibi otium pepererant, ſociis atque amicis auxilia portabant. Poſt pauca rurſum, incredibile memoratu eſſe ait, quàm adepta libertate, breui creuerit ciuitas: quia nimirum cupido ingens gloriæ inceſſerat. Iuuentus ſimul ac laboribus bellicis ferundis erat, militiam vſu in caſtris diſcebat: nec tantam è ſcortorum conuiuiorumque deliciis: quantam ex decore fabrefactis armis, & militaribus equis voluptatem percipiebat. Qua ratione id conſequebantur, vt viris iam factis non vllus labor inſolitus, non locus aſper, non armatus hoſtis formidoloſus eſſet. Virtus domabat omnia. Ad mutuam æmulationem etiam atq; etiam gloria eorum animos accendebat: cum quiſq; ante alios hoſtem ferire, murum aſcendere, & in talibus facinoribus obeundis conſpici contenderet. In hoc opes, in hoc claritudinem nominis, in hoc nobilitatem eſſe ſitam iudicabant. Quot locis illi parua manu non paruas hoſtium copias protriuerunt? Quot vrbes naturâ, & opere munitiſſimas expugnauerunt? Sic tamen erant in bello audaces, vt ſæpius in eos animaduerterent, qui vel contra imperiũ in hoſtem pugnauiſſent, vel tardius ſigno dato pugna exceſſiſſent, quàm qui vel ſigna, vel loca ſua deſeruiſſent. M. Haud aliter illi, niſi tales fuiſſent, toti Affricæ, Aſiæ, Europæ iugum imponere potuiſſent. Armorum exercitatio, & diſciplina caſtrenſis eorum, orbem ſubegit. *Quid enim, inquit Vegetius, aduerſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quid aduerſus Germanorum proceritatem breuitas potuiſſet audere? Hiſpa-*

nos quidem non tantùm numero, ſed etiam viribus corporum noſtris præſtitiſſe manifeſtum eſt. Aphrorum dolis atq; diuitiis ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaq; nos vinci, nemo dubitauit. Sed aduerſus hæc omnia profuit tyronem ſolerter eligere, ius (vt ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcunq; euenire in acie atq; præliis poſſint, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeuerè in deſides vindicare. His affinia ſcribit Valer. li. 2. c. 8. Diſciplina militaris acriter retenta principatũ Italiæ Romano imperio peperit, & multarum vrbium, magnorũ regum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt: fauces Pontici ſinus patefecit: Alpium Tauriq; montis conuulſa clauſtra tradidit, ortumq; è paruula Romuli caſa totius terrarũ orbis fecit columen. Omnes gentes perdomuere Romani, ipſi nunquam ſubacti ſunt. Horum aliæ robore & viribus præferoces, vt Germani, Galli, Hiſpani: aliæ imperio potentes, vt Carthag. aliæ maiorum gloria, & ſapientia præſtantes, vt Græci: aliæ omni genere copiarum abundantes, vt Aſiatici: aliæ terrarum longinquitate remotæ, vt Cappadoces, Pontici, Armenii, Iberi, Albani, Scythæ: vel interfuſo Oceano a noſtro orbe ſeiunctæ, vt Britanni: vel patrum ſanctitate & religione ſua confiſæ, vt Iudæi. H. Quanquam iſta Vegetio, Valerio, tibiq; aſſentiar, & quas recenſuiſti gentes, virtute & arte militari Romanorum deuictas credam, nihilominus ſuboritur mihi quiddam ſcrupuli, cum recordor, quid in oratione quadam de Victoriis Romanis Cic. prædicârit. Eas ille pietati & religioni illius Reip. erga deos, non armorũ eius vel virtuti, vel fælicitati, vel ſcientiæ in acceptis ferendas planè vult. Hæc enim ſunt verba. *Quam volumus, P. C. ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnas, nec artibus Græcos, nec deniq; hoc ipſo huius gẽtis, ac terræ domeſtico, natiuoq; ſenſu Italos ipſos, ac Latinos, ſed pietate ac religione, atq; hac vna ſapientia, quòd deorũ immortalium numine omnia regi gubernariq; perſpeximus, omnes gentes nationesq; ſuperauimus.* Quo tu pacto nodum ſolues? M. Hoc pacto. Primùm dicam, Ciceronem cùm detrahat Romanis numerum, robur, calliditatem, artes, cum Italis parem cum illis ſenſum tribuit, non detrahere ſcientiam rei bellicæ: qua vincere tot gentes potuerint, & ſubigere, etiam ſi eaſdem rebus iam dictis non vicerint: nihil eſt enim vnde tantoperè pendeat ſumma victoriæ, vt certaminum peritia. Deinde affirmabo, inuitis diuis nihil quempiam poſſe fidere, vt eſt apud Virgil. nec humanam diligentiam ad res magnas moliẽdas ſine cœleſti auxilio ſufficere, quod religione, & precibus impetrandũ eſt. Quare quod potius eſt in aliquo negotio, & quod magis quippiam efficit, id ſæpius ſolùm eſſe dicimus, & ei ſoli efficientiam adſcribimus. H. Non inſcitè mihi videris diſſoluiſſe, quod obiiciebatur. Commendauit etiam præclarè Romanæ inſtituta militiæ antiquitatum Iudaicarum ſcriptor notiſſimus, idemq; prudentiſſimus, & eloquentiſſimus, & vt quidam appellauerunt, Hebræorum Liuius, Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico. Ex ea commendatione facere non poſſum, quin aliquot illuſtriores ſententias, quarum videlicet memini, adducam. Verùm non vt eius tibi verba appendam: ſed vt mentem paulò liberius

atque

atque copioſius declarem: nec tamen ab ea quidquam diſcrepans, & alienum adducam. Ex ſententiis igitur illa vel prima eſto, qua caput ipſum claudit, eſt autem tertium. Dixiſſe ſe ſcribit, quæ dixerit, non magis vt laudationem Romanis, quàm vt victis, id eſt, Iudæis ſuis ſolatium impertiretur. Eſt enim conſolationi à magnis, illuſtribus, & potentibus tantùm: aut etiam à probis, & peritis fuiſſe ſuperatum. Præterea vt cupidos bellorum, & Romanum imperium ægrius perferentes deterreret. Denique vt liberalis ſcientiæ ſtudioſis, & adhuc militiæ Romanæ rationem ignorantibus aliquid ad diſcendum præſidii afferret. M. Has ille cauſſas? H. Has ipſas, Manili. Verum audi Ioſephum amplius, quæſo. M. Non eſt cur roges, vltrò audiam. H. Non tùm demum manus & arma mouent, cùm in foribus bellum eſt, aut neceſſitas ad dimicationem vocat, non: ſed in ipſo etiam pacis otio, perindè vt ſi cum armis, & in armis nati eſſent. Nullam ſibi ab exercitiis militaribus requiem indulgent, nec tempora iis definiunt. Adeò autem ſtrenuè, impigrè, diligenter, ſeriò ſeſe exercent, vt non ſimulatè, ſed verè rem geri exiſtimare poſſis: & quotidie ita ſemet quiſque in omni armorum genere experitur, vt ſi hoſtis contrà pugnaret. Inde ad vera prælia minimè ſegnes, aut timidi reperiuntur. Nemo quippe facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Non eos ordinum ſeruandorum negligentia diſiungit: non pauor vllus exanimat: non laſſitudo debilitat. Quare conſentaneum eſt, vt iis ſemper ſuperiores diſcedant, qui ſimilibus præculti meditationibus ad certamen non venerunt. Ac poterit quis eorum exercitationes haud falsò nominare conflictus ſine ſanguine: contraque veros conflictus, exercitationes cum ſanguine) adeo paruum eſt inter vtrumque diſcrimen. Nihil quidquam ſubitò, & inconſultò in præliis aggrediuntur: ſed conſultant anteà: vbi conſultauerint, decreta maturè exſequuntur. Ita fit, vt aut nulla ſequatur belli offenſio: aut certè qualemcunque offenſionem non difficilis ſanet correctio. Conſiliorum euentus, quamuis ſecus euenerint, fortunæ proſperis ſucceſſibus anteponunt: propterea, quod fortuitum ac improuiſum bonum ad audentiam, & agendi temeritatem hortatur: at vero ante conſulta, etiamſi in peius ceciderint, tamen cautos reddunt in poſterum, ne ad eundem lapidem denuo cogamur offendere. Et cum fortuitorum commodorum ij auctores ſint, quibus contingunt, nec proinde tantùm capere gaudium poſſint, habent in ſiniſtris, ac triſtibus euentis magnum ſolatium, quos inductæ prius deliberationis accuratæ conſcientia ſuſtentat. Non modo fuga, ſed paruæ etiam culpæ negligentiarum capite expiantur: nec tam ipſæ leges, quàm duces timori habentur. Illud quoque prudenter faciunt, quod bonis, ac non ignauis militibus ad præmia honoreſq; vocandis, opinionem crudelitatis in puniendis ſontibus redimunt. Præfectis ac ducibus ſuis tam ſtudioſè, & alacriter parent, vt & pacis tempore magno illis ornamento ſint, & in bello, atq; in acie vnum eſſe corpus videantur: ita ordo cohæret ordini: ita facilè quoquo verſum ducuntur, & aures propēſiſſimè ad imperia, oculos ad ſigna, manus ad opera accōmodant.

Nec vnquam hoſtium contra eos aut multitudo, aut excogitati aſtus, aut fortuna valuit, cuius illi beneficio ſæpiſſime vincunt. Nec aliquando incommoditate locorum victi ſunt. Quorum igitur actiones omnes à conſilio manant, & qui decreta adeò intrepidè in opus deducunt, tamque obedientem habent, promptumque ad omnia militem, non eſt mirandum ſi tam latè eorum ſiue in orientem, ſiue in occidentem, ſiue in meridiem, ſiue in ſeptentrionem pateat imperium. Nec iniuriâ dixerimus, ampliore adhuc dignos eſſe imperio. Habes encomium Romanæ militiæ, ab homine non Romano: qui, quæ prima lex eſt hiſtoriæ, eam probè ſeruauit. M. Quam legem? H. Vt ne quid falſi audeat: neúe quid veri non audeat. M. Poſſis tú præſtare, Ioſephum eſſe per cuncta veracem? H. Id in præſens non agitur: mihi ſatis eſt, in hac laudatione nihil eſſe mentitum. Quod quò euidentius appareat, pergamus per partes, non generatim, vt hactenus, diſſerere de diſciplina, & prudentia militari huius populi. M. Iuuat de hoc argumento voces accipere, & reddere, id eſt, nec iniucundum, nec ineruditum inſtituere colloquium.

H. Quem non delectet ſingularis populi huius in bello ſuſcipiendo, indicendo, gerendo æquitas? Cum ex officio ſit, nullum ſuſcipere bellum aliam ob cauſſam, quàm vt ſine iniuria in pace viuatur, pax enim eſt belli finis, quis hoc Romanis diligentius præſtitit? qui etiam parta victoria inimicos ſuos, qui non crudeles in bello, nec immanes fuiſſent, conſeruarunt, & in ciuitatem quoque acceperunt, vt Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos. Neque ſolum iis, quos vi deuiciſſent conſuluerunt: ſed eos etiam libenter receperunt, qui ad eorum fidem vel tum confugerent, cum iam aries murum percuſſiſſet. M. Sentio è cuius cella promptuaria hic cibus. H. Quin eiusdem ſcriptoris verba tibi, vt poſita ſunt li. 1. Off. recitabo. *In quo tantoperè apud noſtros iuſtitia culta eſt, vt ij qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent more maiorum. Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali pop. Rom. iure perſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit, & indictum.* Pia igitur & iuſta bella Romani gerebant, & ea indicebant. Sed priuſquam indicerent legatos res repetitum mittebāt, qui, ſi poſtulata impetraſſent, fœdus ſanciebatur. Sin autem, re in ſenatu deliberata, bellum iis verbis, & eo ritu indicebatur, quem in hiſtorias ſuas Dionyſius, Liuius, Plutarchus inſeruerunt. Cæterum poſtquam longius prolatis imperii finibus, remotiſſimis nationibus bellum indicendum fuit, ne eo Feciales mitti neceſſe foret, habuerunt columnam ante portam Carmentalem, quam vocarunt bellicam, quia belli index eſſet, ab ea haſtam ſanguinolentam è templis Martis ſumptam verſus eam partem coniiciebant, in quam exercitus erat profecturus.

M. Bello denuntiato proximum erat, vt imperator crearetur, & delectus haberetur. Ad cognitionem porrò delectus perneceſſarium videtur, tria militiæ genera exponere, quibus Romani vterentur. H. Memini de eo agere Seruium ad 8. Æneid. Sed ea tu, quoniam videris velle, in me-

medium producas licet. M. Aut legitima erat militia, aut coniuratio, aut euocatio. Legitima etiam ſacramentum dicta, eorum erat, qui ſinguli iurabant, ſe pro Repub. facturos: nec diſcedebãt, niſi ſtipendiis completis. Coniuratio, ſi eſſet tumultus, id eſt, bellum Italicum, vel Gallicum: in quibus, quoniam vicinitas ipſa timorem multum afferebat, vocabantur illa bella tumultus: quæ vox hanc habet notionem, & ipſo Tullio, & Grammaticis auctoribus. Tunc quia ſingulos interrogare non vacabat, ductor futurus exercitus ibat in Capitolium, & exinde duo vexilla proferens, vnum roſeum, quo pedites euocabat: alterum cæruleum, quod erat equitum, dicebat. *Qui vult Remp. ſaluam eſſe, me ſequatur.* Qui conueniebant, ſimul iurabant, dicebaturq; illa militia coniuratio. Euocatio, cùm in diuerſa loca diuerſi ad cogendum mittebantur exercitum, qui Liuio Conquiſitores dicuntur. Sed cum Cæſar li. 3. de bello ciuili euocatos diſtinguat à militibus, & centurionibus, quærendum quæ vis & poteſtas ſubiecta ſit ſub hoc verbum: non enim nota eſt omnibus. Euocati erant, qui eſſent militia perfuncti, emeritiſque ſtipendiis: ſed tamen rurſum militatum euocabantur. Id etiam Dio teſtatur, & ait græcè ἀνακλήτους, id eſt, reuocatos dici poſſe. Erat horum ordo honeſtiſſimus in re militari, quod produnt etiam monumenta lapidea, in quibus incidendum curarunt, ſe euocatos Cæſ. aut Aug. fuiſſe. Quanti porrò fieret ſacramentum militare, & quemadmodum ſine eo pugnare in hoſtem nefas fuerit, bella hiſtoriola docuit nos Cic. 1. Off. H. De Popillio ſcilicet, & Catonis filio. M. Etiam, ſed audi, *Popillius Imp. tenebat prouinciam: in cuius exercitu, Catonis filius tyro militabat. Cùm autem Popillio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoq; filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Popillium ſcripſit, vt ſi eum pateretur in exercitu remanere ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento: quia priore amiſſo, iure cum hoſtibus pugnare nõ poterat. Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo. Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt ad M. filium, in qua ſcripſit ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe à Conſule, cùm in Macedonia Perſico bello miles eſſet. Monet igitur, vt caueat, ne prælium ineat. Negat enim ius eſſe, qui miles non ſit, pugnare cũ hoſte.* H. Narrat idẽ de epiſtola Catonis Plutarchus Romanis Quæſtionibus, & cauſſam quærens, cur ſoluti ſacramẽto militari, quamuis in caſtris verſentur, ius interficiendi, aut vulnerandi hoſtis nullum habeant, affert duplicem: quarum priorẽ tantùm, vt meliorem, proferam. Ac quod ſolam neceſſitatẽ oportet homini hominis necem permittere: qui nulla lege, nullóue mandato hominem occidit, is homicida eſt? ideoq; Chryſantam laudauit Cyrus, quod ſublato iam gladio hoſtem interfecturus, vt receptui cani audiuit, cæde ſibi interdictum putãs, hominem intactum dimiſit. M. Huic ego cauſſæ vehementer ſuffragor. Verùm ad delectum redeamus, in quo qui non reſponderent, vt proditores libertatis in ſeruitutem redigebantur. Dabantur autem lectis militibus dies triginta, quibus ſe ad expeditionem compararent. Poſt eos ſi citati Conſuli non reſponderẽt, aliqua harum excuſatione vtebantur, aut dabantur infrequentes, id eſt, de-

 ſer-

Digitized by Google

ſertores numerabantur. Nam infrequens appellabatur miles, qui abeſſet à ſignis, & is pro hoſte puniebatur. Funus familiare: feriæ vindemiales, Kalendæq; , quæ non eius rei cauſſa in eum diem collatæ ſunt, quò is eo die minus ibi eſſet: morbus ſonticus, auſpiciúmue, quod ſine piaculo præterire non liceat: ſacrificiúmue anniuerſarium quod rectè fieri non poſſet, niſi ipſus eo die ibi ſit: ius hoſtiſue, ſtatus condictúſue dies cũ hoſte. Ex Liuii diuerſis libris conſtat ſatis, neceſſitatem publicam feciſſe, vt & illi nomina cogerentur dare, qui vacationem militiæ habebant: item opifices, & ſellularii, ſenes etiã. Poſterioribus ſæculis delecti milites pũctis, ſeu ſtigmatis in manibus ſignabantur: qua de re Veget. lib. 2. c. 5. H. Hoc loco ſollicitat me quiddã, quod ante mihi declarabis, quàm quæ ordine ſequuntur. M. Dic ergo. H. Vir virum legit, ad delectum pertinet: id velim clarius intelligere, & ſi quid aliud myſterii his verbis inuoluitur. M. Antiqui cum decertare toto animo, & viribus omnibus inſtituerent, in acie ordinanda hoc faciebant nonnunquam, vt vir virum legeret: nempe, vt in quo quiſque plurimum ineſſe virtutis ſtatueret, eum ſibi in acie proximum haberet. Quod etiam in delectu exercitus factum ab Hetruſcis & Samnitibus, auctor Liuius lib. 9. & 10. Quo reſpexit Cic. cum pro Milone ſcripſit. Ille qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum neminem, niſi vt virum à viro lectum eſſe diceres. Iam habes quod volebas?

H. Etiam. Iam commiſſo ſibi bello Imperatores quid agebant, antequam ex vrbe exirent? M. Martis ſacrarium ingreſſi, primò ancilia, tum haſtam ipſius ſimulacri commouebant, dicentes, MARS VIGILA. Liberi, & vxores, & propinqui militatum abeuntium vota nuncupare: eademque ante vrbis portas ſuſpendere, & ſuis ſaluis domum redeuntibus perſoluere ſolebant. Quem ritum tetigit Propertius lib. 4. eleg. 3. Sic enim Arethuſa ad Lycotam maritum ſcribens. Omnibus heu portis pendent mea noxia vota. De Martio refert Plutarchus, eum vota nuncupaſſe lotis manibus. Qui mos Imperatorum communis fortaſſe fuerit. Certe Virgil. lib. 9. Æneid. eum in Ænea videtur notaſſe.

Proceſſit, ſummoq; hauſit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, onerauitq; æthera votis.

Pòſt paludamento, lictoribus inſignibusq; cæteris imperii aſſumptis, rectà ad portam vrbis procedebant: ibi amicos ſalutabant: & de eorum numero nonnullis aliquandiu comitantibus, beneq; ominãtibus pergebant. Principibus Romanis mos deinde fuit, diem expeditionis publico edicto indicare. Expeditio, vt ait Caſſiodorus, appellata eſt, quia mens deuota præliis, non debet aliis cogitationibus occupari. H. Percommodè, opinor, de legionibus deinceps diſputabimus. M. De auxiliis prius: cùm ſciamus exercitũ partim è legionibus, partim auxiliis cõſtari ſolitũ.

Auxilia igitur Varroni ab auctu, cùm acceſſerant qui adiumento eſſent alienigenæ, altera pars peditum videlicet: nam eos Vegetius in auxilia, & legiones diuidit: vt equites quidam ſunt alares, quidam legionarii, propterea appellati, quod connexi ſunt legioni, ob id illis peculiare hoc nomen.

men. Auxilia à ſociis, vel fœderatis gentibus mittebantur, quæ nec diſciplina armorum, nec notitia, nec affectione vel cum Romanis, vel inter ſe conſentirent, quòd è diuerſis locis venirent: nec (quia pariter anteà non fuiſſent, perinde vt illi) ad præcipientium ſeſe nutum conuerterent. Ideo neceſſe apparet fuiſſe frequentibus ea exercitiis præcolere ac præparare, ne victoriam diſcrepantia ſua morarentur. Etiam pecunia conducebantur, & tanquam leuis armatura legionibus in acie iungebantur. Veruntamen ante annum ab V. C. quingenteſimum quadrageſimum neminem mercenarium militem in caſtris Romani habuerunt. In fronte locatos auxiliares Gallos, Germanosq; prodidit 2. Annal. Tacitus. Craſſus apud Cæſarem, quod iis minus fideret, mediam in aciem accepit. Milites legionarii graues labores tolerabant lignis aggerendis, vallo ferendo, & reliquis operibus ad munienda caſtra pertinentibus, quæ auxiliares plerunque ſpernebant. Teſtis Ammianus li. 18 Sed auxiliarii milites ſemper ſpernentes munia huiuſmodi, ad obſequendi ſedulitatem Iuliani blanditiis deflexi, quinquagenarias, longioresque materias vexere ceruicibus ingrauatè. Magnus in illis (legionibus) labor eſt militandi, ait Vegetius, grauiora arma, plura munera, ſeuerior diſciplina. Quod vitantes pleriq; in auxiliis feſtinant militiæ ſacramenta percipere, vbi & minor ſudor, & maturiora ſunt præmia. H. De maturioribus iſtis præmiis, quamobrem maturiora dicantur, cognoſcere velim. M. Quoniam legionarii præmia, & agros non niſi ſtipendiis iuſtis confectis conſequebantur: illi vt mercede conducti ſtipendia ſua maturius emebant: atque ob id præmia lõgè citius accipiebant. Plinii ætate auxiliares donabantur torquibus aureis, ciues argenteis: quanquam armillas ſoli ciues, non etiam exteri acciperent, vt item ex auro coronas. Et quoniam ſtipendiorum memini, ſciendum ab initio Vrbis priuatis militatum ſumptibus vſque ad annum 347. capto Anxure, Volſcorum oppido, equitibus de publico datum anno 350. bello Veienti. Tum igitur diurnum ſtipendium fuit trium aſſium. Iulio rerum potiente ſex aut ſeptem, Auguſto decem: & eo tempore menſtruum vnus aureus Romanus, pòſt duo, deinde tres, demùm quatuor, quorum vnus valet noſtros duos. Signa quoque alia auxiliariorum, alia legionariorum fuerunt. Abeamus ad legiones. Legionem Varro nominatam dicit à legendo, quia leguntur milites in delectu: ſeu à deligendo, vt placet Plutarcho in Romulo, quod ex omnibus pugnaces in illa delecti forent. Vegetius ab eligendo, quod vocabulum eorum deſideret fidem atq; diligentiam qui milites probant. Non fuit autem conſtans ſemper ac certus militum in legione numerus, ſed modò maior, modò minor, vt Reip. tempora poſtulabant, & Senatui placebat. Romuli legio tria millia peditum, equites trecentos complexa eſt. Scribit item Liuius lib. 6. quatuor legiones quaternûm millium ſcriptas. Et li. 38 Propter quod facinus, inquit, tota legio, millia hominum quatuor in foro Romæ ſecuti percuſſi ſunt. Traditum eſt ab eodem lib. 17. conſcriptas legiones quaternûm millium, & ducentorum peditum, equitumque trecentorum. Aliis libris maiorem profert numerum.

fuiſſe vſitatum quaternarium in legionibus, elucet etiam ex illis M. Tullii, quæ ſunt paradoxo 6. Multi, inquit, ex te audierunt cum diceres, neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus: quod pop. Romano ex tantis vectigalibus iam pridem vix poteſt contingere. Hoc igitur propoſito, nunquam eris diues, antequam è tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, vt eo tueri quatuor legiones, & magna equitum ac peditum auxilia poſſis. Sex millium, & ducentorum primus. C. Marius conſcripſit, cum ante quatuor millium fuiſſet. Vnde etiam appellabatur quadrata, ait Feſtus. Vegetii ætate ſenis millibus, & interdum pluribus conſtabat. Nam è cap. 7 lib. 2. colligitur numerus ſex millium, centum: equitum præterea ſeptingentorum. Idem memorat phalangem, qua vſi ſint Macedones, Græci, Dardani, cenſam octo millibus. Barbaras nationes complures habuiſſe cateruas, in quibus eſſent ſena millia. Certum eſt, in legionibus ampliorem conſcribi ſolitum numerum, quàm in auxiliis. In legione nemini licitum militare, niſi ciuibus Romanis, ingenuis, & qui in quinque claſſibus cenſi, artiumque ludicrarum expertes eſſent. Quare niſi neceſſitas coegiſſet, ſerui, libertini, ſenes, hiſtriones, capite cenſi non legebantur. Qui in legione militarent, iis & cohors prætoria, & aditus ad militaria munera patebat, ſtipendium numerabatur, præda concedebatur, dona ab Imperatore veniebant. H. Quemadmodum militum numerum in legione haud ſemper eundem fuiſſe docuiſti: ſic ego obſeruaui, ipſarum legionum diuerſum fuiſſe. Nam principio quotannis quatuor conſcribebantur, quæ Coſſ. ad bella prope quotidiana proficiſcentibus traderentur, vtrique binæ videlicet, præter auxilia ſociorum. Tanta, inquit Vegetius, in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vt cuiuis bello duæ legiones crederentur ſufficere. Sed cum longius propagatis imperii finibus plures etiam exiſterent hoſtes, & pluribus eſſet opus exercitibus, opus ſimiliter viſum eſt pluribus legionibus. Fuerunt igitur aliquando X. aliquando XVI. Altero bello Punico duodeuiginti: è quibus tamen Coſſ. binas duntaxat ſibi ſumpſere ſinguli: cæteræ ſub Prætoribus, Proprætoribus, Proconſulibus, & Præſidibus per prouincias meruerunt. Anno 541. viginti tres fuiſſe legiones auctor Liuius lib. 34. Fuit, cum triginta legiones Romanis militarent, & ſub imperio Octauiani, Lepido ſubiugato, quatuor & quadraginta. Porrò & milites & legiones ſuis diſtinguebantur nominibus. Dicti enim pilati à pilis, cetrati, peltati, ſcutati, funditores à fundis, tragularii à tragulis, ſagittarii, cataphracti à cataphractis, &c. Verum hæc illis nomina ab armis, & telis. Tulerunt alia à legionibus, quæ ipſæmet ea adipiſcebantur ab ordine, quo vnaquæq; in aliquo loco primo eſſet conſtituta. Appellabatur quippe prima, ſecunda, tertia, decima, viceſima: ſic milites Primani, Secundani, Quintani, Decimani, Vigeſimani, &c. Præterea habitus, euentus, inſignior virtus nomina legionibus pariebat. Alauda, aliâs galerita à pluma in capite inſtar galeæ eminente. Ab ea auicula nominatam Cæſar legionem quandam inſtituit in Gallia. Euentus eſt, quod alia dicta eſt Fulminatrix, M. Aurelio rerum potiente.

Vir-

Digitized by Google

Virtutis, Rapax, Fidelis, Pia, Adiutrix. I. Flauia pacis. II. Flauia virtutis. III. Flauia ſalutis. A diis inſuper vocatæ ſunt, vt Martia in Philipp. apud Ciceronem. Legionis primæ Mineruiæ Spartianus in Hadriano meminit. Nominatur etiam à ſcriptoribus legio Apollinaris. Ab eorum quoque nominibus, à quibus eſſent inſtitutæ, Auguſta, Claudiana, Galbiana, Flauia, Traiana. Item à deuictis prouinciis, Parthica, Scythica, Gallica, Arabica, Macedonica. A locis, in quibus primò inſtitutæ manſerunt. Italica, Cretenſis, Cyrenaica. Sequitur vt de partibus legionis lecta celebremus inter nos. M. Quia ex pedeſtribus equeſtribuſque copiis conflatur legio, illæ in cohortes, centurias ſeu manipulos: hæ in turmas, & decurias diuidebantur. Cohors, inquit Varro, quòd vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, & quiddam fit vnum: ſic hæc ex manipulis copulatur cohors. Centuriæ quæ ſub vno Centurione ſunt, quorum centenarius iuſtus numerus. Manipulus Vegetio centum milites continet. Ante eius æuum videtur fuiſſe amplior, & ducentos continuiſſe. Dictus, quod manipulum fœni perticæ præfixum pro ſigno ſequebatur: minimas exercitus manus vocat Varro. Idem manipulum eundem facit cum contubernio, in extremo cap. 13. lib. 2. De vocabulo turma Varronis hæc ſunt. Turma terma eſt, e, in u, abiit, quod ter deni equites ex tribus tribubus, Tatienſium, Ramnium, & Lucerum fiebant. Itaque primi ſingularum decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in ſingulis turmis ſunt etiam nunc terni. Feſtus hoc modo. Turmam equitum dictam eſſe ait Curiatius, quaſi terimam: Tum Varronis verba ſubiungit. Habet vna turma Vegetio equites 32. Huic qui præeſt Decurio nominatur: cuius officium deſcribitur ab eodem cap. 14. lib. 2. Cohortes in vna legione decem: quarum prima reliquas cùm militum numero, tum etiam dignitate vincebat, penes quam erat aquila, præcipuum ſignum totius exercitus. Docti exiſtimant, priſcis temporibus nullas fuiſſe cohortes, ſed à Mario primum inductas. Eas pro magnitudine legionis plurium pauciorumúe militum fuiſſe oportuit.

H. Aquilam præcipuum fuiſſe in exercitu ſignum affirmabas: & ita omninò eſt, vt affirmaſti: quod dum Aquilifer in hoſtes ferret, aut Imp. id in confertos hoſtes, aut caſtra hoſtium proiiceret, non raro accenſis maiorem in modum ad pugnam animis victoria relata eſt. M. Dedecoris maximi timor ſtimulabat animos. Quid enim turpius, quàm ſigna vel amittere, vel deſerere? Verùm in quaque legione cum vna ſolum eſſet aquilla, ſigna erant tot, quot cohortes. Aquila aurea collocata in ſacello perexiguo, & longiſſimæ haſtæ affixa, cuius haſtæ pars inferior acuta, vt poſſet in terram defigi. Cùm autem dicat Cicero in 1. Catil. in Catilinæ ædibus ſacrarium aquilæ argenteæ fuiſſe conſtitutum, ſpectaſſe eum cenſet vir quidam doctus, quod ſigna militaria conſecrarentur, & haberent in caſtris ſacrarium quoddam ſuum, ſignaque ipſa, & imagines adorari ſolitas. Præterea feſtis diebus vngi conſueſſe religionis cauſſa. Teſtes producit Herodian. lib. 4. Plin lib. 13. cap. 3. Inter ſigna militaria porci effigies fuit: quia confecto bello, inter quos

pax fieret, cæſa porca, fœdus firmari ſolebat. Lupi item, minotauri, equi, apri, dracones inter ſigna erant militaria. Et omnino, vt clarius hæc pars diſputationis tractetur; ſignorum, de quibus loquimur, alia vocalia, alia ſemiuocalia, alia muta fuerunt. Vocalia, quæ vox humana pronuntiat, vt in vigiliis, & in teſſera. Semiuocalia, quæ per cornua, tubam, aut buccinam edebãtur. Tuba directa, buccina quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur. Ouid. Non tuba directi, non æris cornua flexi. Cornu, quod ex vris agreſtibus, argento nexum, temperatum, arte & ſpiritu canentis flatum remittit: hinc tubicines, buccinatores, cornicines. Buccinatores Suetonius & alii Æneatores, à materia nimirum inſtrumenti quo canunt: illis tubam & claſſicum tribuit in Iulio c. 32. His ſignis citra dubitationẽ agnoſcit exercitus, ſtare, an progredi, an regredi, an longè perſequi fugientes, an receptui canere oporteat. Muta erant, de quibus paulo ante. Factum poſteà, vt ſola aquila in acie portaretur, reliqua ſigna in caſtris relinquerentur: donec Marius penitus præter aquilam omnia ſuſtulit. Vexilla item in ſingulis centuriis erant conſtituta. Nam antiqui quia ſciebant, in acie, commiſſo bello, celeriter ordines acieſque turbari, atque confundi: ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diuiſerunt, ſingulisque ſingula vexilla conſtituerunt, ita, vt ex qua cohorte, vel quota eſſet centuria, in illo vexillo literis eſſet adſcriptum: quod intuentes, vel legentes milites, in quouis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poterant. Muta etiam ſunt, proficiſcente exercitu puluis ad nubium ſimilitudinem ſurgens, flamma, fumus, quibus per noctem aut diem ſociis ſignificatur, quod aliter indicari nequit. Item quæ in veſtibus, & armis ad cognoſcendum, aut fallendum hoſtem obſeruantur. Quo pertinet triplex tentorium Tamburlani.

Addendum aliquid de ordinibus militum. Haſtati, inquit Varro, dicti, qui primi haſtis pugnabant. Pilani, qui pilis: principes, qui à principio gladiis, & pòſt, commutata re militari, minus illuſtres ſumuntur. Pilani triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponebantur. Haſtati & principes vocati etiam antepilani, quod eſſent ante triarios, qui pilani dicebantur. Quòd hi ſubſidebant, ab eo ſubſidium dictum, de quo Plautus. Agite nunc, ſubſidite omnes, quaſi ſolent triarii. Vltimus locus in acie dabatur triariis; qui, niſi deſperatis iam rebus, non pugnabant. Ex quo prouerbium, res ad triarios rediit, cum deſperauimus. Principes dicit Vegetius, qui ante ſigna, & circa ſigna nec non etiam in prima acie dimicant. Haſtatos autem contra veterum ſcriptorum auctoritatem in ſecunda acie collocat. Habes quatuor militum genera breuiter declarata. H. Habeo Pilanos, Principes, Haſtatos, Triarios: expecto reliqua. M. Velites ſic deſcribit Iſidorus. Genus militiæ, à volitando vocati. Lecti enim agilitate iuuenes, cum armis ſuis poſt terga equitum conſidebant, & mox cùm ad hoſtes ventum eſſet, equis deſiliebant, & continuò pedites ipſi ex alia parte; equitibus, per quos aducti fuerant, dimicantibus; hoſtem perturbabant. Idem alibi. Velitum pugna

erat,

erat, vt vltrò citroque tela obiectarent. Erat autem eorum varia pugna, & ſpectantibus gratior quàm reliquæ. Hæc illuſtrabuntur magis è Valerio, qui, quo tempore, & qua occaſione Velitum vſus repertus ſit, oſtendit in hunc modum. Velitum vſus eo bello primùm repertus eſt, quo Capuam Fabius Flaccus Imper. obſedit. Nam cum equitatui Campanorum crebris excurſionibus equites noſtri, quia numero pauciores erant, reſiſtere non poſſent, Q. Næuius Centurio è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis ſeptenis & armatos haſtis, paruo tegmine munitos, veloci ſaltu iungere ſe equitibus, & rurſus celeri motu delabi inſtituit: quo facilius equeſtri prælio ſubiecti pedites, viros pariter atque equos hoſtium telis inceſſerent. Quare ſi Vegetius eos vt equites deſcribit, nemo Valerio lecto miretur. Parmas gerebant tripedales, gladiis Hiſpanienſibus cincti, iacula illa erant quaternos pedes longa. Adſcriptitios, Accenſos, Ferentarios, Rorarios, putant quidam nominibus magis, quàm re diuerſos fuiſſe. Dictos adſcriptitios, quod inermes adſcriberentur, qui armatis demortuis ſuccederent. Accenſos cùm decurionibus, & Centurionibus attribuerentur: ſeu quòd ad cenſum legionum adderentur. Ferentarios, quod fundis & lapidibus pugnarent, quæ tela ferrentur & ſola ab eis ferrentur. Rorarios, quòd ante iuſtum prælium velut rorantes dimicarent. Dupliciarii, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria, qui binas conſequebantur annonas. Dicuntur & duplarii, & duplares. Volones, qui poſt Cannenſem cladem vſq; ad octo millia, cum eſſent ſerui, ad militiã ſe ſponte obtulerunt. De primanis, ſecundanis, tertianis, &c. ante dictũ eſt. Erant & ſigniferi, & horũ aliqui Aquiliferi, alii Draconarii. Teſſerarii teſſeram per contubernia militũ denuntiabãt. Sed Rep. adhuc ſtante taleola, ſeu tabella lata inſcripta vſi ſunt loco teſſeræ, quã Polybius πλατεῖον, & ξυλήφιον vocat. Metatores, qui præcedentes locum caſtris eligunt: quos alii antreceſſores. Mẽſores poſtea vocatos dicit Vegetius, qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figunt. Serui militum erant Calones; dicti, quòd ligneas clauas geſtarent, quæ græcè κᾶλα, ſiue quòd ligna militibus ſubminiſtrarent. A Plauto in Trinumno caculæ, quod in Græco gloſſario redditur δοῦλο-στρατιώτου. Lixæ ſunt, qui exercitum ſequuntur lauandi, & coquendi gratia. Nonius. Elixum, quidquid ex aqua mollitur, vel decoquitur: nam lixam aquã veteres eſſe dixerunt. Vnde lixæ dicti, qui militibus aquam ad caſtra, vel ad tentoria ſolent ferre. H. Grammatica quidem hæc, ſed tamẽ cognitionem habent liberalem, & liberalibus haud indignã ingeniis. Et ſcimus magnos etiam ſcriptores in ſeriis diſputationibus, & grauiſſimis ſcholis adhæc, quæ nonnullis videri poſſunt puerilia, ſe demittere. Verũtamen nihil contemnendum putauerim, quod ad rem percipiendam, aut opportunum eſt, aut neceſſarium. M. Claret hoc, & nihil tam verum dici poteſt. Conſideremus iam magiſtratus militares. H. Age, conſideremus.

M. Exercitus ductabant primùm Reges, deinde Coſſ. Dictatores, Tribuni militum conſulari poteſtate, Decemuiri legibus ſcribendis, Prætores, Proconſules, Proprætores. Atque hi ſuis auſpiciis gerere

bellum

bellum dicebantur. Tribuni militares, Magiſtri equitum, Legati, non ſuis, ſed alienis. Inſtitutum quippe ab initio fuit, vt neque domi, neque militiæ quidquam niſi auſpicatò fieret. Quamobrem nec nomen imperatoris, nec ſupplicatio, aut triumphus decernebatur ſiue Legato, ſiue alii exercitus Præfecto, tametſi eorum opera virtuteque Imperat. abſens, aut ægrotus victoriam eſſet conſecutus: quòd non eorum, ſed Imperatoris auſpiciis bellum eſſet geſtum. Ducis porrò, ſiue Imperat. comites, & tanquam ſocii fuerunt Legati, Tribuni militum, Centuriones, Decuriones. Penes legatum, abſente Imper. ſumma erat poteſtas, tenebat enim eius locum. Tribuni vocati, quòd ab initio terni eſſent, tum, cùm legio ex tribus millibus conficiebatur, nempe ex ternis, quæ tum erant, tribubus, Ramnenſium, Lucerum, Tatienſium. Præerant tantum peditibus, quorum numerus auctus, etiam Tribunorum auxit numerum, vt pro tribus quatuor, ac deinde ſex haberentur. Oportebat hos eſſe armorum ſcientia, virtute corporis, & honeſtate morum egregios, & cùm milites exercere quotidie, tum etiam præire exemplo. Centurionem Vegetius hoc modo deſcribit. *Qui ſit magnis viribus, & procera ſtatura: qui haſtas vel miſſilia peritè iaculetur, & fortiter: qui dimicare gladio, & ſcutum rotare doctiſſimè nouerit: qui omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, ſobrius, agilis, magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus: contubernales ſuos ad diſciplinam retineat: ad armorum exercitium cogat, vt bene veſtiti, & calceati ſint, vt arma omnium defricentur, & ſplendeant.* H. Quid eſt quod Vegetius tam ſollicitus eſt de ſplendore ac nitore armorum? nam & aliâs hac de re loquitur. Num arma minus ſunt, ſi non niteant? M. Cauſa non leuis huius præcepti. Quoniam, vt ipſe ait, plurimum terroris hoſtibus armorum ſplendor importat. Quis credat militem bellicoſum, cuius diſſimulatione, ſitu, ac rubigine arma fœdantur? Inſigne accipiebat Centurio vitem, qua milites, ob leuiora videlicet delicta, cædebat, ſi in opere faciendo negligentes fuiſſent, &c. quæ etiam opera illis diſtribuebat. Signum certum in galea habebat. Vegetius in vna legione Centuriones ait fuiſſe quinq;, & quinquaginta. Quidam alii ſcriptores ſexaginta poſuerunt. Creati Centuriones, ſinguli adiutorem aſciſcebant, accenſos ſeu optiones appellatos. Feſtus, Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur Accenſus, is adiutor dabatur Centurioni, à Tribuno militum, vt quem vellet eligeret, vnde nomen ſortitus eſt. Fuerunt tamen etiam Tribunis & Decurionib. Optiones. Item Optiones, qui ſupplendis legionibus ſcribebantur. Apud complures probatoſque ſcriptores Optio eſt, qui alteri vicariam præſtat operam, non in caſtris ſolùm. Decurio reſpondet Centurioni, quemadmodum Præfectus equitum Tribuno. Præfecti ducunt alas equitum, Decuriones turmas: turma complectitur Vegetio equites duos & triginta, à quo & officium Decurionum in hæc verba deſcriptum eſt. *Eligendus eſt Decurio qui turmæ æquitum præponatur, imprimis habili corpore vt loricatus, & armis circundatus omnibus, cum ſumma admiratione equitum poſſit aſcendere, equitare fortiſſimè, conto ſcienter vti, ſagittas doctiſſimè*

Digitized by Google

iſſimè mittere, turmales ſuos, id eſt, ſub cura ſua equites poſitos erudire ad omnia, quæ equeſtris pugna depoſcit: eoſdem cogere loricas vel cataphractas, contos & caſſides frequenter tergere & curare. Ab eodem petenda Præfecti legionum, caſtrorum, fabrorum deſcriptio. Liceret etiam differere de miniſtris Imperatorum, ac Tribunorum militarium, Cornicularijs, Commentarienſibus, præconibus, verùm iſta curioſioribus mittamus.

Quod die pugna erat committenda, ſignum in caſtris proponebatur tunica coccinea, ſupra Prætorium expanſa. Pòſt, vbi exeundum, ſigna militaria in caſtris fixa, captatis augurijs, euellebantur; ſi auellentem facilè ſequerentur, bonum augurium. Tum, educto milite, acies inſtruebatur. Inſtructio iſta cum ſuis generibus è Liuio, Cæſare, Æliano, diſcatur. Vocabula tamen modò inſtructæ aciei ſunt frons, ſubſidia, cuneus, orbis, globus, forfices, ſerra, alæ, turres. Quæ tralata ſunt ab ipſis rebus, quæ ita propriè nominantur, earumque rerum in acie inſtruenda, ſui cuiuſque vocabuli imagines oſtenduntur.

Si periculum videbatur imminere, & Aruſpices nuntiarent, deos non placatos eſſe, tùm vnus aliquis ex Romanis ſeſe pro exercitu ſuo, & ſimul exercitum hoſtium deuouebat. Alacres, fiduciæ pleni, ardenti cum clamore pugnam inibant.

Vrbem oppugnantes, deos eius tutelares prius euocabant, ne viderentur eos quoque velle habere captiuos. Regna ſubacta in prouinciæ formam redigebantur, & à pop. Roman. miſſis in eas Præſidibus, gubernabantur.

Si ipſi hoſtes, traditis armis, deditionem feciſſent, ſub iugum mittebantur. Fiebat iugum hoc modo. Fixis duabus haſtis, ſuper eas ligabatur tertia, ſub iis victos, diſcinctos tranſire cogebant. Quam ignominiam tulerunt Romani à Samnitibus ad furcas Caudinas. Qui caperentur, plerunque ſub corona venibant. Corona enim, qua induebantur, ſignū erat captiuorum venalium. Animaduerſiones militum duplices, leniores, grauiores. Illæ ignominiam tantum afferebant, vt ignominioſè dimitti, ſtipendio legitimo ſpoliari, haſtam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hybernare, cibum ſtantem capere, foſſam fodere, diſcinctam deſtitui, hordeum pro frumento accipere, ſanguinem mitti. Hæc detrimentum inferebant, virgis cædi, venire, fuſte, ſecuri percuti, decimari, in crucem tolli. Dicebantur decimari legiones, cùm ſorte decimus quiſque ad ſupplicium rapiebatur. Liuius lib. 2. Cætera multitudo, ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti. Græcis δεκατεύειν. Polyb. ἐκ δεκάδος ἄγεσθαι ἐπὶ θανάτῳ. Hinc decimatio. Significat hunc morem decimandarum legionum Cicero pro Cluentio his verbis. *Statuerunt enim ita maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur: vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Quibus porrò militibus ignominię cauſa ſtipendium non dabatur, dicebantur ære diruti, quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum. Ita Feſtus. Sicut præterea auctorati milites dicebantur ſacramento aſtricti, & quaſi obærati, hoc eſt, ære ſtipendiario obſtricti, ac

Digitized by Google

cti,ac iam non ſui arbitrii, vnde auctorare & auctoramentum in re militari: ſic exauctorare, erat inſignia militaria detrahere, atque infamem efficere, auctoratum & adſtrictum dimittere, & ſuo arbitrio reddere. Græcis ἀφειμένοι, καπεζωσμένοι, id eſt, dimiſſi & diſcincti. Quod tamen etiam citra ignominiam fieri poteſt. Fuſtuarii animaduerſio ita fiebat. Tribunus militem fuſte cædebat, mox reliqui milites fuſtibus, & lapidibus noxium petebant.

Verùm vt contumacibus, & in officio ſegnibus pœnæ, ſic ſtrenuis ac diligentibus præmia erant propoſita, munera militaria, cohortis prætoriæ communio, pecunia, præda, armillæ, haſtæ puræ, phaleræ, corniculi, torques, coronæ militares, quarum iſta fuerunt genera, Obſidionalis, Ciuica, Muralis, Caſtrenſis, Naualis, de quibus Gellius lib. 5. cap. 6. Nam qui ciuem in acie, aut alio in periculo ſeruaſſet, cùm ſummam laudem aſſequebatur, tum querna corona donabatur, quæ plus honoris, quàm aureæ, & argenteæ conciliabat. Ea dicebatur ciuica, de qua admetiar tibi locum Plinii è lib. 16. cap. 4. Hinc ciuicæ coronæ militum virtutis inſigne clariſſimum: iam pridem verò & clementiæ imperatorum, poſtquam ciuilium bellorum profano meritum cœpit videri, ciuem non occidere. Cedunt his murales, vallareſque, & aureæ, quamquam pretio antecedentes. Cedunt & roſtratæ, &c. Obſidionalis; quam, qui liberati ſunt obſidione, dant liberatori. Fiebat è gramine, quod eo loco creuiſſet, intra quem clauſi erant, qui obſidebantur. Muralem capiebat, qui primus murum ſubiens, in oppidum hoſtium aſcendiſſet. Caſtrenſem, qui primus hoſtium caſtra pugnans introiſſet. Naualem, qui primus in hoſtium nauem armatus vi tranſiluiſſet. Conſcenſo item ſuggeſtu, aut tribunali Imperatores collaudabant milites, iiſque gratias agebant. Imperatorum præmia ſupplicatio, ouatio, triumphus. De quibus ſeorſim alio loco & tempore, ſi videbitur. H. Sed vt videatur, rogo.

ANNOTATIONES.

MARTEM GENERASSE ROMVLVM) *Quid hac fabula vulgatius? Qua occaſione autẽ, & vbi illa Regina ſacerdos Ilia, ſeu Rhea, ſeu demum Syluia (nam omnibus his nominibus vocatam iuuenies) virginitatis ſuæ florem amiſerit, Ouid. 3. Faſt. Liuius lib. 1. vi compreſſa Veſtalis, cum geminum partum edidiſſet, ſeu ita rata, ſeu quia Deus auctor culpæ honeſtior, Martem incertæ ſtirpis patrem nuncupat. Apud Ennium, teſtante Lactantio lib. 1. cap. 15. popul. Rom. amiſſum regem ſuum dolens hæc loquitur.*

ô Romule Romule dic, ô
Qualem te patria cuſtodem dii genuerunt?
Tu produxiſti nos intra luminis oras.
O pater ô genitor ô ſanguen diis oriundum.

QVI VEL CONTRA IMPERIVM) *T. Manlius Torquatus filium victorem,*

victorem quòd aduerſus imperium ſuum cum hoſte manum conſeruerat, ſecuri percuſſit. Liuius lib. 8. Valer. lib. 2. cap. 7. vbi non diſſimile etiam exemplũ de A Poſtumio Tuderto, qui æque filium cum victoria redeuntẽ ſecuri feriendum tradidit, quia ſponte ſua, iniuſſu patris, præſidio progreſſus hoſtem fudiſſet. Vide parœmiam. Manliana imperia. A MAGNIS ILLVSTRIBVS) *Æneas quidem Lauſum adoleſcentem interficiens lib. 10. Æneid.*

Hoc tamen infælix miſeram ſolabêre mortem,
Æneæ magni dextra cadis.

Idem optat . Æneid. à fortiſſimo gentis Danaûm, Diomede videlicet ſe interfectum eſſe: & gloriæ ducit Hectori, qui Æacidæ hoc eſt, Achillis telo occubuerit. EORVM EXERCITATIONES HAVD FALSO) *Verba Ioſephi ſic habent græcè.* καὶ οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν, τὰς μὲν μελέτας αὐτῶν χωρὶς αἵματος παρατάξεις. Τὰς παρατάξεις δὲ, μεθ' αἵματος μελέτας. IIS VERBIS INDICEBATVR) *Formula indictionis extat apud Liuium lib. 1. Gell. l. 6. c. 4. Videndi præterea Nonius, & Feſtus in Feciales.* QVI SINGVLI IVRABANT) *Iuſiurandum militare ſi cui libet legat apud Gell. lib. 16. cap. 4.* EVOCATOS DISTINGVAT A MILITIBVS) *Sic Cæſar. Cùm horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numerum ex Pompeianis concidiſſe reperiebamus, euocatoſque, & centuriones complures. Et lib. 1. Militibus in concione agros ex ſuis poſſeſſionibus pollicetur, quadraginta in ſingulos iugera & pro rata parte centurionibus euocatiſque.* TANQVAM LEVIS ARMATVRA) *Legionibus ſemper auxilia, tanquam leuis armatura in acie iungebantur, inquit Veget. lib. 2. cap. 2. vt in his præliandi magis adminiculum eſſet, quàm principale ſubſidium. Legio autem propriis cohortibus plena, cùm grauẽ armaturam, hoc eſt, principes, haſtarios, triarios, anteſignanos: item leuem armaturam, hoc eſt ferentarios ſagittarios, funditores, baliſtarios: cùm proprios & ſibi inſitos equites legionarios, iiſdem matriculis teneat, &c. Ex quibus verbis, quod multi ignorant, quid leuis, quid grauis armatura ſit, ſatis perſpicue cognoſcitur.* VIR VIRVM LEGIT) *De hoc toto cap. 7. lib. 25. Turneb.* LVPI MINOTAVRI) *Effigiem Minotauri ideo fuiſſe inter ſigna militaria Romanis ait Feſtus, quòd non minus occulta eſſe debent conſilia Ducum, & Principum, quàm fuerit olim domicilium Minotauri Labyrinthus. Nam vt plurimum ad victoriam valet taciturnitas, ſic frequenter magno fuit in bellis detrimento linguæ intemperantia. Vnde Metellus Macedonicus prudenter. Si ipſam veſtem nouiſſem eſſe conſiliorum meorum conſciam, eam confeſtim abiicerem. De ſignis porro militarib. Veget lib 2. cap. 5.* PVLVIS AD NVBIVM SIMILITVDINEM) *Virg. 9. Æneid.*

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Teucri ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus,
Quis globus ô ciues caligine voluitur atra?

Liuius lib. 30. Denſior deinde inceſſu tot hominum, equorumque oriens puluis, ſignum propinquantium hoſtium fuit. QVO PERTINET TRIPLEX TENTORIVM) *Videbis Crinitum lib. 1. cap. 1. Lege etiam Frontini cap. 13. lib. 3. de ſtrategematis in emittendo, & remittendo nuntio.*

TESSE-

TESSERARII TESSERAM) *Pro teſſera ſæpe fuerunt nomina, & verba ſingula: vt Septimii Seueri, Laboremus. Pertinacis, Militemus. Aliquando plura verba coniuncta: vt in caſtris Cæſarianis, Venus genetrix. In Pompeianis, Hercules inuictus. In Antonianis, Lar Deus. Porrò huius vocabuli, teſſera, varias notiones perſpicuè traditas ſcito apud Q. Corradum de copia ſerm. lat. lib.* 3. DISCINCTVM DESTITVI) *Stare totum diem diſcinctum, non leuis fuit vna de pœnis militaribus. Nam cum præcincti, Græcis εὔζωνοι, dicerentur ſtrenui, contrà ignaui & militiæ parum habiles, diſcincti. Et eſt alioqui diſcinctus, luxurioſus, negligens, diſſolutus, intemperans. Interdum diſcinctus, qui remiſſiore, & liberiore quodam victu ac ludo, vitæ quotidianæ ſeueritatem leuat, ac temperat, citra flagitium ac turpitudinem. Horat. ſat.*1.*lib.*1.

> *Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec*
> *Decoqueretur olus.*

HORDEVM PRO FRVMENTO) *Liuius lib.*37. *Cohortibus, quæ ſignum amiſerant, hordeum dari iuſſit.* SANGVINEM MITTI) *De hac animaduerſione militari Gellius lib.* 7. *cap.*8. *inflictam primo militibus animi ſtupentis, atque à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna videretur, quàm medicina. Poſteà tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum per conſuetudinem, quaſi minus ſani viderentur omnes, qui delinquerent.*

PROGYMNASMA
QVINTVM ET VICESIMVM.

Artes Imperatoriæ, ſeu officium Imperatoris.

PVblii Cornelii Scipiones Africani duo numerantur, maior & minor: ambobus id cognomenti ex virtute fuit: priori nempe à deuicta, poſteriori etiã ab exciſa Carthagine, vrbe totius Africæ regina, & imperii Romani æmula. Huic eidẽ aliud poſtea cognomen, Numantino videlicet, à ſubacta in Hiſpaniis Numantia contigit. Dictus eſt præterea Æmilianus, quoniam L. Pauli Æmilii Macedonici natura filius, adoptionis iure in familiã gentẽq; Scipionũ tranſiit. Adoptatus eſt autem à Scipione, ſuperioris Africani filio, de quo ſcriptũ eſt in Bruto his verbis. Ipſum Scipionem accepimus non infantẽ fuiſſe. Filius quidẽ eius, is qui hunc minorẽ Scipionẽ à Paulo adoptauit, ſi corpore valuiſſet, inprimis habitus eſſet diſertus. Indicant cùm oratiunculæ, tũ hiſtoria quadã græcè ſcripta dulciſſimè. Et à Velleio lib.1. Lucio autẽ Paulo magnæ victoriæ cõpoti, quatuor filii fuere: ex iis duos natu maiores, vnũ P. Scipioni, P. Africani filio nihil ex paterna maieſtate præter ſpeciem nominis, vigoremq; eloquentiæ retinenti in adoptionẽ dederat: alterũ Fabio Maximo. Idẽ hiſtoricus, quo loco eum cũ L. Mummio, qui à Corintho euerſa Achaici cognomẽto honoratus eſt, cõparat,

Digitized by Google

rat, ſic pereleganter prædicat. Tam elegans liberalium ſtudiorum omniſq́; doctrinæ & auctor, & admirator fuit, vt Polybium, Panætiúmq; præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit. Neq; enim quiſquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio diſpunxit, ſemperq; aut belli, aut pacis ſeruiit artibus, ſemper inter arma & ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit. Cùm conſtet igitur hunc perinde, vt eius auum, magnũ quendam, & eximium Imperatorẽ fuiſſe: manifeſtum quoq; ſit ex epiſt. 1. M. Tullij ad Q. Fratrem lib. 1. eundem libros Xenophontis de vita & diſciplina Cyri, in quibus ille philoſophus nullum diligentis, & moderati imperij officium prætermiſit, (quandoquidem non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem boni Principis tota ſcriptio confertur) tam frequenter cupideq́; legiſſe, vt de manibus ponere non ſoleret: quos (vt hoc etiam addatur, quia propoſito alienum non eſt) ſimiliter Cicero gloriatur, ſe legendo contriuiſſe, & in imperio ſuo, cùm Ciliciam Proconſul adminiſtraret, totos explicaſſe, nobis videtur inde potiſſimum tantus extitiſſe, atq; adeò vnus eſſe appoſitiſſimus, qui de munere Imperatoris, quod à Xenophonte, ſub perſona Cambyſis, filium Cyrum cum auxiliaribus copiis in Medos proficiſcentem deducentis, lib. 1. nõ minimam partem, & diuinitus expreſſum eſt, in dialogo verba faciat. Ergo in hunc belli ducem præclariſſimum non imprudenter, vt puto, ſermonem iſtum militarem contulimus: nec ei non rectè tanquam auditorem, & diſcipulum Iugurtham attribuimus: quem cum è Salluſtio contractius deſcripſerimus, efficiemus, vt tota conſilij noſtri ratio planius, & maiore cum aſſenſione percipiatur. Maſiniſſa Rex Numidiæ, popul. Rom. iam inde à ſecundo bello Punico amiciſſimus, tres filios genuit, Micipſam, Manaſtabalem, & Guluſſam. Abſumptis morbo fratribus, Micipſa regnum paternum ſolus obtinuit, Iugurthamq; à Manaſtabale è concubina procreatum, iuxta cũ liberis ſuis Adherbale, & Hiempſale educauit. Is vbi adoleuit, virium, formæ, ingenii, militariũ exercitationum, & modeſtiæ gloria anteire omnibus, diligi prædicariq; ab omnibus. Quas ob res Micipſa multa cũ animo ſuo voluens, ſuſpectum eũ habere cœpit. Quem cùm propter accenſa in illum Numidarũ ſtudia dolo interficere non auderet, ne qua ſeditio aut bellũ oriretur: nec magis per vim, quòd Iugurtha ipſe, & popularibus acceptus, & manu promptus, bellicæq; laudis percupidus erat, periculis hominẽ obiectare decreuit, & cùm bello Numantino auxilia Romanis mitteret, iis eundem præfecit. Iugurtha labore, cura, parendo, periculis ſæpe obuiã eundo non mediocrẽ ſibi claritatem tam apud Numantinos, quàm Romanos breui comparauit. Ac proinde, Numantia deleta, magnificè eum Scipio pro concione laudatum donatumq; cum literis perhonorificè ſcriptis ad Micipſam remiſit. Placet igitur nobis hoc commentũ, vt Scipio hunc fortiſſimum militem, & ad Imperatorias partes imprimis idoneum, ſub ipſum tempus diſceſſus in prætorium adducat, ibi remotis arbitris, huiuſcemodi cum eo colloquium miſceat, à tali quodam principio exorſus.

SCIPIO, IVGVRTHA.

SCIPIO. Te mactum ingenio, mi Iugurtha, id eſt, impigro, acri, ſolerti atque munifico, manu ſtrenuum, conſilio egregium (quorum il-

lud ex prouidentia timidos, hoc ex audacia temerarios plerunque facit) in intimis meis ſemper habui: & quo magis virtutem tuam, qua me, qua populum Romanum, qua maiores tuos honorauiſti, tot præclaris facinoribus cognoui, magis amplexus ſum. Scis quemadmodum vni tibi ſenſus arcanos meos credere, omnes ferè res arduas atque aſperas per te agere, ad exemplum tuum alios formare, tuæ gloriæ plurimùm, & ex animo fauere conſueuerim: quam quidem tantam breui es adeptus, vt ea, quod perpaucis mortalibus conceſſum audiuimus, inuidiam ſuperâris. Aduocata concione militum, diebus nuperrimis te laudaui, & in conſpectu omnium donis donaui. Quod potui, quod in me fuit, id tibi lætus ego ac lubens perſolui. Sed profectò nullum eſt genus ampliſſimæ laudis, nulla dona vel maxima, quæ aliquam partem tuorum erga nos meritorum aſſequantur. I. Qualia ſint, Scipio, quæ à me præſtita dicas, quæque nonnullam mihi claritudinem ad Numantiam pepererint, nunquam adhuc mecum reputaui: quippe qui res meas iam inde ab adoleſcentulo in minimis ducere ſoleam. Illud mihi ſempiterno gaudio, & ſolido honori futurum auguror, cum P. Scipione, hactenus Africano, nunc etiam, diuis beneuolentibus, Numantino, cum tali inquam Imperatore, cuius memoriam nulla vnquam vetuſtas obruet, in iiſdem caſtris fuiſſe: multa ab eo militariter, & ſapienter prolata accepiſſe: multa ab eodem nauiter, prudenter, animosè, feliciter, & è dignitate Reipub. fieri vidiſſe: quorum recordationem ne extrema quidem ſenectus mihi eripiet. Quàm eximium, & ad commendationem illuſtre, quòd anteceſſorum ducum negligentia labefactatam, & collapſam, imò prorſus neglectam militiæ diſciplinam in integrum reuocaſti? quæ quidem res inſolentibus Numantinorum ſpiritibus tanquam nutrix quædam *fuit*. Quæcunque voluptatis cauſſa comparata in caſtris inueniſti, edicto auferri ac ſubmoueri penitus iuſſiſti. Abierunt inſtitores, diuinatores, lixæ, calones multi, & ſcortorum duo millia. Ita, caſtra à caſtranda libidine dicta eſſe, ſalutari exemplo docuiſti. Delicatioris vſus, expeditionique minimè neceſſaria vaſa confracta: & alia non requiſita, ne in caſtra inferrentur ſeuerè cauiſti. Sacrificia, quibus per exta inquiſitum de futuris ſuſtuliſti: iumenta clitellaria, paucis neceſſariis exceptis, tuo iuſſu vendita: militibus ablati coqui, ablata inſtrumẽta culinaria, præter veru, ahenum, & vas potorium. Culcita fœnea tu ipſe vſus es, quò liberius aliis prohiberes. Miles quotidianis attritus exercitationibus, coactusque frigora & imbres perferre, vada fluminum pedibus tranſire, gradu militari incedere, ferre vallum, & dierum complurium cibaria, inquinari demum luto, qui ſanguine nollet. Annis pæne viginti hoc bellum durauerat: vrbs quanquam in colle poſita, ſine muris, ſine turribus, & exigua magnitudine animos Carthaginis gerebat. Quatuor Celtiberorum millibus, exercitus plurium millium annis tot ſuſtinuit: præter cõtumeliam, & calamitatem duces ſuperiores nihil retulerunt: quandoquidem & de exercitibus ſuis multos amiſerunt, & ad pudenda fœdera quanquam inuiti deſcenderunt. Quid multis? inuicta viſa eſt Numãtia, quoad pop. Rom. te Imperatore

Car-

Digitized by Google

Carthaginis incendiis ad excidia vrbium imbuto in vltionem excanduit. Tepenes vnum huius belli confecti laus. Tuum decus ſex menſibus debellata, & euerſa Carthago: tua gloria anno, & tribus menſibus exciſa, & ſolo æquata Numantia. Sic fortunæ tuæ, expertæque virtuti in Africa, præclaré vtique reſpondiſti in Hiſpania: & ab alterius quidem metu, ab huius autem contumeliis tuos fæliciſſimè liberaſti. Nec repertum adhuc arbitror, qui clariori vrbium excidio nomen ſuum ſempiternæ memoriæ commendauerit. S. Plus mihi negotii cum ſemiruta, quam auo meo cum integra Carthagine. I. Nempe quemadmodum morientium beſtiarum morſus ſolent eſſe maximè mortiferi. S. Tamen Carthagini XL. millia ſeſe citra vllam conditionem dediderunt: at Numantini tum demum deditionem mihi facere parati erant, ſi tolerabilia impetrarentur. Ego verò, id quod ſcis, veram, & nulla cum exceptione victoriam malui. I. Rectè Scipio. Quare huc adacti neceſſitatis, cum epulis bene ſaturi per deſperationem vellent armis experiri, tu pugnæ copiam certis moriendi non feciſti. S. Quia non me fallebat, ex deſperatione audaciam poſſe creſcere: & neceſſitatem interdum fieri cotem ignauiæ. I. Ergo foſſa, lorica, quatuor caſtris circundatos fame tandem ſubegiſti. S. Si non ipſimet ſe ſubegerunt, qui mihi ſalutem ſuam inuiderunt, cum ducibus interemptis, ſe, patriamque ferro, veneno, & igne vndique iniecto peremerunt. Præda nulla, arma nulla, qui in triumphum ducantur nulli: de nomine triumphus agendus. Quòd porrò diſciplinam, mox vt veni ad exercitum, inſtaurandam putaui, id imprimis ex officio Imperatoris à me factum eſſe duco, cùm non aliunde, quàm à diſciplina vires maiores, roburque grandius militi paretur. Et cum artes omnes quotidiano vſu indigeant, ſi velis proficere, idque etiam in paruis veriſſimum reperiatur, haud dubium eſt, quin id in maximis ſeruandum ſit. An verò vlla maior eſt arte bellica? cuius vi libertas, & vita retinetur, dignitas amplificatur, imperium conſeruatur. Diſciplinæ quo minor cura duci fuerit, eo vehementius aduerſario commodatur. Sed ea vt non remiſſum, & nimis clementem, ſic neque acerbum, & nimis rigidum patitur. Non ſunt nimium multa imperanda: non acrius rationes repoſcendæ: non excludenda affabilitas: non deſerenda in ſuppliciis moderatio, & alia ſexcenta, de quibus per occaſionem de me audiuiſti. I. Negare haud queo, vt ſe dedit opportunitas, me præcepta quædam imperatoria abs te accepiſſe. Sed quoniam dimittis auxilia, & ego quoque domum reuerti decreui: nec ſpes eſt me in poſterum te viſurum, quanquam imago tua ex animo meo, quoad vixero, non delebitur, da ſignum amoris tui vltimum atq; certiſſimum, & de artibus imperatoriis plenius diſtinctiusque me erudito. Quid enim ſi Micipſa occidente, fortuna me benignior reſpiciat, & ſolus Numidia potiar, & mihi magna cum finitimis, aut exteris bella gerenda ſint? Certè nulla ſcientia aut tam decora, aut tam neceſſaria videtur regibus. S. Non ſcientiã duntaxat mi Iugurtha, ex[illegible], ſed virtutem præterea ſingularem, auctoritatem clariſſimam, fælicitatem ſummam ineſſe in excellenti perfectóq; imperatore oportet. De virtute

ſi vis, primùm diſſeram. I. Ego verò maximè. S. Pietas ante omnes alias virtutes requiritur. Deum, qui largitur victoriam, & ſine quo conatus & ſtudia hominum parùm efficacia ſunt, colere precibus, & ſacrificiis æquiſſimum, vel potius omnino neceſſarium eſt.

Facilius ſi quis pius eſt, à diis ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet viam ſibi.

Ob religionem in deſpectis habitam, multi ſe cum exercitibus ſuis peſſum dederunt. I. Equidem idem ſentio: ſed tamen multa eſt caligo in deorum conſiliis: vt neque in cauſa iuſta pugnantibus omnia ſint ſemper ſecunda: neque iniuſtam bello tuentibus omnia ſemper infelicia. S. Hoc in aliis quamplurimis negotiis experimur: multa contrà eueniunt, quàm putabantur. Verùm Deus ſumma libertate agit, quod agit: & quomodo honoribus humanis non indiget: ſic etiam ſe honorantes remunerare non cogitur, vt iuſtus aut gratus videatur. Nam vt nullum in nos aliud beneficium conferret, ſatis magnum contulit, cùm vitam dedit, quanquam non rogatus. Dii ô fili, ait Cambyſes Cyro apud Xenophontem, quem ſcriptorem legendi aſſiduitate contriui: cuius ſermo, cùm ſit à forenſi ſtrepitu remotiſſimus, eſt mihi omni melle dulcior: ***Dii, inquam, immortales atque æterni omnia ſciunt, & præterita, & futura: atque hominibus ſibi charis, & amicis, cum ipſos conſulunt, quid facere oporteat, quidve non oporteat, præſignificant. Quod ſi non omnibus conſilium dant, minimè mirum apparere debet: neq; enim neceſſe eſt ipſis, quorũ noluerint, curam ſuſcipere.*** I. Probè iſtam rationem capio. Sed opinor, cum à Deo orſus ſis, non eſſe deinde parcendum labori & induſtriæ. S. Induſtria & labor in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo adhibeatur neceſſe eſt. Nam vt aliis in rebus, quæ diuinitùs petuntur, & ſuppeditantur, fortunatiores iudicantur, qui ipſi etiam in iis didicerunt aliquid, quique curam, & operam ad id, quod impetrare volunt, conſequendum adhibent, nec tanquam claudi ſutores, domi diem totum deſident: ſic in re militari prudentius & fælicius petit, qui ſibimet quacunque ratione ſuccurrit. Stultè in equeſtri decurſione palmam optat, qui equitare neſcit: & fœcundam ſegetem, qui ſementem non facit: & in acie ſalutem, qui ſibi non cauet. Atque vt ab eo poſtulatur labor in negotio, ſic & in periculis fortitudo: quæ eſt bellantium imprimis propria virtus. Cuius ipſius adminiſtræ, & tanquam comites ſunt innocentia, temperantia, fides, facilitas, ingenium, humanitas, dicendi quoque grauitas & copia, quia magnum decus affert imperatoriæ dignitati, & habet inſtante conflictu, antequam ſigna canant, commoditatis longè plurimum. Nec enim ſolùm milites blandè appellando, ſermone deliniendi ſunt, cum hoſtis abeſt, verùm etiam cum in ceruicibus eſt, & iam ſagittas expedit, gladium diſtringit, ad prælium cum mortis, ac vulnerum contemptione capeſſendum, tanquam quibuſdam verborum tædis, ac facibus inflammandi. Ad iuſtitiæ porrò munus magnoperè pertinet vitatio & fuga auaritiæ: nec dignus eſt Imperatoris nomine, qui pecunia cuipiam magiſtratum militarem addicit: quive quam ex ærario accepit, vt bellum admini-

adminiſtret, eam vel propter cupiditatem prouinciæ magiſtratibus diuidit (vt iis aut concedentibus, aut adiuuantibus, diutius eam prorogato imperio retineat) vel in quæſtu relinquit. Ob quorundam ducum auaritiã exercitus noſtri calamitates magnas per agros & oppida cùm ciuium Romanorum, tum exterarum nationum ſæpe dederunt: ac plures propemodùm ciuitates ſociorum aliquot hybernis, quam hoſtium vrbes militum noſtrorum armis deletæ ſunt. Seipſum contineat, qui alios continere vult. Quare cum laudauerim, cuius exercitus ita facit itinera, ita hybernat, vt eius ne veſtigium quidem cuiquam pacato noceat: qui etiam cupientes ſumptum in militem facere non ſinit: tantum abeſt, vt eius cauſſa cuipiam vim afferat. Quòd ſi quem Imperatorem non potuerit auaritia, alienarumque rerum cupido ab inſtituto curſu deducere, videat nihilominus, ne aut voluptas libidinis, aut delectatio amœnitatis, aut cognitio nobiliſſimarum vrbium, aut tranquillitas quietis tranſuerſum rapiat. Signa, tabulas, & alia, Græcorum præſertim oppidorum, ornamenta bonus ac temperans Imperator ne viſenda quidem ſibi, nedum auferenda arbitrabitur. Et quomodo princeps non eò diſtare debet à populo, quia ceſſet, & in otio viuat: ſed quia proſpiciat, & plurimis quotidie conſulat: ſic Imperator non plus dormiendo, aut ſumptuoſius cœnando, aut nihil actitando militibus erit ſuperior. Fidem eius non tantùm ſocii, ſed ipſi quoque hoſtes experiri ſanctiſſimam debent: nec tam virtutem illius timere, qui contrà pugnant, quàm diligere manſuetudinem, & humanitatem, quos vicerit. Et cùm iis, quos vi ſubegeris, conſulendum eſt, tum ii, qui armis poſitis, vel tuam fidem confugiunt quamuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt. Facilitatis laus eſt, ſi faciles ſint ad eum aditus priuatorum, ſi liberæ querimoniæ, ſi ſe cum infimis quodammodò exæquet, qui dignitate principibus antecellit. De virtute ſatis dictum eſt. I. Nihil igitur huic loco addendum putas? S. Nihil, niſi vt ita maximè quemque in hiſce rebus imitemur, vt eum iis plurimum excelluiſſe didicerimus. I. Sapienter: & è veſtra ciuitate ſcio belli duces præſtantiſſimos pæne innumerabiles proferri poſſe, quorum exemplis nos condoceſieri, ac perfici poſſimus. S. Tranſibo ad ſcientiam. Nunquam bono duci nox tota ſomno tranſmittenda eſt, quod in Agamemnone Homerus ſugillat: ſed nocte plurima voluenda, circumſpiciendum, præcogitandumque, quid per diem militi faciendum ſit: die rurſus conſiderandum, & decernendum, quid horis nocturnis fiat: quod quidem malè præſtabit, niſi admodùm multa nouerit, partim vſu, partim à mutis magiſtris, qui ſunt libri, eruditus. Quam ſcientiam, ſi credis, quibuſdam rationibus inſtruendorum ordinum ducendi exercitus noctu & interdiu, caſtrorum metandorum, cuſtodiarum diſponendarum, acceſſus & receſſus ab hoſte, copiarum ad vrbem hoſtilem admouendarum, aut remouendarum, traiiciendorum fluminum, in aliam atq; aliam formam ad tempus commutandæ aciei, cognoſcendi res aduerſariorum, celandi tuas, ſi, inquam, horum ſimiliumq; rationibus ſcientiam Imperatoriam metiris, longè aberras à veritate.

Digitized by Google

I. Vſque adeo in re militari rudis & inexpertus non ſum: quin, quamuis iſta maxima videantur, maiora tamen opinor ſunt ea, quę tibi dicenda reſtant. S. Certè maiora. Scire enim conuenit, quo pacto ſibi quàm beneuolentiſſimum reddat exercitum. Nam niſi amet ducem ſuum miles, nihil rectè facit. Beneuolentiam porrò eorum ita facillimè inibit, ſi manifeſtum erit, eum de omnibus benè mereri cupere, & ad cuiuslibet incommoda ſubleuanda paratum, eos commilitonum amicorumque loco numerare. Si in euentis eorum proſperis gaudium, in contrariis dolorem prę ſe tulerit. Si non ſolùm timuerit, verùm etiam conatum, & laborem ipſe omnem adhibuerit, ne quid damni accipiant. Cùm æſtas fuerit, appareat ipſum plus caloris: cum hyems, plus frigoris: cum laborandum, plus laboris ſubire ac perpeti. Quanquam ſimiles labores, vt dixiſſe recordor Xenophontem meum, non perindè graues ſunt ſimilibus corporibus, imperatoris videlicet, & gregarii militis. I. Quomodo non perinde graues? S. Honor Imperatori laborem reddit leuiorem: quod videt, quidquid ipſe agat, eius ſeſe teſtes permultos laudatoresque habiturum. Hoc vtique ἀγαθὸν, ſeu ſpecioſum eſt, vt alia vel ſexcenta. I. Ergò qui alit cæteras artes, etiam hanc, ſiue haſce artes, quas in belli ducę ponimus, præclarè alit. S. Hoc tam apertum eſt, vt nihil aliud magis. Sciat etiam, neceſſe eſſe, quemadmodum ſibi obtemperantes, & ad iuſſa exequenda quàm impigerrimos atque promptiſſimos reddat. Quod quidem tum aſſequetur, ſi obedientes laude, ac præmio cohoneſtabit: ad obſequendum duriores ſupplicio vindicabit. Tametſi aliam huic rei viam poſſum oſtendere: malim enim, quod faciunt, eos idipſum libenti animo, ac volentes facere. I. Non iniuria: ſemper etenim in negotiis plus adiuuat propenſa voluntas, quàm ex detrimentorum pœnarumue metu veniens neceſſitudo. Quæ igitur illa via altera? S. Quæ? Si ſecum ſtatuere potuerint, Imperatorem ſuum ſeipſis prudentiorem eſſe. Hæc eadem cauſſa eſt, cur non inuiti obediant, & ægroti medicis, & vectores gubernatoribus, & viatores ducibus, & ciues, demum magiſtratibus. Quod autem vniuersè dixi de ſcientia, idem dixerim de prudentia Imperatoris, eam lectione, & vſu amplificari. I. Quod iſta duo coniungis, & neutrum abeſſe vis ab eo, de quo præcipis, mirificè tibi aſſentior: & vt te propter vtrunque ſuſpicio: ſic alios, ſi qui ſunt, qui hæc naturà coniuncta diuulſerunt, contemnendos arbitror. Neque tu Imperator tantùm & antè in Africa, & nunc in citeriore Hiſpania, verùm etiam aliquando in Macedonia, & alibi miles fuiſti, Perſénque victum tam acriter es perſecutus, vt ante noctem mediam in caſtra non redieris. Apud Intercatiam, Hiſpaniæ oppidum, cùm eſſes Lucullo Legatus, prouocatorem ſingulari certamine occidiſti. Tribunus in Africa, T. Manilio Imp. octo cohortes obſidione vallatas conſilio virtutéque cùm ſeruaſſes, obſidionalem coronam retuliſti. S. Me, ſi quid bello expertus ſum, ſi quid audiui, ſi quid legi, nunquam pœnituit, nunquam pœnitebit. Res item corporibus neceſſariæ, & commeatus ſciendum eſt, quemadmodum à finitimis ſeu volentibus, ſeu nolentibus, hoc eſt, ſiue gratia adductis, ſiue timore com-

re com-

re compulſis comparentur: nec eouſque procraſtinandum, quoad penuria edendi alimoniæ curationem prouocauerit: ſed in ipſa abundantia de viis & modis cogitandum, quibus inopia propulſetur. Quid ego dicam de curando robore, ac ſanitate militum? Eam ſi non aliter curæ habemus, quàm vt ne deſint medici, & medicinæ, quibus leuentur recreenturque, ſi qui morbum nacti fuerint, perſimiles ſumus eorum, qui diſciſſas ac laceras veſtes reficiendas locant. Atqui longè ſapientius factum, prouidere omni ſtudio, ne morbo vexetur miles. Quare ſi diutius alicubi commorandum erit, grauitatem loci caſtris faciendis etiam atque etiam fugiat, ſalubritatem ſummè quærat: quam cùm alia, tum accolarum corpora coloresque indicabunt. Eodem pertinet, ne ſe cibo ac potione diſtendant, & moderatis vtantur exercitationibus, quibus & cibus conſumitur, & valetudo bona retinetur, & robur augeſcit. Item ne vnquam otio & vacationi, & deſidiæ ſe dedere ſinantur. Deſidioſa enim quies non ſecus corporibus, quàm aquis vitium conciliat. Et cum difficile ſit vel vnum alere otioſum, quantò difficiliùs, tot millia? Quare ſemper dabit operam Imperator, vt militem aut in damno aliquo hoſtibus inferendo, aut in aliqua vtilitate propria comparanda occupatum habeat. Quoties à bello eſſet feriandum, Iphicrates quippiam negotii ſuis dabat: aut cuniculos agere, aut foſſas ducere, aut arbores ſecare, aut caſtra transferre, aut vaſa transmutare: quòd in otio nouas res eos molituros ſuſpicaretur. Philippus quoque Macedonas ſuos non aliter, quàm ſi periculum adeſſet, exercebat. Ità, vt armati trecenta ſæpe ſtadia ambularent, cum armis etiam commeatum, & ad vſum quotidianum vaſa neceſſaria portantes. Rationes etiam non ignorabit, quibus iis alacritatem, & libentiam iniiciat, & quò maximè vult, nullà cum difficultate adducat, & in quocunque belli munere quàm præſtantiſſimos efficiat. Certamina item propoſitis præmiis indicet, & cuiuſque virtutis teſtis atque ſpectator ipſemet aderit. Quod ſi omni ex parte paratum ſe viderit, non ideo manum cum hoſte ſtatim conferendam putet, niſi etiam conditione ſuperiorem ſe futurum intelligat. Alioqui quo inſtructiorem ſe, & ab exercitato milite feliciorem animaduerterit, eo cautius ſe geret: quomodo & alias res, quas propter præſtantiam magnoperè diligimus, quàm tutiſſimè ſeruamus. I. Quo autem pacto quis meliorem conditionem adipiſcatur? S. Idem tu quæris à me, quod apud Xenophontem meum de patre, ſibi eadem, quæ nunc ego tibi, tradente quærit adoleſcens filius. I. Benè eſt. Ergò eadem tu quoque mihi, tanquam Cambyſes Cyro, reſpondebis. S. Eadem verò. Sic habeto, oportere te huius rei cauſſa inſidiatorem, diſſimulatorem, fraudulentum, veteratorem, furem, rapacem fieri, & in omni re plus quàm hoſtes, habendi appetentem. Iphicrates magnus Athenienſium dux, milites ſuos fictis excurſionibus, falſis inſidiis, ſimulatis proditionibus, ac tranſitionibus, fictis aggreſſionibus, & panicis terroribus præparabat, vt ſi quando tale quippiam eueniſſet, ne turbarentur. I. O Dii, qualem tu me eſſe poſtulas? Contraria & filios parentes, & diſcipulos magiſtri docent. S. Et

Digitized by Google

ego docebo contraria, non modò pueros, verum etiam adultos: ſed aduerſus amicos, & ciues. Aduerſus autem hoſtes dolus æquè, vt virtus laudatur, quibus licitum eſt incommodare quacunque ratione poſſis. Quomodo enim ei nocere non liceat, cui vitam ipſam eripere liceet? Omnia artificia, omnes machinationes, quarum vſus eſt contra feras in venationibus, in hoſtem transferre poſſumus: qui locus tam latè patet, vt pænè nihil non eorum, quæ ad bellum gerendum pertinent, complectatur. Cauendum inſuper, ne diſpoſita acie, inſtructiſqúe tuis in hoſtes diſſipatos, ac palabundos inuadas: armatis autem inermes, vigilantibus dormientes inuadere quàm proſit, quis neſciat? Stude, ſi poteris, tutiora ſemper loca ad pugnam capeſſere, & ſimula fugam: atque tum demum conuerſus fac impetum, cùm in difficilia loca hoſtem inſequentem pertraxeris. Nec vtere iis tantùm, quæ didiceris, ſed imitare muſicos, qui vt nouas ſemper cantilenas, ſic tu noua ſemper conſilia contra inimicos excogita. Placent in muſicis recentia, & magis proſunt ad aures oblectandas: at in re militari recentia inuenta ideo laudabiliora ſunt, quoniam cùm hoſtem magis fallant, ad victoriam amplius proficiunt. Sed cum in bellis adminiſtrandis multum valeat virtus, multum ſcientia, non parum præterea valet auctoritas. Intereſt, quid de Imperatore & hoſtes, & ſocii exiſtiment: ſcimus quippe homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri. Cyri quidem nomen quàm clarum in orbe terrarum extiterit, & quomodo is admiratione, & beneuolentia nationum pænè omnium in cœlo fuerit, Cyrus, inquam, à quo omnium rerum egregiarum exempla petere ſoleo, ſatis oſtendit initio hiſtoriæ ſuæ Xenophon. Et quia non ob virtutem duntaxat, ſed fortunam etiam imperium militare mandari ſolet, ſciamus eam quoque ad laudem Imperatoriam pertinere. Etiam à fœlicitate magni ſunt Imperatores. Fuit nimirum quibuſdam ſummis viris quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas benè gerendas diuinitùs adiuncta fortuna, quorum voluntatibus ciues aſſenſerunt, ſocii obtemperarunt, hoſtes obedierunt, venti demùm ac tempeſtates obſecundarunt. Hactenus de bono Imperatore, in quo vt ſit eximia belli peritia, niſi etiam ſit virtus, non erit auctoritas, non erit fœlicitas. Virtus omnium maximè auctoritatem facit: nec eſt vllus locus tam longinquus ac diuerſus, nulla ora tam deſerta, quò eius ſplendor non perueniat. Fœlicitatem præſtare de ſe nemo poteſt: in deorum manu ſita eſt, qui vt bonis fauent, ita malis aduerſantur. Quales ſunt, quorum in prouinciam aduentus non multum ab hoſtili expugnatione differt: quorum iniurias, libidinéſque nulla ciuitas capere poteſt: quibus nullum fanum religioſum, nulla domus ſatis clauſa ac munita: qui nec manibus à rapiendo, nec oculis ab impudicè aſpiciendo, nec animo ab immensè concupiſcendo temperare poſſunt. Verùm iſta mittamus. Differui breuiter de officio Imperatoris, quia te audiendi videbam auidum, & ad iſtuc excelſi muneris natura, & ingenio aptum iudica-

dica-

Digitized by Google

dicabam,& iudicabo ſemper. Niſi tibi abire decretum eſſet,forſitan ſæpius iſtiuſmodi in ſermones veniremus. Quod reliquum eſt, vnum te moneo, mi Iugurtha, vti publicè potius, quàm priuatim pop.Rom.amicitiam tibi colendam ducas. Ne à paucis per largitionẽ velis impetrare, quod eſt commune omnium: non enim id ſine periculo facturus es. Si curſum iſtum tenueris, & hac qua cœpiſti via ad gloriam tetenderis, etiam ſine pretio regnum tibi veniet: ſin properantius perrexeris, & pecuniam, & te perdideris. I. Ob tam fidelia monita tibi, quas mens capit, ago gratias: & enitar, vt cùm in re militari talem me ducem præbeam, qualem tu deſcripſiſti: tùm iis rebus ſeruiam, quibus tu me magnum euaſurum auguraris.

ANNOTATIONES.

Quæ hoc progymnaſmate in medium allata legiſti, bonam partem è Xenophonte ſumpſimus, idque ipſum in præfatione nos facturos inſinuauimus: & à M.Tullio, qui in Maniliana dum Pompeium laudat, eumq́ vnum eſſe docere contendit, qui bello Mithridatico præponendus ſit, imperatorem ſcienter ac peritè omnino videtur expreſſiſſe. Sed opinor faciendum, vt antequam annotationes more ac inſtituto meo ſubtextam huic dialogo, quæſtionem ſiue ſcholam, ſcitu iucundam ac liberalem, explanem: Vtrum in deligendo Imperatore nobilitatis & opum ducenda ſit ratio? Hoc eſt, clarúmne obſcuro, diuitem ac beatum tenui ac pauperi, in mandandis imperij caſtrenſis honoribus, præferri æquum ſit? Qui affirmabit, hunc in modum opinionem ſuam tuebitur.

Nemo libenter eum ſequitur ducem, quem ſibi genere & fortunis parem intuetur: nemo libenter ignobili, & plebeio Imperatori ſubeſt. Quod ſi conſuetudo vim legis obtinet, claros vtique præ non claris, atque etiam, ſi modo poterit, locupletes præ inopibus ad imperium militare extollere honeſtum erit. Item, ſi in cæteris magiſtratibus deligere præſtat, qui magiſtratum ipſum antiquitate generis, & opum magnitudine condecorare poſſint: & ſi vetant eruditi, pauperes deligere, qui lucellа ſua perpetuò meditantes, de illuſtribus facinoribus cogitare nunquam poſſunt, cur id minus in hoc nobili, & ciuitatibus, atq́ prouinciis ſalutari magiſtratu valeat? Qui negabit, ſententiam ſuam pluribus argumentis conſtabiliet, & in hac verba diſſeret.

In Imperatore, quod omnes fatentur, quatuor conſideranda ſunt, ſcientia, virtus, auctoritas, felicitas: & is meritò eximius videatur, in quo iſta quatuor inerunt. Ineſſe autem poſſunt æquè in obſcuro, vt in nobili, æquè in paupere, vt in diuite. Duo igitur illa ornamenta, opes ſcilicet, & ſanguinis claritudinem ſpectari minimè oportebit. Conſuetudo obijcitur: ego quoq́ obtendere poſſum conſuetudinem, & peruincere, multos ſæpenumero ignobiles, ſed tamen ſtrenuos ad imperium euectos. Præterea in ſacerdotibus olim creandis generis & familiæ decus, in Ædilibus & Præfectis ludorum diuitiæ quærebantur. Cur his Imperatores faciamus ſimiles? quæ cauſſa tandem? Nobilitatem

tatem cernimus honorari ab omnibus: ergo eam ſi Imperator attulerit, non aſpernabimur: ſi non attulerit, haud requiremus: nec diem ob id illi dicemus: nec ideo imperio excludemus. Nam vt equum, vt leonem, vt aquilam ex ſeipſis, non ex aliis quibuſdam rebus, ſeiunctis ab eorum corporib. probamus: ita hominem ex ipſo homine probare debemus. Stultum foret, qui qualeſue ſint, quibus Reſpub. tota contraditur, non quærere: cuiuſmodi autem aui, & atavi eorum fuerint, quid geſſerint indagare: quaſi nos illi defendere, ac ſeruare queant, qui iampridem terris exceſſerunt. Adde, quod iniquum apparet, eos milites, quorum fuerit ſingularis in aliquo facinore perſpecta virtus, ob id ipſum præmiis cohoneſtari, non ob aliud: Imperatorem autem eum creandum arbitrari, qui claris duntaxat maioribus oriundum ſeſe commemorauerit, non eum potius, quem ſua ipſius virtus nobilitat, quamuis à genere non illuſtretur: quod quidem ſi ad fortitudinem aliaque Imperatoria honeſtamenta acceſſerit, fortunatior erit huiuſcemodi Imperator, non melior. Sperari denique poteſt, excellentiores euaſuros Imperatores, magiſque Reipublic. profuturos, quorum vulgares ſunt origines, quorumque maiores nulla in laude vixerunt. Nam qui patria claritate confiſi, & parentum fama, nominiſue immortalitate inſolentes, hoc ſe modo errata ſua poſſe obtegere exiſtimant, facilè officium deſerunt: ſuam prouinciam ſomniculosè adminiſtrant, de communi ſalute haud ita vehementer ſolliciti. Contrà, quibus maiores non præluxerunt, quibus nullam quaſi fama & gloria hæreditatem reliquerunt, dum ſuapte induſtria, labore ac ſtudio ex illis tenebris nitũtur emergere, ſuorumque factorum lumine generis ſui caliginem diſpellere, fide, ſollicitudine, vigilantia maiore munus imperatorium funguntur, nec vlla pericula reformidant. Qui non ita amplum patrimonium adierunt, in re familiari tuenda augendaque longè diligentiores ſunt, quàm qui ingentes habent diuitias. Sic prorſus, qui parentum laudibus ad ſeſe cohoneſtandos exornandoſque vti non poſſunt, à ſemetipſis coguntur ſuam ſibi claritatem petere, & omnem nobilitatem ſuam in ſuis ipſorum virtutibus poſitam arbitrari. Si per veterum rerum auctores eamus, Romanorum Imperatores complures non à nobilitate & opib., ſed à virtutis excellẽtia ad altiſſimũ iſtũ gradũ ſublatos reperiemus, Diocletianũ, Veſpaſianum, Theodoſiũ, Martianum, Phocam & alios plures.

Adoptionis iure in familiam) Cur, qui propriis carent filiis, adoptent alienos, cauſſam docet in Solone Plutarchus. Masinissa rex Numidiæ) De hoc multa Liuius bello 2. Punico. Anno ætatis 88. filium genuit. Diodorus lib. 32. Leonicus Var. hiſt. lib. 2. cap. 1. Idem nonageſimum annum agens, meridie ante tabernaculum ſtans, vel ambulans cibum capiebat. Front. lib. 4. cap. 3. Cum literis perhonorifice) In hanc nimirum ſententiam, vt retulit Salluſt. Iugurthæ tui bello Numantino longè maxima virtus fuit, quam rem tibi certò ſcio gaudio eſſe. Nobis ob merita ſua charus eſt: vt idem S.P.Q.R. ſit, ſumma ope nitemur. Tibi quidem pro noſtra amicitia gratulor. En, habes virum dignum te, atque auo ſuo Maſiniſſa. Nulla vnquam vetustas) Vocabulum vetuſtas, interdum etiam diuturnitatem futuri temporis indicat. Cicer. pro Deiot. Hæc nulla vnquam vetuſtas obruet, nulla vnquam delebit obliuio.

Ad

Digitized by Google

Ad Att.epiſt.9.lib.14. Nam mori millies præſtitit, quàm hæc pati: quæ mihi videntur habitura etiam vetuſtatem. NE EXTREMA QVIDEM SENECTVS) *Obliuionis vitio plerumque ſenes laborant. Scripſerat Ciceroni Atticus ignem matutinum γεροντικὸν eſſe, quare ſe illo, vt qui iam ſenectute grauis eſſet, multum delectari: frigida enim ſenectus. Reſpondet Cic. ep.lib.12. γεροντικώτερον eſt memoriola vacillare* ANTECESSORVM DVCVM NEGLIGENTIA) *Hac de re præter auctorem de viris illuſtribus cap. 58. Florum lib. 2. cap. 18. Vegetius lib.3.cap.10. Scipio Africanus ſub aliis imperatoribus Hiſpanienſes exercitus frequenter victos, accepit: hos, diſciplina regula cuſtodita, omni opere, foſſiſque faciendis ita diligenter exercuit, vt diceret fodientes luto inquinari debere, qui madere hoſtium ſanguine noluiſſent. Metellus in Africa, Albino imperante, ſubiugatum accepit exercitum, quem ita emendauit veteribus inſtitutis, vt poſtea eos, à quibus ſubiugum miſſi fuerant , ſuperarent. Cimbri quoque Cæpionis, & Manlij legiones inter Gallias debellarunt, quaquarum reliquias cum C. Marius ſuſcepiſſet , ita erudiuit ſcientia & arte pugnandi, vt innumerabilem multitudinem, non ſolùm Cimbrorum, ſed etiam Teutonum, & Ambrorum publico Marte deleret. Facilius eſt autem ad virtutem nouos inſtruere, quam reuocare perterritos.* ET AD PVDENDA FOEDERA) *Q. Pompeius caſtris extrema hyeme ad Numantiam poſitis, eorumque improuiſa eruptione, & frequenti clade fatigatus, item morbo, per exercitum ſæuiente, fractus; & frumentatione intercluſa, ſoluit obſidionem, pactus cum Numantinis, vt darent obſides traderent perfugas, XV. talenta penderent. Quam pacem ſenatus non probauit. Victus etiam C. Hoſtilius Mancinus, & cum exercitu XXX. millium fugatus à Numantinorum quatuor millibus, & in caſtris obſeſſus , pacem facere turpiſſimam compulſus eſt. Quam eiuſdem Mancini deditionem ſenatus populuſque infirmauit. Nudus igitur à P. Furio Philo Conſule , poſt tergum reuinctis manibus ante portas Numantiæ expoſitus, ibique ſub noctem à ſuis deſertus, ab hoſtibus non receptus triſti ſpectaculo miſerationem mouit. Iuuat & Vellei locum adſcribere, è principio lib.2. Numantia nunquam X. millibus plura propria iuuentutis armauit: ſed vel ferocia ingenii, vel inſcitia noſtrorum ducum: vel fortunæ indulgentia, cùm alios duces, tum Pompeium magni nominis virum ad turpiſſima deduxit fœdera: nec minus turpia, ac deteſtabilia Mancinum Hoſtilium Coſſ. Sed Pompeium gratia impunitum habuit , Mancinum verecundia: quippe non recuſando perduxit huc, vt per Feciales nudus, ac poſt tergum religatis manibus dederetur hoſtibus, quem illi ſe recipere negauerunt: ſicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, publicam violationem fidei non debere vnius ſanguine lui. Cicer. pro Cæcina Vt religione ciuitas ſoluatur, ciuis Romanus traditur: qui cum eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus. Si non accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram cauſſam & ius ciuitatis. Eiuſdem Mancini, & cauſſæ eius meminit 1. de Orat. 3. Offi. & in Top.* MVLTA EST CALIGO IN DEORVM) *Cæleſtes cauſſas humana conditio ad plenum noſſe prohibetur. Vegetius li. 4. capite quadrageſimo. Cum Pompei res infeliciter irent , & ad Cæſarem inclinaret Victoria , Cato dixit , in rebus diuinis multum eſſe caliginis , quod præter ius agenti fuiſſent*

omnia

Digitized by Google

omnia proſpera: at cauſſam Reipubl tuenti nihil ſuccederet. LEGENDI ASSIDVITATE CONTRIVI) *De ſe M. Tullius in epiſtola quadam: κύρυ παιδείαν, quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui De Scipione vero epiſt. ad Q. F. illa, inquam nobili epiſtola didaſcalica. Quos quidem libros non ſine cauſſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat, &c.* NE TANQVAM CLAVDI SVTORES) *Plaut. Aulul.*

Neſcio pòl qua illunc hominem intemperia tenent:
Peruigilat noctes totas, tum autem interdiu,
Quaſi claudus ſutor, domi ſedet totos dies.

Sutores quippe operis faciundi cauſſa domi ſe continere coguntur, & cum rarò admodum in publicum exeant, multò id rarius faciunt, ac difficilius, ſi claudi ſunt. QVAMVIS MVRVM ARIES) *Ex militari lege dictum eſt, qua, vbi mœnia quati ariete cœperant, oppidani in deditionem fidemque non recipiebantur. Sic Caſar lib. 2. de bello Gall. Ad hac Caſar reſpondit ſe magis conſuetudine ſua quam eorum merito ciuitatem conſeruaturum, ſi prius, quam aries murum attigiſſet, ſe dedidiſſent. Apud nos quoque, quorum mœnia tormentis quaſſata ſunt, ſine direptione fortunarum, & captiuitate in deditionem non recipiuntur. Turnebus lib. 26. cap. 32.* TRANSIBO AD SCIENTIAM) *A ſcientia imperatoria partibus ipſum Imperatorem definiuit Cicer. 1. de Orat. Locum adſcribo. Nam ſi forte quareretur, qua eſſet ars Imperatoris, conſtituendum putarem principiò, quis eſſet Imperator. Qui cum eſſet conſtitutus adminiſtrator quidam belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, qua eſſent propriè belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo, & ſcientia compotes, eos eſſe imperatores dicerem: vtererque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, & Annibalem, atque eius generis homines nominarem.* HOC VTIQVE ὡραῖον, SEV SPECIOSVM) *Inter legendum ſi quis locus inſignior, & notatu dignior ſe obtuliſſet, Graci eum in margine ω litera, ſuppoſito ρ notabant, hoc modo ῳ id eſt, ſpecioſum, elegans, pulcrum. Latini L apponebant, id eſt, laudabile, ſeu laudabiliter. Graci praterea χ, id eſt, χρηστὸν, ſeu χρήσιμον. Atque vt ſelecta dictu literis ω & χ, ſic qua improbarent litera Θ deſignabant, & dicebantur deculpata: culpa ſiquidem dicebantur annotamenta vitiorum in alienis ſcriptis, καὶ ἀθετήσεις. Hac latius multò diſſeruntur à Scalig. in 1. Varronis de re ruſt.* ET PANICIS TERRORIBVS) *Quinam ſint iſti terrores, & vnde, Leonicus Var. hiſt. lib. 1. c. 29.*

***

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA
SEXTVM ET VICESIMVM.
Strategemata, & apophthegmata militaria.

PASICRATES, CLEONYMVS Archiſtrategi.

PAsicrates. Aſſeueranter tu in hac noſtra congreſſione, quod tibi quanquam nec iuſiurandum concipienti, nec vllos in eam rem teſtes producenti facillimè aſſentiantur ii quoque, qui vel nullam militiæ partem aliquando guſtauerunt: nos autem ambo ductandis toties agminibus, & tot prælijs, per hanc iniquitatem duritiamque temporum conſerendis, perſæpe quàm eſſet verum didicimus: longè maximum videlicet locatum rei militaris ſubſidium in iis quæ vocantur ſtrategemata: cuius verbi propriã vim ac poteſtatem ita variè poſſumus declarare, vt nihilominus omnium declarationum definitionúmue ſententia eodem pertineat, & ſub vnum tanquam iugum ſignificationis deuincta appareat. C. Iſtuc mihi oſtendas velim. P. Etiam. Perparum intereſſe dico, vtrum ea interpretemur ſolertia imperatorum facta: an facinora, quibus artis imperatoriæ documentum, ſiue ſpecimen præbetur: an res, à duce exercitus non incallidè perpetratas: an conſilium catum, ſeu verſutam, & callidam machinationem στρατηγικὸν σόφισμα, quo ſe hoſtes circumueniunt, & in fraudem agunt: an ingenioſius quoddam bello inuentum, quod inuentori proſit, hoſti noceat: hæc, inquam, omnia eodem recurrunt. C. Quid? illud non item crebrò experti ſumus, prodeſſe ductoribus vehementer, in ſubitis præſertim, atque improuiſis caſibus, cùm diſcrimina propiora conſultandi moras præcidunt, meminiſſe multa à viris militaribus breuiter ac ſcitè, & tamen militariter, ſeu generoſè, fortiterque ac bellicè omnino dicta, quæ nominantur apophthegmata? Nam quomodo in reliquis artibus, ſic in noſtra valde docent, quid agas, quæ à peritis, & exercitatis per occaſionem prolata, eorum ſtudio, ac labore ad nos manauerunt, qui memoriam antiquam ſcribendo prodiderunt. P. E libris, quos multi de diſciplina bellandi conſcripſerunt, licet imperatorem, licet bello clarum fieri: ſed hiſtoria dictu mirum quàm ſit vitæ caſtrenſi & vtilis, & neceſſaria: vnde & illa ipſa duo, quæ hactenus tetigimus, ſtrategemata nimirum, & apophthegmata cuiuſcumque generis petuntur: & ipſi libri de re militari non minimam partem confecti ſunt. E ſtrategematis res iam olim magnis plerumque in periculis vtiliter excogitatæ, pernicioſè inimicis atque hoſtibus factitatæ pernoſcuntur: & ſimilium machinandorũ gerendorumque facultas datur, vt de euentu minore tentetur formidine, qui ad hoſtem decipiendum probatorum experimentorum affinia cum

Digitized by Google

cum animo ſuo repererit. Quoquomodo hoſtis vincendus eſt, quoniam & ipſe quoquomodo laborat vincere. Quis igitur tam cæco iudicio, vt non videat à cauda vulpina impetrandum, quod vis leonis præſtare nequiuerit? nec fortitudini tantùm, virtutique bellicæ, ac virium robori, ſed ſolertibus etiam ducum fallaciis atque machinis locum relinqui, quibus aut grauiſſima vitetur offenſio: aut ſine damno paretur victoria. Hoc eximium illud ingeniorum lumen, & elegantiarum fons, hoc, inquam, inſignis Homerus, qui mares animos verſibus ſuis in Martia bella exacuit, ſuadere mihi videtur, cùm tam ſæpe dicat, ἢ δόλῳ, ἠὲ βίηφι, ſeu dolo, ſeu vi. Ac non manifeſtè ſtrategemata nobis commendat? C. Profectò commendat, & eſt ipſe viſus Alexandro præclarum bellicæ rei viaticum. Mihi porrò lubet quodcunquè ſtrategema ad aliquod horum trium temporum redigere: vnum, quod prælium antecedit: alterum quo prælium committitur, quò obſidionem refero, & ea omnino, quæ tum ab obſeſſoribus, tum verò ab obſeſſis in mutam cladem perniciemque aſtutè cuduntur: poſtremum quod prælium inſequitur. P. Diſtributio iſta placet. Nam vt exemplis hoc illuſtremus, nemo ad primum tempus pertinere negauerit rationes, quibus duces per dolum, quem ingenio adiuti commoliuntur, hoſtem ſua conſilia celant: quod Metellus Pius in Hiſpania ſeruabat conſtantiſſimè. C. At M. Licinius Craſſus etiam videtur ſibi ſoli conſiliorum ſuorum conſcius eſſe voluiſſe. Nam quærenti, quando caſtra moturus eſſet, reſpondit: an tu metuis, ne tubam non exaudias? P. Huius temporis ſunt, quibus contra indagantur, & præcipiuntur conſulta hoſtium: quibus per loca hoſtibus infeſta ducuntur copiæ: quibus cauentur diſpoſitæ per itinera inſidiæ: quibus è locis impeditis ac difficilibus euaditur: quibus præſtatur, vt aut adſint, quibus deficimur: aut quæ deſunt, deeſſe tamen non exiſtimentur: quibus ab incœpto auertuntur, in alia re occupantur ac diſtringuntur hoſtes: quibus militibus timor ex aduerſo quopiam omine per pectus inſinuans eripitur: quibus ad certamen eorundem animi incenduntur: quibus à voluntate petitioneque intempeſtiui conflictus deſiſtunt: quibus ſeditio inter eos conflata ſedatur. Ad genus ſecundum reiicimus, quibus tempus aptum prælio nanciſcimur: quibus opportunitatem loci. Eſt etiam ſtrategematicum opus, ad tempus diſponere aciem: perterrere, & in fugam coniicere hoſtes: pertrahere in inſidias: dimittere, ne coacti deſperatione cùm pugnauerint, ſuperiores euadant. C. Id fortaſſis in fuga quoque, dum ſcilicet fugientes inſequimur, ſeruandum ſit. Monet enim, & monet me Iphicrates, qui fugientes non nimium celeriter inſequebatur: præcipiebatque inſequentibus cauendas inſidias, & cædendos fugientes vſq; ad fluuiorum tranſitus, locorum anguſtias atq; foſſas. Vltra ſi vrgebuntur, fore vt vitam deſperãtes audaciſſimè reſiſtant. Vna ſalus victis, noſti er liqua. Memini etiam dictum à Scipione Africano: hoſti non ſolum dandam eſſe viam fugiendi, ſed etiam muniendam. P. Si quando infelici euentu pugnatum fuerit, erit etiam ducis callidi tegere ac diſſimulare infortunium: vt trepidantem reuocare militem, & confuſam ac perturbatam reſtituere aciem. T. Quintius

nius Coſ. cum Antio admouere oppugnationem ſtatuiſſet, coacta concione militum, docuit eos, quàm facile expugnari poſſet oppidum, ſi id ſine mora fieret. Mox eo ipſo impetu, quem in animis concitarat, vrbem læto ſucceſſu eſt adortus. Tantum valet impetus repentinus. Valent etiam fallaciæ. In quo genere aliquot ſtrategematum recordor. Cùm Arcades Meſſeniorum caſtellum obſiderent, iiſq; ſupplementum venturum exploraſſent, arma ſibi ad ſimilitudinem hoſtilium fabricanda curarunt, quibus inſtructi pro ſociis intromiſſi cum eſſent, omnes præſidiarios occiderunt. Domitius Caluinus cum Lucam oppidum obſideret, ſitu, opere, & propugnatorum virtute munitiſſimum, circumducere frequenter copias, & in caſtra reducere inſtituit. Id cum tandem crederent Lucani exercitationis cauſſa factitari, metum & & cautionem omnem depoſuerunt. Tum ille ſubitò ex ambulatione illa vrbem aggreſſus, ciues ad deditionem coëgit. In Arcadia, die feſto, cùm fœminæ extra mœnia effusè, & magno numero vagarentur, Epaminondas pleroſque de militibus ſuis mulicbri cultu iis immiſcuit, cum quibus recepti, ſub noctem portas ſuis aperuerunt. Fabius, Antigonus, Dionyſius, Alexander quos oppugnabant, artificio quodam ad inopiam redegerunt. Tiberius Gracchus Luſitanis affirmantibus, in decennium ſe inſtructos commeatu, ideoque obſidionem nihil timere, iniecit, opinionem diutinæ obſidionis, hoc dicto: vndecimo anno vos capiam. Quare mox ſeſe eius poteſtati permiſerunt. Omitto alios quoſdam dolos, quibus obſeſſi ad deditionem compulſi ſunt. Prætereo, quid ad ſalutem ſuam obſeſſi ſæpe per calliditatem fecerint. Poſt prælium, quod erat tempus ordine tertium, inuenio quædam ſtrategemata vſurpata, notatu non indigna, partim cum proſperè, partim cum improſperè pugnatum eſſet. Ad fugam quoque tutiorem obſeruaui quaſdam fraudes adhibitas. Verùm ad initium regrediamur. Nonne aſtutia plenum fuit illud Tarquinii Superbi facinus? C. Quodnam? non recordor in præſens. P. De interficiendis Gabiorum Principibus. Cùm namque Sextus filius eius ex compoſito Gabios transfugiſſet, & ab iis eſſet benigne exceptus (quippe qui talem, id eſt, tam ſæuum fuiſſe patrem in filium, vt iuuenis ipſe nimis magno mendacio retulerat, crediderant) ac poſtremò non ſolum ad conſilia publica aduocatus, verum etiam tanquam dono deûm miſſus, belli dux aduerſum Romanos lectus eſſet, vbi ſatis virium collectum ad omnes conatus vidit, ſciſcitatum miſit ad patrem Romam, quidnam ſe facere vellet? Nuntio pater nihil voce reſpondit: ſed velut deliberabundus, eo ſequente, in hortum ædium tranſiit, vbi inambulans tacitus ſumma papauerum capita baculo decuſſit: nuntius ſine reſponſo, quæ viderit, narrauit: Sexto tacitis ambagibus, quid parens vellet, patuit. At P. Claudius Coſ. primo bello Punico, quam pulchrè Pœnos ludificatus eſt? C. Recordor. Cùm illi fretum tenerent, nec copia eſſet à Rhegio Meſſanam traiiciendi, rumorem diſſeminandum curauit quaſi bellum populo non mandante inchoatum ipſe gerere ictus religione prohiberetur, & claſſem ſe verſus Italiam agere ſimulauit. Pœni habentes fidem digreſſi ſunt. Ille nauibus circumactis,

actis, quò volebat appulſus eſt. P. Non igitur ſoli omnes fraudes Pœni poſſident. O ſi aliquando plus ſparti poſſediſſent: non enim ad funes tormentorum detondere mulieres, & earum vti crinibus debuiſſent. C. Libenter eò crines ſuos matronæ contulerunt, ſuamque vicem rei neceſſariæ defectionem expleuerunt. P. Sicut & illi, qui in vſum nouæ claſſis tecta domoſque reſciderunt, & aurum argentumque ſuum pro ære, & ferro in vſum armorum conflarunt. Annibalis autem ſingulare genus fraudis admirare. Quia Fabio Maximo neque virtute, neque arte parem ſe videbat, infamia eum ſuis exoſum reddere tentauit. Siquidem reliquorum agros populatus, eius abſtinuit. At Fabius nolens de mala fide ciuibus in ſuſpicionē venire, poſſeſſiones ſuas vēdidit. C. Hem animi magnitudinē. At hic Annibalem ſedendo vicit, cunctandoque rem reſtituit. Sed adimere metum exercitui, à ſiniſtro iniectum omine, & explere animos bona ſpe, & fiducia, nonne putas celeris, & acuti eſſe ingenii? P. Ego non putem? Maximè verò. Et in eo admiratus ſum Epaminondam, cui cum ſub ipſam pugnam aduerſus Lacedæmonios, in qua ſedebat ſella confracta ſuccumberet, & milites id, vt in partem deteriorem ominoſum acciperent: immo, inquit, vetamur ſedere. Sic Pericles, cum in caſtra fulmen decidens omnes terrefeciſſet, coacta concione, omnibus inſpectantibus concuſſu lapidum ignis ſcintillas elicuit, ſignificauitque, ſimiliter concurſu attrituque nubium ignes emicare. Chabrias Athenienſis nauali prælio decertaturus, cum ante eius nauem de cœlo fulmen decidiſſet, & eo portento militibus pauor oſſa concuteret: nunc potiſſimùm, exclamauit, capeſſendum eſt certamen, cùm deus deorum Iupiter præſentiam numinis ſui tam claro ſigno nobis oſtenderit. Scipio in Africam portârat exercitum: is in egreſſu è naui prolapſus, & militem conſternari ad prodigium animaduertens: ludite, inquit, milites, Africam oppreſſi. C. Vt iſta tu admiraris, quæ à me nequaquam contemnuntur: ſic ego mirificè illis delector: quibus aut deſperabundis, aut alioqui languentibus, parumque egregiè animatis ad congreſſum addita eſt alacritas, & ferocia. Semper enim in prælio iis eſt maximum periculum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur, ait Salluſtius. Braſidas cùm muſculum in caricis deprehendiſſet, morſus ab eo, ſtatim captum dimiſit, & ad præſentes: vt nullum animal eſt tam minutum, quod ſeruari non poſſit, modo auſit vlciſci inuadentem: quo dicto ſuis contra hoſtes virtutem auxit. P. Et nihil eſſe tam exiguum, ait Seneca, quod non in perniciem generis humani ſatis valeat. Ciuitates porrò, & gentes à minutis animantibus deletas alicubi narrat Plinius. Sed hæc παρέργως. Cæſar prælium cum Germanis & Arioviſto initurus, quia ſuorum trepidantes cernebat animos, pro concione denuntiauit, nullius ſe illo die, præterquam decimæ legionis opera vſurum. Ita decimam impertito tam præclaro fortitudinis teſtimonio ad audendum coëgit quodammodo, & cæteris metu ignominiæ periculi metum excuſſit. Ageſilaus præcepit captiuos vendi nudos. Qui venditioni præerant, imperata fecerunt. Et quoniam veſtes, vt barbarorum, ſplendidæ erant, ac pre-

Digitized by Google

ac pretioſæ, multos habuerunt emptores. Corpora ipſa candida, delicata, mollia, in vmbra ſcilicet, ac deliciis educata non ſolum nemo emit, ſed etiam omnes, vt inutile genus mercium, deriſerunt. Ea re Ageſilaus ad milites animandos prudenter vſus eſt. Hæc, inquit, ſunt, pro quibus pugnatis (captiuorum ornamenta demonſtrans) hi quibuscum pugnatis (nuda captiuorum corpora oſtendens) Et ſpe præmiorum, & contemptu hoſtium ſuos confirmauit. P. Redigit mihi in memoriam hoc exemplum, quod animosè dixit Chabrias Athenienſis. Si pugnam inibimus, milites, ne arbitremur nos cum hoſtib. confligere: ſed cum hominibus carne, & ſanguine præditis, eandemq; naturam ſortitis, qua nos ſumus Cæterùm perilluſtre factum atq; dictum eſt Iphicratis. C. Quò illuſtrius, eò id exſpecto auidius. P. Cùm in hoſtem duceret & quoſdam præ timore pallidos ac tremulos in extremo agmine conſpiceret, paulò ante, quàm manus eſſent dato ſigno conſerendæ, præconem edicere iuſſit: ſi quis reliquiſſet quippiam, reuerteretur, meliuſq; inſtructus rediret. Hanc poteſtatem lætabundi amplectentes meticuloſi, abierunt. Tum Iphicrates: nunc demum viri nos ſine iſtis imbellibus mancipiis pedē cum hoſte conferemus, atq; etiam ſoli fortitudinis, & gloriæ fructum conſequemur. Incredibiliter inflammati ſunt milites, & remotis timoribus ita pugnarunt, vt victores euaſerint. C. Strategema pulchrum, magni animi plenum. Etiam plenū humanitatis: non enim ceruis illis ac leporibus (ſic enim eos ob timorem deceat appellare) vitium exprobrauit: ſed obtētu alius rei, eos citra noxam dimiſit. Lepidè Africanus effœminatum huiuſmodi, vt apparet, bellatorem tetigit, cùm eius ſcutum curioſius, & delicatius ornatum aſpexiſſet: non ſe mirari, quod tanta cura ornaſſet, in quo plus præſidii, quam in gladio haberet. Sed Iphicratis illius dictum aliud cum facto laudabili occurrit. Etiam in ditione amicorū vallo caſtra muniebat: aiebatq; non eſſe boni ducis dicere: non putabam. P. Ecce vt aliud ex alio. Idem diſpoſitionem exercitus cum humano corpore conferebat. Pectus Phalangem appellans, manus leuis armaturæ milites, pedes equitatum, caput ducem. Si quid aliorum deficeret, claudum, & mancum fore exercitum: ſi dux, totum fore inutilem. C. Epaminondas autem ſuorum fiduciam religione confirmandam, atq; augendam cenſuit. Arma quippe ad tēplorum ornamenta pēdentia noctu ſubduxit, perſuaſitq; ſuis, deos ſequi, vt prælianti bus opē ferrent. Veruntamē vt territis & ignauis iniiciendū pugnandi concurrendiq; ſtudium: ſic interdum temerariis, & inconſulto in arma ſe effundentibus faciendus eſt timor: quia hoſtes lōge plures ſunt: quia loca iniquiora ſunt: quia quæ adeſſe debent, nondum adſunt. Seditionem autem militum ſcis quo pacto L. Sylla compreſſerit? P. Neſcio. C. Improuisò per caſtra nuntiari iuſſit, hoſtem adeſſe, clamores ad arma vocātium tolli, ſigna canere. Ita mox vniuerſi omiſſis diſcordiis ad reſiſtendum hoſti conſenſerunt. Verùm vt iam ad tempus, ad locum, & ad alia denique progrediamur, mihi Iugurtha haud ſtultè viſus eſt, quia Romanorum virtutem metuebat, ſemper die iam præcipiti pugnę copiam facere: nimirum, vt ſi fugarētur ſui, tenebris nocturnis tutius

Digitized by Google

latitarent. Cæſar cognoſcens Ariouiſtum hanc ſibi legem religione quadam indixiſſe, ne luna decreſcente pugnaret, tum potiſſimum eum inuaſit, ac ſtultè religioſos deuicit. P. Certè etiam Antiochus hac ratione Iudæos die Sabbati, quem illi diem adeò laboris expertem traducendum putabant, vt vitæ tuendæ arma capere non auderent. Poſtea tamen ſapienter errorem correxerunt. C. Tiberius Nero moto exercitu contra Pannonios, cum præferoces illi barbari cum die oriente in aciem proceſſiſſent, & inſtructis conſiſterent ordinibus, ſuos continuit, hoſtemque nebula, & imbribus crebris affligari paſſus eſt. Tandem vt ſtãdo laſſatum, & pluuiis immodicis ac frigore animo quoq; deficientem animaduertit, ſigno dato ſuos immiſit, & tãquã imbelles oues trucidauit. C. Hoc eſt idoneum tempus exſpectare. Tutiora autem loca ſuperiora, & colles ſine dubio, vnde emiſſa tela haud fruſtra accidunt, ſubeunteſque facilè auertunt. In acie noſtra ordinanda, & hoſtium diſturbãda ſcimus multa etiam callidiſſimè facta à Romanis, Græcis, Barbaris: ſed ad alia feſtinemus. Narrabo tibi, ſi fortè nondũ legiſti, aut lecta oblitus es, de inſidiis quædam, Maharbalem Carthaginenſes contra Afros rebellantes miſerant. Sciebat ille gentem eſſe vini auidam: quare magnum eius numerũ mandragora, cuius admodũ ſomnifica vis eſt, temperauit, & leui cõmiſſo certamine ex compoſito retroceſſit, nocteq; iam multa ſarcinulis intra caſtra, cum vino illo medicato relictis, fugam mentitus eſt. Barbari caſtris occupatis, in gaudium ſimul & merum effuſi, inſtar mortuorum ſenſibus oppreſſis paſſim iacuerunt. Maharbal rediit, miſeros partim cepit, partim iugulauit. P. Quam ſimile Cyri ſtrategema? Caſtra metatus in Scythia, die poſtero metum ſimulans, caſtra deſeruit, & in iis vini epularumq; ſatis. Tamyris regina adoleſcentem filium cum tertia parte copiarum ad inſequendum miſit. Adoleſcens rerum militarium malè gnarus cùm in caſtra veniſſet, cogitationem hoſtes perſequendi abiecit, militem ſe vino & epulis obruere ſuſtinuit. Quo per exploratores cognito, Cyrus ſuperuenit, potantes, epulanteſq; cum reginæ filio interfecit. Sed illa victorem pari inſidiarum fraude vlta eſt. Nam propter acceptam cladem timorem præ ſe ferens atq; fugiens, Cyrum ad anguſtias vſq; pertraxit, Ibi locatis in montibus inſidiis, ducenta Perſarum millia, vnaq; regem cruentiſſima ſtrage perdidit: vt ne nuntium quidem calamitatis relinqueret. C. Simillimum. Inclinata acies ſigno in hoſtes miſſo optimè reſtituitur: quod etiam faciendum, cum ſegnius pugnatur à milite. Præeunt exemplis Seruius Tullius, Furius Agrippa, T. Quintius Capitolinus, M. Furius Camillus, Saluius Pelignus. Cæſar ad Mundam ſuis pedem referentibus, in primam aciem pedes proſiliit: milites erubeſcentes Imperatorem deſerere, prælium redintegrarunt. P. Nullum genus exhortationis potentius, quàm facere ipſum ducem, quod à milite optat fieri. Quod Ageſilao ſollemne erat, cum aliquid celeriter vellet fieri. C. M. Attilius Coſ. bello Samnitico ex acie in caſtra cùm ſe trepidi reciperent milites, ſuorum iis aciem oppoſuit, teſtatus, eos ſecum, & cum ſuis pugnaturos, niſi cũ hoſtibus pugnare perſiſterent. Sic in aciem redierunt.

ſunt. Iam quomodo ingenioſe aduerſa diſſimulata, quomodo animos nutantium in fide retẽtos, quomodo artificioſe captam fugam legerim, mitto dicere, quoniam tu ipſe plurima eorum nouiſti. Redeo ad illud, quod quaſi in veſtibulo collocutionis noſtræ prolatum eſt: ſtrategematum, & à militaribus viris militariter dictorũ vtilitates in bello eſſe permagnas. Archidamus filium cum Athenienſibus iuueniliter ac temerè congredientem cernens: aut viribus, inquit, adde, aut animo adime. Hoc me docet periculoſam eſſe ſine virium reſponſu audaciam. Alter Archidamus, poſt conflictum apud Cheroneam, à Philippo accepit epiſtolam ſcriptam acerbius. Cui reſcripſit: ſi metieris vmbram tuam, haud reperies illam factam maiorem, quàm erat ante victoriam. P. Hoc ad arrogantiam vitandam. C. Et illud ad animum, vt ſic dixerim, animoſum. Cùm quidam militum dixiſſet Leonidæ de hoſtibus: ſunt prope nos: & nos, inquit, prope illos. Et hoc quoque. Pelopidam in bellum abeuntem muliebriter rogabat vxor, vt ſeruaret ſeipſum: alii, inquit, vt iſtuc faciant, monendi ſunt. Nam princeps ac dux hortandus eſt potius, vt ſeruet ciues. P. Et iſtuc. Pædaretus cuidam dicenti, magnum eſſe hoſtium numerum: tanto inquit, plus gloriæ referemus, quanto plures interficiemus. C. Ad officii nauitatem hoc. Scipio Africanus quibuſdam calumniantibus, quòd parum ſtrenuus bellator: Imperatorem, inquit, me mater, non bellatorem genuit. P. Et Imperatorem Cato maior aiebat, ſi minus ætate, certè moribus ſenem eſſe oportere. Quod proderit ad vitandam temeritatem in conſiliis. Huiuſcemodi mille proferri poſſunt: ſed ex paucis res tota intelligitur. Quamobrem hîc finem faciamus.

ANNOTATIONES.

QVÆ VOCANTVR STRATEGEMATA) *κακογράφως, ſeu mendosè ac vitiosè ſcribitur pronuntiaturq́ue vox hæc in ſecunda ſyllaba, cum vocali prima, ſtratagema, cùm ſit græcè στρατήγημα à στρατηγέω nō στρατέγημα. De eo ſic Valerius lib. 6. cap quarto. Illa verò pars calliditatis egregia, & ab omni reprehenſione procul remota, cuius opera, quia appellatione noſtra vix aptè exprimi poſſunt, græca pronunciatione ſtrategemata dicũtur. Cadit ergo etiam in hanc vocem, quæ in mille alias de Græcis mutuò ſumptas, querela Lucretij.*

Quam Græci memorant: nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrij ſermonis egeſtas.

QVOS MVLTI DE RE BELLICA) *Vegetius lib. 1. cap. 8. Nihil ait, mihi auctoritatis aſſumo, ſed horum, quos ſupra retuli, quæ diſperſa ſunt, velut epitomata conſcribo. Nominat autem, qui de armorum diſciplina ſcripſerint, primùm Catonem, cuius librorum fragmenta quædam reperiuntur apud Feſtum, Nonium, & Grammaticos veteres. Eiuſdem liber extitit de tribunis militum, & oratio de præda militibus diuidenda, ex qua hæc verba retulit Gellius li. 11. cap. 18. Fures priuatorum furtorum in neruo, atque in compedibus ætatem agunt: fures publici, in auro, atq́ue*

 in pur-

in purpura. Alia eiuſdem oratio de prada in publicum referenda NE COACTI DESPERATIONE CVM PVGNAVERINT) *Docuit multos Imperatores experientia, ſtudium nimium vita in pralio ſeruanda obfuiſſe militi: contrà abiectam viuendi ſollicitudinem, & deſperationem rerum extremam eidem ad vitam & incolumitatem retinendam profuiſſe. Quare quod Aeneas dixit apud Virgilium. Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem, perſapienter dixit: & erat tum eiuſmodi tempus, vt ſpei nihil videretur relictum: ferus Iupiter quippe omnia Argos tranſtulerat, & in vrbe, iam conflagrante, Danai dominabantur. Laudauit & Thucydides libro ſeptimo Syracuſanos, qui idipſum metuentes, cum Athenienſibus profligatis cominus pugnare noluerint: videbant nimirum, rem fore ingentis periculi confligere cum deſperantibus. Sylla quoq; apud Salluſtium pane oppreſſus inſidiis, paucos milites ſuos ad viriliter dimicandum cohortatus ait: quantò ſibi minus pepercissent, tantò fore tutiores. Et ſcripſerunt Spartiata Leonida exiguis copiis aduerſus innumerabilem Xerxis exercitum profecto,* μαχέσθων ὡς τεθναξόμενοι, καὶ οὐ τεθνάξονται. *Pugnent tanquam morituri, & non morientur. Seruius quoque in illud Virgilij, Vna ſalus victis, &c. Plerumque deſperatione robur augetur: vt Statius. Eſt vbi dat vires nimius timor. Item ſcimus captiuitatis mortē eſſe remedium. Hoc ergo ſuadet, vt aut deſperatione vincant, aut vitetur morte captiuitas. Volo ſanè his exemplum Q. Macedonici appingere, cuius ſeuerum in Hiſpania fuit imperium. Is narrante Velleio lib. 2. cùm vrbem Contrebiam oppugnaret, pulſasq; pracipiti loco quinque cohortes legionarias eundem protinùs ſubire iuberet, facientibus omnibus in procinctu teſtamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus propoſito, perſeuerantia ducis, quem moriturum militem miſerat, militem victorem recepit. Tantum effecit mixtus timori pudor, ſpeſq; deſperatione quaſita. Vide praterea quid ſcribat Iuſtinus lib. 20. de Locrenſibus contra Crotonienſes.* DE INTERFICIENDIS GABIORVM PRINCIPIBVS) *Hiſtoriam exſequuntur Liuius lib. 1. Ouid. 2. Faſt. Dionyſ. lib. 4. Valer. li. 7. Simile quiddam Sexto Taquinio Zopyrus amore Darij, quo Babylonem regia iuriſdictionis fecit. Iuſtinus lib. 1. Herodot. li. 3.* QVID AD SALVTEM SVAM OBSESSI) *Frontinus lib. 3. cap. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.* ANNIBALEM SEDENDO VICIT) *Prouerbium, Romanus ſedendo vincit, ex hiſtoria Fabij Cunctatoris natum eſt, qui Annibalem iuueniliter exſultantem patientia ſua molliebat. Hic Salinatori, qui amiſſo oppido fugerat in arcem, glorianti & dicenti, mea opera Q. Fabij Tarentum recepiſti: certè, inquit, ridens: nam niſi tu amiſiſſes, ego nunquam recepiſſem. Cic. in Catone. Vſurpatur in eos, qui quod volunt, etiam otioſi efficiunt, quiue non viribus magis, quàm arte rem feliciter gerunt.* NON PVTABAM) *Certiſſima nota imperitia ducis ac tarditatis, dicere, non putaui. Quàm hoc prudenter ab Iphicrate dictum ſit, patebit ex iis, qua diſputantur à Victorio li. 5. cap. 19.* NE NVNTIVM QVIDEM CALAMITATIS) *De praliis aduerſiſſimis, & calamitoſiſſimis cùm altera pars prope tota, & ad vnum occubuit, dici ſolet, ne nuntium quidē tanta cladis relictum. Et quanquam hoc optatur de hoſtibus,*

quippe

quippe in quos ſummum, & interneoinum ſolet eſſe odium, & videtur ad plenam & integram pertinere victoriam, tamen nonnunquam contemnitur. Sic cùm M Liuio, qui vnà cum collega Claudio Aſdrubalis exercitum conciderat, nuntiatum eſſet, quaſdam reliquias palabundas abire, quæ citra negotium deleri poſſent: ſuperſint, inquit, aliqui nuntij, & hoſtium cladis, & noſtræ virtutis. Victor. lib. 28. c. 20.

PROGYMNASMA
SEPTIMVM ET VICESIMVM.
Milites glorioſi.
ACILIVS POTITVS GLAVCIVS.

ACILIVS. Gloriæ nimiopere cupidi milites, deditique ei vitio, quod Græci ἀλαζωνείαν vocant, nos ſuperbiam, faſtum, tumorem, arrogantiam interpretamúr Itaque res ſuas ſupra verum efferunt, & cùm ipſi de ſe crepent magnifica, aliorum quoq; applauſibus, & acclamationibus mirè capiuutur, inflati opinionibus, & popularis auræ mancipia. Notauit hoc peccatum in Offic. M. Tull. quo loco de ſermone diſputat. Deforme etiam eſſe inquit, de ſeipſo prædicare, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. Quare etuditi illi imitatores, qui exemplaria vitæ morumq; reſpiciunt, vt inde veras voces ducant, Poetę inquam Comici Terentius & Plautus, huiuſmodi etiã homines nobis expinxerunt, & tanquam in ſpeculo conſiderandos exhibuerunt. P. Intelligo te dicere Eunuchum, Militem glorioſum, Truculentum tres fabulas: in quarum prima Terentius Thraſonem inducit: in altera Plautus Pyrgopolinicem, in tertia Stratophanem. Pro quàm facetè, lepidè, lautè: nihil ſupra. G. Veruntamen iidem Comici, vt militũ ſuorum ſtultitiam melius ponant ante oculos, paraſitos eis adiungunt, quorum aſſentatiunculis, & palpationibus, & nonnunquam etiam iocationibus, irriſionibusque, tanquam pueri, huc illuc aguntur. Nunc arrident, nunc admirantur: alias collaudant, alias quod vituperant, ipſi quoque reprehendunt. Iam affirmando, iam negando dictis eorum ſuffragantur: ſed ſimulatè omnia: quæ quidem fiunt cum legentium voluptate non modica. De hac re Cic. in Lælio. Nec paraſitorum, inquit, in comœdiis aſſentatio nobis faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi. Magnas verò agere gratias Thais mihi? Satis erat reſpondere, Magnas: Ingentes inquit. Semper auget aſſentatio id, quod is, ad cuius voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. A. Paraſitus igitur eſt in Eunucho Gnatho, in Milite Plautina Artotrogus: vterq; cum nomine, artificio ſuo conueniente. Quaſi mures ſemper edunt alienum cibum paraſiti. G. Non tamen vt mures etiam paruo victitant. Nam vel vnus octo hominũ munus facilè fungatur: adeo ſunt edaces. A. Eſt, inquam, in Milite Artotrogus: at in Truculento eius

partes ſatis ridiculè, & ſalsè, vt mihi viſum eſt, expleuit Aſtaphium ancilla. P. Cur igitur quærit ex Gnathone Thraſo, ecquid donum ſuum Thaidi placuerit, & num magnas ſibi gratias egerit? A. Cur quærat? occaſionem ſuimet laudandi inde cogitat arripere. Quam autem paraſiticè ſtatim, velut in numerato adulationes habens Gnatho? *Ingentes.* Adhuc maius quippiam ſubiungit. Interroganti enim: *ain' tu, læta eſt? Non tam ipſo quidem dono*, ſubiicit, *quam abs te datum eſſe, id verò ſerio triumphat.* Pergit Thraſo, & cùm factum ſuum fœliciſſimum, tum præclara facinora ſua edictat. *Eſt iſtuc datũ profectò, vt grata mihi ſint, quæ facio, omnia*: h. e. vt apud alios me in gratia ponant. Summũ ſe & auctoritatis, & amicitię locũ tenuiſſe apud Regẽ, qui ſibi omnẽ exercitũ conſiliaq; crediderit: nec habuiſſe alium perinde appoſitũ, vbi cum à negotiis vellet requieſcere, miſeriã illam iucundius ex animo expueret, & in cuius ſermonibus curas omnes ſollicitudineſq; tam hilariter deponeret. Quin & voluptatis eidẽ ſe fuiſſe ſocium, excluſis cæteris omnibus. *Tum me conuiuam ſolum abducebat ſibi.* P. *Hui regem elegantem narras.* A. *Immo ſic homo eſt. Perpaucorum hominum.* P. *Immo nullorum arbitror, Si tecum viuit.* H. Ha ha, vt belle veſtrûm alter factus eſt Thraſo, alter Gnatho. A. Neq; verò inuiſum ei fuiſſet, niſi felix eſſet. Quamobrem adiungit.

inuidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
Illi inuidere miſerę.

Ne autem putaremus, non eſſe acutum, & ingenioſum, duo inſuper dicta recitat: vnum quo Stratonem magiſtrum elephantorum, alterum quo Rhodium in conuiuio tetigit, & vt paraſitus ſubiicit, iugulauit, certè mutum reddidit. Sed de poſteriore audite vt ſibi fatuus iſte Thraſo placeat. Nam cùm riſiſſet paraſitus, & in cælum illud extuliſſet, quærit callidè, quo ſtultitiam hominis demonſtret apertius.

Tuum obſecro ne hoc dictum erat? vetus credidi.
T. *Audieras?* G. *ſæpe, & fertur imprimis.* T. *meum eſt.*

Addit deinde, adoleſcentem dicto propè exanimatum, & omnes, qui aderant, riſu propemodum emortuos. Denique, *Metuebant omnes iam me.* Hoc illi magnum eſt, metui ab omnibus. P. At piſtor Plautus ſuos milites magis militariter gloriantes facit: nihil niſi bellum, & arma loquitantur: ſed ita, vt nihil poſſit fingi æquè facetum, & ridiculum. En quid ſeruis mandet Pyrgopolinices, turrium ſcilicet, vrbiumq; expugnator: id enim eius nomen ſonat.

Curate, vt ſplendor meo clypeo ſit clarior,
Quàm ſolis radij eſſe, olim cum ſudum eſt, ſolent.
Vt, vbi vſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtinguat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc macharam mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, néue animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.

G. Prius

G. Principium grandiloquum, gloriarum plenum. Sed vt ſimiles habe-rent labra lactucas, induxit huic oſtentatori longè alium laudatorem, quàm Thraſoni Terentius. Nec mirum: ſtudet enim elicere riſum Plautus, in quo natura planè deſeruit illum alterum. Significat interim Artotrogus, quo potiſſimum fine cantilenam iſtã canat: *oſſa, inquit, me mouet*: & ſupra: ventrem ſibi creare has ærumnas, auribus ſibi peraudienda, ne dentes dentiant. Et aſſentiendum, quidquid ſit mentiturus, miles, in cuius gratiam ipſe quoque dicturus ſit, quæ ille nunquam fecerit. Vide, ait Terentius, quid faciat oſſum, & cibus alienus? P. Quin verſus facetiſſimos, tametſi non omnes, recitamus? Faciam ego me Pyrgopolinicem: alter veſtrum migret in paraſitum. Vter vult paraſitari? A. Vellem ego, ſi eſſet ſpes cœnatica: verùm magis hìc futurum ſperare licet, quod in veſicam, quàm quod in ventrem eat. Nunc iſtum honorem mandes licet Glaucio. P. Hem Glauci.

Vbi tu nunc es? G. Hic eſt, ſtat propter virum
Fortem atq; fortunatum, & forma regia,
Tum bellatorem Mars *haud auſit dicere,*
Neq; æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
P. *Quemne ego ſeruaui in campis Gurguſtidoniis?*
Vbi Bombamachides Cluninſtaridyſarchides
Erat imperator ſummus, Neptuni nepos.
G. *Memini, nempe illum dicis cum armis aureis,*
Cuius tu legiones difflauiſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut paniculam tectoriam.
P. *Vbi tu es? G. eccum edepol: vel elephanto in India*
Quo pacto pugno perfregiſti brachium.
P. *Quid: brachium? G. Illud dicere volui, femur.*
P. *At indiligenter hîc eram. G. Pòl ſi quidem*
Connixus eſſes, per corium, per viſcera,
Perq; os elephanto brachium tranſmitteres.
P. *Ecquid meminiſti? G memini. Centum in Cilicia*
Et quinquaginta, centum Sycolatronida,
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones
Sunt homines, tu quos occidiſti vno die.
P. *Quanta iſthæc hominum ſumma eſt? G. Septem millia.*
P. *Tantum eſſe oportet, rectè rationem tenes.*
G. *Quid in Cappadocia? vbi tu quingentos ſimul*
Ni hebes machæra foret, vno ictu occideres?
Quid ego tibi dicam, quod omnes mortales ſciunt?
Vnum te nempe, atq; vnicum hodie viuere
Virtute, & forma, & factis inuictiſſimis?
Videtur tempus eſſe, vt eamus ad forum,
Vt, in tabellis quos conſignaui hîc heri
Latrones, quibus dinumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere orauit maximo

 Vt ſibi

Digitized by Google

Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.
Regi hunc in diem mihi operam decretum eſt dare.

Hæc à principio comœdiæ, quæ nos, vt voluimus, in noſtrum hoc colloquium inſeruimus. Dicit poſtea idem miles, miſiſſe ſe ad Seleucum regem paraſitum ſuum, vt latrones, quos conduxiſſet, ad Seleucum duceret, qui interea eius regnum tutarentur, dum ſibi otium fieret. Ecce vel regno integro tutando ſe parem profitetur. Deridet eundem Palæſtrio audientem, apud Milphidippam: meros dicens bellatores edere, quas ille prægnantes faceret, & pueros viuere annos octingentos. Sed verſus cõſequentes adducamus in medium.

PY. *Quin mille annorum perpetuò viuunt, ab ſæculo ad ſæculum.*
PA. *Eo minus dixi, ne hæc cenſeret me aduerſum ſe mentiri.*
MI. *Perij, quos hic annos viuet, cuius filij tam diu viuunt?*
PY. *Poſt triduo natus ſum, mulier, quam Iupiter ex Ope natus eſt.*
PA. *Si hic pridie natus foret, quam ille eſt, hic haberet regnum in cœlo.*

Ancillæ eiuſdem hæc ſunt ex eadem comœdia, quàm aſſentatoria?

Age mi Achilles, fiat quod te oro, ſerua illam pulchram pulchrè.
Exprome benignum ex te ingenium, vrbicape, occiſor regum.

Quid præterea Pyrgopolinices?

Non mihi auaritia vnquam innata eſt: ſatis eſt diuitiarum,
Plus mihi auri eſt modiorum Philippei.

A. Dum nos è comœdiis milites glorioſos inſpicimus, eorumque voces inſolentis faſtidii, & arrogantiſſimi ſpiritus plenas proferimus, ſubit è tragœdia alius quidam Pyrgopolinices, longè quam hic ſuperbior, ac proinde, vt videtur immiſſa cœlitùs inſania exagitatus, & ad mortem miſerabilem datus. G. Quiſnam hic obſecro? aut à quo tandem deſcriptus Tragico? A. Aiax Telamonius, de quo Sophocles, eum è patria proficiſcentem in militiam, benè prudenterq; monenti patri ſtultè nimis, & arroganter reſpondiſſe. P. Quid ergo pater monuit, & quid contrà filius reſpondit? A. Dicam latinis verſibus, vt potero: inconditè fortaſsè, ſed tamen vt res poſſit intelligi.

Aiax lares ſed cum relinqueret ſuos,
Dementis in morem benè monenti patri
Reſponderat. Sic ille: Fili, bellica
Virtute fac vincas, deo ſed auſpice.
At arroganter hæc parenti retulit,
Atq; ſtolidè: adiuuante, mi pater, deo
Victoria potitur ignauiſſimus:
At deſtitutus etiam ope deorum, ſcio,
Belliq; me confido adepturum decus.

G. Nihil potuit vel dici, vel cogitari magis ſuperbum, atque impium. Etiam ſine Deo ſibi ſpondet victoriam. Quantum hic abeſt ab ea religione, quæ niſi propitio Deo, nihil ſe poſſe confitetur? quo non temeritatis & audaciæ tandem proceſſerit humanum ingenium? A. Vt ne parum eſſet glorioſus, atq; ſacrilegus, etiam Mineruam contempſit. Nam cum

Digitized by Google

cum ea illum ad pugnam cohortaretur, & ad hoſtes inuadendos incitaret, ſic eam eſt affatus.

Regina

Per cæteris Graiis opem, non hoſtium
Hac quiſpiam perrumpit in tentoria.

Huiuſcemodi verbis, ait Sophocles, implacabilem Deæ aduerſus ſe iram commouit, quoniam ſupra mortalium ſortem, conditionemq; ſe extulit. P. Terruiſti nos narratione iſta inexſpectata prorſus & admirabili. Mihi tamen non diſſimilis, & confidentiæ, & vltionis ex Euripide refricata eſt recordatio. Aiacem in gladium incubuiſſe omnes nouimus. At Capaneus vnus è ſeptem ducibus Argiuorum, cùm ſe etiam diis inuitis mœnia Thebarum occupaturum inſolentiſſimè iactaret, fulmine ictus de ſcalis decidit, animamq; miſer illico exſpirauit. Etiam ex Homero Aiacis Oilei, qui in 4. Odyſſ. non veretur affirmare, ſe diis etiam nolentibus euaſurum maris pericula. Non tamen euaſit, nam Pallas eius claſſem exuſſit, eumq; ità tractauit, vt in 1. Æneid. ſcripſit Virgilius. G. Talis erat Philiſtæus ille ſpurius, nomine Goliath, ſex cubitos altus, & palmũ, indutus caſſidem æream, & loricam hamatam, & ocreas æreas, & clypeum tenens cum haſta trabali, qui exprobrabat agminibus Dei Iſrael quadraginta diebus. Et hic ab adoleſcente inermi, vnius inflictu è funda ſilicis ad terram proſtratus, & ſuo ſibi gladio mactatus eſt. At, quoniam è Plauto alius miles ſupereſt, eum quoque conſideremus, ſi placet. A. Non minus Stratophanis quàm Pyrgopolinicis confidens, & turgida oratio.

Ne expectetis ſpectatores, meas pugnas dum prædicem,
Manibus, duellis prædicare ſoleo, haud in ſermonibus.
Scio ego multos memorauiſſe milites mendacium.
Et Homeronidam, & poſt illa mille memorari poteſt,
Qui & conuicti, & condemnati falſis de pugnis ſient.
Non laudandus, cui plus credit qui audit, quàm qui videt.
Non placet cum illi plus laudant, qui audiunt, quàm qui vident.
Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.
Non placet, quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant:
Neq; illi, quorum lingua gladiorum aciem præſtinguit domi.
Strenui nimio plus proſunt populo, quàm arguti & cati.
Facilè ſibi facunditatem virtus arguta inuenit.
Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica.
Quæ alios collaudare abſentes, ſeſe verò non poteſt.

Hæc miles, cuius morbum cum noſſet Aſtaphium, perbellè ſe ad eum accommodauit. Nam cùm ſciſcitaretur de puerperio dominæ, & eum partum putaret ſuum: peperit, inquit, puerum nimum lepidum. Inſiſtit vltra quærere.

ecquid mihi ſimilis eſt? A. Rogas?
Quin vbi natus eſt, tam macharam & clypeum poſcebat ſibi.

Digitized by Google

S. *Meus eſt. Scio iam de argumentis: nimium quidem ſimilis eſt, papæ.*
Iam magnus eſt? iamne electat legiones, quas ſpoliare velit?
A. *Here nudius quintus natus quidem ille eſt. S. quid tum poſtea?*
Inter tot dies quidem hercle iam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex vtero exitio eſt, priuſquam poterat ire in prælium.

Quid reliqua vobis afferam? Martem ſe appellat, filium ſibi peperiſſe ait mulierem, qui ædes ſpoliis oppleturus ſit. Donans eam duabus ancillis, è Syria ſe adduxiſſe iactat, quæ ambæ domi reginæ fuerint, quarum patriã ipſe manu ſua exſciderit. Relictus ab introgrediente, vult ſuffringere talos totis ædibus. P. Reperiuntur tamen etiam aliis in artibus, & vitæ generibus, qui horum, quos contemplati ſumus, militum amentiam egregiè imitantur, & de ſuis rebus admodum Thraſonice loquuntur. G. Valeāt illi, valeant hi: plurimùm facere, ac minimùm de ſe loqui, ea demum magna virtus eſt. A. Ergô, quod quibuſdam vſitatum ſcio, minimum facere, ac plurimum de ſe loqui, id demum magnum vitium eſt.

ANNOTATIONES.

NOS SVPERBIAM, FASTVM) *Poteſt idem dici latinè oſtentatio, gloriatio, venditatio, iactantia, iactatio. Vlpianus in Demoſthenem ἀλαζονείαν ait eſſe hominum, plura, quàm præſtare poſſint, pollicentium: contrariam eſſe εἰρωνείαν, quæ diſſimulat ea ſe præſtare poſſe, quæ poteſt.* PARASITOS ADIVNGIT) *Vocat etiam ridiculos hoc genus hominum Plaut. Capt. Neq; ridiculos iam terunciȷ faciunt. Sticho. Vides ridiculos nihili fieri. Proinde in eadem comœdia paraſito nomen indidit Gelaſio, à riſu videlicet, quem excutere ſtudent ſuis paraſitationibus.*

Gelaſimo nomen mihi indidit paruo pater,
Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi.
Quia indè iam à pauxillo puero ridiculus fui:
Eo quia paupertas fecit, ridiculus vt forem.

Saturio, Gnatho, Artotrogus ab alio eorum munere, nempe à paſcendis ventribus ſunt impoſita. PALPATIONIBVS) *Palpationes ſunt blanditiæ, & aſſentationes. Plaut. Menech. Aufer hinc palpationes. Et palpatores, adulatores, blandidici. Ibid.*

Voluptariȷ atq; potatores maximi.
Tum ſycophantæ, & palpatores plurimi
In vrbe hac habitant.

QVASI MVRES SEMPER) *Querela Ergaſili in Capteiuis. Similibus, immo iiſdem verbis in Perſa Saturio.*

Nam nunquam quiſquam meorum maiorum fuit,
Quin paraſitando pauerint ventres ſuos:
Pater, auos, proauos, atauos, tritauos
Quaſi mures ſemper edere alienum cibum.

Eſt autem admiratione dignum, quàm copioſè, quàm feſtiuè pluribus locis Plautus paraſitorum, menſas alienas conſectantium ſtudia, & de fame que-

Digitized by Google

me querimonias exſequatur. In Perſa idem, quem nominaui, Saturio fatetur ſe paraſiticam facere propter alimoniam: eſſe veterem atq; antiquum quæſtum ſuum, quem ſeruet atque obtineat, & cum magna cura colat. In Sticho, Gelaſimus ſuſpicatur, famem ſibi matrem fuiſſe: quoniam poſtquam natus ſit, nunquam ſatur fuerit. Se autem matri ſuæ, quamquam inuitum, talem referre gratiam, qualem nemo adhuc mortalium vel referat, vel relaturus ſit.

Nam me illa in aluo menſes geſtauit decem,
At ego illam in aluo geſto plus annos decem,
Atq; illa puerum me geſtauit pariundum,
Quo minus laboris cepiſſe illam exiſtimo.
At ego non pauxillulam in vtero geſto famem:
Verùm herclè multò maximam, & grauiſſimam.
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie.
Sed matrem parere nequeo, neſcio quomodo.
Audiui ſæpe hoc vulgo dictum dicier.
Solere elephantum grauidum perpetuos decem
Eſſe annos, eius ex ſemine hæc certò eſt fames.
Nam iam complures annos vtero hæret meo.

Omitte verſus reliquos, quibus ait, ſe natum per annonam caram, propterea nunc acrius eſurire: & generi ſuo hanc redditam benignitatem, vt nulli negare ſoleant, ſi quis eos eſum vocet. Omitto & de reliquis comœdijs exempla promere, ne fiam longior. OCTO HOMINVM MVNVS) *Menæchmus cùm iuſſiſſet Cylindrum coquum ſportulam capere domina, dediſſetq; tres nummos ad obſonium emendum, quod tribus eſſet ſatis: nominaſſet autem ſe, Menæchmum, & paraſitum, reſpondet Cylindrus, iam iſti ſunt decẽ: Nam paraſitus octo hominum munus facile fungitur. Sic in Perſa ſuis maioribus, quos omnes fuiſſe paraſitos dixerat. Neq; edacitate eos quiſquam poterat vincere.* VT GRATA MIHI SINT) *Gratum aliquando eſt, non quod libentibus nobis accidit, ſed quod nobis apud alios gratiam parit, ſeu in gratia nos apud quempiam ponit, quam vim, & hoc loco habet, & Heaut. Cùm gratum mihi eſſe potuit, nolui. Id eſt, quando ea res mihi patris gratiam conciliare potuit. Eandem notionẽ dedit eius cõtrario Catullus, epigrammate quo de perfidia eorum, qui ſe amicos ſimularent, conqueritur.*

Deſine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare tuum,
Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne eſt, &c.

PERPAVCORVM HOMINVM) *Homo perpaucorum hominum, aut qui paucis vtitur, aut de paucis eſt, aut qui paucis placet, hoc eſt bonis & ſapientibus, qui ferè pauci ſunt. Sic Donat. in Terent. Illi etiam perpaucorum hominum dicentur, qui ſuis quibuſdam ſunt moribus, neque faciles ad cuiuſuis conuictum.* NE LAMENTETVR, NEVE ANIMVM) *Sic Cicero quoque more poëtico rei inanimæ atq; adeo armis, vt hîc Plautus, ſenſum amplificationis ergo tribuit, orat. pro Ligario. Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis*

ſenſus

Digitized by Google

ſenſus erat armorum tuorum? proſopopœia dicitur ſchema. FARTVM FACERE EX HOSTIBVS) *Fartores carnes, unde fartimina, iſicia, & ſimilia confecturi ſunt, concidunt, & comminuunt in partes minutiſſimas, atque iis inteſtinum aliquod farciunt: quam materiam fartum vocant. Sic ſe quodammodo ex hoſtibus fartum facturum gloriatur miles, id eſt, eos ſua machæra in particulas minutas diſſecturum. Vide Mureti lib. 3. cap. 9.* QVEM NE EGO SERVAVI) *id eſt, is ne, quem ego ſeruaui? Plurima huius formæ exempla videas in ſcriptoribus primi nominis. Plaut.* Moſtell. *Quo peſſume modo? quané iam ſubducta erat Tutò in terram? Epid. Quámne hodie per vrbem nos, vterque ſumus defeſſi quærere? Terent. And. Quémne ego heri vidi ad vos afferri veſperi? & Phorm. Quódne ego perſcripſi porrò illis quibus debui? Cat. de nupt. An patris auxilium ſperem? quémne ipſa reliqui? Idem. Quine fugit lentos incuruant gurgite remos?* IN CAMPIS GVRGVSTIDONIIS) *Finxit hoc nomen Plautus, & vt nomen Imperatoris, quod mox ſequitur.* PANICVLAM TECTORIAM) *Panicula in arundine, eſt caput arundinis, floris, aut tenuis membranæ ſimile, qua integi domus villatica ſolent. Plinius lib. 16. c. 36. Tegula earum (arundinum) domus ſuas Septentrionales populi operiunt. Et non longè infra. Cæterùm gracilitas nodis diſtincta leui faſtigio tenuatur in cacumina, craſſiore panicula coma, neque hæc ſuperuacua &c.* VNVM TE NEMPE ATQVE VNICVM) *Has duas voces vnus & vnicus coniungit etiam alibi: vt in Truculent. Ain' tu illam me amare?* AS. *Immo vnicè vnum. Bachid. ecquidnam meminit* Mneſilochi? PI. *Rogas? Immò vnicè vnum plurimi pendit. Sticho,*

Sed hic crucior, ſoror,
Patrem tuum meumque, adeo vnus qui vnicè
Ex omnibus perhibetur ciuis probus,
Eum nunc improbi officio fungi viri.

In Cap. dixit magna emphaſi, vnico magis vnicus. Sic enim Ergaſilus ad ſenem dicentem.

Alienus cum eius incommodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere eſt, cui ille eſt vnicus?
E. *Alienus ego? alienus ille? ab Hegio,*
Nunquam iſtuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille vnicus eſt, mihi eſt vnico magis vnicus.

Catullus.

Væ mihi, quem nemo grauius, nec acerbius vrget,
Quam modò qui me vnum, atque vnicum amicum habuit.

VT SIBI LATRONES COGEREM) *Non ſolùm inſeſſores viarum, quod à latere adoriuntur, vel quod latenter inſidiantur, ſed etiam cuſtodes corporis, vt milites mercede conducti, olim latrones appellantur. Fuſius de iſta voce Victor. lib. 16. cap. 17.* TALIS ERAT PHILISTÆVS) *Hiſtoria eſt Regum lib. 1. cap. 17.* PRO PRÆFICA) *Præficæ mulieres, ad lamentandum mortuum, conductæ, quædam cæteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfecta. Ita Feſtus. Nonius, Præficæ dicebantur apud veteres, quæ adhiberi ſolent funeri, mercede conducta, vt & flerent, & fortia*

Digitized by Google

fortia facta laudarent. PLVRIMVM FACERE, AC MINIMVM) *Tribuit hanc laudem Iugurtha adoleſcenti inter cæteras Salluſtius in Iugurthino.*

PROGYMNASMA
OCTAVVM ET VICESIMVM.
Vrbis Troiæ excidium.

EVMENIVS, PIONIVS, LVCETIVS.

EVMENIVS. In mœſtiſſima illa, vereque tragica querimonia de mutabilitate, & inſtabili conditione rerum proſperè fluentium,& fortunæ blandientis inconſtantia, quam dedit Hecubæ iam captiuæ Seneca,exorſu eius tragœdiæ,quam Troadem inſcripſit, dolenter admodum, ac propter rei totius animo euidentius informatam imaginem,præſentemque velut aſpectum,cum aliquo fletu legi,quæ ſuper euerſione, & incenſione nobiliſſimæ ampliſſimæq; vrbis, quam Poetæ ſæpius Pergama, nos aliquando Ilium,creberrimè,& vſitatiſſimè Troiam nominamus,adeo miſerabiliter proferuntur. Et procul dubio tanta gaza,tantus ædium magnificarum ſplendor, tot propugnacula, tot puberum impuberumq; myriades vnius ſpatio noctis perdita commiſerationem excitare non vulgarem debent. Cicero quoties de morte Socratis apud Platonem legebat,ei illacrymare ſolitus eſt:tantus fuit in eo humanitatis ſenſus. Nos occaſui,&tanquam funeri tam inclytæ ciuitatis nō illacrymemus? Atqui nec duri miles Vlyſſis tam lamentabiles caſus, triſtéſq; ruinas audiendo temperat à lacrymis:& captis Syracuſis,Marcellus obſeſſor atq; hoſtis eas cohibere non potuit. Verùm longius diuagor ab incepto:hem verſus, de quibus dicebam.

columen euerſum occidit
Pollentis Aſiæ,cælitûm egregius labor.
Exciſa eſt ferro Pergamos,incubuit ſibi,
Et alta muri decora congeſti iacent,
Tectis aduſtis regiam flamma ambiunt,
Omniſq; latè fumat Aſſaraci domus,
Non prohibet auidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troia,nec cælum patet
Vndante fumo,nube ceu denſa obſitus
Ater fauillo ſquallet Iliaca dies.
Stat auidus ira victor,& lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoſcit annis. Horret afflictam quoq;,
Victamq; quamuis videat, haud credit ſibi
Potuiſſe vinci:ſpolia populator rapit.

Dar-

Digitized by Google

Dardania prædam mille non capiunt rates.

P. Narro tibi, commouent eadem carmina me vehementer, dum lego: id quod ſæpius facio, quàm nonnulli, qui vatem hunc non perinde admirantur. Ego verò, qui vndequaque ſummus non ſit, non ideo infimum numerari: nec ſuperiorum excellentiam inferiorum reſtinguere ſtudia, & infringere audentiam oportere exiſtimo: & qua ſermonis, qua ſententiarum, qua affectuum, qua granditatis ſuam illi palmam haud denegandam libere pronuncio. In huiuſmodi igitur lectiunculis, quibus ſubſeciuas dare horulas conſueui, etiam illa menti meæ incidunt è Tuſculanis, quæ à Cicerone ex antiqua tragœdia Enniíne an Attii? adducuntur, his abs te modò recitatis perſimilia:

O pater, ô patria, ô Priami domus
Septum altiſono cardine templum.
Vidi ego te, adſtante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore, inſtructam regificè:
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.

E. Quid ait Lucretius? L. Suſpirare, indoleſcere malis alienis, grauiterque angi, quamuis inimicorum infortuniis, ex media laude humanitatis eſt. Neſcio autem quomodo illuſtrium hominum, magnarumque vrbium clades, & ærumnæ facilius allectant animos ad miſericordiam. Itaque iuxta vobiſcum miſeror Troianos, illoque interfectorum numerò non temerè maiorem in vllius obſidione vaſtationeq; vrbis reperirii poſſe arbitror. P. Dic nobis de iſto numero explicatius. L. Scriptum video, toto decennio, menſibus ſex, & diebus omnino duodecim, quanto tempore circumſeſſum eſt Ilium, & pugnæ tam multæ pugnatæ; de Græcis oppetentes humum momordiſſe octogiata ſex millia ſupra octingenta: de Troianis & auxiliaribus ſexcenta ſeptuaginta ſex: id eſt, ſi ſubducamus rationem, vtrinq; quindecies centena ſexaginta duo millia: quo verius Troiam Catullus commune ſepulchrum Aſiæ, & Europæ vocauit: & Æneas meritò apud Maronem affirmat.

vbi tot Simois correpta ſub vndis
Scuta virûm, galeasq;, & fortia corpora voluit.

E. Infeliciſſimi ciues, quare tantam vim malorum Caſſandræ vobis vaticinanti non credidiſtis? P. Helenum quoque, & Euforbium patrem Panthu ſacerdotis prædixiſſe illis exitium teſtatur Dares Phrygius: & Caſſandram tum demum ora ſoluiſſe in vaticinium, tam Græci quidam poetæ, quàm Virgilius canunt, cùm videlicet equum illum durateum intra mœnia inductum aſpexiſſet.

Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, dei iuſſu non vnquam credita Teucris.

L. Immo illæ voces (Tunc etiam) hoc volunt: aliàs quoque prædixiſſe ventu-

Digitized by Google

venturam calamitatem, cùm primùm ſcilicet Helenam monſtrum longè infelicius, peſtemque fatalem eſſet intuita. P. Prædixerit. Et nos Romanorum honori atque famæ conſulentes, qui ab Ænea ſeſe propagatos, & nepotes Veneris gloriabantur, non ipſum, & Antenorem, ſed equum illum inſtar montis, ligneum, ab Epeo fabricatum, armatis refertum, ac per crudelitatem nimiam in arce, Sinonis fraudulentia, & impoſtura collocatum, tam fortunatam vrbem prodidiſſe, ac perdidiſſe aſſeramus. Recepta verò illa ſacerrima mole intra muros, quæ gaudia eo die non agitata? quod lætitiæ genus prætermiſſum? Ridebantur per compita & circulos Græci, & contumelioſiſſimè lacerabantur, qui re infecta poſt tot annos domum abire cum dedecore coacti fuiſſent. Indictæ feriæ, clauſis officinis itum ad nitidiorem veſtitum, templa inumbrata ſertis ac frondibus, viæ conſtratæ gramine & floribus, inſtituta conuiuia & ſympoſia. Aderant vnguenta paſſim, nectebantur coronæ, odores incendebantur, cantabatur, ſaltabatur, edebatur, ludebatur, vomebatur, donec & plurima nox, & multa bacchationum laſſitudo ſomnum an ſuaderet an impetraret? Iacent ſecuri malorum omnium, ſopore demerſi altiſſimo: cum interea Græci tempus nacti opportuniſſimum, mediæ, inquã, ſeu concubiæ noctis ſilentium, accenſa lampade in prætoria naui, quo indicio Sinon quoque aduentum eorum cognoſceret, claſſeque ordinata à Tenedo, vbi latuerant, verſus Ilium μέγα πνέοντες procedunt: equis conſulto relictis, ne hinnitibus eorum expergefacti Troiani ad arma contrà expedienda tempus inuenirent. Triueneficus, Acherontis pabulum, & periurioſiſſimus ille Sinon incluſos vtero equi milites cum ducibus emittit: qui confeſtim vigiles malè vigiles contrucidant, portas recludunt, ſociorum complurà millia intromittunt, inſtructiſque agminibus, incitatiſſimo impetu, & furore inſaniſſimo ciues ad reſiſtendum longè imparatiſſimos, ſomno videlicet, ac vino ſepultos adoriuntur. Volant vbique ad tecta faces, & crebreſcunt incẽdia, quibus etiam mare vicinum propter ſpatioſam vrbis conflagrantis amplitudinem relucebat, & infinita vis luminum à Græcis comparata geſtataq; manibus, lucem diurnæ ſimilem fundebat. Confuſi virorum, mulierum, oppidanorum, atq; hoſtium clamores exoriuntur, tubarum, armorumq; ſonitus magis atq; magis clareſcunt, & procul domorum procumbentium fragores exaudiuntur. Ferro & ignibus miſcebantur omnia: nec aut ſexus, aut ætas verecundiam impio militi faciebat: nec ipſe locus, quantumuis ſacer, crudeliſſimos animos deterrebat, quo minus ibidem ſupplices in deorum conſpectu mactarent. Quàm multi in ipſis lectulis obtruncati, qui vel ſerius vrbis captæ clamorem acceperant: vel morbo aliquo grauiore conſtricti, inde ſe corripere non poterant? Plurimi præterea nudi dum fugam agitant, in manus & gladios inimicorum inciderunt: qui in obuios haud ſecus, quàm leones irritati in imbelle pecus ſæuiebant: nec erat cuius non imbutum aliquorum cruoribus ferrum vidiſſes. Etiam ignauus ac timidus Græcus ibi animoſus, & interritus euadebat: & qui ſemper ouis, tũ ſe pro lupo gerebat, & laniatibus exultabat.

Vidiſ-

Digitized by Google

Vidiſſes opertas cadaueribus plateas, & quoquo verſum ſanguinis riuulos procurrentes.

Luctus vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

Mulieres altiſſimis ploratibus ſidera pulſare, comaſque vellicantes, & plangentes pectora non modò ſine peplis, ſine mitris, ſine flameis, abſque vllo cultu, verùm etiam ſeminudæ, per publicũ (formido quippe & pudorem & mentem excuſſerat) diſcurſare. Aliæ cum animo eſſent generoſiſſimæ, cernerentq; id poſtulare (cuius ſummum eſt imperium in rebus omnibus) neceſſitatem, quicquid telorum fortuna porrigeret arripiebant, vt viros tuerentur. Sed eas vagitus vociferationesq; infantium, & puſillorum liberum aduertebant, & ab incepto auertebant. Quædam maritos rogitabant, vt in ipſas ipſi mucronem conuerterent, & ceruices amputandas ingerebant: ne vel in ſeruitutem raptarẽtur: vel importunã victoris libidinem exatiare corporibus ſuis fœdiſſimè patientes cogerentur. Ob eaſdem cauſas nonnullæ ad ſui cædem milites, verborum in eos iacta contumelia impellebant. Tam audaces, vitæq; contemtrices amor libertatis, & pudicitiæ faciebant. Erant qui teneros natos occultabant, ſi fortè illos ſiue Deus, ſiue caſus aliquis ſeruaret incolumes. Nouæ nuptæ, cùm viros inter lethalia vulnera cum morte luctantes intuerentur, ſibimet mortiferas manus inferre, ne iis manerent ſuperſtites, in quorum membris viuebant. Credibile duco, fuiſſe non paucas, quæ cùm vterum ferrent, & à partitudine proximè abeſſent, repentinis exanimatæ terroribus, partum abiecerint, vitamque ſimul amiſerint. Quamcunque ad portam vrbis effugii gratia properaret aliquis, eam obſeſſam, & cuſtoditam reperiebat, & mox lethali plaga percuſſus concidebat. Aliqui cum per tenebras, aut lucem malignam haud ſatis hominem ab homine poſſent internoſcere, hoſtem pro amico ſalutabãt: ſed non pari modo reſalutabantur: & ſubitò præmium ſalutationis minimè expectatum, diram videlicet mortem recipiebant. Inuenti qui faſtigia culminum conſcenderent: ſed eos aut per incendiorum, aut per lunæ lucem conſpectos Græci ſagittarum iactibus & tactibus deiiciebant. Bona pars, malè concocta crapula, & adhuc ebria multo Baccho trahens veſtigia, ſtrepitu excita, dum per ſcalas quærit deſcenſum, fallente gradu præcipiti lapſu corruere, fractoque collo exſpirare. Oberrare hi per ædes, manibus inteſtina per vulnus effuſa complectentes. Illi præſectis cruribus cum comploratione per cadauera reptare. Fugientibus in tergis hærebant haſtæ. Si qui vnius enſem euaſiſſent, illicò in alterius mucronem ſe induebant. Quod ſi quibuſdam rediret virtus in præcordia, ſeſeq; glomerantes audacter in hoſtem ruerent, tamen numero obruebãtur. Occubuerunt nihilominus de Græcis non pauci, nec nullo ſanguine illis ſtetit illa victoria. Cerneres hunc Troianum craterem impingentem in huius caput: illum titione acriter pugnantem, & fugantem aduerſarium: alium in ventrem contra ſe irruentis adigentem veru, de quo nondum detractus eſſet aſſus porculus. Lapidibus, ſecuribus, fuſtibus rem gerebant, & ſe, quamdiu per fata licebat, conſtã-

ter

Digitized by Google

ter defenſabant. Prætereo illos, qui de turribus præcipites ſe dederunt, aut in medios ignes deſiluerunt, ne maiorem hoſtibus exultandi materiam offerrent. Nulla clementia, nullus trucidandi finis, niſi quem defatigatio afferebat. Nec canities ſenum, ad genua ſuppliciter abiectorum, nec puſiones, ad materna pendentes vbera, quemquam vel paulùm retardabant. Nullus cuiuſquam Dei timor, nulla reuerentia: quandò eorum quoque aras miſerorum ſanguine reſpergere non dubitabant. Pauci omninò diuinitùs euasêre, patriam, velut nauim magnam, in turbulentiſſima tempeſtate relinquentes, ipſi arrepta tabula ſeruandæ vitæ, omni conatu in littus, quod ſors daret, enatantes.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

L. Generatim, & συμπαθέστερον, Pioni, vltimum nobis diem Troiæ qualis fuiſſet, expoſuiſti, & in commemoratione dolorum alienorum non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. At mihi quorundam principum virorum, fœminarumque caſus in illo communis patriæ interitu digni etiam memoria, & ſeparata quadam narratione videntur. Ah quàm atrox malum inuenit Caſſandram, Deiphobum, Regem ipſum? Vidit item miſerrima, & pars eorum magna fuit Æneas, non per ſe mo- [illegible]rum etiam propter patrem ſenem, Creuſam vxorem, & Aſcanium [illegible] Quàm immaniter vita extorta Aſtyanacti puero Hectoris filio? [illegible]rs, quam infelix regiarum mulierum? Caſſandram, Mineruæ ſa[illegible]tem, Priamique filiam virginem in ipſo Deæ delubro, Aiax, Oilei [illegible] ſacrilegiſſimam audaciam ſtupro violenter maculare non hor[illegible] Quo ſcelere tantoperè indignata Pallas ſcribitur à Poetis, vt fauo[illegible]m in Græcos odio commutauerit. B. Nec iſtuc tantùm, ſed & [illegible]ſſorem ipſum ea pœna vindicauit, quam luculento carmine per[illegible] eſt Virgilius.

Palláſne exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Diſiecitque rates, euertitque æquora ventis.
Illum exſpirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.

Hoc quidem Aiax deſignauit in Caſſandram, & tali affectus eſt pretio, quale retuliſti. At Græci, quam in eandem exercuerunt immanitatem, nullo ſupplicio expiarunt: miror ibi dormitaſſe, & conniuiſſe Palladem. P. Quam immanitatem dicis? L. Qua indignior excogitari nulla queat fortaſſe.

Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus à templo Caſſandra adytisque Mineruæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Deiphobus poſt Paridis germani obitum Helenam pro vxore habuit, qua proditus, & ab Vlyſſe ac Menelao non ſolùm interfectus, ſed etiam naſo, auribus, & manibus prætruncatis, inhoneſtiſſimè per impotentem iracundiam deformatus eſt. Cæterum ipſa regia, quoniam ſpem prædæ & gloriæ maiorem concitabat, adeò ardentibus animis, adeoq; ingenti mole, & magnis operibus, atq; viribus oppugnata eſt, ac ſi aliis vrbis regionibus eſſet otium, nec cuiuſquam caput in diſcrimen veniret. Acta teſtudine, ſcalisq; admotis aſcendebant, ſcuta ſiniſtris contra tela ſuperincidentia obiectabant, dextris ipſa faſtigia prenſabant. Troiani contra turrium cacumina, tectorum culmina, trabes, & ſaxa deuoluebant, vt & ſcutorum teſtudinem perrumperent, & aſcendentes deturbarent. Alii interius fores ſtrictis enſibus obſidebant, vt ſi hoſtes penetraſſent, in ipſo ſtatim limine eorum mactatu conciderent. At Pyrrhus, Achillis filius, cum cohorte ſua crebro ariete, & ſecurium pulſu proſtratis foribus irrupit. Intus concurſationes nobilium mulierum, gemitus, plangores, eiulationes, cùm & poſtes tanquam de cætero eos non viſuræ oſcularentur, & aræ, quæ ſub dio mediis in ædibus Ioui Hercæo ſacra ſtabat circumfuſæ, deorum ſimulacra amplecterentur. Intelligens vrbem iam occupatam, permiſſamq; direptioni & incendio Priamus, & in ipſa regia hoſtem conſpicatus, haud ſe deſeruit: verùm antiquæ virtutis memor, quanquam ſenio feſſus, arma induit, ac telum corripuit: vt ſi nihil opis afferre occidenti iam patriæ poſſet, ſaltem ſeſe defenderet, & quod regi pulchrum eſſet, in armis moreretur. Sed eius vicem ſollicita coniunx, eum in ſede prope aram collocauit, & quieſcere iuſſit, alia auxilia, alios defenſores tempus requirere. Reſedit, donec filium Polyten Pyrrhus fugientem ante ipſam ſedem conſpectumq; patris aſſecutus, confodit. Tum verò irarum æſtus ſenem corripere. Conſurgit, iaculum in iuuenem frementem ac furentem cum verborum caſtigatione contorquens, ab eodem ad altare crinibus pertractus, miſerè iugulatus, & deſecto capite, truncus canibus, & volucribus proiectus eſt. Quid Æneas? Ei ſe per quietem miſeranda figura Hector offert, fugam præcipit, volitare hoſtem intra mœnia, euerti Troiam, nullam ſupereſſe ſpem ſalutis, nullam virtutem aduerſus tantam vim fatis valituram. Proripit ſe cubili, domus faſtigium petit, inde ignibus, & ruinis ita miſceri vrbem totam conſpicit, vt ſi maturam ſegetem flamma popularetur: vt ſi montanus torrens, cæleſtium aquarum auctibus rapidior, ſata ſyluaſq; erueret. Oblitus imperatæ fugæ, cum ſociis aliquot armatus per vrbem graſſatur, multos Græcorum orco demittit: tandem omnibus illis peremptis ſolus relinquitur, & exitu Priami ſenis, æquæui patris ſui Anchiſæ, vxoris, & filii admonetur, quos in medio periculorum domi deſeruerat. Redit, nullis precibus adducere longæuum poteſt, vti ſe aſportari patiatur, quoad prodigium flammæ comam ſine noxa in puero Aſcanio lambentis, eum ad conſilii mutationem compulit. Itaq; patrem humeris ſuis imponit Æneas, filium paruum manu trahit, pone Creuſa ſequitur, quam, dum neſcio quo ſtrepitu armatorum contra venientium territus, de via deſle-

deflectit, amiſit. Aſtyanax, quem Andromacha mater, Priami dum regna manebant, ſæpius dum ſe ad ſoceros incomitata ferret, ſecum ſolatiolum illis, & dulce oblectamentum ducebat, ab Vlyſſe de turri præceps datus, ſaxa cerebro conſperſit. Timebant videlicet Græci, ne Troia reſurgeret, ſi quenquam de ſtirpe regia ſuperſtitem reliquiſſent. Nec eos iſte puer magis ob id ſollicitos habebat, quòd regibus, quàm quod Hectore natus erat: ſciebant quippe fortes naſci fortibus. Hector, belli fulmen, & horror Danaûm, qui ſæpe Argolicas debilitauit opes, vt in eius epitaphio ſcriptum recordamini. Antequam porrò diſcederent, dies plures in demolitionibus, inflammationibus, vaſtationibus, quod reliquum erat vrbis, & congerenda præda conſumpſerunt: quæ quanta, & quàm pretioſa fuerit, dici non poteſt. Captiuos innumeros fecerunt: quamuis enim eſſent ad vltimam crudelitatem effuſi, & vſque ad genua propemodum ambularent in ſanguine, tamen hebetato ferro, exhauſtisq; rapiendo, diruendo, occidendo viribus, non omne caput neci dare potuerunt: tametſi pænè nullus cerneretur, cui non eſſet vnum ſaltem vulnus impoſitum. Polyxena, quam de tanto filiorum, filiarumq; numero vnicam ſobolem retinebat anus Hecuba, ad tumulum Achilli obtigit, Caſſandra Agamemnoni, Andromacha Neoptolemo, aliæ aliis. Helena Menelao ſine ſorte reddita. Ita ſuperbum Ilium cecidit, & facta eſt ciuibus ſuis ſepulcrum Troia. E. Permitte mihi ad augendam miſerationem recitare ὡς ἐν παραφρασεῖ lamentationem Neptuni προλογίζοντος in Troadibus apud Euripidem: etenim eſt ſanè flebilis. P. Quid nobis tam iucundum, quàm audire, quamuis aliena ipſi lingua, poetæ ἐλεεινολογωτάτας ſententias? L. Non poetæ tantum, verùm & Oratoris, & quidem eiuſmodi, qui ſit teſtimonio Quintiliani cuiuis eorum, qui in foro claruerunt, comparandus. E. *Ego ſum Neptunus qui ab Aegeo mari, vbi formoſarum cœtus Nereidum chorus agitandis voluptatem capere conſueuit, hunc in locum me apporto. Nam ex quo primùm tempore, Apolline adiuuante, iſtanc vrbem muro ac turribus circundedi, nunquam ſtudium amorq; meus in eam ſingularis atq; eximius refrigeſcere, ne dicam deleri ex animo potuit. Quæ nunc, prô dolor, Græcorum armis lacerata, & exuſta flammis ante oculos iacet, ac fumat. Epeus ille Phocenſis monitu inſtructuq; Palladis edoctus, cauſſam huic ſupremo & miſerando exitio propinquam attulit, cùm equum ligneum, immenſæ magnitudinis portentum fabricatus eſt: cuius vterum delectis militibus Græci compleuerunt, verſutiſſimoq; commento, & nouo fraudis genere Troianis, ab nimium credulis, impoſuerunt, vt ſuam ſibi perniciem inducta in vrbem fatali machina ſtruerent. Atque hic quidem equus à poſteris δούρειος appellabitur: ſiquidem τῶν δορύων, id eſt, armorum, ſeu armatorum refertus, & quaſi prægnans fuit. Nunc, qua tandem oratione tuas, ô Troia, calamitates conſequar? vbi potiſſimum incipiam? vbi deſinam? Religioſiſſimi luci penitus deſerti viſuntur: quandò, qui ſacris ibi fungatur, quiq; vota ibi concipiant, nulli ſuperſunt. Templorum pauimenta videas natare interfectorum ciuium ſanguine. Ad ipſam Iouis aram in regia, Pyrrhi manu in viſcera ſua adactum capulo tenus enſem excepit Priamus regnator Aſiæ,*

Hoſtium naues ingenti rerum ſumptuoſarum præda, & aceruis auri argentiq; conſtipantur, & in littore ventos ſecundos exſpectant: auent quippe Græci poſt annum decimum reuerti in patriam ad dulciſſimas vxores, clariſſimos liberos, parentes exoptatiſſimos. Ac me quoq; (ô indignitatem) Iunonis Palladisq; potentia ſuperatum in relictis tam ponere Ilium, meisq; ſacris ſpoliatum manere oportet. Sic enim aſſolet, cùm vrbes aut bello, aut contagione peſtifera vaſtatæ atq; in ſolitudinem redactæ ſunt: numinum cultus intercidit, religionum ſanctitates abolentur. Quid quod captiuarum Troianarum vlulatibus campus hic longè lateq; perſonat? hæ ſuis quæq; dominis tanquam pecudes ſortitò diſtributæ ceſſerunt: & alia quidem Arcadibus, alia Theſſalis, alia Athenienſibus. Nobiliſſimas autem, ac principes ducibus præcipuus honoris ergò donauerunt: Helenam marito veteri, quam ille pœnas thori violati exigens, Argis morti daturus perhibetur: Andromacham Pyrrho. Hecubam infeliciſſimam Vlyſſi, ante cuius tentorium en en vt humi proiecta iacet in puluere, perdita luctu, atq; lacrymis plurimis, & quidem etiam propter plurima. Nam & libertate exuta eſt, iamq; in ſeruitutem hinc abducitur id ætatis, & tam ſublimi in faſtigio dignitatis paulò ante conſtituta fœmina: & hoſtili gladio tot liberos (infandum) amiſit: & maritum ſenem oculis ſuis obtruncari cõſpexit. Polyxenam inſuper vnicam de tanto numero ſibi relictam prolem, ſolamen qualecunq; dolorum ſuorum, ac ſeruitutis ſuæ Achilles ei deuorauit: nam eã ad eius tumulum pro inferiis mactandam coacta eſt dimittere. Ad quem malorum cumulum accedit hoc etiam, quod nepos eius Aſtyanax ex alta turri deiectus interiit, & Caſſandram filiam ac vatem, cuius corpus contingere quo eam mulierem faceret Apollo ipſe pepercit, Agamemno cum contemptu eiuſdẽ Dei, non legitimæ vxoris, ſed concubinæ loco habet. O quondam florentiſſima, ô beatiſſima ciuitas, ſalue æternum, æternumq; vale. Valete arces Iliacæ, præclara valete mœnia, Pallas, ô Troia Pallas te euertit. Pallas niſi inimica, & infenſa tibi extitiſſet, tu adhuc inuicta, & incolumis regnares, caputq; inter omnes non Phrygiæ duntaxat, ſed orbis terrarum vrbes, ſingulare illarum ornamentum efferres.

ANNOTATIONES.

VRbis captæ, direptæ, & euerſæ faciem oſtendere molitus ſum: id quod ad propoſitum meum in hiſce progymnaſmatis militaribus multum adeo facturum cenſui. At enim non inueni vrbem aliam in qua iſtuc viderer copioſius poſſe præſtare atque facilius, niſi Troiam: cuius, quamuis dirutæ, tanta eſt gloria, vt ſtantes etiam, & beatæ ciuitates iure eidem inuideant. Id fecerunt ſcriptores tam multi, & illuſtres, qui Troica, ſeu res Troianas literis diuulgarunt, quos nominare haud attinet. E paucis deprompſimus, quæ ad lectorem pariter delectandum, ac mouendum aptiora fore confidebamus, & breuitatem quatenus licuit conſeruauimus. Nec paraphraſin ſecundi Æneidos damus, vt aliquis lecta inſcriptione, & tota dialogo non perlecto falsò forſitan iudicauerit. Et tamen ſi id voluiſſemus, poteramus de Virgilio, & Virgilii ſtudiis videri non malè mereri. Qui perſonas inſigniores huius belli cognoſcere quærit, Daretem Phrygium adeat, vt qui epitaphia herorum Troianorum,

gum, Auſonium. Extant etiam ab Ariſtotele conſcripta. Nunc antequam ad annotationes accedamus, decreuimus de huius ciuitatis origine, cauſſis belli, numero nauium, ac poſtremo de fatis eius quæ legendo comperimus, propter fructum communem Humanitatis alumnorum exponere.

E Creta profectus in Aſiam Teucer, Scamandri filius, Sminthium oppidum ædificauit, regioni Teucriæ nomen impoſuit gentem ab ſe Teucros nominauit. Dardanus deinde, Ioue & Electra procreatus in Teucriam è Samothracia cùm veniſſet, cum Teucri filia matrimonio ſeſe deuinxit, ac primùm Dardaniam paruam vrbem excitauit. Poſtea ſublato è viuis ſocero, ipſe quoq; de ſuo nomine regiũculam Dardaniam appellari iuſſit. Huius Dardani filius Erichthonius Troem genuit à quo tellus tota nouum adepta vocabulum, Troia dici cœpta eſt. Cæterùm Ilus, Trois filius, oraculo monitus, vt vaccam errantem ſequens, ibi vrbem conderet, vbi ea procubuiſſet, Ilium conſtruxit. Dardania igitur, Teucria, & quod reliquis obſoleſcentibus in vſu manſit apud poſteros, Troia regionis nomina ſunt: ciuitatis autẽ, totius prouinciæ omni genere copiarum abundantiſſimæ, & nobiliſſimæ Ilium. Poetæ tamen, qui verborum licẽtia liberiores ſunt, quàm Oratores, has quatuor voces cõfundunt, & vrbẽ vnã illã nunc Dardaniam, nunc Teucriam, nunc Troiam, nunc Ilium vocãt. De origine hactenus. Iam quo pacto bis expugnata, & euerſa ſit, cognoſcamus.

Iaſon, Æſonis filius, maximi ſpiritus, & inuicti animi adoleſcens, ſecum ducens Argiua robora pubis, vt Catullus ait, à patruo Pelia inductus, Colchos ad aureum vellus rapiendum, vela fecit. Hic excenſione facta in Troianum littus, propter vires ſcilicet reficiendas, nuntium à Laomedonte, Troianorum Rege, infeſtum accipit, iubeturq; extemplo abire de finibus. Si moretur, futurum, vt regis vim & arma ſuo graui detrimẽto experiatur. Græci quod ad conflictũ haud ſatis ſeſe paratos cernerent, & magnoperè timerẽt, ne barbarorum multitudine & audacia perderentur, tantã inhumanitatem deteſtantes, claſſi porrò habenas immiſerunt. A Colchis reduces, Hercules ad perſequẽdam ab Laomedonte iniuriam, atq; ad Troiam ſecum debellandam hortatu ſuo perpulit. Heſionam Laomedontis filiam, Telamoni, cuius in ea expugnatione maxima virtus fuerat, ſeu vxorem, ſeu concubinam donauit, Regem ipſum & filios obtruncauit. Sed Priamus, qui erat natu minimus, & per id tempus in Phrygia commorabatur, ciuitatem poſtmodùm in integrum reſtitutam mœnibus ſpatioſioribus, propugnaculis præſidiis, magnificentiſſima regia exornauit, & cõtra hoſtium minas, impetusq; ſatis cõmuniuit atq; in locum demortui parẽtis deinceps ſucceſſit. De altera euerſione, cuius explicatio lõgè miſerabilior, ſequitur vt narremus. Hecuba, Priami cõiunx, cùm aliquãdo vterum ferret, iã q; ad pariendum vicina eſſet, ſecundùm quietẽ faculam parere ſibi viſa eſt, adeo luculẽtis flammis, vt iis tota vrbs conflagraret. Rex conſultis ariolis, cùm diri ominis, & portentoſum ſomnium eſſe didiciſſet, puerum deindè natum exponi, & necari præcipit. Miſerati ſcitiſſimum infantem miniſtri, & quòd ab Hecuba Regina id in mandatis habebant (maternus ſiquidem, quàm paternus animus ſemper mollior, & ad miſericordiam clementiamq; propenſior eſſe ſolet) parcunt interimere: veruntamen exſectam canis linguã pro indicio pueri iugulati ad regem afferunt. Fortè fortuna paſtor quidam in ripa fluminis iacen

tem infantem conſpicatus, eum tollit, & cum liberis ſuis educare pergit. Qui cum ætate iam procederet, ſeq́ pastore illo genitum conſtanter crederet, dum ſodalibus ad Idam montem pecus alacriter paſcebat, & ab iis propter corporis egregiam ſpeciem & minimè vulgarem, aut paſtoritiam indolem litium cauſſarumq́ iudex, & arbiter deligebatur, cuius ſententiis ſine vlla recuſatione parebant. Poſt longum interuallum cognitus, ac receptus à patre Priamo Paris, honorificè vt decuit, eſt habitus. Affecit eum Græciæ viſendæ, & varios hominum diuerſorum mores cognoſcendi mira cupiditas. Ergo XX. nauium claſſem à patre obtinet, Spartam nauigat. Erat Priamo cum Menelao, Spartanorum rege, vetus hoſpitium, qui proinde Paridem amanter, ac regiè tractauit. Sed cùm in Cretam ad cernendam hæreditatem ſibi neceſſariò diſcedendum eſſet, Helenæ vxori Troianum commendauit. Ille mulieris venuſtate captus precum blanditia mollem alioqui, & flexibilem animum ad ſuam voluntatem traduxit, Ilium auexit, vxoris loco adulteram adulter habuit. & hanc gratiam benemerenti hoſpiti Menelao retulit. Paſſus eſt hoc, & conniuit ad turpitudinem Priamus: propterea quod cùm per legatos ſæpius rogaſſet, vt Heſiona ſoror in prima expugnatione Troiana abducta, aut ſibi redderetur, aut ſaltem legitimum in matrimonium duceretur, impetrare nunquam potuiſſet. Menelaus facinoris indignitate ſtimulatus, mittit qui Helenam repoſcant. Vbi vidit ſe actum agere, cum fratre Agamemnone, Mycenarum Rege de bello Troianis inferendo conſultat: breui tempore vniuerſæ Græciæ Principes cum eo conſpirant: copiæ vndiq́ ingentes contrahuntur: magno nauium numero ad Ilium contenditur: in Aulide Bœotiæ fœdus percutitur non ſoluturos obſidionem, quoad ciuitatem funditus deletam conſpiciant. Quod etiam re præſtiterunt. Itaq́ tantarum cladium, quæ poſtea vtrinq́ ſunt acceptæ, vna mulier cauſſa, & caput extitit, totiſq́ annis X. pro vna adultera concurſum, & dimicatum eſt. Euripides in extrema Oreſte inopinatam huius belli, & tam numeroſæ cædis cauſam adducit: placuiſſe videlicet diis immortalibus propter formam Helenæ committere duas gentes, & mundum nonnihil leuare inutilibus perditiſq́ hominibus. Ecce tibi locum ipſum.

ἐπεὶ θεοὶ τῷ τῆσδε καλλιστεύματι
ἕλληνας εἰς ἓν καὶ φρύγας συνήγαγον.
θανάτους τ' ἔθηκαν ὡς ἀπαντλοῖεν χθονὸς
ὕβρισμα θνητῶν, ἀφθόνου πληρώματος.

Superſunt pauca de nauium numero, Virgilius in 2. ait fuiſſe mille.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Sed mos poetis eſt, mille, pro ingenti, & maiore etiam numero quàm ſit millenarius vſurpare. Fuerunt enim M.C.LV. Apud Euripidem namq́ in Oreſte chorus Menelaum ſic affatur.

ὦ χιλιόναυν στρατὸν ὁρμίσας
εἰς τὴν ἀσίαν, χαῖρε.

Quem in locum ſcholaſtes hæc. ἀπηρτισμένῳ χρήσατο ἀριθμῷ, τοσαῦται γὰρ ἦσαν αἱ νῆες τῶν ἑλλήνων, χίλιαι πρὸς ρ, ν, ε. *In Iliad. Hom. nempe in catalogo 1186. numerat. Dictys 1289. Dares 1140. Alii 1170. Verùm ne in rem non neceſſariam ſtudioſius operam contuliſſe videamur, quid maximè hoc loco veritati ſit conſentaneum inquirere ſuperſedebimus. De fatis Troianis, id eſt, de*

Digitized by Google

rebus quæ eſſent Troiæ fatales, & à quib. eius pẽderet ſalus, ita Plaut. Bachid.

Ilio tria fuiſſe audiui fata quæ illi forent exitio:
Signum ex arce ſi periſſet: alterum etiam eſt Troili mors.
Tertium cum portæ Sceæ limen ſuperum ſcinderetur.

Adducit hæc Seruius in 2. Æneid ſuper illo verſu. Fracti bello fatiſq; repulſi, & addit ſecundum alios: vt de Æaci gente aliquis intereſſet. vnde Pyrrhus admodum puer euocatus ad bellum eſt, inde dictus Neoptolemus νιὸς εἰς πόλεμον: *vt Rheſi equi tollerentur: vt Herculis intereſſent ſagittæ, quas miſit Philoctetes, cùm ipſe non potuiſſet afferre, morte præuentus. Cæterùm in eadem comœdia Plautus perquam feſtiuè comparat excidium Troiæ cum technis, quibus circumducitur, & argento emungitur ſenex à ſeruo Chryſalo.*

Atridæ duo fratres cluent feciſſe facinus maximum.
Cùm Priami patriam Pergamum diuina mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu, atq; eximiis bellatoribus,
Millenûm numero nauium, decumo anno poſt ſubegerunt.
Non Pelides tormento fuit, præut ego herum expugnabo meum,
Sine claſſe, ſineq; exercitu, & tanto numero militum,
Cœpi, expugnaui herili filio aurum ab ſuo patre.
Nunc priuſquam huc ſenex venit, libet lamentari dum exeat.
O Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame, periſti ſenex,
Qui miſere malè multabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero,
Non ſunt tabellæ, ſed equus quem miſêre Achiui ligneum, &c.

VRBIS TROIÆ) *Talia ſunt apud Virgil. vrbs Pataui, fons Timaui in* 1. *Æneid. vrbs Buthroti in* 3. *Quin hoc ipſum in* 1. *Quis genus Æneadûm, quis Troiæ neſciat vrbem?* QUAM TROADEM INSCRIPSIT) *Rectius inſcripſiſſet hanc tragœdiam Troades, more Euripidis Seneca. De quo diſputatiunculam videbis M. Antonii Delrii, qui in Senecam Aduerſaria ſcripſit.* CAPTIS SYRACVSIS MARCELLVS) *Et Titus, Veſpaſiani filius, vt traditum eſt ab Egeſippo lib.* 5. *c.* 21. *Hieroſolymitanorum malis ingemuit, ſublatiſq; cælo manibus ſe inſontem teſtatus eſt. Dauidem Saulis mortem acerbè tuliſſe Regum hiſtoria docet.* POLLENTIS ASIÆ) *Phrygia enim vtraque in Aſia & Troia in Phrygia maiore, & Priamus rex Phrygiæ, & bonæ partis Aſiæ. Hinc & Virgilius, Poſtquam res Aſiæ, &c. Item in* 1. *Vltro Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello venturam.* CÆLITVM EGREGIVS LABOR) *Neptuni & Apollinis, qui à Laomedonte mercede conducti, mœnia Troiana conſtruxerunt. Homerus Iliad* η. *&* φ *Virgil.* 2. *&* 3. *Æneid. vbi Troia idcirco Neptunia dicitur. Euripides prologo Troadum. Præmia autem illa promiſſa non ſoluit Laomedon. Inde dictum* 1. *Georg. Laomedonteæ luimus periuria Troiæ. Et lib.* 4. *Æneid.*

neſcis heu perdita, nec dum
Laomedonteæ ſentis periuria gentis.

Et à Celæno Harpya in 3.

Bellum etiam pro cæde boum ſtratiſq; iuuencis
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?

Vbi Seruius, Laomedontiadæ, id eſt, perfidi: à rege natum opprobrium, qui

deos feſellit. Ouid. II. *Metam. cùm rem exponit, addit etiam de vltione, qua Neptunus iniuriam perſecutus eſt.* ASSARACI DOMVS) *Aſſaracus, frater Ili, & Ganymedis, Troem habuit patrem. Capyn genuit, Capys Anchiſen, Anchiſes Æneam auctorem Romani generis. Ex quo Mummius, qui Achaiam vicit. Vnde Aſſaraci domus* I. *Æneid. non vt hîc pro Troianis, ſed pro Romanis, à Troianis tamen oriundis.*

veniet luſtris labentibus ætas,
Cùm domus Aſſaraci Phthiam, claraſq; Mycenas
Seruitio premet.

Aſſaraci tellus apud Horat. Ode 13. Epod. *eſt Troia.*

Te manet Aſſaraci tellus: quam frigida parui
Findunt Scamandri flumina,
Lubricus & Simois.

OPPETENTES HVMVM MOMORDISSE) *Virgil.* II. *Æneid. vbi Turnus Mezentij mortem laudibus proſequitur.*

Ille mihi ante alios fortunatuſq; laborum,
Egregiuſq; animi, qui ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Ab Homero acceptum demonſtrat, & cur dicantur in prælio cadentes humum mordere declarat Victorinus lib. 29. *cap.* 17. CASSANDRÆ VOBIS VATICINANTI) *Horatius inducit Nereum prænunciantem Paridi cum adultera Troiam petenti excidium patriæ Ode.* 15. *lib.* I. *imitatus Bachylidem, qui id Caſſandræ tribuit, quod fecit etiam Lycophron, Tryphiodorus. Apud Cic.* I. *de Diuinat. ſunt verſiculi, quos credibile eſt eius vaticinij reliquias eſſe.*

Eheu videte iudicauit iudicium inclutum
Inter deas tres aliquis, quo iudicio
Mulier, furiarum vna aduenirет.

Veruntamen fidem eius prædictiones nullam inuenerunt, quod & Virgil. non tacuit, & Seneca indicat his verbis.

Quæcunq; Phœbas ore lymphata furens
Credi Deo vetante, prædixit mala,
Prior Hecuba vidi grauida, nec tacui metus.

Fuit ergo ipſum quoq; ſomnium Hecubæ quoddam vaticinium, & arioli ſeu coniectores id ad calamitatem peſtemq; publicam attinere conſulti reſponderunt. De hoc poſiti ſunt verſiculi I. *de Diuinat. nempe iſti.*

Quia mater grauida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio mentis metu
Perculſus, curis ſumptis ſuſpirantibus;
Exſacruficabat hoſtis balantibus:
Tum coniectorem poſtulat, pacem petens,
Vt ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quò ſeſe vortant tantæ ſortes ſomnium.
Ibi ex oraculo voce diuina edidit

Digitized by Google

Apollo, puerum primus qui Priamo foret
Poſt illa natus tempora, hunc, ni tolleretur,
Eum eſſe exitium Troia, peſtem Pergamo.

Refert item ſomnium, & interpretationem Paris *in epiſt ad Helenam apud* Ouid. EQVVM ILLVM DVRATEVM) *Dictys Cretenſis lib.* 5. *ſcripſit hunc equum conſilio Heleni Priami F. adificatum. Transfugiſſe autem hunc ad Gracos, ſcelera Troianorum peroſum. Ab Vlyſſe captum, & in caſtra Gracorum perductum, alia quadam fata illis aperuiſſe ſcribit Leonicus lib.* 3. *cap.* 45. *ſine quibus vrbe non eſſent potituri: vt de oſſe* Pelopis, Neoptolemo, *& Philoctete.* QVÆ GAVDIA) *Babylonem quoque die feſto, dum ciues ludis & choris ducendis intenti eſſent à Cyro captam auctor eſt Herodotus lib.* I. *& Xenophon in Padia.* TRIVENEFICVS, ACHERONTIS PABVLVM) P*lauti ſunt, quibus admoneor, vt ex eodem Comico congeſtam à me ſyluulam vocum huiuſcemodi ad inſectationẽ accommodatarum ſubiiciam. Quando iis vtendum ſit, id erit iudicii. Verbero, audacia columen, larua vmbratilis, theſaurus ſtupri, praſtigiatrix mulier multò maxima, maſtigia. Perlecebra, pernicies, adoleſcentum exitium de meretrice. Virgarum laſciuia, flagitium hominis. cinadus calamiſtratus, ante omnes mortales minimi pretii, capuli decus, ſtimulorum ſeges, claudus ſutor. Ego iſtos noui* Polypos, *qui vbi quid tetigerint, tenent. Proſtibulum populi. Pumex, non aque eſt aridus, atque hic eſt ſenex. Trium literarum homo, trifurcifer, fur theſaurarius, fur manifeſtarius, non fur, ſed trifur, ſcelerum cumulatiſſimus, ſtatua verberea. Age tu illuc procede bone vir, lepidum mancupium meum. Anus vinoſiſſima, ſcelerum caput. Vnocule ſalue. Item genus eſt lenonum inter homines meo quidem animo. Vt muſcaque, culiceſque pedeſque, puliceſque odio, & malo. & moleſtia: bono vſui eſtu nulli. E ſterquilinio effoſſus, ſtabulum nequitia. Eho tu nihili, cana culex, ad ſenem. Hircus improbus, edentulus, vir minimi pretii, vetuli veruecés, murcidus homo, defloccatus ſenex, omnium hominum minimi pretii, barathrum, fungus, ſubleſta fide, lingua factioſi, inertes opera, tanti eſt, quãti eſt fungus putridus, homo nihili probri perlecebra & perſuaſtrices. Herilis pernicies de malo ſeruo, Frutex, vrbanus ſcurra, ſtimulatrix, peculii ſui prodigus, plagigerulus, ſenex cerebroſus. Illecebra argentaria de meretricibus. Plenus periurii, atq; adulterii, oblatratrix, populi odium, machus vnguentatus, ſenex hircoſus, theſaurus mali. Ad mandata claudus, cacus, mutus, mancus, perfoſſor parietum, legirupa.*

Quoniam qua ad vituperandum conuitiandumque poſſent loco & tempore adhiberi, non ſum grauatus adducere, adducam & illa ex eodem fonte, quibus ad blandiendum, & laudandum vti licebit. Decus populi, theſaurus copiarum, ſalus interioris corporis. O mi lepos.

Tu mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater,
Tibi commendo ſpes opeſq; meas.

Salue oculiſſime homo, anime mi, ocule mi. Phadromus genius meus. O mea opportunitas, theſaurus meus. Vinum profuſum vetula ſic alloquitur:

Nam omnium vnguentorum odor pra tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomũ, tu roſa, tu crocũ & caſſia es, tu bdelliũ.

Digitized by Google

Melliculum, amœnitas, vita, lux, roſa, voluptas, feſtiuitas ſalus, commoditas. Verùm in his dedita opera ſum parcior. ACCENSA LAMPADE IN PRÆTORIA) *Potuit etiam Sinon illis ſignum dediſſe iactu ignis in cælum, aut face prolata de mœnibus; quod ſcribunt Tryphiodorus, & Q. Smyrnæus. Immo & Helena dedit. Teſtis Virgil in 6.*

Illa chorum ſimulans euantes origia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.

VLTIMVM NOBIS DIEM) *Diem ciuilem intellige, conſtantem horis quatuor & viginti, quantum temporis vna ſolis luſtratio conficit. Sic Virg. Arma, viri, ferte arma, vocat lux vltima victos: lux, inquit, cùm tamen eſſet nox. Ibid. nunquam omnes hodie moriemur inulti. Eſt enim hodie quaſi hoc die. Sic Dido, cùm iam nox eſſet, ait nihilominus: hunc lætum Tyriiſque diem Troiaque profectis eſſe velis.* FVRIAS AIACIS OILEI) *Furia amor eſt: vt in Bucoli. 10. Seu quicunque furor? & Oilei non vacat: nam & duo Aiaces fuerunt, & ambo furuerunt: ſed ira Telamonius, hic amore Et eſt græca figura τῆς πτώσεως, vt ſi dicamus, Æneas Anchiſæ, & ſubaudiamus filius, &c. Seruius.* ILLVM EXSPIRANTEM) *Magnum intellectum ex pronominibus naſci, ſuppreſſis nominibus, docet hoc etiam exemplo Donatus. Hoc enim intelligit poëta per vocem (illum) iſto loco, illum temerarium, illum inconſideratum, illum ſacrilegum, illum profanum, illum qui in templo deæ, in templo virginis, ante ipſas aras, in conſpectu numinis regiam ſacerdotem intactam ſtupro violauit.* ECCE TRAHEBATVR) *Multa in his quoque verſibus acuta mẽs Donati peruidet: quæ ad amplificandũ ſcelus Græcorum ſunt aptiſſima* ET AB VLYSSE AC MENELAO) *Apud inferos rem enarrat Æneæ Deiphobus 6. Æneid. Diritatem autem mortis, & fœditatem ſupplicii, quo eſt ab his duobus affectus miſer, his carminibus comprehendit Virgil.*

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

POSTES OSCVLARENTVR) *Romani, quorum mores & ritus perſæpe aliis gentibus poëta affingit, aliquid religionis liminibus, atque poſtibus tribuebant. Apud Plautum limen ſuperum atque inferum quadam cum pietate ſalutatur: & apud Tibullum oſcula figuntur liminibus, & morem hunc edidit etiam Arnob. lib. 1. Cum deorũ ante ora proſtrati, limina ipſa conuerrerent oſculis. Plaut. Rud. hic in fano Veneris ſignum flentes amplexæ tenent. Quod eo magis Troianæ mulieres faciebant, quia ſe id vltimum facere, quippe in ſeruitutem auehendæ, & patrium ſolum in perpetuum deſerturæ, conſtituebant Reduces etiam amplecti, & exoſculari limina ſolebant, cùm ſcilicet domo diu abfuiſſent.* DEORVM SIMVLACRA SVPPLICES) *Id in more habebant, cùm magno vrgerentur diſcrimine & in metu exitii, ac deſperatione ſalutis verſarentur.* ASTYANAX QVEM ANDROMACHA) *De hoc puero, & eius violenta crudelique morte Seneca in Troade, & Euripid. Ouid. item 13 Metam.*

Mittitur

Digitized by Google

Mittitur Aſtyanax illis de turribus, vnde
Pugnantem pro ſe, proauitaq; regna tuentem
Sæpe videre patrem monſtratum à matre ſolebat.

Demactata autem Polyxena Euripides in Hecuba, pro qua imitator Græcorum Seneca in illa ſua tragœdia modo à me nominata Andromacham, vt pro puella Aſtyanactem ſubſtituit. Materni affectus magnitudinem vterque poëta mirificum in modum expreſſit: nec poteſt vltimis illis verbis, quibus ad matrem cùm amantiſſimo complexu abitura ad necem filia generoſa vtitur, quidquam fingi triſtius.

PROGYMNASMA
NONVM ET VICESIMVM.
Triumphus Romanus, & ouatio.
FIDVS, SVCCESSVS, ROGATIANVS.

FIDVS. Si quid eſt in me iudicii, neutiquam imprudenter ac falsò M. Tullius in ea oratione, quam pro Archia poëta nobili de ciuitate habuit, ad iſtum modum locutus eſt. Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt quòd in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus? Ac ſi vlli ſunt, quorum cenſetur cùm per ſe eximia & admiranda, tum hoc pulcherrimo præmio ex omnibus remuneranda virtus, belli duces ſunt, qui ſuis auſpiciis, terra mariue res magnas, vtiles, ac ſalutares pro communi geſſerunt. Talibus ſenatus populuſque Romanus & abſentibus Imperatoris nomen, ſupplicationeſque, & præſentibus aut triumphum, aut ouationem quidem certè decernebant: qui honores, quanti fuerint, Romanæ memoriæ conſectatoribus non eſt incognitum. Nihil quidquam apud Romanos triumpho illuſtrius ac magnificentius: ſiquidem tantum illis erat triumphare, quantum toti Græciæ olympia viciſſe. S. Certè. Cur non honorarentur boni duces, ſi, quod conſtat, tam liberalem gloriæ quoque mercedem referebant boni milites? Quin, vt in Piſoniana affirmantem videmus eundem Tullium, non poteſt quiſquam exercitium cupere, aperteq; petere, vt non prætexat cupiditatem triumphi: quem contemnere anguſti, & demiſſi eſt animi. R. Quam verò ille huius rei cauſam adducit? S. Adnorte animum ſis. Propterea quòd quemadmodũ leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſic leuis eſt animi, lucem ſplendoremque fugientis, iſtam gloriam, qui fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare. R. Spreuit nihilominus, & repudiauit tam expetendum aliis, ſibique ob res præclarè geſtas à ſenatu decretum honorem Cn. Fuluius Flaccus. Nimirùm non plura decerpens, quàm acciderunt. Nam vt vrbem intrauit, continuò ipſe quæſtio

ne publi

ne publica afflictus, exilio multatus eſt: vt ſi quid religionis inſolentia commiſiſſet, pœna expiaret. Ita Valerius. Recuſarunt etiam M. Fabius propter obitum fratris: & Tiberius in victoria Illyrica, mœſtitudine tum afflicta ciuitate, propter cladem Varianam: & Septimius Seuerus, quia ex pedibus laboraret. Quid eſt autem, Fide, quod dicas de hoc vocabulo triumphus? vnde illi origo? Si græca eſt, ſcire non potui ego, qui non plus græcè doctus ſum, quàm alter veſtrûm Syriacè. F. Et dediſti, & dabis inſuper huius pœnas inſcitiæ. R. Modò vt ne dem capite: cætera paruipendo. Sed tu reſponſum da. F. Dici poteſt, quod in 5. de ling. lat. Varro ſcripſit. R. Varro? Hem. quid ergo ille ſcripſit? Etenim cùm de re ruſtica libros eius peruolitârim (peruolutârim volebam dicere) illos alios de lingua nondum attigi. S. Caue attingas: ſunt malæ beſtiæ, lædunt morſibus. R. Immo tu es mala valde beſtia, qui ſic mordeas. F. Pax ſit rebus: audite cætera. Triumphare, inquit, appellatum, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium eunti Iô triumphe, iô: idque à θριάμβῳ græco, Liberi Patris cognomento, quoniam primus ipſe triumphum ex Indis, ab ſe deuictis, poſt triennium in Bœotiam reuerſus, elephanto vectus deportauerit, vt refert Diodorus: & quia triumphi, vt obſeruauit Plinius, repertor ipſe fuerit. S. Triumphare igitur à triumpho, & iſtuc à θριάμβῳ, cui voci ante manebat ſua ſubiecta vis, quàm Libero cognomenti loco imponeretur: qui & aliam ob cauſſam θρίαμβος eſt nuncupatus. Nos porrò etymon τοῦ θριάμβου pro triumpho inueſtigamus. F. Spinoſius, & implicatius aliquantò à litteratoribus ſuper eo diſſeritur: quare tenere eius ſignificatum modò ſatis fuerit, cætera curioſi viderint. Quomodo natus, & à quo primum auctore inductus ſit triumphus, agite diſpiciamus. R. Ego quidem non alias cauſſas, & tanquam parentes eius queo diſpicere, quam dulcedinem victoriæ, & gaudium de liberatione, depulſionemque malorum, quorum partim accipiebantur, partim accipienda metuebantur ab hoſtibus: & gratum animum erga liberatorem, deoſq; ipſos huius felicitatis largitores: quarum rerum omnium teſtimoniũ maximũ, & luculentiſſimũ eſſe voluerũt triumphũ, ſeu pompam illam ſollemnem atque apparatiſſimam. Nullum ſanè ſpectaculum iucundius, quàm intueri vinctum per ora omnium circumduci, & in carcerem ad mortem detrudi, quem vt communem peſtem formidâris. Eiuſcemodi pompæ velut fundamenta præſtruxiſſe, & exemplum poſteris tranſmiſiſſe Romulus traditur: qui Acrone, rege Ceninenſium, ſua manu interfecto, ſpolia eius ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium aſcendit: ibique ea ad quercum paſtoribus ſacram depoſuit, ἐπινίκιον, ſeu victoriale carmen ſequenti in armis exercitui voce præiens, ciuibus gratulabundis eum acclamationibus excipientibus. Multum interceſſit temporis, cùm Tarquinius Priſcus currum, aliaque ad ſpeciem inſignia, & viſenda fertur adieciſſe: donec ii ſplendores, & apparatus ſumptuoſiſſimi acceſſerunt, quos in triumphis poſterioribus iure admiramur: vt non immeritò vir quidam ſanctus, quod vulgò circumfertur, Romam vidiſſe triumphantem optârit. F. Non olent iſta

triuiale

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA CENTRALE

Digitized by Google

triuiale quippiam. Iam, ſi vobis non diſplicet, leges triumphales inter nos celebremus S. Quid verò placeat magis? F. Legibus iſtis etiam cauſæ triumphi continentur. Non enim inconſultò ac temerè, tam ſingulare genus ornamenti concedebatur. A principio quidem cum res, id quod neceſſe erat, viribus non magnis contra hoſtes adminiſtraretur, paruarū cauſſarum momenta triumphum pariebant. Quocirca cùm Veientes, & Tarquinienſes bellum Romanis pro Tarquiniorum reſtitutione feciſſent, vnoque plus Etruſcorum occubuiſſet, nec die poſtera quiſquam de hoſtibus conſpiceretur, res digna triumpho iudicata eſt. Quin etiam ex deditis, non vi captis vrbibus, & de hoſte non cæſo, ſed fugato tantùm & auerſo triumphum agi ſolitum inuenimus. Prolatis deinde longius imperii terminis, cùm etiam prœliis maioribus in hoſtes potentiores defungerentur, ſanxerunt, vt ne quis triumpharet, qui minus quinque hoſtium millia vno congreſſu fudiſſet. Hinc apud Quæſtores Vrbanos, edito ſacramento, teſtificari Imperatores cogebantur, nihil ſe, niſi ex vero, è prouincia ad ſenatum ſcripſiſſe, & de hoſtium occiſorum, & de ciuium amiſſorum numero Nam ſi cum ſæuis cladibus, & cruentæ admodum victoriæ contigiſſent, vt quæ lugendæ magis quàm lætandæ eſſent, multiſque potius funeribus, quam commodis Rempub. cumulaſſent, triumphi petitionem non habebant. Quod ſi peieraſſent Imperatores, ex lege in eos animaduertebatur. Et quia de literis Imperatorum mentio ſe obtulit, ſcirelicet, eos deletis hoſtibus, aut expugnata vrbe aliqua, tanquam victoriæ indicio, literas lauro inuolutas ad ſenatum mittere conſueſſe, quæ dicebantur literæ laureatæ. Liuius. Literæ à Poſthumio laureatæ ſequuntur, victoriam pop. Roman. eſſe. Cic. in Piſon. Ne tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas. Ad Atticum literas victrices nominat. Et Ouid. ſimiliter. Non ego victrices lauro redimire tabellas. Nec triumphabant, niſi ductu, auſpicioque ſuo, atque etiam in ſua, non in aliena prouincia hoſtes cecidiſſent, bellumque omne profligaſſent. Ex quo fracto ad Metaurum Haſdrubale, Liuius conſul, qui in ſua prouincia rem geſſerat triumphum, Nero collega, qui eidem auxilium apportârat victoriæque maior pars fuerat, quoniam id in alterius prouincia fecerat, ouationem duntaxat obtinuit. Præterea, ſi magiſtratum legitimum non gererent, neque præeſſent exercitui, vt Dictatores, Conſules, Prætores, non triumphabant. Ob id L. Cornelius Lentulus, tametſi magnis rebus perpetratis, triumpho excidit, quòd Hiſpaniam cum imperio proconſulari tenuiſſet. Triumphos tamen deportarunt Proconſules Scipio de Annibale & Pœnis, Cn. Manlius de Gallogræcis, Paulus Æmilius de Ingaunis, & Liguribus, Pompeius de Sertorio. Idem eques tantùm, & in ordinem ſenatorium nec dum relatus, deuicto in Africa Domitio triumphalibus ornamentis honoratus eſt. Nec ſemel, ſed ſæpius in eodem magiſtratu, & aduerſus eoſdem hoſtes bello proſperè geſto hoc decus permiſſum legimus. Qui magiſtratu ſuperiore præditus eſſet, ſolus triumphum habebat. Non ergò Conſul cum Dictatore, aut Prætore triumphabat, ne minor poteſtas maiorem æquare videre-

Digitized by Google

videretur: neue auſpicia, quæ maioris magiſtratus ſunt, cum minoribus confunderentur: quamquam dictatorem cum Magiſtro equitum triumphali pompa inuectum licet cognoſcere. Ad hæc, illis tantum triumphus dabatur, qui rem Romanam militiæ auxiſſent non qui vel collapſam inſtauraſſent, vel amiſſam recepiſſent. Igitur Q. Fuluius, Capua recuperata, & L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulſis, Scipio item de reductis in fidem Hiſpaniis, Marcellus de occupatis Syracuſis triumpho caruerunt. S. Ita eſt, nam memini eadem mihi lecta. Nec ſolebant triumphare de hoſtibus eiuſmodi, vt bellum contra eos ſuſceptum in erubeſcendis poneretur, quales ſerui, piratæ, fugitiui, & ſimiles. Veruntamen M. Craſſo Diuiti, quod duodena gladiatorum millia fugaſſet, permiſſa ouatio. R. Quinam gladiatores iſti, & quodnam huius belli initium? S. Pro me Velleius reſpondebit, cuius hæc ſunt verba lib. 2. *Dum Sertorianum bellum geritur in Hiſpania, 64 fugitiui è ludo gladiatorio Capua fugientes, duce Spartaco, raptis ex ea vrbe gladiis, primò Veſuuium montem petiere: mox creſcente indies multitudine, grauibus variisq; caſibus affecere Italiam: quorum numerus in tantum adoleuit, vt qua vltimo dimicauere acie, 40. millia hominum ſe Romano exercitui oppoſuerint. Huius patrati gloria penes* M. *Craſſum fuit.* Ac ciuili bello, quantumuis nobili, confecta victoria, rebuſque geſtis ad vtilitatem Reipub. permagnis, nihilominus nec Imperatoris nomen, nec ſupplicationem, nec triumphum, nec ouationem victor adipiſcebatur. Nec aras item, nec ſigna diis ſtatuebant, niſi ob externas victorias. Tacitus de Tiberio lib. 3. Idem cum Valerius Meſſalinus ſignum aureum in æde Martis Vltoris, Cecina Seuerus aram Vltioni ſtatuendam cenſuiſſent, prohibuit: ob externas victorias ſacrari dictitans: domeſtica mala triſtitia operienda. Illud quoque non tacendum, Romanum ciuem, licet pernicioſum ciuitati, victum non licuiſſe per triumphum ducere. R. Rationem negatorum honorum peruidere non eſt difficile: & ſine dubio prudenter ac piè factum. Quamquam enim huiuſcemodi victoriæ interdum neceſſariæ ſunt, certè ſemper luctuoſæ ſunt: nec poteſt domeſticus cruor, niſi triſtem comparare lætitiam. F. Nihil ergo de triumpho cogitandum fuit Naſicæ, Tiberii Gracchi ſociorumque perditiſſimos conatus vindicanti. Nihil Metello C. Opimium interimenti. Nihil C. Antonio Catilinam cum perduellibus prælii congreſſione ſuperanti. In odium pop. Rom. Cæſar cecidit, qui & de filiis Pompeii triumphare auſus eſt, & in pompa præferre Maſſiliam. De quo ſcriptum eſt à Cicerone in 2. de Officiis cum querela in hunc modum. Itaque vexatis, & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, ſine qua nunquam noſtri Imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. Tangit item Philipp. 8. & ingemuiſſe dicit popul. Roman. nec fuiſſe quenquam, qui huius fideliſſimæ ciuitatis miſerias à ſe alienas arbitraretur. Laus contra Sullæ impertienda, qui cùm plurimas Aſiæ Græciæque vrbes in triumpho deferret, ne vnum quidem oppidulum Romanorum detulit. Inſtitutum præterea, vt qui triumphum peteret,

prius

Digitized by Google

prius Romam victorem exercitum, cuiuſque virtutis ignauiæque teſtem reportaret, & prouinciam, ſucceſſori quam maximè aptam, expeditam, ac perdomitam traderet. In ædem Bellonæ extra vrbem ſenatus vniuerſus cogebatur (nam triumphi candidato, ſeu petitori vrbem inire, dum peteret, nō licebat) ibi Patres de rebus à ſe geſtis victor docebat. Velleius de Paulo Æmilio. Is cùm in cōcione extra vrbem, more maiorū, ante triumphi diem ordinem actorum ſuorum commemoraret. Aderant Legati, Tribuni militum, Centuriones, milites tanquam teſtes omnium: quamquam frequenter abſentibus, rebus eorum cognitis, triumphū decretum eſſe non neſcimus. Facto ſenatuſconſulto, ad populum referebatur, ille iubebat, Patres auctores fiebant, & ſolo populi iuſſu aliquando. Patribus inuitis, triumphatū eſt. Quæ autem triumphū impedirent, hæc fuerunt. Si Tribuni plebis Imperatori triūmphū poſtulanti parum eſſent amici, atque ideo rogationem recuſarent. Si rogationem quidem ferrent, at eam populus ſuffragiis non probaret. Si ferente rogationē Tribuno, vnus aut plures de collegio intercederent. Si Tribunus Imperatori, ob rem bello ſecus geſtā diem diceret. R. Bene tu iſta de impedimentis. Sed ne tanquam inane, & leue illud taceamus, quod Romam proficiſcentes ad triumphalia duces, Itali, quacūnque pergerent ſuis & ipſi quibuſdam honoribus exciperent. F. Proximum arbitror, ipſam pompam, apparatumque triumphi, ſeu modum, & rationem ipſam triumphandi ad mutuum delectamentum perpendere. S. Hîc tu, Fide, πρωταγωνιστὴς, ſeu primarum partium actor eris quodammodò: quem quidem honorem & Rogatianus, & ego tibi non ſolùm quia annis, verùm etiam quia ſcientia vetuſtatis nobis prior es, perlubētes habebimus. F. Nihil me iſte honor mouet: & tamen grates vtrique veſtrûm. Fuit eritque mihi ſemper iucundū, de antiquitatis memoria colloqui, ſi quem aut nactus ſim, aut nanciſcar in poſterum erectum ad audiendum: & quicum in iſto genere ſermonis bonas horas non peſſimè collocem. S. Quid autem duobus hiſce ſodalibus tuis erectius, quid cupidius, aut ſitientius? F. Quod eſt propoſitum, videtur mihi generatim explicari poſſe tali ferè modo: nam de ſingularibus horum illorúmue triūmphis ſingularia etiam quædam dici poſſe non ignoratis, & ego quædam huiuſmodi afferam rei illuſtrandæ. R. Et verum eſt, quod ais, & placet quod promittis. F. Donatis ob virtutem militibus, Tribunis, Præfectis, Centurionibus, factoque ſacrificio Imperator in currum aſcendebat, in hæc verba precatus. DII, NVTV ET IMPERIO QVORVM NATA, ET AVCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI, PROPITIATIQVE SERVATE. Sed de curru, & ornatu Imperatoris ſuo loco. Cum eo deductum negotium, vt impetratus per vrbem triumphus duceretur, qui erant cum poteſtate tam ſacra, quàm ciuili, ſenatus populuſque, omnis ordo, ætas, ſexus in veſte candida, in gratulationes, & gaudia effuſi, ad triumphatorem, velut numen aliquod videndum excipiendumq; ſe foras dabant. In prima pompa, & veluti in fronte agminis longiſſimi, ordine longo, præportabantur ſimulacra montium, fluminum,

num, oppidorum atque vrbium, belli iure acquiſitarum. Scipioni quidẽ Aſiatico vno triumpho triginta ſupra centum prælata memorantur: Iulio Cæſari Maſſilia, Nilus, Rhenus, Rhodanus, ex auro & ebore omnia. Sulla quamquam exterarum, nullius tamen Romanarum vrbium effigiem, vt nec vllius ciuis Romani imaginem ſibi præferri paſſus eſt. Quod contrà Cæſar voluit in imaginibus Scipionis, Petrei, Catonis, at non Pompeii. Multitudo quandoque in cauſſa erat, vt turres tantùm, quaſi vrbium vicariæ, geſtarentur. Geſtabantur item tabulæ, in quibus elementis vncialibus præſcriptus nauium captarum numerus, vrbium expugnatarum, in fidem receptarum, tributo affectarum, gentium debellatarum, regum deuictorum nomina, qui tituli dicebantur. Succedebant hoſtilibus ſpoliis, & armis onerata plauſtra cum ſignis militaribus, non erectis, ſed iacentibus. Deinde varia tormenta bellica, & muralia, cum roſtris nauium, falcati currus, inſignes clypei, lecticæ aureæ, ſigna, vaſa aurea, argentea, ænea. Omne aurum, argentumque factum, non factum, rude, ſignatum ex vrbium præda, in triumpho deferebatur, ac perſcriptũ in tabulis ad ærarium dabatur. Paulus Æmilius, Macedonia ſubiugata, tantum intulit ſpoliorum huius generis, vt ex illo pop. Rom. tributum pendere deſierit. Tenebant item locum ſuum in pompa res raræ, ignotæ, peregrinæ, è domitis & longinquis regionibus, viſu admirandæ. Veſpaſianus balſamum arborem, Romæ nunquam conſpectam, è Iudæa detulit. Pompeius, Mithridate oppreſſo, ebenum, arborẽ Indicam, & triumpho tertio alueum cum teſſeris, confectum è duabus gemmis ſtupendæ magnitudinis. C. Manlius, Aſia deuicta, monopodia, abacos, veſtem ſtragulam, ærata triclinia. Scipio Aſiaticus de Antiocho triumphans, dentes eburneos ſupra mille ducentos. Aurelianus Auguſtus inter alia miranda, tigrides, alces, camelopardales. Erat inſuper videre elephantos, equos captos, obſides. Sequebantur tubicines, modos triumphales facientes. Secundùm eos boues albi, cornibus inauratis, vittis ac ſertis euincti, ad ſacrificium Ioui, dextra leuaque popæ ſuccincti, aureas argenteaſque pateras præferentes. Gradiebantur mox Tribuni militum, Centuriones, Præfecti, equites ac pedites inſigniores de victore exercitu, qui nimirum donis militaribus ob egregia facinora cohoneſtati fuerant: quę dona palam quoque conſpicienda ferebantur, & erant varia coronarum genera, torques, phaleræ, armillæ. Hi, inquam, omnes ſpoliis armiſque conſpicui, & lauro tempora vincti incedebant, clamantes Iô triumphe, Imperatoremque magnis vocibus collaudantes. Liuius lib. 10. Triumphauit in magiſtratu (Papyrius) inſigni, vt illorum temporum habitus erat, triumpho. Pedites equiteſque inſignes tranſiere, ac tranſuecti, multæ ciuicæ coronæ vallareſque ac murales conſpectæ. Reliqui omnes lauro ibant coronati, boni ominis cauſſa nimirum, vt quemadmodum illa ſemper viret: ſic reſpub. æternum floreat. Locus ab his proximus deſcribebatur regibus, nobilibus, & bello clarioribus, atque etiam hoſtium ducibus, qui quidem ferè aut curriculis vehebantur, aut ferculis geſtabantur, conſtrictis à tergo manibus. Pompeio regum filios, & obſides

quatuor

quatuor & triginta ſupra trecentos obtigiſſe proditum reperi. Quod ſi eos mors ante occupaſſet, eorum ſimulacra portabantur, quemadmodum Alexandrino triumpho, Cleopatræ Auguſtus fecit. Ducta eſt alia quoque non humilis mulier viua ab Aureliano, Zenobia nempe Palmyreorum regina. Simul autem de foro verſus Capitolium currus triumphalis flectebat, duces in carcerem abduci præcipiebat Imperator, vbi vel æternis in vinculis retinebantur, vel ſecuri ſtatim feriebantur. Coronæ aureæ, quibus vrbes ſociæ, populique fœderati Imperatorem ob virtutem, & honoris ergò munerauerant, à miniſtris, ſerta oleagina gerentibus, etiam præferebantur. Cæſar, teſte Appiano, duo millia, octingentas & duas ſupra viginti habuit. L. Manlius mille quingentas, C. Calpurnius Piſo quatuor & octoginta. Q. Fuluius Flaccus quatuor & viginti ſupra centum. Herculis quoque ſignum ante triumphantem vehi ſolitum narrauit Aſconius. Præterea currum præcedebant cum coronis citharœdi, & tibicines eximii, in quorum medio quiſpiam talari veſtimento opertus, qui geſticulationibus, & dicteriis riſum concitaret. Currum ſtipabant ſenatores, albati omnes. Tantus denique apparatus erat triumphi plerunque, & tanta rerum viſendarum copia, vt aliquando noctes & dies, totumque triduum, eo ducendo, conſumeretur. Ipſe Imperator, præeuntibus lictoribus, veſte purpurea, auro intertexta fulgebat, quali extra hanc pompam nemini fas vti, caput reuinctus corona laurea, tenens vna manu ramum laureum, altera ſceptrum eburneum: & quo fieret conſpectior, faciem minio illinebatur, Aſſyriorum Medorumque regum exemplo, apud quos iſte mos (cuius auctor Cyrus) fucandi faciem. De curru hæc produntur. Fuiſſe inauratum, gemmiſque diſtinctum, nec bellicarum ludicrarúmue quadrigarum, ſed turris rotundæ ſimilem, duabus rotis ſuſtinentibus, deorum imaginibus mirè decoratum. Sub eo, qua parte ſedebat triumphator, ſuſpenſum idolum Faſcini, de quo Plinius lib. 28. cap. 4. Deus Faſcinus Imperatorum quoq; non ſolùm infantium cuſtos, currus triumphantium, ſub his pendens, defendit, medicus inuidiæ, iubetque eoſdem reſpicere, id eſt, vt ego interpretor, homines ſe eſſe recordari. Traditum & hoc, in ipſo curru miniſtrum publicum vna vehi conſuêſſe, qui pone auream coronam lapillis coruſcantem ſuſtinens, Imperatorem admoneret, vti reſpiceret, id eſt, reliquum vitæ ſpatium prouideret, ne ſuperbia tumeſceret. Hanc coronam, triumpho perfecto, in gremio Iouis Capitolini reponere, aut templis dicare mos iubebat, argumento confeſſionis, Iouis deorumq; ac dearum beneficio donatam populo Romano eam victoriam. Præterea hæc appendi ſolita, tintinnabulum & flagellum, quibus ſymbolis intelligeret, ſe in eam deuolui calamitatem poſſe, vt flagris multatus capite damnaretur: ſiquidem qui comperti capitalium facinorum ſupplicium vltimum expendebant, tintinnabula geſtabant, ne quis obuius eorum contactu pollueretur. Conſueuerant item triumphantes in currum accipere paruos liberos, pueros ac puellas. Si deeſſent proprii, nepotulos. Si grandiores eſſent, equis currui ſubiunctis impoſiti, à cognatis, & affini-

bus ſuſtentabantur, ne deciderent. Si plures, ſingulis equis inſidentes, currum proſequebantur. Cicer pro Muræna. An cùm ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimùm filii ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, vt rebus communiter geſtis, penè ſimul cum patre triumpharet? Currum trahebant equi cãdidi quatuor. Pompeius triumpho Africo iunxit elephantos, quem ſuperauit Cæſar, qui auctore Suetonio Gallici triumphi die in Capitolium aſcendit ad lumina, elephantis quadraginta dextra leuaq; lychnuchos geſtantibus. Nero hermaphroditas equas, Heliogabalus quaternos canes, mox tygres. Aurelianus vectus eſt quatuor ceruis, quos de rege Gothorum cum eodem curriculo ceperat, Iouiq; in ſacrificium vouerat. Sic ergo ornatus, vt dictum, taliq; in curru ſedens Imperator, per triumphalem portam ad Capitolium aſcendebat: ſed lentiſſimè, propter impedimenta videlicet, machinas, præcedentem, ſequentem, comitantem multitudinem. Poſt eum captiui, ſeruitute exempti, libertate donati, omnes capitibus raſis, & pileati. Tum victrices legiones, idq; per turmas cum ſertis laureis, Imperatorem prædicantes, nec minus cum iocorum laſciuia verſus inconditos, & malè natos in eum iactantes. Quod & Martialis tetigit lib. 1.

Conſueuere iocos veſtri quoq; ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Camillum dixerunt (vt genus ipſum perſpiciatur) Romulum parentem patriæ, inſtauratorem vrbis. Marium, tertium vrbis conditorem. M. Manlium vt indulgentem, & ambitioſum carpſerunt. Cæſari adulteria ſua, ſpurciſſimaſque libidinis obiecerunt.

Vrbani ſeruate vxores, mœchum caluum adducimus.
Auro in Gallia ſtuprum emiſti, hîc ſumpſiſti mutuum.

Et Gallias Cæſar ſubegit, &c. Ventidio autem Baſſo Parthici triumphi die occinuerunt.

Currite omnes augures, aruſpices:
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam, mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

R. Facile ex his coniiciat militarem licentiam quiuis etiam. F. Qui ex ædibus diuerſiſque Italiæ locis ſpectatum ruebant, nitebant veſtibus, vultu ipſo ingentem lætitiam animorum teſtabantur. Tota via, qua triumphus ducebatur, aulæis ad parietes ſuſpenſis ornabatur: ſpargebantur flores & odores vndique: vtrinq; ſedilia, & tabulata ſeu ponticuli pro ſpectaculis diſponebantur: & quò eſſet aptior, expeditiorq; via, miniſtri baculos inauratos ferentes, turbam è medio ſummouebant. Delubra viæ imminentia patebant, intenta ſertis, & ſuaueolentibus repleta ſuffitionibus. Ibi vota & preces concipiebantur: ibi hoſtiæ immolabantur, & diis gratiæ agebantur. Poſtquam aduectus eſſet in Capitolium, gratiarum actionem his verbis effari ſolitus eſt. GRATIAS TIBI IVPITER OPT. MAX. TIBIQVE IVNONI REGINÆ, ET CÆTERIS HVIVS CVSTODIBVS HABITATORIBVSQVE ARCIS DIIS, LVBENS LÆTVSQVE AGO, RE ROMANA

IN.

IN HANC DIEM, ET HORAM PER MANVS, QVOD VOLVISTIS MEAS SERVATA, BENE GESTAQVE: EANDEM ET SERVATE VT FACITIS, FOVETE, PROTEGITE PROPITIATI, SVPPLEX ORO. Tum magna cæremonia victimæ cædebantur, & corona aurea, cuius antè meminimus, cum pretioſis manubiis, & ſpoliis opimis Ioui dicabatur. Pòſt, epulum conquiſitiſſimum publicè dabatur. Cæſar dedit duobus & viginti millibus tricliniorum inſtructis. Tiberius quoque mille menſis, & congiarium viritim tricenos nummos. In ipſo item Capitolio impenſa publica, ad quod Conſules inuitati, ſtatim rogabantur, ne venirent: nempe, ne quis eo die honoratior triumphante appareret inter illas epulas. Interdum epulæ ante domos victoribus militibus propoſitæ. Animaduertenda porrò illius ſanctiſſimæ Reipub. prouidentia, ad inſolentiam faſtumque retundendum, cuius exemplum anteà quoque memoratum eſt. Etenim ne triumphator nimium ſibi in tantis honoribus placeret, ſeruulus iuxta aſſidebat, qui ſubindè hæc fabularetur: magis ſeruo tuo pareo, quàm tibi. Quo conuitio monitus, ſe metiri diſceret. Atque vt huiuſmodi triumphorum memoria permaneret; non in publicis tantum conſeſſibus honeſtiſſimus locus datus viris triumphantibus, conceſſumque, vt in ſpectaculis lauro redimiti, & ſella curuli ſedentes adeſſent: ſed etiam erectæ illis columnæ, ſtatuæ, arcus, trophæa, aliaque monumenta. Quin & aditus ædium ſpoliis hoſtilibus exornabantur (non tamen bello ciuili adeptis.) Hæc erant, vt Plinius dicit, animorum ingentium imagines, quæ emptori refigere non liceret, triumphantque etiam, dominis mutatis, ipſæ domus: & erat hæc ingens ſtimulatio, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Corollarium eſto, quod dicturus ſum. Apud Liuium præferre triumphi diem eſt, triumphi diem anteferre, præcipere, maturare, ante diem conſtitutum, & deſtinatum triumpho. Sic enim habet lib. 39. Ne plus in triumpho certaminum, quàm in bello haberet, prætulit triumphi diem. De triumpho hucuſque. S Auditu quidem egregia fuerunt: viſu quàm ſpecioſa, magna, delectabilia fuerint, tantùm licet coniici. R. Vt alia ſcilicet plurima de vetuſtate: atque adeo Romam ipſam veterem, cuius imago in libris, & tabulis imperfectiſſima. F. Et homines, & ædificia eodem fato ſunt: neque illi, neque hæc æterna ſunt: tempus eſt edax rerum. De ouatione ordiamur.

Genus fuit minoris triumphi, nec tamen non etiam magnifici & glorioſi, vt apparebit. De eius notatione rectius Plutarchus quàm Feſtus. Non enim à geminata, o, litera, quod faciunt è pugna milites victores reuertentes, dum clamoribus lætis indulgent: ſed ab oue ouatio, quam ſacrificabant, qui iſto modo triumpharent; vt taurum, qui illo altero, de quo diſſeruimus. R. Quæſo ſimul expone cauſſas hoc loco, ob quas daretur ouatio. F. Faciam. Si bella non ritè fuiſſent indicta, neque cum iuſto hoſte geſta: aut ſi hoſtes deſpicabiles. Item ſi ob deditionem incruentam, &, vt dici ſolet, impuluere victoria viciſſet. Cùm verbis, & comitate

res cum hoſtibus tranſacta, & bene geſta eſſet. Cùm nō penitus debellati hoſtes, ſed depulſa ſolùm pericula, & illi fugati, perculſi, cōſternati, aut à populationibus coerciti, nec magis cladibus affecti. Cùm non in propria, ſed aliena prouincia res confecta eſſet. Cùm reliquiæ belli ſupereſſent, nec adhuc pacata prouincia. Si ex prouincia exercitus non deportatus, nec ſucceſſori traditus. Has fermè cauſſas Gellius & Plutarchus adducunt. Primus ouans vrbem eſt ingreſſus P. Poſthumius Tubertus Conſul, anno ab vrbe condita CCL. fuitque ouantium corona myrtea: quod non Martius, ſed quaſi Veneris quidam triumphus foret. Plin. lib. 15. cap. 29. Bellicis quoque ſe rebus inſeruit (myrtus) triumphansque de Sabinis Poſthumius Tubertus (qui primus omnium ouans ingreſſus eſt vrbem, quoniam rem leuiter, ſine cruore geſſerat) myrto Veneris victricis coronatus inceſſit, optabilemque arborem etiam hoſtibus fecit. M. Craſſus lauro vſus eſt. Quod ad reliquam pompam attinet, ſenatus ei vniuerſus, atque omnes ordines obuiam prodibant: oppida bello capta, ſigna militaria, ſpolia, arma, munera, quæ acceperat, vt in triumpho, præferebantur. Item præibant duces hoſtium capti & vincti, cum obſidibus, aurea & argentea vaſa, & huiuſmodi portabantur. Milites etiam donati, ſua dona præcedentes oſtentabant. Dux ipſe myrtea, ſeu laurea corona inſignis, & vt quidam tradiderunt, ſceptrum ferens manu, equo inſidebat, purpura veſtitus. Senatus ſubſequebatur, plebs & equites antecedebant. Principio ſine exercitu, pedibus vrbem ouantes inibant: & ex duobus Imperatoribus, re bene geſta, alteri triumphus, alteri ouatio dabatur aliquando, vt bello Punico ſecundo Liuio, & Claudio Neroni contigit. Agebantur autem non tauri, ſed oues coronatæ ante ducem, quæ, exacta pompa, immolabantur. Non erat tubarum, ſed tibiarum vſus in ouatione, de qua plus verborum facere me ne poſtuletis. R. Pro tempore multa de vtroq; triumpho ſatis. S. Percuperem, vt iſtis Phœbi ſonipedibus quiſpiam, frænis arreptis, moram iniiceret, ne tam celeri curſu ad occaſum feſtinarent, lucemq; componerent. Inumbrare polum veſpera incœptat, diſcedendum eſt. F. Diſcedamus.

ANNOTATIONES.

ET ABSENTIBVS IMPERATORIS) *Quibus, & quare à ſenatu hoc nomen tribueretur, diximus progymnaſmate politico 17. & in eius annotationibus.* SVPPLICATIONESQVE) *Senatus populo deûm templa aperiri, gratias illi Imperatoris nomine ob rem feliciter, & auſpicatiſſimè geſtam, agi iubebat: idque aliâs plures, aliâs pauciores per dies fiebat. Demùm eò res progreſſa, vt etiam in quinquaginta dies decerneretur. Hoc genere honoris cultus eſt M. Tullius togatus, oppreſſa coniuratione Catilinaria, ob quam item ciuicam coronam ei deberi L. Gellius teſtatus eſt. De vtroque in Piſoniana ipſe hunc in modum. Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilii, frequentiſſimo ſenatu patrem patriæ nominauit. Mihi hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus, ciuicam*

Digitized by Google

coronam deberi à Repub. dixit. Mihi togato ſenatus, non, vt multis, benè geſta, ſed, vt nemini conſeruata Reipub. ſingulari genere ſupplicationis deorum immortalium templa patefacit. POMPEIVS DE SERTORIO) *Laudes Pompeij συνεκτικῶς leges cum volueris apud Plinium lib. 7. cap. 26. Eaſdem ſuaui eloquentia ſua perſequitur Velleius libro 2. principio, dicens. huius viri magnitudinem multorum voluminum inſtar exigere. Plena etiam manu eundem commendauit Cic. pro lege Manilia ad Quirites, cùm diceret de Imperatore deligendo: quam orationem nonnulli pro Pompeio inſcribendam cenſuerunt. De Iulio Cæſare eundem Plinium eod. lib. cap. 25. Velleium lib. 2.* MARCELLVS DE OCCVPATIS SYRACVSIS) *Valerius quidem negat lib. 2. cap. 3. quia ſine vllo magiſtratu eo miſſus fuiſſet. Plutarchus triumphaſſe affirmat in Albano, in vrbe ouaſſe. Similiter Liuius lib. 6. belli Punici, & prætuliſſe in triumpho ſimulacrum Syracuſarum.* IN CVRRVM ASCENDEBAT) *Qui triumpharent vrbe adhuc recenti, & necdum rerum domina, non curru, non equo, ſed pedibus ſuis portabantur. Camillum Dictatorem, primùm curru triumphali, ſeu potius equis albis ad currum adiunctis, inuectum, ſunt qui tradiderunt. Romulum quoq;, Acrone, Ceninenſium Rege deuicto, quadriiugo curru vrbem iniuiſſe narrat Dionyſius. De curru, & aliis, quæ infra ſequuntur in explicatione pompæ triumphalis, Cic. in Piſon. Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid ſimulacra oppidorum? quid aurum, quid argentum? quid legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa?* QVI TITVLI DICEBANTVR) *Multiplex huius vocis ſignificatio proponenda eſt. Titulum dicebant, qui in operibus auctorem ſeu artificem demonſtrabat. Titulum geſtabant ſontes. Etiam titulus illa indicatio in ludis, cui Deo, deæ, cuius imperatoris ſaluti, indulgentiæ, victoriæ fierent. Titulus præterea ædibus vendundis affigebatur. Titulus affixus alicuius facultates omnes in fiſcum redactas monebat. Titulum amphoræ vinariæ, & victimæ quoque in Capitolium ducendæ habuerunt.* PAVLVS ÆMILIVS MACEDONIA) *Ciceronem teſtem aduocabimus, qui ſic ſcribit 2. Offic in extremo. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. Pecunia autem illa, vt ex Velleio patet, fuit ſexageſies ter centena millia coronatorum, ſeu trecenta millia ſupra ſex milliones quod vulgi verbum eſt. De hoc Velleius lib 1. virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt. De victoria autem & triumpho eiusdem hunc in modum. Is Perſeum ingenti prælio apud vrbem, nomine Pydnam, in Macedonia, fuſum ſuperatumque caſtris exuit, deletisq; eius copiis, deſtitutum omni ſpe, coegit è Macedonia profugere: quam ille linquens in inſulam Samothraciam profugit, templiſque ſe religioni ſupplicem credidit Ad eum Cn. Octauius P. R. qui claſſi praerat, peruenit, & ratione magis quàm vi perſuaſit, vt ſe Romanorum fidei committeret. Ita Paulus maximum, nobiliſſimumque regem in triumpho duxit, qui tantum priores exceſſit, vel magnitudine regi Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modo pecuniæ, vt bis millies centies HS. ærario contulerit, & omnium ante*

aliorum comparationem amplitudine viceris. Iô TRIVMPHE. Horat. Ode 2. lib. 4. morem cum hiſce vocibus retulit.

Tuq́ue cum procedis, Iô triumphe
Non ſemel dicemus, Iô triumphe
Ciuitas omnis: dabimusq́ue diuis
Thura benignis.

Et Ode 9. Epod.

Iô triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boues.

Liuius lib. 45. militum quidem propria eſt cauſſa, qui & ipſi laureati, & quiſq́ue donis, quibus donati ſunt inſignes, triumphum nomine cient. CLEOPATRÆ AVGVSTVS FECIT) De voluntaria huius morte Horatius Ode 31. lib. 1. Velleius lib. 2. At Cleopatra, fruſtratis cuſtodibus, illata aſpide, morſu ſanè eius, expers muliebris metus, ſpiritum reddidit. Viuam capere Auguſtus magnoperè cupiebat, quod eam ad triumphi gloriam magnum momentum allaturam ſciret. Altera cauſſa cur id tam vehementer optaret, fuit, vt in Antonio auctor eſt Plutarchus, quod metuebat, ne illa pecuniam, quam penes ſe habebat, corrumperet ac diſſiparet. ZENOBIA NEMPE PALMYREORVM) Ampliſſimas laudes regina huius perſequuntur Trebellius, & Vopiſcus. Militari prorſus animo, & factis mulier. Si ſe grauidam factam ſentiret, vſq́ue ad partum aſpernabatur, quod coniugibus mariti ſolent. Ita non dulcem Venerem, ſed dulces natos tantum quærebat, memorabili exemplo caſtitatis etiam in libera, nec turpi voluptate. Cùm in triumpho duceretur, ſæpius neceſſe habuit conſiſtere, propter onus ornamentorum gemmarumq́ue, ſub quo laborabat. Vincti etiam pedes auro, manus catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat. Mirificè eam ſcribens ad ſenatum laudauit Aurelianus, cum incuſaretur à quibuſdam, quod mulierem veluti ducem aliquem vir fortiſſimus triumphaſſet. ET SPOLIIS OPIMIS) Quæ dux hoſtium duci ab ſe interfecto detraxit. Varro ait etiam, opima ſpolia eſſe, ſi manipularis miles detraxerit, dummodò id duci hoſtium. ADITVS ÆDIVM SPOLIIS HOSTILIBVS) Liuius. Spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in poſtibus ſuis. Attingit conſuetudinem iſtam & Virgilius lib. 2. Æneid.

Barbarico poſtes auro ſpoliisq́ue ſuperbi:

Et in 7.

Multaq́ue præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq́ue ſecures;
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra.
Spiculaq́ue clypeiq́ue ereptaq́ue roſtra carinis.

Adiiciatur pro coronide. Ab vrbe condita ad Veſpaſianum & Titum, Romani triumphos egerunt vicenos ſupra trecentos: de Samnitibus ſolis quatuor ſupra triginta. Pluries de Gallis, quàm de reliquo terrarum orbe triumpharunt.

DE

DE RE NAVALI.

PROGYMNASMA TRICESIMVM.

Vita nautica.

VRBICVS, MERCATOR.

VRBICVS. Edicito bona fide, mi vetule, è quibus terrarum oris, aut qua demum ex inſula in hunc orbem noſtrum haſce merces? M. Partim è Cypro, partim è Luſitania: vbi in præſens ampla negotia & expedita habeo. Aliquando alia mercimoniorum genera Conſtantinopoli, & Alexandria Venetias apportaui, benè refertis onuſtiſque nauibus. Conſtitui autem, ſi Deus annuerit, propediem nauigare Calecutum in Indiam, ex illoque mercatu celeberrimo res nouas, viſendas, pretio dignas Europæis vrbibus inferre. V. Etiamne tu igitur ad extremos Indos? M. Per ſaxa per ignes cucurrerim, dum ita paupertatem effugiam, cuius onus mihi ſemper viſum eſt & miſerum, & graue. V. Paupertatem? M. Duram, ſæuam, audacem, importunam paupertatem. V. At iam benignitate diuûm, & virtute maiorum, & induſtria tua diues es ſatis. M. Opinione quidem mea nec fui, nec ero: & hæredes relinquam permultos: alios quaſi in prima cera, alios in ſecunda, alios in ima. Forſitan tibi quoque, vt olim familiari meo, ſextulam aſpergam. V. Hæccine, cauſſa tibi huius vel audaciæ, vel inſaniæ? M. Quam tu audaciam? quã, vrbane tu, tam inurbanè mihi inſaniam? V. Quia faciunt quibus vitæ in marinis fluctibus agitandæ ratio complacita eſt, vt nec in viuis ducendi ſint, nec in mortuis. M. Quo id tandem modo? V. Ob certiſſimum, & ante oculos poſitum diſcrimen: ſiquidem à morte non plus diſtant digitis tribus: quàm craſſæ ſunt videlicet tabulæ, vnde nauigia compinguntur: illaque ſola ſecura nauis eſt, quæ portum tenet, alia nulla. M. Vt periculoſum & lubricum ſit tranſmittere maria, cedò, minúſne periculi eſt in prælio, cùm miles hoſtilem impetum defendere, interque micantes gladios ac tela volantia incolumem ſe præſtare cogitur? Eſt cum victus occumbit: ſæpe tamen acie victor exceſſit: quanquam haud ſine luculentis vulneribus, quæ cum iam conſanuerint, ipſæ ei cicatrices pro ornamento ſunt. Quoniam ergo militare præſentiſſimo cum periculo vitæ coniunctum eſt, ne profiteamur militiam. Poſſit ne fieri quidquam ſtultius? Quid verba incaſſum fundimus? ſua quemque ars, ſuum ſtudium maximè retinet: hos caſtra, illos honores, iſtos agricultura, alios voluptates, quoſdam literæ, me nauigatio. V. Tandem vi tempeſtatis cõfracta naui, eſca piſciũ fies: aut alicubi in littus ſolũ eiectus, & exanimis

qui ter puluerem tibi iniiciat inuenies neminem. Poteritque illud Maroniamum in te non ſecus atque in Palinurum iactari.

O nimium cælo, & pelago confiſe ſereno,
Nudus, & ignota Palinure iacebis arena.

M. Vtrum corpus hoc meum ſepulchro committatur, an verò inhumatum relinquatur, non laboro. Hæc eadem membra, hanc pellem ille rerum naturæ opifex, & omnium DEVS nouiſſimo die mihi reſtituet. quamuis mortuum balæna, vt Ionam viuum deglutinerit, nec vnquam reuomuerit. I. Ideo ne tantum, quia indocilis es pauperiem pati: quia cupidus opulentiæ, toties te credis pelago? tóties huic confidis monſtro? M. Amo fortunas ampliſſimas, & mihi videtur bonus odor lucri vndecunque. Nihilominus aliæ ſunt cauſſæ, cur tot luſtrem æquora. V. Quænam illæ? M. Quòd hominum vitæ commodare annitor, quæ ſeſe tueri profectò non queat, ſi omnis nauigatio conquieſcat. Nulla regio, nulla prouincia, pars mundi nulla eſt, nedum ciuitas, quæ aliarum opibus & ſubſidiis non ſummoperè vehementerque indigeat. Non quæuis fert omnia tellus. Hæc ſegetibus luxuriat, illa auro, argento, gemmis abundat, iſta metallis cæteris, aliæ aromatis, nonnullæ iis præterea rebus, à quibus aliæ inopes ſunt ac deſertæ. Hæ res mercatorum laboribus tum vectura, tum nauibus exportantur & importantur. Num mentior? quid habes quod opponas? V. Nihil falſi prolocutus es: neque vllum vitæ genus facilè reperias, in quo bona malis, recta vitioſis admiſta non cernantur: quò fit, vt nemo ſua ſorte perpetuo contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes. Nam & miles ad extremum ætate & opera militari feſſus, mercatores præ ſe beatos exclamat: mercator contra nauim iactantibus Auſtris, aut militiam & graue Martis opus, aut vrbanum otium, aut ruſticanam vitam ſuſpirat: quod neſcio an tibi quandoque vſu venerit. M. Venit. V. Quin ergo è tanta miſeria exemptus, & ab ipſis tartari faucibus vindicatus, aliud viuendi inſtitutum, quietum atque in tuto collocatum amplecteris? M. In alio non inuenio tanta compendia: & humano generi mercatura facienda, iterandiſque curſibus æquoreis plus vtilitátis, quàm ſeu honoribus gerendis, ſeu aliqua fabrica exercenda concilio. V. Cum publicorum emolumentorum percupidus ac ſtudioſus es, probatur id mihi maiorem in modum. M. Si hiſtoricorum monumenta reuoluas, quæ ego duntaxat primoribus, vt aiunt, digitis attigi, clariſſimè perſpicies, eas vrbes, quæ ad propulſandas iniurias, ad imperium tuendum propagandumque, claſſem ſemper inſtructam & paratam habuerunt, principatum inter reliquas tenuiſſe. V. Scio Athenis, Carthagini, Byzantio potiſſimùm gloriari ob hoc licere: nec me clam eſt, quantum diuitiarum noſtro æuo Genua & Venetiæ, duo ſidera Italiæ, ſibi hac opportunitate pepererint. M. Quod tu porrò de morte præſenti, & ipſis ſeſe oculis ingerente occinebas, ſic habeas velim, non me huc vſque vita proceſſurum fuiſſe, ſi nauigationibus temperaſſem. V. Ludis me. M. Neutiquam. Vt enim cæteros morbos prætermittam, quibus depellendis facit nauigare, phthiſi tabeſcentibus,

&

Digitized by Google

& hæmorrhoeam patientibus ſalutiferum eſt: quorũ malorum hoc iam laborabam, illud metuebam, vtroque liber ſum & immunis. Nec parum ad integritatem valetudinis conducunt vomitiones, quibus ingredientes primùm mare, & aliâs iidem quoque, nauibus ſurſum deorſum, dextroſum, ſiniſtroſum iactatis, perpurgantur. V. Vt hic in cœlum fert, quod diligit? M. Nondum audiſti præcipua. V. Súntne maiora his? M. Ac multò quidem. V. Auſcultare perlubet. M. Qui plurimum vitæ in mari traducunt, nulli propemodum eorum ſcelerum reperiuntur affines, quibus cooperiuntur, qui in mediis vrbibus ætatem agunt. A cupiditatibus & libidinibus, quarum illic ſumma licentia, & copia maxima eſt, remoti alieníque ſunt. Diuerſorum locorum, variarum inſularum, plurimarum gentium, legum, morum, rituum, cæterarúmque rerum pæne infinitarum cognitionem adipiſcuntur, ſermone hominum celebrantur, & tanquam miracula ſuſcipiuntur. Tu quidem non pauca, vti arbitror, in libris lectitaſti, quæ ego, vectus equo ligneo, per cæruleas vias coram ſum intuitus: quod longè iucundiſſimũ eſſe, tu ipſe fatearis oportet. Si vidiſſes, ſtatim nuntium huic vrbanæ vitæ remitteres, ad nauticam conuolares. V. Non non, quamuis ſciam adepturum me Perſarum montes aureos. Méne adeo à conſilio & ratione diſceſſiſſe? me hanc vitam colere? vitam laborioſam, ſollicitam, ærumnoſam, agreſtem, inhumanam, barbaram? in qua toleranda frigora plus quàm Caucaſea, perferenda caumata grauiſſima, verſandum in ſqualore, in fame, in ſiti, in horrore, in pauore aſſiduo. M. Moleſtiæ nauigantium potius ad corpus pertinent: quas autem vos vrbani perfertis, & quibus tanquam molibus oppreſſi tenemini, eæ ſunt animi totius. Proinde vt maior eſt vis animi, quàm corporis: ita grauiora ſunt ea, quæ concipiuntur ſentiunturque animis, quàm quæ corporibus. Inſuper illas res aſperas & immanes quas memorabas, toleratu faciliores exercitatio & diuturnitas reddunt: nec illæ mentem perinde vt oppidanæ ſollicitudines, atque cruciatus macerare & exedere ſolent. V. Sine me peruenire, quô volo, & largam auribus da operam. Nam vt ad vnum atque alterum obiectorum reſpondeas aliquid, ipſo incommodorũ aceruo te obruam. M. Nihil tamen noui, nihil à me intentatum inexpertumque dices. Quid enim ego, Deum immortalem, per tot annorum curricula terris iactatus & alto expertus non ſum? vt me ſæpius ingenio egregriè ad infelicitatem nato iudicauerim. V. Tantalum prædicant aquas in aquis captare. Mutato nomine, de vobis narratur fabula, vos Tantali eſtis. M. Fac nos etiam Tityos, & Ixionas, ſi lubet. V. In illis immenſis vndarum campis, per quos vela datis, quoties aquæ nihil habetis, ſitique exareſcitis? ex aquis aquationis cauſſa in terram deſcendere cogimini. O conditionẽ ter miſerabilem. M. Quin & panem mucidum, inſtar lapidis duriſſimum, ſcatentem vermibus eſitaui cum ſalſamentis putridis. V. Hem delicias. Quibus quantiſque turpatus & oppletus ſordibus quàm frequenter inceſſiſti? quàm nunc item velut Maurus aduſtus es ſolibus, quem ego candida cute ante annos duodetriginta noui: tot ſiquidẽ abierunt, ex

quo ad mercaturam adiunxiſti animum. Quid loquar de Scylla, de Charybdi, de breuibus, de ſyrtibus, de vadis, de portentoſis piſcibus, de tonitruis, fulguribus, fulminibus, luctantibus ventis, imbribus, grandinibus, tempeſtatibus ſæuiſſimis? hiſce malis, quæ nos in oppidis ſecure ac iucundo in otio viuentes ſine horrore nunquam legimus, vos ſubiecti eſtis, nec illis poteſtis ire obuiam, quidquid moliamini. Cur iſthæc parœmia in ore vulgi verſatur, mare malorum? niſi quod infinitis ærumnis premuntur, qui in eo victitant. Hinc de immenſis omnigeniſque calamitatibus ita loquimur. Equidem vix audeo etiam hoc dicere: veruntamen audeo. Qui iſtuc quaſi iter vitæ ſibi delegerunt, mores placidos & humanos abiiciunt, & in medio ſale inſulſi, atque inter ſcopulos quodammodò ſcopuli efficiuntur. Nec te prætereunt illa vulgata. Neptuni filii, è mari natus. M. His ingenia duriora, moreſque inamabiles, & inſuaues notantur, quod pueri in ludo diſcebamus. Atqui in mediis vrbibus agreſti illepidaque natura ciues vidi innumeros, & hęc vituperatio non ſanè in omnes nauigantes cadit. V. In illos quidem profectò, qui conſuetudine, & ſocietate hominum diu caruerint. M. Num ego ferus? num immitis? num barbarus? V. De te non queror. M. Non igitur omnes. V. At pænè omnes. M. Nec iſtuc tibi conceſſerim. V. Hoc verò non poteris, quin concedas. M. Quidnam? V. An non in perpetuum quendam carcerem contruſi videmini, vbi rerum neceſſariarum egeſtas ſuprema, ſupellex nulla, lectulus vilis, durus, immundus, noctes irrequietæ piratarum, tempeſtatum perennis metus, non dulcis patriæ aſpectus, non congreſſiones amicorum, non blandimenta coniugum, non complexus liberorum. Quo quid tandem triſtius? quid acerbius? Quoties è decem nauibus difficulter in portũ vnica redit? quoties, procella ingraueſcente, mercibus quantumuis magna æſtimatione dignis, foras ante proiectis, hauſta eſt in profundum nauis cum vectoribus? aut ſi vſi ſunt clementia numinis, arrepta è naufragio tabula, nudi euaſerunt, poſteaque ſtipem coëgerunt, & precariò victitarunt? Quocirca verè Plautus. Qui ſeſe miſerum & mendicum volet, Neptuno credat ſe, atque ætatem ſuam. Nec non bene Propertius.

Ah pereat, quicunque rates & vela parauit
Primus, & inuito gurgite fecit iter.

Noli inſuper inficias ire, genus nauticum diuinæ ſapientiæ voluntatique aduerſari. M. Eia, aduerſari? V. Quæro, num Deus cuilibet animantium ordini ſuam ſedem, ſuumque ſolum à principio attribuerit? M. Ille verò attribuit. V. Nonne aërem volucribus: terram hominibus, quadrupedibus, reptilibus, quæ in ſyluis, ac deſertis locis manent, flumina & mare piſcibus? M. Scopum ipſum. V. Quid ergo eſt, quòd homines de ſanitate mentis deturbati, & quaſi in piſces commutati, aquam incolunt? In quo à viro ſapientiſſimo reprehenduntur. *Ponentes, inquit, ratem in mari, ſe & vitam ſuam committunt paruo ligno, cùm mare piſcibus, terram autem dederit filiis hominum.* M. Valeant tua ſophiſmata: ferrum natare doces: nihil agis. V. Eſtné vlla pietas, eſtné vlla ſalutis cura in nauiis? M.

Quid

Digitized by Google

Quid ad me nautæ? eſt in nauigantibus. V. Haud nihil ambigam: ſed cum ſeſe voluntario multant exilio nauigantes iſti, patriam, parentes, conſanguineos deſerunt, eſtné hæc dicenda pietas? nullo pacto. At illa erit fortaſſe diuina pietas, cum piraticam faciunt, & naues alienas diſpoliant, cum peierant, cum aliis ſeſe ſceleribus contaminant quotidie. M. Nec in mari, nec in terra, nec in cœlo, nec apud inferos, quiſquam adigitur, vt ſit improbus. Omnes, qui à ſemita recti declinant, ſua ſponte declinant. V. Prodeſt tamen, vitare locum, in quo homines conſueuerunt eſſe non boni. M. In quo autem loco conſueuerunt eſſe boni? Nuſquam tantum boni, niſi in cœlo. Nuſquam tantum mali, niſi apud inferos. In terris & boni & mali. Et tamen in his, nemo vſque adeo bonus, quin aliquando malus. Nam & iuſti peccant: ſed eorum peccata pauciores quaſi numeros officii prætereunt. Idcirco per extentum funem ambulat, qui tantum bonos inter homines quæritat. V. Certè robur & æs triplex vobis circa pectus eſt, qui tantis periculis nihil commouemini. Præſtat vtique in terra pauperem, quàm in mari diuitem eſſe. M. Tu vbi volueris, degas licet: ego à tam veteri inſtituto non recedo. Si ventus ſecundus ſurrexerit, ſoluemus oram poſt triduum, proficiſcemurque cum Luſitanis in Indiam. V. Saluta, ſi placet verbis meis Oceanum ſenem, cum vxore Theti: item Nereum, eorum generum, ac Doridem, cum Nereidibus, Tritones, Glaucum, Portunum, Matutam, & reliqua maris numina. M. Nempe Neptunum patrem, quem te obliuiſci potuiſſe miror, Panopæam, & Amphitriten. V. Nempe. M. Iocularia iſta ſuſque deque fero. Vale in annum abhinc tertium.

ANNOTATIONES.

VRBICVS) *Ab vrbe deflectuntur vrbanus & vrbicus, quorum eadem eſt vis: & contraria ruſticanus, ruſticus. Sunt ergo res & homines quidam vrbani & vrbici: ſunt viciſſim ruſticani & ruſtici. Quodammodo etiam duobus iſtis generibus aduerſa ſunt res & homines nautici, qui ſcilicet vitam nec in vrbibus, nec ruri, ſed in ſalo & fluminibus vt plurimũ viuunt. Apud* Iuuenal. *ſat.* 6. *illo verſu: Vrbicus exodio riſum mouet Atellanæ, & Martialem, illo: Quod non optimus vrbicus poëta: actoris quoddam, & certum poëtarum genus ſignificat: Nam vt ſatyræ græcis tragœdiis interponebantur, ita tragœdiis latinis ad exhilarandum ſpectatorem Atellanarum exodia interſerebantur: nec hiſtrionibus earum actus committebantur, ſed honeſtis iuuenibus (quamquam fortaſſe tandem aliquando à mimis aliis, & hiſtrionibus fabulæ illæ actæ ſunt) erantque hæ fabulæ vrbaniſſimæ, & vrbis iocos elegantiamque imitabantur, & ab vrbe Atella nomen erant adeptæ. Itaque earum actores & auctores vrbici vocabantur.* Turneb. lib. 3. cap. 17.

EDICITO) *Edicere non ſolùm valet edicto propoſito iubere, verumetiam dicere, enuntiare, indicare. Cicero in Lælio. Si prius quid maximè reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Et prima Philipp cumq; de via languerem, & mihimet diſplicerem, miſi pro amicitia, qui ediceret. Salluſt. in Coniurat. Is cùm ſe diceret indicaturum de coniuratione, ſi fides publica data eſſet, iuſſus,*

à Coſſ.

à Coſſ. quæ ſentiret edicere. Plauto eandem vim habet, edictare. Amphit. Tu te edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris. Epid.

Rem tibi ſum elocutus omnem, Cheribule, atque admodum
Meorum mœrorum atque amorum ſummam edictaui tibi.

Menæch. omnia ego hercle edictaui. IN HVNC ORBEM) *Orbis interdum, quod græcè ἤπειρος, terra continens: ſeu terra pars, quæ ab alia parte mari non ſeparatur. Hinc Virg. eclog. 1. Et penitus toto diuiſos orbe Britannos. Sic dictum eſt à poëtis aliis, peregrinus orbis, Aſia videlicet, aut Africa, aut remota aliqua regio.* ALIOS QVASI IN PRIMA CERA) *A veteribus ceræ nomen pro epiſtolis, tabellis & pugillaribus ponebatur ſæpius. Ex quo nata illa formula in re teſtamentaria: ſcribere ſeu inſtituere quempiam hæredem in prima, ſecunda, in ima cera: hoc eſt, in extrema parte teſtamenti. Suetonius in Iulio cap. 83. Sed nouiſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pædium ex quadrante: reliquos in ima cera. Quem locum declarat doctiſſimus Alexand. ab Alex libro primo capite primo. Imam ceram Cicer. 3. Verrina extremam, Martialis libro quarto, vltimam vocauit. Plura de ceris Tiraquellus in Alex.* SEXTVLAM ASPERGAM) *Sextula, eſt ſexta pars unciæ: uncia, duodecima pars aſſis: as totam hæreditatem oſtendit. Cic. pro Cæcina. Teſtamento facto mulier moritur, facit hæredem ex deunce, & ſemuncia Cæcinam, ex duabus ſextulis M. Fulcinium, libertum ſuperioris viri, Æbutio ſextulam aſpergit. Lepidè dixit (aſpergit) quaſi de aqua ſermo eſſet: nam & menſuræ vocabulum eſt ſextula, inquit in eum locum Manut. Vide præterea Budæum de aſſe libro primo.* NEC IN VIVIS DVCENDI) *Anacharſis interroganti pluréſne eſſent viui, an mortui, reſpondit: nauigantes vtra in parte conſtituis? Laërt. Idem eos tantum 3. digitos à morte abeſſe dixit.* CVM IAM COMSANVERINT) *à conſaneſco. Cicer epiſtola ſexta, libri quarti. Nunc autem, hoc tam graui vulnere, etiam illa quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Sic enim docti quidam, pro, conſenuiſſe, legere malunt.* HOS CASTRA, ILLOS HONORES) *Ad hunc locum illuſtrandum pertinet Ode. 1. lib. 1. apud Horatium.* AN VERO INHVMATVM) *De humatione & ſepultura diſſerit ſub extremum 1. Tuſcul. M Tullius. In qua diſſertatione & illud. Totaque de ratione humationis vnum tenendum eſt: ad corpus illam pertinere, ſiue occiderit animus, ſiue vigeat. In corpore autem perſpicuum eſt, vel extincto animo, vel elapſo, nullum reſidere ſenſum. Cæterùm nos in dialogis funebribus ſepulturam legitimam non eſſe Chriſtianis contemnendam docebimus.* HVIC CONFIDIS MONSTRO) *In fine 5. Æneid Palinurus reſpondens ſomno.*

Méne ſalis placidi vultum fluctusq; quietos
Ignorare iubes? méne huic confidere monſtro?
Æneam credam, quid enim fallacibus Auſtris,
Et cæli toties deceptus fraude ſereni?

HOMINVM VITÆ COMMODARE ANNITOR) *Qui hoc faciunt, ii ſe aliis quoque natos præclarè intelligunt. Sunt etiam, vt non modò Plato, verum etiam Stoici ſentiunt, homines hominum cauſſa generati, vt*

ipſi

ipſi inter ſe, alius alii prodeſſe poſſent: ſequerenturque in hoc naturã ducem, vt quemadmodum illa quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creat: ſic ipſi communes vtilitates in medium afferrent, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincirent hominum inter homines ſocietatem. Cicer. in Offic. NON QVÆVIS FERT OMNIA) *Virg. 1. Georg.*

Continuò has leges, æternaſq; fœdera certis
Impoſuit natura locis: quò tempore primùm
Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem,

nempe vt quæque regio aliud ferret, aliud recuſaret, id quod antecedentibus exemplis demonſtratur NAM ET MILES) *Lege principium ſatyræ 1. libr. 1. Qui fit* Mæcenas, *&c.* CVRSIBVS ÆQVOREIS) *Curſus, currere, & curſum tenere quàm frequentiſſimè à ſcriptoribus probatiſſimis in nauigatione ponuntur. Horat. Ode 6. lib. 1. Nec curſus duplicis per mare Vlyſſei. Idem Ode 28. lib. 1.*

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Iniecto ter puluere curras.

Catull. de nupt. Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten. Virg. 3. Æneid. 3. Excutimur curſu, & cæci erramus in vndis. Idem aliâs quoque. Cicer. 3. Off. Si idem ſciat complures mercatores ab Alexandria ſoluiſſe, naueſque in curſu, frumento onuſtas petentes Rhodum viderit. Curſum autem tenent naues, quæ de nauigatione tempeſtatis vi non excuſſæ, ad portum aut ſtationem, quam petebant, rectà perueniunt. Cicer. 3 de nat. deorum. Dionyſius cum ſecundiſſimo vento curſum teneret. Translatè dixit idem 1. de Orat. Perbeati fuiſſe Q. F. illi videri ſolent, qui cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. VOMITIONES QVIBVS INGREDIENTES) *Cur nauſea correpti, vomant potius, qui mare, etiam nullis tempeſtatibus, quàm qui flumina nauigant, rationem adducit* Plutarchus *de cauſſis natural. cap. 11.* VECTVS EQVO LIGNEO) *De nauibus per murum ligneum ſignificatis oraculo, vide Plutarch. in* Themiſtocle. *Plaut. Rud. Nempe equo ligneo per vias cæruleas eſtis vecta.* AQVAS IN AQVIS) *Poëtæ nec in culpa Tantali conſentiunt, nec in ſupplicio Scribunt quidam, cum Deorum conuictor eſſet, illorum conſilia ſermoneſq; per linguæ intemperantiam ennunciaſſe mortalibus. Alii nectar & ambroſiam furatum, æqualibus & amicis impertiuiſſe. Alii peieraſſe. Iam* Homerus Odyſſea *11.* Ouidius, Tibullus, *Horatius & alii quidam mento tenus in aquis demerſum iacere, ſitiq; & fame, pomis ſupra caput impendentibus, cruciari pronunciant.*

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.
Tibullus lib. 1. eleg. 3.
Tantalus eſt illic & circum ſtagna, ſed acrem
Iamiam poturi deſerit vnda ſitim.

Horatius autem ſatyra 1. lib. 1. Tantalus à labris ſitiens fugientia captat flumina.

Digitized by Google

mina. Idem Gallus epigrammate, lib. 3. Annal. cuius initium ἔτ@ ὁ πρὶν μακάρεσσι. Verum Euripides principio Oreſtis, Pindarus primo Olymp. hymno, Lucretius l. 3. volunt ſaxum ei impendere, cuius caſum perpetuò continenterq́ꝫ extimeſcat, & ita in continuo metu verſetur. Nam fabulam de fame ſitique Tantalea Horatius ad auarum accommodat eadem ſatyra, his verbis.

quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Congeſtis vndiq́ꝫ ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis

TITYOS ET IXIONAS) De pœna vtriuſq́ꝫ Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Illic Iunonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rota,
Porrectusq́ꝫ nouem Tityus per iugera terra,
Aſſiduas atro viſcere paſcit aues.

Ouid. 4. Metamorph. Virg. 3. Georg. & 6. Æneid. Crimen Ixionis ex Tibullo patet. Simile in Latonam perpetrauit Tityus. MARE MALORVM) Mare bonorum, mare malorum prouerbia, pro maximis & plurimis ſeu bonis ſeu malis. Vide Chiliadas. Ægyptii maritima omnia vſque adeo deteſtabantur, vt ne nautas quidem alloquerentur: rati ſe ex eorum ſermone contaminatum iri. Neque in ſacrificiis ſalem marinum vllo modo adhibebant: nec ſibi quidquam cum eo volebant eſſe, quod vel in mari gigneretur aleretúrue, vel id inhabitaret. Plaut. Sym. lib. 8. quæſt. 8. Super illud: maritimi mores, lege Rhodigin. lib. 16. c. 23. Maria pro ingentibus & infinitis poſſeſſionibus dictum à Catullo. Solent autem pro rebus maximis maria ponere latini: indicio eſt illud Salluſtii in Coniurat. maria & montes polliceri. Turneb. l. 26. c. 9. SVAM SEDEM) Lege Oden. 3. lib. 1. apud Horatium qua & vota pro Virgilio Athenas nauigaturo facit, & nauigationem nauiganteſque acerrime inſectatur, quaſi diuino conſilio contumaciter aduerſantes. ESTNE VLLA PIETAS) Nauigabat cum impiis aliquando Bias. & cùm nauis valida tempeſtate concuteretur, vectoreſque deos inuocarent: ſilete, inquit, ne vos hîc illi nauigare ſentiant. Laert. lib. 1. SOLVEMVS ORAM) Ora eſt etiam funis nauticus, quo nauis ad terram religatur. Liuius lib 12. Vixdùm omnes conſcenderant, cum alii reſoluunt oras, aut anchoram vellunt. Idem alibi. In ipſis quoque nauibus trepidatum, dum, ne hoſtes cum ſuis erumperent, trahunt ſcalas, oraſque & anchoras præcidunt. Quinctil. Permittamus vela ventis, & oram ſoluentibus bene precemur. Aliter explicat hanc ipſam locutionem Turneb. lib. 3. c. 1. cui haud aſſentior. SVSQVE DEQVE) Suſque deque ferre, ſeu habere, hoc ſibi vult, æquo animo eſſe, & quod accidit non magni pendere, atque interdum negligere & contemnere: & propemodum id valet, quod dicitur ἀδιαφορεῖν. Plura Gellius lib. 16. cap. 9.

PRO-

PROGYMNASMA
PRIMVM ET TRICESIMVM.

Inuentio, notatio, multiplex vſus, materia, genera nauis.

COSMVS, FLORVS, HECTOR.
PVER *anagnoſtes.*

COSMVS. Ambo vos, quænam erat paulò ante veſtra tam litigioſa, victoriæque cupiditate feruentiſſima diſputatio? F. De inuentione nauis controuerſabamur, quam à piſcibus exemplo petito homines architectatos Hector contendebat: ego priſcos, cùm per cælum aues volitantes intuerentur, inde condocefactos affirmabam, qua ratione nauem componerent, ac per vndas volitarent. C. Cùm ſit vtraque veriſimilis opinio, & auctores vtroque trahant, in Flori ſententiam magis vt eam, inclinat animus. F. Ita te facturum rebar. Aiebat à dorſo piſcis carinam, à cauda puppim, à capite proram, à pinnis remos didiciſſe fabricari, cum ipſum vocabulum, nauis, apertiſſimè declaret, ad auis ſimilitudinem ædificari cœptam. Quantum enim inter has duas voces diſcrimen, auis, nauis? Idipſum probant tralationes mutuæ, ſeu reciprocæ: vt enim de nauibus ſolemus ita loqui, vt dicamus, velorum alas, volare, quæ volucrum propria ſunt: ſic viciſſim de auibus, remigium alarum, & tranare dicimus: quibus verbis in re nauali proprium eſt domicilium. Nonnulli nauis vocabulum græcum rati, à [illegible] & hoc, [illegible], nato, ſiuo factum opinantur. Contrà, ex latino quidam, nonas, deducunt. Perſeuero in ſententia, tametſi repugnet ſyllabæ modulus: nam, auis, prima correpta pronunciatur. C. Non indoctè tu quidem, nec indiſertè. Quomodo autem partes nauigii, partibus auis ex altera parte reſpondent? F. Hoc docere nihil eſt negotii. Temo & puppis caudæ, capiti prora (cuius eſt & roſtrum, ab auis roſtro, quo piſces carent) remi poſtremò alis. Miluos artem gubernandi nos docuiſſe, in cœlo monſtrante natura, quid opus eſſet in profundo, ait Plinius. C. Viciſti, vt alter Achilles, iſtum Hectorem. H. Vicerit, non ſunt in hoc poſitæ fortunæ Germaniæ. Dic tu nobis, Coſme, à quo putes primùm fabricatam nauim? C. Quæ longa nauis dicitur, ea eſt omnium prima & antiquiſſima, ad montem Pelium in Theſſalia (vbi cæſa cecidit ad terram abiegna trabes) a Iaſone curata: quo duce & auctore amplius quinquaginta nobiliſſimi Græciæ iuuenes Colchos ad aureũ vellus rapiendum ſoluerunt. Præfuit eidem contexendæ Minerua, vt quidẽ Catullus ſcribit, more poëtico, in ornatiſſimo pulcherrimoque poëmatio de

tico de nuptiis Pelei & Thetidis, cuius principium ad inſtitutum noſtrum perquam appoſitum recitabo, ſi audire eſt animus. F. Et maxime quidem. C.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per vndas,
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diua quibus retinens in ſummis vrbibus arces
Ipſa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.

F. Hanc ipſam cenſeo nauim eſſe, quæ Argo nominatur. C. Ipſa eſt. H. Vnde hoc illi nomen? C. Putant nõnulli ab architecto & fabricatore Argo. Alii à celeritate: ſiquidem ἀργὸς Græcis eſt celer. Cicero Ennii ſententiam approbat, ab Argiuis vectoribus ſic appellatam. hos enim ex illius poëtæ Medea verſiculos adducit 1. Tuſcul. Eas anguſtias, inquit, per quas penetrauit ea, quæ eſt nominata

Argo, quia Argiui in ea delecti viri
Vecti petebant pellem inauratam arietis.

Libera ſunt vobis in his rebus iudicia. Ad propoſita pergamus. Nonnulli repertorem nauium affirmant Danaum, Ægyptum fratrem fugientem, & primam illam Danaim vocatam tradunt. Plinius quoque alios longæ nauis inuentores ſtatuit: nos cum poëtis, atque inprimis cum Ennio, & Catullo ſentiemus. Eſt autem longarum nauium apud Ciceronem, auctoreſque principes non infrequens mentio. H. Antequam eſſet inuenta nauis, legi rates in vſu fuiſſe. C. Fuerunt. Illud hodie oculis ipſis videtis, cùm ad res ſuas tranſportandas homines primùm naues adhibuerint, nunc variis in rebus earum eſſe vſum. H. Videmus certe alios vti ad neceſſitatem, vehendorum, inquam, onerum, alios ad voluptatem animi, alios ad piſcationem, alios ad diuerſa mundi loca perluſtranda, alios ad ludum, vt in naumachiis, alios ad prælium. C. Sic in aliis quoque rebus, ad vnum aliquid excogitatis, ingenii humani ſollertia paulatim vſum multiplicauit. F. Cur Aſſyrii è cupreſſo naues fabricarunt? nam hoc me legere memini. C. Hæc arbor benè fert ætatem. Nos tamen è ligno illo ſuaueolentiſſimo ſcriniola, ciſtellulas, arculas, menſulas, & ſimulacra facere malumus: naues è pinu, abiete, item è picea, quod tamen arboris genus citius putreſcit. E robore lacuſtres, & fluuiatiles melius fieri aiunt. Phœnices & Syri è cedro, quod pinu carerent, naues condebant. Vniuersè, ea materia laudatur, quæ nec fiſſilis, nec fragilis, nec putredini ſubiecta eſt, quæque minus fidit. H. An poſſint in certa genera diſtribui naues? C. Vix eſt vt poſſint, quanquam id non nemo tentauit: in longas videlicet, onerarias, piſcatorias, actuarias. Atque primo generi ſubiiciũt biremes, triremes, quadriremes, & quotquot ab ordi-

Digitized by Google

ab ordinibus remorum cognominatæ ſunt: liburnicas, conſtratas, ſiue tectas, turritas, prętorias, prędatorias ſiue piraticas, phaſelum, hippagines, quæ & hippagogæ, piſtres, pontones. Alteri frumentarias, corbitas, cybæas, vinarias, aquarias, lignarias, arenarias, lutarias, farinarias, carbonarias, & gaulum. Tertio cymbam, lenunculum, ſcapham. Quarto lembum, exploratoriam ſeu ſpeculatoriam, cercurum, celetem. Addunt quintum genus, fluuiatilium, cui ſpecies dant lintres, vitiles, monoxyla, ſchedias. H. Omnéſne formas complexi ſunt? equidem non aſſeuerem. C. Benè dubitas. Longiſſimi catalogi à quibuſdam texuntur, nauigiorumque genera plurima explicantur, quorum in iſtis ordinibus non omnia inuenias. F. Si velles, poſſes, credo, præcipua genera, quorúmque ſcriptores crebrius meminerunt, exponere. C. Poſſem, Flore, non tamen ex memoria, quam ſenectus labefactat, & mihi iam canis aſpergitur ætas. F. Forſitan collectanea quædam habes hac de re. C. Et de hac, & de aliis, ad rem nauticam pertinentibus, ad vſum meum confeci commentariolum, è quo recitabuntur, quæ requiritis, ſi attendatis. H. Tota mente. C. Accipe libellum puer, & lege cap. 5. P. ACATVS, & ab eo diminutum ACATIVM, eſt nauis ad amnes traiiciendos idonea, quæ & epactis, & carabum, vnde καράβιον: ex quo videtur factum illud vulgi carabella, ſeu carauela. Quidam interpretantur acatium genus piſcatoriæ nauis. Iſidorus & Pollux hoc nomine maximum velum nauis aliquando indicari ſcripſerunt. ACTVARIA & ACTVARIVM, quod citò, remis videlicet agitur, celere genus nauis. Sunt qui remis, & velis actuarias agi doceant. Cic. ad Att. actuariolas habet. ALVEVS, pro rudi & monoxylo nauigiolo, dictum à Liuio lib. 1. cum de Romulo & Remo infantibus expoſitis narrat. Pro carina Salluſtius in Iugurthino. Hique alueos nauium vniuerſos pro tuguriis habuere. BARBA, nauicula, ſeu ſcapha, qua merces è magna naui ad littus portantur, quæ onerariæ ſubſeruit, ἐφόλκιον Græcis, quod nauis maior eam poſt ſe tanquam miniſtram, trahat. CATAPHRACTÆ Latinis conſtratæ & tectæ, quæ in naualibus pugnis obteguntur, & obarmantur, ne facilè ab hoſtibus lædi queant. Contrarium, apertæ, ἄφρακτοι. CATAPLVS, mercatorii nauigii ſpecies apud Martialem, & Auſonium: aliàs ipſa nauigatio. CELOX, breue paruumque nauigium, à celeritate, Rhodiorum inuentum: Græci celetem & celecium vocant. Pro prædatoriis & piraticis ſæpe vſurpatur. CERCVRVS, nauis Aſiana prægrandis, à quibuſdam cercyra, Corcyræorum inuentum. CERATÆ quæ fuerint, Brodæus lib. 4. cap. 13. Plinius Cyprios auctores facit lib. 7. cap. 56. A cauda nomen ſortitur, quaſi dicas caudata. CATASCOPIVM, ſpeculatoria, ſeu exploratoria nauis. CAVDICÆ naues ex tabulis craſſioribus. CORBITA, genus nauigii tardum & ingens: à corbe, quòd in ſummo eius malo veluti corbis, pro ligno, ſuſpenditur. Plaut. Pœnulo. Tardiores quam corbitæ ſunt in tranquillo mari. CYMBA nauigiolum, in medio latius, vnde vas cymbium ab eius ſimilitudine. Cic. 3. Off. inter piſcatorias numerat. Iſidorus pro eodem capit lembum, & cymbam. CYBÆA apud vnum Ciceronem in Verrinis legitur.

gitur. Nauem verò, inquit, cybæam maximam, triremis inſtar, pulcherrimam atque ornatiſſimam palàm ædificatam ſumptu publico. DICROTÆ, & DICROTA genere neutro, biremes ſunt, à duplici remorum ordine appellatæ. Eruditi quidam ſic dictas cenſent, quòd duobus gubernaculis, à prora pariter, & puppi regantur. GERARIA à Plauto, quæ aliâs oneraria vel mercatoria. Mercat. ædificat nauim gerariam, & merces emit. A gerendis mercibus. Dicitur & geſtoria, & vectoria. GAVLVS, genus nauis pænè rotundum, quod nonnulli minoribus, alii maioribus nauigiis annumerant: & hi onerariæ, illi triremis ſpeciem eſſe affirmant. Significat etiam, vas, quo paſtores, ad recipiendum lac vtuntur. HIPPAGO, & HIPPAGOGA nauis, vt vox declarat, ad equos transuehendos comparata, cuius mentio apud Demoſthenem in Olynthiacis. HORIA, piſcatoria nauicula. Plautus Trinum. horiolam dixit. Alii faciunt eandem cum oraria: orariam autem explicant, qua littus ſeu oram legimus. LEMBVS, nauicula breuis, velox & piſcationi apta. Plaut. Mercat. dum aguntur hæc, lembo aduehitur tuus pater pauxillulo. Apud Liuium, Polybium, Diodorum, eius vſus etiam in bello inuenitur. Diminuta ſunt lemunculus, & lenunculus. Fuit & lebes nauigii genus (vnde forſitan per paronomaſiam lembus) de quo Iunius lib. 2. cap. 3. LIBVRNICÆ, ſunt citæ, veloceſque naues, à Liburnis, Illyrici populis, inuentoribus, quibus illi piraticam faciebant. Vtuntur eo negotiatores, & Auguſtus liburnis victoriam de Antonio & Cleopatra reportauit. De his in Epodo Horatius.

Ibis liburnis inter alta nauium
Amice propugnacula.

Dicimus item liburnum, ni, & liburna, næ. LINTRES, ſunt fluuiatiles, à Germanis, Danubii accolis, excogitatæ, cauatis tantum integris arboribus. Virgil. cauat arbore lintres. Lintriculus, Cicer. ad Att. lib. 10. LVSORIÆ naues erant, quas in Danubio aduerſus Barbaros Romani in excubiis habebant: quæ huc & illuc diſcurſare ſolebant. Nam ludere nauis dicitur, quæ huc & illuc velut laſciuia quadam currit. Seneca lib. 7. de benef. cap. 20. Vbi naues luſerunt, hauriuntur. Sic autem potius vocatæ ſunt, quod ludicræ triremibus, & æratis comparatæ viderentur, & tanquam ad luſum haberētur. Seneca. Cui triremes & æratas non mitterem, luſorias, & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari laſciuientium, mittam. Hæc Turneb. lib. 14. cap. 25. MYOPARO, ſeu PARO, piratarum nauigium, à Myunte, & Paro locis appellatum, ONERARIA, ad portandum onus idonea, & ideo tarda, ſine remis, vt volunt quidam: quod neſcio an de eius formis etiam dici poſſit, quas remis nunc agi certum eſt. Vide Magium lib. 1. cap. 6. Græcis φορτηγὸς, & ὁλκάς. Capiunt autem vocabula à rebus, quas ferunt, vt dicantur aliæ frumentariæ, aliæ militares, qua vehuntur milites, &c. ORARIÆ, ſunt actuariæ & paruæ, quibus ſecundùm oram nauigatur: nam maioribus pelagus tentatur, & quæ ſequuntur apud Turneb. lib. 1. cap. 16. PHASELVS, aut FASELVS, à leguminis ſpecie, ad cuius imitationem fit hoc genus nauis. Sunt qui à Phaſelide loco nomen accepiſſe cōiiciant. Extat perelegans Catulli epigramma, quo

Digitized by Google

ma, quo phaſelum ſuum, iam ſeneſcentem, Caſtori & Polluci dedicat. H. Mirum, quantoperè doctis ad parodiam viſum ſit accommodatum illud epigramma. Multi profectò, & quidem venuſtè ſatis in eo & luſerunt, & alluſerunt. F. Quin ego nuper in libellum incidi, quo & Catullianus phaſelus, cum explicationibus Mureti, & quotquot ad hanc diem exierunt, eiuſdem parodiæ continentur. C. Hunc libellum pridem vidi, nec ſine riſu legi: ita facetè quorundam vitioſi mores ibi lacerantur. Idem porrò in aliis, eiuſdem poetæ epigrammatis, & in Horatio quoque præſtitum eodem libello patet. Verùm ad naues reuertamur. Lege, quæ ſequuntur. P. PIRATICÆ, ſeu PRÆDATORIÆ quæ ſint, notum eſt. Eæ interdum liburnicæ, celoces, parones, myoparones, & aliis hominibus efferuntur. PISTRIS, ſeu PRISTIS, à genere piſcis, aut à ſecandis fluctibus, ἀπὸ τῶ πρίζειν τὰ κύματα longioris & anguſti corporis, quò facilius vndas ſecet, quod & piſcis ille facit ob eandem cauſam: vt vtrumq; etymon verum eſſe videatur. PONTO, genus nauigii, Gallis olim frequens, quòd in amnibus traiiciendis vſum pontis præſtet. Inuentum eorum, qui circum Pontinam paludem habitarent, vnde quidam ſic dictum opinantur. PROSVMIA, genus nauigii leuis, ſpeculatorii. RATES propriè connexæ, & rectè compactæ inuicem trabes, quæ per aquam trahuntur. At poetis, & interdum Oratoribus, hæc vox nauim ſonat. ROSTRATÆ naues, quod ferreo roſtro armantur: aut propter ſcopulos, in quos ſi impactæ fuerint, non frangantur: aut propter bella naualia. Virgilius æratas puppes dixit, propterea ſcilicet, quòd roſtra ex ære fiebant. SCAPHÆ, maiorum nauigiorum velut ancillæ, ea ſequentes: hinc ſcaphidion. SCHEDIA, nauis genus, temerè factum, & inconditum, trabibus tantum inter ſe connexis, & ſine fabrica coagmentatis, vnde & poemata, parùm compoſitè facta, ſchedia dicuntur, ſi Feſto credimus, & tumultuariæ ac ſubitæ, imperfectæq; ſcriptiones ſchedæ, & σχεδιάζειν, item αὐτοσχεδιάζειν. Idem putant ſchediam, quod ratem. TABELLARIÆ naues, quę claſſis aduentum prænunciant. THALAMEGÆ non tam ad bellum, quàm ad pompam & oſtentationem pertinent, proras, & puppes auro exornatas habent, & ſunt admodùm ſumptuoſæ, quibus reges & imperatores vehi conſueuerunt. Seneca de beneficiis lib. 6 cap. 17. cubiculatas vocat. Cui triremes & ceraſtas mitterem, luſorias & cubiculatas & alia ludibria Regum, in mari laſciuientium, mittam? Talis ſit fortaſſe, quæ Venetiis Bucentaurus. VITILES, ſunt corio circumſutæ: vitilia enim dicuntur ita tenta, vt commodè flecti in inuolucrum queant, à vinciendo. Plinius videtur plicatiles vocaſſe. De ſubtili cymba eſt apud Virgil. in 6. C. Fac pauſam puer. Hæc ſunt notiora, & ad intelligendum faciliora nauium genera: quas ſcitote nominari alias ab officiis, ſeu miniſterio, quod præſtant, vt ſpeculatorias, exploratorias, præſidiarias: alias à locis, vbi vel factæ, vel inuentæ, vel frequentius vſurpatæ, vt Liburnicas, Ægyptias, Aſiaticas, Syriacas, Rhodias, Smyrnæas, Romanas, &c. alias ab artificibus, vt Phereclcam, & Argo, quod volunt quidam: alias à magiſtratibus, & iis qui præſunt, vt prætorias: alias à remorũ ordinibus, vt biremes, triremes:

alias à curſu, & velocitate, vt celetes, & dromades: alias à rebus, quas ſubuehunt, vt annotinas, ſeu frumentarias, olearias, vinarias: alias à vaſis, vt corbitam: alias à forma & ſpecie, vt thalamegum, cameram: alias à pictura, vel inſigni, vt centaurum. Epitheto item illuſtrãntur: vel ab eo, quod habent illuſtrius, atque eminentius, vel quo armantur, atque ad belli vſum comparantur, vt roſtratæ, turritæ: ab libram enim turres nauibus imponebantur, idque non ſolùm ad proram, ſed etiam ad puppim. De appellationibus, vt de generibus, plura diſputari poſſent, ſed nihil eſt neceſſe. H. Quoniam id diei tempus eſt, eamus pranſum. Deinde vbi meridiati fuerimus, adhuc nonnulla nobis legenda curabis ex hoc tuo commentario, quæ nos potiſſimùm ſcire voles. C. Si vobis ita placet, non deero vtilitati veſtræ, nec in hoc, nec in alio vllo negotio. Nam nec beneuolentia erga me veſtra ignoranda mihi, nec auctoritas aſpernanda, nec voluntas negligenda eſt. F. Referentur gratiæ, quando poterunt. Nos equidem, te magiſtro, augeri ſcientia quibuſcunque in rebus, etiam atque etiam, maioremque in modum concupiſcimus.

ANNOTATIONES.

AMABO VOS) *Orationes & voces multæ ſunt, quæ vim naturamq; aduerbiorum, ac propemodùm interiectionum habent. Siquidem præter affectum quendam nihil animis ſubÿciunt: hoc tantùm ab interiectionibus diuerſa, quod voces ſunt artis, non naturales, & incondita, vt illa. Eiuſmodi igitur ſunt, ſodes, quod eſt blandientis, macte, approbantis, apageſis, auerſantis. Quid malùm? deteſtantis. Amabò, amabò te, ambimus te, blandientis. Iô Bacche, afflati. Iô triumphe, exultantis.* VELORVM ALAS) *Virg. 3. Æneid. Tentamusq; viam, & velorum pandimus alas. In eodem. Linquimus Ortygiæ portus, pelagoq; volamus. Et in 1. de Mercurio. Volat ille per aëra magnum Remigio alarum. In 6. de Dædalo. Redditus hic primùm terris, tibi Phœbe ſacrauit Remigium alarum. Lucretius lib. 6. Vtrumque coniunxit eodem verſu, ad aues, inquam, & remigium, & vela tranſtulit.*

E regione ea quod loca cum aduenere volantes,
Remigÿ oblitæ, pennarum vela remittunt.

Lucianus in Timone de Mercurio, qui in cœlum reuolârat. ὁ μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ. τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. *Ille quidem abÿt, vt videtur: coniicio enim ex remigio alarum* ACHILLES ISTVM HECTOREM) *Duo hi, vt omnium fortiſſimi, & bellicis facinoribus maximè clari à patre ipſo poëtarum, deinde à poſteris eius eximiè multumq; celebrati ſunt. Sed Achillis gloriam Hector, ab eo cæſus, vehementer auxit: quamobrem Pentadius in illo venuſtiſſimo epitaphio, ita gloriantem fecit, totum recitabo.*

Pelides ego ſum, Thetidis notiſſima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit.
Qui ſtraui toties armis victricibus hoſtes,
Inq; fugam ſolus millia multa dedi.

Hectore

Digitized by Google

Hectore ſub magno ſumma eſt mihi gloria caſo,
Qui ſæpe Argolicas debilitauit opes.
Ille Menœtiadæ ſubiit, me vindice, pœnas,
Pergama tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immenſis victor ſupra aſtra ferebar,
Hoſtilem preſſi, fraude peremptus, humum.

CÆSA CECIDIT AD TERRAM) *Octo verſus ex Ennij Medea, ab eodem de Euripidis Medea principio expreſſi, ſunt in 2. Cornificii ad Herennium. Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus, &c. Queritur nutrix de naui iſta: quaſi fabricata nunquam fuiſſet, non ipſa heram & alumnam ſuam amiſiſſet. De expeditione Colchica legendi Apollonius, & Valerius Flaccus. De ariete aurei velleris Equitum ſocietas, ſiue ordo, manauit; cuius inſtitutor Philippus, cognomento Bonus, Dux Burgundiæ. Vide Annales Flandriæ Iacobi Meyeri lib. 6.* VOLITANTEM FLAMINE CVRRVM) *Catullum, exemplo Æſchyli & Euripidis, dixiſſe currum pro naui, docet Muretus lib. 1. c. 11. Ibidem obſeruat, Homerum dixiſſe primùm, aurigam nauis, pro gubernatore.* QVÆ ARGO NOMINATVR) *Officia nautica huius nauis ex Hygino recenſet & explanat Turneb. lib. 28. cap. 43.*

PROGYMNASMA
ALTERVM ET TRICESIMVM.
Nauium partes, & armamenta.
IIDEM.

HECTOR. Adſumus Coſme, quemadmodum dixeramus, & abs te promiſſa exigimus. Depende hoc quidquid eſt æris alieni. C. Ingentia verò promiſſa, & æs alienum nimis magnum. F. Attamen eiuſmodi, vt ea te perficere vtriuſque noſtrûm non planè nihil intereſſe videatur. Quanquam enim hæc minuta, & propemodum puerilia ſunt, à nobis tamen ignoranda minimè ſunt. Porrò vt tu ea quàm breuiſſimè cum ſumma perſpicuitate in aduerſaria tua collegiſti, ita audire malumus, quàm quomodo à nomenclatoribus, aliiſve harum rerum explicatoribus traduntur. C. Potuiſſem ſanè ego quoque diuerſas cuiuſque iſtarum vocum rationes adiungere: potuiſſem, vt quidam, in latina oratione græca vocabula inculcare: potuiſſem hiſtoriolas, prouerbia, loquendi formas ſæpius adducere quam feci, quibus hanc tractationem per ſe alioqui ieiunam & aridam condirem, atque exornarem. Sed mihi viſum eſt optimum, hunc laborem aliis & quidem me doctioribus relinquere, & iſto potiſſimùm modo, breuiter, inquam, ac dilucidè rem complecti, eaque vti, ſi quando vſus veniſſet, ſiue vt loquerer, ſiue vt ſcriberem aliquid, ſiue vt docerem alios. H. Probamus ſuſceptum abs te conſilium. Nunc, quid moramur? abit dies. Cur non iubes recitare, quæ ſe-

Digitized by Google

quuntur? C. Heus puer, vbi es? te volo, num audis? P. Præſto ſum, iube. C. Eundem libellum, quem ante paucas horas, in manus ſume. P. Ecce. C. Quære caput 6. P. Caput ſextum. C. Lege lemma capitis. P. NAVIVM PARTES ET ARMAMENTA. C. Placetne propoſitio? F. Etiam. Et recte, poſtquam de generibus nauium egiſti, nunc de membris & partibus inſtrumentiſque earundem diſſeris. C. Lege caput ipſum, voce clara & articulata. P. PRORA, anterior pars nauis eſt, παρὰ τὸ προϊέναι, quòd nimirum reliquam partem nauis præcedat. Etymon à προορᾶν omitto. PVPPIS, poſterior pars, πρύμνη. Eſt autem honeſtior in nauibus locus, vbi gubernator ſedere conſueuit, clauum tenens. Nocturno tempore mos fuit, in puppi nauis prætoriæ lampadem lucernamúe ſuſpendere, ad cuius lumen reliquæ curſum dirigerent. Virgil in 2. hoc videtur voluiſſe.

Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo, tacita per amica ſilentia luna,
Littora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat.

ROSTRVM, cunei in modum acuta, & extrema proræ pars, ab auium roſtris, per ſimilitudinem. CARINA, pars infima nauigii, totiuſque ſtructuræ fundamentum. A facili curſu, quaſi currina. Accipitur item hoc nomine ima trabs, qua nauis fundatur: pro naui ſæpe apud poetas. STAMINA, STATVMINA, COSTÆ, ſunt ligna illa arrecta interius, quæ nauis latera ſuppingunt. SVBVRRA ad nauem pertinet, quamuis non vt pars eius. Ea eſt craſſior ac vilior arena, qua ad certam menſuram implentur naues, quò ſtabiliore curſu procedant. Dicitur eadem voce, quidquid nauem onerat, ob hanc cauſſam. ALVVS quid ſit in naui, patet. FORI, exteriora ſpatia ſeu tabulata nauium, per quæ nautæ feruntur & incedunt, à ferendo. STEGA, proſcenium nauis, tabulatum quoddam, ſuper quod ambulatur. Quidam locum contectum, & velut tugurium interpretantur. TRANSTRA, ſedilia remigum, quod tranſuerſim ſtrata, ac diſpoſita ſint. Poetæ etiam iuga vocant: Græci enim ζυγὰ pro tranſtris. MODICVS, locus in quem malus immittitur. OCVLVS, locus, cui nauis nomen inſcribitur. COLVMBARIA, F. Quid? etiamne columbæ in mari? C. Mox intelliges. P. Loca concaua in ſummis nauium lateribus, nidis & latibulis columbarum haud diſſimilia: foramina, inquam, per quæ remi promicant. F. Iam ſcio, quæ ſint iſta columbaria. P. SENTINA, pars nauis inferior, quo ſordes defluunt: ſic dicta, quòd ibi teterrimus odor ſentiatur. Sordes illas nauteam vocant: hinc verbum, ſentinare. Conſortium & cœtum improborum, ſeu locum, in quo ſceleratis ſit receptaculum, tralatione quadam ſignificat. SCALMVS, lignum teres, cui penſiles remi loco alligantur: ſeu labrum nauis, vbi remi adnexi ſunt. Cic. 3. Off. pro cymba capit hoc verbum. Venit ipſe maturè: ſcalmum nullum videt. INTERSCALMIVM vt intercolumnium, interuallum ſcalmorum, ſpatia inter remiges. CASSERIA, locus vbi remi aſſeruantur, remorum receptaculum. C. Plura prætervehor, quia græca, nobiſque, qui ei ſermoni nondum ſatis aſſuefacti ſumus, intellectu difficilia.

Digitized by Google

ficiliora. Quod etiam in his, quæ ſequuntur, obſeruo: in quibus, vt in his, quæ iam lecta ſunt, ſi nimium breuis fuero, ab iis licet reliqua perfectius diſcatis, qui nauiculariam faciunt. H. Tua iſta breuitate contenti ſumus, & quod græcis vocibus aures noſtras onerare parcis, id prudentiæ tuę adſcribimus. C. Pergè ad inſtrumenta P. CLAVVS & GVBERNACVLVM idem ſunt, cuius ſumma pars, anſa. Quis porrò neſcit, quàm ſæpè iſtæ voces, cùm de Rep. ſermo eſt, ad gubernationem transferantur? MALVS ſiue arbor nauis; ſuſtinet vela cum antennis: dictus, quòd quaſi quibuſdam malis ligneis cingitur, quorum volubili agitatione vela minore negotio vel panduntur, vel demittuntur. Pars infima, paterna; media, trachelus; ſumma, carcheſium. ANTENNA, lignū ſeu pertica tranſuerſa, quaſi ante amnem porrecta, cui vela alligantur: partes eius extremæ cornua. ANCHORA, dens, ſeu vncus ferreus, ad ſuſtinēdas naues per funem in altum demiſſus. Sacra anchora, quam nautæ non niſi magna neceſſitate coacti, ſalutis cauſſa expediunt. Vnde adagium, ſacra anchora, de vltimo præſidio. Anchoralia, funes, quibus anchora religatur. TONSILIA, palus dolatus, præacuta cuſpide, nauis alligandæ cauſſa in littore defixus. PVLVINI, machinæ, quibus in portum deducuntur, vel ſubducuntur naues. PHALANGES, ſeu PHALANGÆ, (alii palangas vocāt) vectes, per quos nauibus ſubditos illæ in aquam vel impelluntur, vel ſubtrahuntur. HERMATA, ligna ſeu trabes, quæ ſubſternuntur nauibus, ne ſubductæ humi putreſcant. PONS NAVIS, ſunt ſcalæ nauales, quibus in nauim aſcenditur, & deſcenditur. Virg. 10 Æneid.

Interea Æneas ſocios de puppibus altis
Pontibus exponit.

ANTLIA, inſtrumentum ſeu hauſtrum, ad ſentinam exhauriendam BOLIS ſeu CATAPRORATES (quoniam à prora demittitur) plumbum, ad explorandam aquarum altitudinem atque fundum. APLVSTRE ſeu APLVSTRVM, ornamentum nauis, quod in ſummo malo ponitur. Vexillum, verbi cauſſa. PYXIDICVLA NAVTICA, qua poli ſitus cognoſcitur. HARPAGONES, manus ferreæ, falces, quas in præliis naualibus adhibere mos eſt. Iam ſatis intelligitur, quid ſit exarmare nauim, armamentis videlicet ſpoliare: ad quæ referuntur adhuc, quæ ſequuntur deinceps. REMI, conti, quorum extrema, & latior pars, palma & palmula, à manu hominis. Quibus vocibus ſæpius pro remis ipſis vtuntur Poetæ. A remouendis autem & decutiendis fluctibus remi. Quin inſuper tonſæ, à tondendis quaſi fluctibus, ſeu quòd ferro tondeantur. TRVDES, robuſta pertica, qua vado aut ſaxis inhærens nauis detruditur. CONTVS, oblonga pertica, ſeu haſta ferrato capite, quo nautæ vtuntur. VELA, quæ & lintea, quibus tanquam alis volat nauis: remis autem videtur ambulare. Alia triangula ſunt, alia quadrata. Conficiuntur è lino, cannabe, ſparto, corio. Cæſar de bello Gallico; Venetos, gentem Gallicam, ex pellibus alutis conficere ſolitam ſcribit. ACATIVM, velum maximum. DOLON, minimum, ad proram. EPIDROMVS, velum ad puppim. ARTEMON, minus velum, quod celeritatis cauſſa maioris

Digitized by Google

appendi ſolet, vndè nomen. Quidam maius accipiunt. SVPPARVM ſeu SIPARIVM, genus veli, quo, vento langueſcente, nauigia adiuuantur in curſu. CARBASVS & CARBASVM, à genere lini, vnde ſunt. RVDENTES, funes nautici, à nimio ſtridore: cum enim ventis agitantur, rudere videntur. PES, funis naualis, quo velum tenditur, ſeu transfertur. Virgil. vnà omnes fecere pedem. Seu in velo ea pars, quæ acutior & inferior ad nauis latus religatur, modóque contrahitur, modò relaxatur. PROPES, funis, quo pes veli alligatur. CAMELVS, funis craſſus, quo nautæ alligant anchoras. De quo locutum eſſe Chriſtum volunt quidam apud Matthæum, cùm dixit: facilius camelum per foramen acus tranſiturum, quàm diuitem in regnum cœlorum. PROTONI, funes, qui ex vtraque parte mali, à prora & à puppi extenduntur. SPIRA, funis nauticus, in orbem conuolutus. REMVLCVS, quo maior nauis, minori alligata, in littus trahitur. PRYMNESIVM, funis, quo in littore nauigium palo alligatur: à quibuſdam oræ etiam dicuntur eiuſmodi retinacula. CHAMVLCVS, machina tractoria, qua in terram nauis attrahitur. C. Iámne tot vocabulis deglutiendis facti eſtis ſaturi; an, fame dominante, plura appetitis? F. Plura, Coſme, eſurimus & ſitimus, ac ſuſpicamur in hiſce tuis aduerſariis, recondita multa haberi, quæ, vt es natura liberalis & munificus, aliquandò facies vt ſint nobis tecum communia. C. Talia quidem certè, vt putaretis, ſi ea vobis impertirem, cauſſam, cur deſideraretis, non fuiſſe. H. Nouimus vrbanitatem tuam. Quin præcipis legi cætera? C. Lege puer cap. ſeptimum.

ANNOTATIONES.

IN LATINA ORATIONE GRÆCA VERBA) *Præcipit M. Tullius 1. Offic. eo ſermone nobis vtendum, qui notus ſit: ne, vt quidam, græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur. In 1. Tuſculana ait, ſe non plus ſolere in latino ſermone loqui græcè, quam in græco latinè. Sunt etiam repre-henſi poëtæ ab Horatio ſat. vlt. lib. 1. & à Perſio ſat. 1. qui græca latinis miſcent. Veruntamen intelligendum eſt, frequentiam, ac non   a, vel vtilem, vel neceſſariam græcorum verborum ſententiarumq; inculcationem diſplicere Ciceroni: nec poetas defendimus, quos parùm concinnè, parumq; eleganter, aut certè parum vſitatè id facere confitemur. Quod ſi omnino fugienda nobis eſt græcorum verborum in latina lingua vſurpatio, damnetur, & ſeipſum ante omnes accuſet Cicero, qui in epiſtolis integras immiſcet ſententias græcè, & ad Atticum nullam penè ſcribit ſine græcis vocibus, ſuiſque libris græca non rarò inſpergit. Quoniam ergo fieri poteſt, agè doceamus, quandò faciendum ſit. Primùm, ſi vel in ſententia, vel in verbo græco ineſt, aut graue, aut argutum, aut ſuaue, aut iocoſum, aut demùm eiuſmodi aliquid, quod latinè elatum, feſtiuitatem, vimq; ſuam amitteret. Nôrunt docti, quàm diues gratiarum, ac leporum ſit græca lingua. Tum ſi quid exprimi, niſi barbare, non poſſet. Item apud familiares, eoſdemq; eruditos, quibus multa paucis per alluſiones, ad hiſtorias, fabulas, per dicta ſapientum, verſicu-*

Digitized by Google

verſiculoſque poëtarum, prouerbia & inſinuationes ſignificare velimus. Ne myſteria noſtra enuntientur, ſi, vt fit, litteræ intercipiantur. Sic Cæſar olim ad Q. Ciceronem obſeſſum in Gallia, græcis conſcriptam literis, epiſtolam miſit. Pauci tum græcè ſciebant, & hodie multò pauciores. Quin ob eaſdem cauſſas non græcè modò, verum etiam germanicè, gallicè, hiſpanicè, &c. in latino ſermone loquemur. Quando huiuſmodi cauſſæ non incidunt, non admiſcebimus græca, vt neq; Cicero. Qui in orationibus quidem prorſus abſtinet, & cum in ea pro Deiotaro græcum verſum referre oporteret, latine loqui maluit. Quem morem non ſeruant, qui ſuas orationes aut epiſtolas ita replent verbis græcis, vt Chimæræ videantur. VBI GVBERNATOR SEDERE) *Virgil. Æneid. 5.*

Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?

In eodem.

ſegnemq; Menœten
Oblitus decoriſq; ſui, ſociumq; ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

NAVTEAM VOCANT) *Herba eſt, inquit Feſtus, granis nigris, qua coriarii vtuntur, à nauſea ductum nomen, quia nauſeam facit, permutatione t. & ſ. Nonius ait, eſſe aquam de coriis, vel, quod eſt verius, aquam de ſentina, dictam à nautis. Plaut. Curcul. Nam omnium vnguentûm odor, præ tuo, nautea eſt. Aſin. Nauteam bibere malim, ſi neceſſum eſt, quàm illanc oſcularier.* PIXIDICVLA NAVTICA) *Quærit Brodæus lib. 3. cap. 29. quamobrem huius pyxidiculæ extremum perpendiculum temperati magnete ferri ad polum ſemper ſeſe conuertat: nec tamen cauſſam, in re ſcilicet obſcuriſſima, expedire poteſt.* PALMA ET PALMVLA) *Etiam parmas appellari in remis maioribus docet ex Vitruuio Turneb. lib. 3. c. 7.* ARTEMON, MINVS VELVM) *Apud Vitruuiũ lib. 10. eſt machina, ad ſubleuanda onera excogitata.* CAMELVM PER FORAMEN ACVS) *Theophylactus notat à quibuſdam ibi, Matth. cap. 9. intelligi funem craſſum, quo nautæ vtuntur ad iaciendas anchoras. Et id videtur magis conuenire cum foramine acus ſatiſq; magna remanet hyperbole. Veruntamen tum ſolet ſcribi non cum η, ſed ι, κάμιλος. non κάμηλος.*

PROGYMNASMA
TERTIVM ET VICESIMVM.
Magiſteria, miniſteria nautica, & tutela nauium.
IIDEM.

PVER. NAVTÆ dicuntur, qui functionibus naualibus occupati ſunt, quo nomine nihilominus illi etiam interdum afficiuntur, qui nauigationis ergò mari ſe commiſerunt. REMIGES, Liuius aliquoties ſocios na-

Digitized by Google

uales dixit. Plautus videtur nauales pedes appellaſſe, illo verſu. Aſſeruato-te hoc ſultis nauales pedes: nam illi in naui loco pedum ſunt. Alii tamē remos intelligunt, quibus tanquam pedibus, naues ambulant. Alii nautas ìpſos, alii pueros, qui vſq; in nauim herum ſecuti ſunt. Remigatio, eſt incitatio nauis, à remige propulſæ: vel eſt remigis contentio, atque impetus in nauim propellendam. Remigium, ipſa remorum agitatio, ſeu remorum ordo, remigumue multitudo. GVBERNATOR, qui clauum moderatur, qui temone nauim regit, inter naucleros præcipuus, qui & NAVICVLARII, NAVICVLATORES: quanquam & illi ſic vocentur, qui nauiculas meritorias agunt, quique nauium domini ſunt, quos vulgus patronos. NAVARCHVS, præfectus, princeps nauis, qui nautis imperat. TRIERARCHVS, in cuius poteſtate eſt triremis, ſeu qui præeſt triremi. Sic PENTECONTARCHVS, qui pentecontero. TOECHARCHVS, qui lateribus nauis imperat, datq; operam, vt remiges pariter remis aquam pellant. LEGATVS CLASSIS, præfecti vicarius: ſicut in bello qui munia obit pro Imperatore. NAVSTOLOGI, NAVSTODICÆ, qui rationibus & iudicis in naui præſunt. THALASSOMETRA, menſor maris; quales, qui hodie pyxidi nauticæ aſſident. CELEVSTES, hortator remigum, qui voce, aut alio ſigno claro vocalique remiges incitat ad remigandum, quaſi nauigationis moderator. Vnde celeuma & celeuſma. Quo vocabulo item declaratur clamor nauticus, cum ſeſe mutuò cohortantur, portumque vicinum inter ſe gratulantur. Verbum græcum eſt κελεύειν, iubere. PAVSARIVS Senecæ, qui modos dat remigibus, & voce pauſam fieri imperat, à remigandi labore iubet deſiſtere. PRORETA, proræ præfectus, qui proræ inſiſtit, & curat. Qui in prora ventos captat, & aucupatur, eorumque conuerſiones dicit inflectendis promontoriis gubernatori, quique tenias & breuia, ne nauis eis impingatur, proſpicit & explorat. NAVPHYLACES, cuſtodes nauium. HELCYARII, qui aduerſis fluminibus, aut vento contrario naues fune trahunt, qui helcyon vocatur. EPIBATÆ & CLASSIARII, nauales milites. PORTITOR, qui homines per flumen traiicit: pretium portorium, etiam naulum. MESONAVTÆ, qui partim, vt nautæ, regendæ naui operam ſuam impertiunt; partim etiam; vt vectores. Nonnihil nauiculatoribus, aut nauarchis præcedunt. VRINATOR, qui ſub aquam ſe demergit, & merces è fundo extrahit: verbum eſt vrinari. PRYMNETES, reſpondet proretæ, qui curat in puppi. NAVPEGVS, fabricator nauis. RATIARII, qui rates moderantur. NAVALE, ſeu ARMAMENTARIVM, locus, vbi conſeruantur naues, & fiunt. C. Audite iam de nauigiorum & nauigantium diuis tutelaribus. H. Perlibenter, vt omnia, quæ hactenus recitata. P. Vt præteream, quod nauigaturi diis vota faciebant, multaque promittebant, ſi ſoſpites redirent, ſolebant veteres alicui nummi dicare nauim, eiuſque fidei & patrocinio tum ipſam nauim, tum ſeſe commendare, cuius effigies etiam in prora, nonnunquam in puppi, edito & eminenti loco pingebatur, aut ſculpta apponebatur, & id quidem παράσημον, latinè Tutela. Seneca epiſt. 77. Nauis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore cælata eſt: Silius. Tutelæque deúm fluitant. Sic apud Ouidium:

& au-

& aurato fulgebat Apolline puppis. Idem, pictos verberat vnda deos. Nauis illa in Actis Apoſtolorum, qua Lucas & Paulus vehebantur, inſigne Caſtrorum gerebat, quod ſidus horum nauigantibus fælix fauſtumque credatur. Et fuiſſe nautarum numina indicat Horat. lib. 1.

Sic te Diua potens Cypri.
Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Ventorumq; regat pater.

Ab eo ſigno, ſeu numine, à παρασήμου nempe, interdum nauim accepiſſe nomen, ex Luciani dialogo πλοῖον ἢ εὐχαί, & Plutarcho in ſeptem ſapientum conuiuio apparet. Et quia etiam animalium formas habebant, tanquã παράσημον; hinc factum, vt quædam centaurus, alia piſtris, aliæ κριοί, id eſt, arietes: aliæ τράγοι, id eſt, hirci cognominarentur. Chriſtiani cùm nauigant, D. Nicolaum iuſtius venerantur; cuius multi præſentem opem in maximis ſæpe tempeſtatibus ſenſerunt. Præterea naues ſuas rectius beatis cælitibus dedicant, quorum etiam nominibus eaſdem condecorant; vt hæc ſit S. Barbaræ, alia Bartholomæi, &c. F. Aliquoties audiui, hanc erga Diuos pietatem irrideri à perditis hominibus. C. Sed Deus viciſſim irridebit illos poſtremo ſæculorum die. H. Si quid adhuc ſupereſt de re nautica, impertiare nobis, vt beneficium tanto ſit cumulatius. C. Eſt omnino, nec parum vtile, valdeque iucundum. Lege cap. 8.

ANNOTATIONES.

CELEVSTES) *De huius officio quædam Rhodigin. lib. 16. c. 23.* CELEVMA ET CELEVSMA) *Hortamenta ipſa, quibus celeuſtæ vtuntur, quæ interdũ voce, interdum tibia canebantur, ita, vt remiges pro modulorum, atq; harmoniæ ratione vel concitarent, vel inhiberent remos.* PORTITOR, QVI HOMINES PER FLVMEN) *Dicitur is portitor, qui nauigio homines traducit, ac tranſuehit, vel de naui ad littus, vel ad vlteriorem fluminis, lacus, ſtagniq; ſeu ripam, ſeu littus, qualem, deſcribit in 6. Æneid. Charontem Virgilius, de quo multa in dialogis mortuorum Lucianus. Ouidius autem ad Liuiam.*

Fata manent omnes, omnes expectat auarus
Portitor, & turba vix ſatis vna ratis.

Eſt etiam portitor, qui portorium conduxit: id eſt, qui fructus pecuniarios ex portu conduxit, & à venientibus illos exigit. Cic 1. *Offi. Turpes ſunt quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, & fæneratorum. Plaut. Aſin. Portitorum ſimillimæ ſunt ianuæ lenoniæ, ſi affers, tunc patent: ſi non eſt, quod des, ædes non patent.* DIVIS TVTELARIBVS) *De his lege, quæ ſcribit Muretus lib.* 10. *c.* 19. *Et Lambin. in Horat. Ode* 14. *lib.* 1. *ad illum verſum: Non dij, quos iterum preſſa voces malo.* VT HÆC SIT S. BARBARÆ) *Etiam inſulis, regionibus & locis in vtraq; India, Orientali inquam & Occidentali, à cælitibus, quos ſimul patronos ac defenſores inſtituerunt, nomina Luſitani & Hiſpani cùm in terras illas primùm vento delati venirent, indiderunt.*

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA

QVARTVM ET TRICESIMVM.

Loquendi forma, & prouerbia à rebus nauticis.

IIDEM.

PVER. Rem totam in duo capita diſtribuemus, & cùm primo loco modos loquendi, non omnes quidem illos, ſed præcipuos attulerimus; paræmias, ac verbo natas, continuò ſubiiciemus.

Vela.

Dicimus contrahere vela. Virgilius, legere. Item, dare, facere, pandere, ducere vela. Cicer. velis paſſis. Ducere, ſubducere, deducere vela, obliquare ſinus velorum, velificari. Remis veliſque, aut velis equiſque aliquid agere, eſt ſummum extremumque conatum adhibere. Eadem eſt vis illius, omnem rudentem mouere. Velificare aut velificari, eſt vela facere. Cicer. contra Rullum translatè dixit, velificari honori ſuo, pro, auram popularem captare, ſeu alicui operam nauare. Verbale, velificatio.

Remus.

Remis incumbere, remum agere, impellere, inſurgere remis. Quid ſit remos inhibere, vide XIII. ad Atticum. Ad remum dare, remo affigere, eſt ad triremes relegare, ergaſtulo nautico mancipare. Detergere porrò remos, tertia ſyllaba extenſa, ſeu penultima producta; eſt transuerſæ nauis hoſtilis cum impetu, & tranſcurſu remos perfringere, auferre, & velut puram ab iis reddere. Qua forma detergere palmites ſcriptum Columellæ. Detergere pinnos muri, Liuio. Cæſar de Maſſilienſibus. Pluribus nauibus adoriri ſingulas, aut remos tranſcurrenres detergere, ſi poſſent, contendebant. Liuius. Duæ regiæ vnam circumſiſtant, & ab vtroque latere remos detergent. Hæc Lipſius lib. 2. Elect. A remo, ad tribunal, de iis, qui ex abiecta, & humili conditione ad aliquod dignitatis culmen aſcenderunt: ſiquidem inter nautica miniſteria contemptiſſimum eſt remigantium. Rudentes, & remos armis commutare. Torquebitur in eos, qui gloriæ deſiderio commoti, artem ſolitam, quæſtumque vſitatum abiiciunt. Vt qui de nautis milites, de ſtudioſis aulici, de opificibus ſacerdotes fiunt. Oportet remum ducere, qui didicit: quod Propertius ſic. Qua pote quiſque, in ea conterat arte diem: & Cicer. in Tuſcul. Bene illo Græcorum prouerbio præcipitur: Quam quiſque nôrit artem, in ea ſe exerceat.

Clauus & gubernaculum.

Pro adminiſtratione quàm ſæpiſſimè capitur hæc vox, & ἀπὸ τῆς οἰακονομίας

clauum

clauum tenent in Repub. qui eidem regendæ ſunt præpoſiti. Similiter, ſedere ad clauum, ad gubernacula, tractare item gubernacula Reip. Gubernaculo purior, ſeu caſtior: quoniam cùm ſemper in aqua ſit, nihil eſt eo minus ſordidum: græcè πηδαλίου ἁγνώτερος. Dum clauum rectum teneam: ſignificatur his verbis παροιμιακῶς, artifici euentum infelicem non eſſe tribuendum, ſi is officium ſuum præſtiterit.

Puppis.

Mouere puppim, in eos valet; qui inſtitutum deſerunt, & quaſi iter actionum ſuarum iam cœptum retractant: nauigantes quippè, ad aliud ſeſe iter conuertentes, puppim agitant. Ventum à puppi vocamus, cùm res ad voluptatem fluunt. Ab animalium porrò cauda οὐρά, etiam puppis aliquãdo οὐρά dicitur, & ventus, qui à puppi, ſeu tergo, nauim impellit οὖρος, id eſt, ſecundus. Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes. Puppis, & prora, de ſumma negotii aut conſilii noſtri: ab his enim tanquam à capite & calce pendet tota nauis.

Ventus.

Vento ſe dare, venti campus, in hominem leuem & inconſtantem: in planitie ſiquidem liberius vagantur venti. Iam illa, tradere, loqui ventis, venti abſtulerunt, pro obliuiſci, & nihil proficere, nota ſunt. Ventos colere, eſt à laboribus ſuis nullum fructum percipere. Ventorum ſtationes, de rebus longò vſu obſeruatis. Sunt enim pleriſque regionibus ſui quidam venti, quorum naturam benè norunt incolæ.

Nauis & portus.

Ædificare, conſcendere, inſtruere, frangere, euertere, deprimere, deducere, ſubducere naues, quæ duo poſtrema ſunt contraria. Illud eſt καθέλκειν, è littore in mare ad nauigandum detrahere: hoc, quod Græci ἀνέλκειν, è mari in littus protrahere. Veteres dicebant: texere naues: locus ipſe, vbi fabricarentur, textrinum appellabatur. Ouidius: Texitur & coſtis panda carina ſuis. Silius. Flumineam texit, qua tranſuehat agmina, claſſe. Catull. pinea coniungens inflexæ texta carinæ. Tenere, petere, ſubire portũ, in portũ inuehi. In eadẽ naui eſſe, in cõmuni periculo. Nauigare in portu, nauis eſt in vado, tutum eſſe. In portu impingere, ſtatim in principio peccare. Rimoſa & vetuſta nauis, cum ii obeunt munus aliquod, qui ſunt inepti. Nauis ficulnea, in contemptu: ficus enim, eſt arbor, ad naues conficiendas inepta, & ficulnea ſunt vilia, fragilia, inutilia. Nauis annoſa haudquaquam nauigabit per mare: in eos qui iam ob ſenectutem nimiam ad res arduas obeundas, ſuſtinendaque pericula parùm cenſentur apti. Nauigare Anticyras iubentur, qui mente lapſi ſunt, propter ellebori copiam ſcilicet in illa inſula, quo cerebrũ purgatur. Qua de cauſſa iidem etiam elleborum bibere, votareque iubentur. Naues onuſtæ conuitiis, vt plauſtra conuitiorum, pro multitudine maledictorum, quando nullis verbo-

verborum contumeliis parcitur. Nauibus & quadrigis; pro ſtudio & feſtinatione. Salaminia nauis; in eos, qui ſumma celeritate aliquid conficiunt. C. Hæc ſunt, amici, quæ collegi & diſpoſui ad vſum meũ. Si vobis quoq; non inutilia erunt, gaudebo. Cætera ad rem naualem ſpectantia, quæ non pauca ſuperſunt, vt de fluminibus, de mari, quid ſit, quibus nominibus appelletur, & quæ ſint eius genera: aliud enim eſt Euxinum, aliud Caſpium, aliud rubrum, &c. ſi voletis cognoſcere, demonſtrabo, & intendam digitum ad fontem. Nunc ex iſto, quem diduxi, riuulo bibiſſe ſit ſatis. H. Delectauit nos aquula tua: fuit enim vitro ſplendidior, & guſtu ſane dulcis. F. A nobis viciſſim omne officium expecta, mi Coſme. Benè vale. C. Et vos valete, vt qui belliſſimè.

ANNOTATIONES.

CONTRAHERE VELA) *Translatè vſus eſt hac norma loquendi Hora. Ode 10 lib. 2. qua Licinium hortatur, vt neq; aduerſis, aſperis, ac difficilibus rebus ſeſe mœrori dedat neq; ſecundis nimia lætitiâ efferri animum ſinat, ſed eum contrahat, ac ſummittat.*

Rebus anguſtis animoſus, atq;
Fortis appare, ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

REMOS INHIBERE) *Lib. 13. Att. epiſt. 21. Inhibere illud tuum, quòd mihi valde arriſerat, vehementer diſplicet: eſt enim verbum totum nauticum. Quãquam id quidem ſciebam, ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cùm inhibere eſſent remiges iuſſi. Id non eſſe eiuſmodi didici heri, cùm ad villam noſtram nauis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant, & quæ ſequuntur. Inhibere igitur remos, non eſt remos ſuſtinere, ſed nauim retrorſum in puppim remis agere.* CLAVVM TENENT IN REPVB) *Non poëtæ modò (quanquam hi liberius hoc faciunt) ſed oratores quoque perſæpe, & alij ſcriptores cum de Republic. eiuſque gubernatione loquuntur, à re nauali verba & loquendi genera, ab officiis, inquam, nautarum ad munera Rempublicam regentium feſtiuè traducunt. Lege Victor. cap. 11. lib. 7* SEDERE AD GVBERNACVLA) *Hac translatione vſus eſt frequenter M. Tullius, vt item ſuperiore, clauum tenere. Pro Roſcio Amer. Sed vt illud intelligatur, cùm apud maiores noſtros ſummi viri, clariſſimiq; homines, qui omni tempore ad gubernacula Reipub. ſedere debebant. Ad Pætum. Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid ſimile? ne mihi quidem ipſi tunc placebat, abeſſe diutius à Reipub. cuſtodia: ſedebamus enim in puppi, clauumque tenebamus: nunc vix eſt in ſentina locus Pro Sextio. Clauum tanti imperij tenere, & gubernacula reipub. tractare.* SVBDVCERE NAVES) *Idem huic eſſe illud apud Hirtium libro 4. de bello Alexandrino: detrahere naues, nempe eas è mari in littus trahere, quod mare altius ſit, quàm breue littoris vadum, deorſumque ex alto & pelago in vadoſa lit-*

Digitized by Google

ſa littora deduci videantur, quod Græci κατάγειν dicunt, oſtendit Turneb li. 14. cap. 16. NAVIGARE ANTICYRAS) *Duæ ſunt inſulæ huius nominis, in quarum vtraque prouenit elleborum copioſè, ſed in altera optimè temperatum. Quare plurimi, ſanitatis gratia in eam nauigabant. Horatius autem epiſtola ad Piſones, vt inſaniam prorſus immedicabilem & deploratam ſignificaret dixit: tribus Anticyris caput inſanabile. Hoc eſt quod vniuerſitas ellebori ſanare non poſſit. Addamus his, vt coronidem, quæ de prima & ſecunda nauigatione Turneb. lib. 24. cap. 34. Prima nauigatio dicebatur, cùm poſt ſæuitiam hyemis, quæ mare clauſum erat, nauigantibus vere primùm aperiebatur. Eſſe & prima nauigatio poteſt, cùm dicimus, nos quamprimum nauigaturos, & primam quamque nauigandi occaſionem arrepturos: vt videlicet ſecunda comparetur. Et illa temeraria magis plerunq; & improuida eſt: ſecunda autem non rarò eius peccatum corrigit, & emendat: vnde & prouerbio græco celebratur δεύτερος πλοῦς. Sunt tamen, qui primam nauigationem velificationem, ſecundã remigationem interpretentur, vt Suidas eſt auctor.* ALIVD RVBRVM) *Græci Erythræũ, ab Erythra rege, qui ibi regnauit. Sed quia ἐρυθρὸν, eſt rubrũ quoq;, ideò latini errantes, rubrũ dixerunt hoc mare, & diſputatum eſt inutiliter de cauſis ruboris huius. Negant certè, qui viderunt, eiuſmodi huius maris colorem eſſe. Copioſius Brodæus lib. 3. c. 9.*

PROGYMNASMA
QVINTVM ET TRICESIMVM.
Tempeſtas, ſiue naufragium.

ARISTIPPVS, COMITES, RHODII.

ARISTIPPVS Hoc demum fuit Corinthum, quò intenderamus appelli: conquaſſato, inquam, nauigio, penituſque diſſoluto, tabulis ægrè adeptis, per immenſum iactari & circumferri gurgitem, atque in hæc tandem littora nudos, ſalſiſque fluctibus membra omnia tabefactos eiici. Veruntamen diis agendæ ſunt gratiæ, cùm nos ſaluos & ſeruatos voluerunt. C. Tam valdè ſumus continua natatione fatigati, totiſque corporiqus ſic affecti, vt greſſus figere difficile poſſimus. Quod autem ſub cælum violentia tempeſtas acti ſumus? quibus in oris mundi oberramus? homineſne, an beſtiæ hæc loca tenent? A. Breui cognoſcemus, qui mortales. Nam, vt credam, noſtri ſimiles animantes inuenturos, faciunt hæc, quæ in arenis aſpexiſtis exarata ſchemata quædam geometrica. Proinde metum ſoluite: tanget illorum mentes, propter naturæ cognationem, atque conſenſum ærumna noſtra. C. Non leue argumentum eius, quod promittis, hæ figuræ & lineæ mathematicæ: ſperamuſque, tua ſpe duce & magiſtra, nos ab iis hoſpitalem in modum acceptũ iri. Quis enim

adeò

Digitized by Google

adeò inhumanus, & ferus reperiatur, quem naufragorum non capiat miſericordia? Ignorant, & fæliciter ignorant, quantum malorum pelagus à ſe prohibuerint, qui ſe pelago nunquam crediderunt. A. At nos iam reipſa perbene didicimus, quale ſit iratum procelloſumque mare, quid ſit atrociſſima tempeſtas, quid naufragium? Tantopere formidoloſum, ac horribile animo informare nihil potuiſſem. Eſt oppido miſerandum leti genus, in profundum abſorberi, & cibum eſſe ſquamoſarum pecudum. Præſtat longè, aut in pugna conſauciatum oppetere, aut in lectulo ſuis extrema dantem mandata, & vltimum dicentem vale, ſepulchrumque ſperantem extingui. Illa mors in aquis, nec humana, & ingloria, fortique ac ſapienti viro nequaquam digna eſt. At iam horſum ſe capeſſunt quidã, vt diuinat animus iſtorum locorum accolæ. Eſte apud vos, cùm percunctabuntur, & illorum fidem mecum concorditer implorate. Si veſtibus nos amiciuerint, aliquid cibi & potionis prouiderint, aliquantulum etiam viatici in manus dederint, affatim benigni liberaleſque fuerint. C. Te quidem cùm philoſophum eſſe audierint, & Ariſtippum illum Cyrenaicum, dabunt plauſum, nec tuis te, quas conſectaris, voluptatibus carere ſinent. A. Nemo quiſquam eſt ingenio tam rigido & immani, quin occaſionem nactus, ſibi & faciat ipſe, & ab alio fieri patiatur paulò melius atque ſplendidius. C. Benè, quod exemplo confirmas, quæ verbis doces. Sunt enim quorum cum vita mirabiliter pugnet oratio. A. Ita verò oportet: & ille doctor cenſendus eſt probatiſſimus, qui quæ aliis præcipit & commendat, ipſe prius facto præſtat. C. Si tu velles oluſcula comedere, vt Diogenes, nihil foret opus in aulis regum molliter delicateque viuere. A. Exprobrauit & Plato mihi vitam non inſuauem neque ruſticam. Scitis quo pacto hominem contra tetigerim? C. Si dixeris, ſciemus. A. Quæſiui eſſetne bonus vir Dionyſius? Eo affirmante: at ille, inquam ego, multò me cœnat apparatius. Nihil ergo vetat, quempiam viuere hilarius, bonumque virum numerari. C. Tu videris, nam noſtrum non eſt diſputare tecum, ne cancri conemur capere leporem. A. Volup' eſt, & laudo: egomet pectori meo, promus fuero. Saluete ô viri. R. Salutem vobis viciſſim. Qui eſtis? quibus è locis adueniſtis? quo cogitatis? tu inprimis, quem promiſſa in pectus barba venerabilem reddit. A. Sum Ariſtippus ille, Cyrenis natus, in Africa, è Socratis diſciplina profectus: hi ſunt ciues mei: è Lybia nobis curſus fuit Corinthum, lumen illud Græciæ. R. Optatiſſime hoſpes Ariſtippe iterum ſalue. Cedò manum. A. Tenete. C. Quid paſſus es cum ſociis? etſi res ipſa, vobis tacẽtibus, clamat. A. Crebreſcentibus ventis, coorta tempeſtate, nauis, qua portabamur, diſſipata interiit, ac de vectoribus alii fluctibus oppreſſi ſunt, alii tabularum beneficio ſalutem retinuerunt, in quibus nos ignoti, & rerum omnium egentes huc adnauimus. Quod vos per ſuperos oramus, miſerati fortunam hanc noſtram, humanitatis aliquod in nos meritum collocetis. C. Frigore, fame, ſiti, iactationibus, horrore, nuditate, ſalis acrimonia pænè contabuimus. R. Mittite preces, vnaquæq; harum cauſarum ſatis eſt ad impetrandam miſericordiam. Non tam obtuſa geſtamus pectora, vt humanis caſibus non mouea-

moueamur: & meminimus cuiuis poſſe accidere, quod cuiquam poteſt. Agite, in vrbem nos ſequimini, ibi è laboribus largiſſime recreatos donis neceſſariis, atque etiam honorificis donabimus. C. Quod nobis benè feceritis, fixum perpetuò manebit animis noſtris. R. Sumus Rhodii, & hæc inſula eſt Rhodus, à qua vſque adeo non auerſos iungit equos Phœbus, vt dies nulla ſit, qua ſerenum vultum chariſſimæ terrarum non oſtendat. A. Iam huc eiectos gaudeo. Etenim apud Rhodios eſt honor literis, quæ, vbi domicilium habent, ibi habitant profectò humanitates omnes. C. Non arbitramur nos odio eſſe cæleſtibus, quando ad veſtrum littus deuoluti ſumus. R. Tune ergo Ariſtippus ille, cuius tam glorioſum nomen inter philoſophos? cuius tam acutè & ſapienter dicta adeò multa, & inprimis feruntur? A. Ariſtippum ipſum videtis ſine controuerſia. R. Beaſti nos tuo adueutu improuiſo. Sed quandoquidem longiuſcula eſt via, quæ à primo littore in vrbem ducit, quò minus cum moleſtia reliquum iam laſſi, & ægrius incedentes conficiatis, exponite nobis veſtrum naufragium, ſtudioſè audiemus. A. Nunc maximè intelligo, quàm verum ſit, quod ſæpe in ore eſt mortalibus: iucunda malorum præteritorum recordatio. Inuiti caſus acerbos perpetimur, attamen perpeſſionis cum voluptate meminimus. Dii magni, quam exarſerat in nos iracundia Æolus, quem fortaſſe precariò alaſtor aliquis, ſeu Ate rogauerat, vt quos altiſſimis ſpeluncis & montibus abditos imperio coercet ventos, eos agmine vniuerſos, dato ſigno, emitteret, Eurum, Zephyrum, Auſtrum, Aquilonem, Cæciam, Caurum, Africum. Cùm iam in altum prouecta eſſet nauis, nec vllæ terræ apparerent, ſed vndique pontus, & cælum vndique, repentinò auditi flatus horriſoni, nigreſcere, & condenſari nubes, ſolis aſpectus adimi, tenebris conduplicatis inhorrere omnia, vt cæca quadam nocte obſeſſi, oppreſſique videremur. Cœlum tonitribus dat mugitus ingentes, concurſu conflictuque nubium fulgura & fulgetre ingeminant, atque in illa caligine opaca lucem nobis præbent. Quid plura? imbres denſiſſimi, & grandinem horridam deorſum venti glomerabant, qui ad concitandum æquor ſic incubuerant, vt illud ab imis ſedibus euerſuros putares. Totum cœlum in mare deſcendere, omniaque inter ſe elementa permiſceri atq; confundi cerneres. Neptunum ipſum, vndis vſque ad fundum æſtuantibus, ſenſiſſe hanc tempeſtatem arbitror. Nam quaſi prædam in medio nacti certabant, luctabanturque inter ſe venti, fluctus ad ſydera tollebant, & cum iiſdem nauim, quæ ſtatim, dehiſcente vnda, ad manes vſque deprimebatur. Itaque nunc tanquam è ſublimi monte valles depreſſas, & Plutonia regna deſpicere: nunc velut ex inferis cælum ſuſpicere nos exiſtimabamus. Nec profuit quidquam proiectis in fluctus oneribus leuaſſe nauigium. Ibi mercatores ditiſſimi ducentorum millium gazam compulſi ſunt perdere. C. Clamare, lamentari ac plorare vectores, & ſtupore opprimi. Hic diis centum tauros in ſacrificium pollicetur, ſi ſaluus euadat: ille ſublatis manibus Caſtorem & Pollucem omnibus precibus pacem orat: hic beatos exclamat, quibus ſpiritum in terra edere, & humo operiri conceſſum ſit. Alius deſertos paren-

tes: alius deſtitutam vxorem, & paruos liberos miſeratur. R. Quid tu, Ariſtippe, tantis in periculis? C. Non minus timuit ac tremuit, quàm noſtrum aliquis. Nullam propemodùm mentem animi habebat præ formidinis magnitudine. A. Non pudet timuiſſe, & dicam paulò pòſt quid homini curioſo petulantique de pauore meo reſponderim. Quid amplius? aquarum montes voluebantur, quocunq; aſpiceres, creſcebatque magis ſemper ac magis tempeſtas, nec ſecus, quàm arietibus & baliſtis oppidorum muri, decumanis fluctibus, terribili cũ ſonitu nauis latera feriebantur. Inde ſubſcudibus reuulſis, & laxatis compagibus per rimas via vndis in nauim præbebatur, quas egerere hauſtris & ſitulis fruſtra nitebamur. Si quid Rector præciperet nautis, quamuis clamore acutiſſimo, propter procellæ fremitum crepitumque vox nulla ad aures perueniebat. Quod autem quisque factu neceſſarium iudicabat, id properabat, vt poterat: vt munire nauim, commiſſuraſque ferruminare, & ſtipare muſci coma, rudentes colligere, vela cum antennis demittere. Attamen erat omni ipſorum conatu potentior calamitatis moles. Vnde fracto iam malo, fracto gubernaculo, coſtis & ſtaminibus diuulſis, remis abruptis, naui in aliquot partes dilacerata, pars vna cum viris ante oculos noſtros ſubmerſa, pars altera per fretum diſiecta, & neſcio quas in oras delata eſt: nos Deûm adiuti clementia, tabulis arreptis ſimul ad vos deuenimus. Fateor, me vehementer expalluiſſe tum præſentemque mortem reformidaſſe. Quod futurum non putabant aliqui, illi ſcilicet, qui philoſophos è quercubus generatos ſomniant. Non tamen eiulabam, nec voces querulas emittebam. Accedit ad me homo quidam ad audendum proiectus, ac temerarius, ne dicam fatuus, quem ſub fluctibus iam animam expiraſſe, & ad Acherontem abiiſſe credo. Is iactare ſuam conſtantiam, & intrepidum prorſus inconcuſſumque in tanto licet diſcrimine animum: mirari autem, & cauſam quærere, cur ego philoſophus timerem, cùm ipſe nihil omninò extimeſceret. Non eadem, inquam, mi homo, tibi & mihi cauſa eſt. Tu enim pro anima vnius cuiuſdam impuriſſimi nebulonis ſollicitus non es: at ego pro anima Ariſtippi ſum ſollicitus. R. Pulchrè dictum & ſapienter, iugulaſti furciferum. A. Certè nullũ potuit vltra verbum proloqui: male habuit virum. Videtis nunc Rhodii, vt ex iſto naufragio, niſi corpora, nihil ſeruauerimus. Mihi verò quam mecum ſemper porto ſapientiam, auferre vis tempeſtatis nequiuit. Quare vos moneo comites, cùm domum ad cognatos meos reueneritis, ex me ſalutem ipſis nuncietis, iubeatiſq; tales comparare filiis ſuis diuitias, quæ cum illis, facto naufragio, enatare in littus poſſint. C. Mandatum hoc tuum exſequemur. Nihil potuit mandari philoſophia dignius.

ANNOTATIONES.

AD explicandam vim tempeſtatis, & calamitatem naufragij, placuit nobis Ariſtippi philoſophi naufragium deligere, de quo lib. 2. in Ariſtippo Laërt. Vitruuius præfat. lib. 6. Fulgoſus lib. 7. cap. 2. Eadem ſit fortaſſe illa eiuſdem

eiuſdem nauigatio, cuius meminit Gellius lib. 19. cap. 1. IN ARENIS SCHEMATA GEOMETRICA) *Geometriæ olim plurimum operæ impendebant adoleſcentes. Itaque in gymnaſio præſtò ſemper erat abacus, puluere conſperſus, in quo lineas virgula conſcriberent, ac figuras ducerent: quas commodè, ſi quid diſpliceret, aut immutarent, aut delerent, aliaq; ratione deformarent. Hinc puluis eruditus pro mathematicis diſciplinis à Cicerone 2. de nat. deor. Sed ſi hoc non videtis, quia nunquam eruditum illum puluerem attigiſtis. Tuſcul, 5. Ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere & radio excitabo. Huc referendum eſt, quòd hîc Ariſtippus ait: Brodæus lib. 1. c. 1.* MISERANDVM LETI GENVS) *Ouid. 1. Triſt. elegia 2.*

Non letum timeo, genus eſt miſerabile leti,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Eſt aliquid fatoq; ſuo, ferroq; cadentem,
In ſolida moriens ponere corpus humo,
Et mandare ſuis aliqua, & ſperare ſepulcrum:
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.

SQVAMMOSARVM PECVDVM) *Piſces Lucretius ſquammigerûm genus. ſquammigeros ſine ſubſtantiuo, ſquammigerûm pecudes, mutas natantes vocat non ſemel. Plautus etiam ſquammoſum pecus Rud.* INGLORIA, FORTIQVE AC SAPIENTI VIRO INDIGNA) *Æneas apud Maronem 1. Æneid. in ſæuiſſima illa tempeſtate exclamans: O terq; quaterq; beati, Queis ante ora patrum, &c. non timet mortem, immo vt vir fortis ac ſtrenuus, gloriaq; cupidus, ante ora patrum, Iliacis campis dum manum cum hoſte pro patria conſerit, occubuiſſe optat. Hoc profectò non eſt timere. Sed genus mortis, omni honore & gloria vacuum, timet, quale eſt in vndis extingui, non in acie. Atque ita non ſola phantaſia commouetur, vt Stoicus ille ſapiens, apud Gellium, ſed re ipſa cui συγκατατίθεται.* SI TV VELLES OLVSCVLA) *Prætereunti aliquando Ariſtippo lauans olera Diogenes: ſi tu iſta parare tibi didiciſſes: tyrannorum aulas non ambires. Reſpondit Ariſtippus. Tu verò, ſi quidem verſari cum hominibus ſcires, olera non lauares. Laërt. & hæc, & quod mox in dialogo ſequitur de Platone.* PROMISSA IN PECTVS [illegible] *mirè ſibi pallio, & barba promiſſa placebant illi veteres philo*[illegible] *minimum quidem reſecari patiebantur, quaſi de ſapientia* [illegible] *amiſſuri. Sed reuera multi erant barba, & pallio tenus p*[illegible] *rodes Atticus in quendam huiuſmodi palliatum & crinitu*[illegible] *ad pubem vſque porrecta, qui interrogatus quiſnam e*[illegible] *vocis obiurgatorio, ſe philoſophum eſſe reſpondebat: barba*[illegible] *o, philoſophum non video. Gellius lib. 8. cap. 1. Extat etiam l*[illegible] *a in huiuſmodi barbatos magiſtros, vt quidem ipſi exiſ*[illegible]

[illegible] δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν
[illegible] εὔσκλός ἐστι Πλάτων.
Si pro[illegible] *longa facit ſapientem barba, quid obſtat,*
Barbatus poſſit quin caper eſſe Plato?

Plutarchus optimè. ἐπεὶ γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαις, καὶ τριβωνοφορίαις

Digitized by Google

ποιῶσι, οὔτι ἰσιακοὺς αἱ λινοστολίαι. *Non facit philoſophum promiſſior barba, nec detritum pallium: non item Iſiacos amictus linei.* VT DIES NVLLA SIT QVA) *De laudibus Rhodi copioſè Corradus commentar. in Brutum ad prima illa verba libri. Cùm è Cilicia decedens Rhodum veniſſem. Pindarus* τρίπολιν *nominat, quia ſunt in ea tres vrbes, Lindus, Ialyſus, Camirus.* IVCVNDA MALORVM PRÆTERITORVM) *Cic.1. de finib. Quid, ſi etiam iucunda memoria eſt præteritorum malorum? vt prouerbia nonnulla veriora ſint, quàm veſtra dogmata. Vulgò enim dicitur, iucundi acti labores. Nec malè Euripides: concludam, ſi potero latinè, græcum enim hunc verſum noſtis omnes.*

Suauis eſt laborum præteritorum memoria.

Græcus eſt hic.

Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Epiſt.12. lib.5. Habet enim præteritì doloris ſecura recordatio delectationem. Virgil.1. Æneid. forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. EVRVM, ZEPHYRVM, AVSTRVM, AQVILONEM) *De 4. ventis cardinalibus, vt vocantur, eorumq́ locis, hem verſiculos Ouidij Triſt. lib.1. eleg.2.*

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit.

REPENTINO AVDITI FLATVS) *Lege tempeſtatem Maronianam 1. Æneid. qua deſcriptione nihil poteſt fingi præclarius. Deſcribit etiam tempeſtatem ſuam Ouid.11. Metamorph. ſed luxuriat ſuo more. Cùm mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit Fluctibus, & quæ ſequuntur. Eſt & alia tempeſtas, ab eodem deſcripta eleg.2. lib.1. Triſt. Et ex Pacuuio adducit illam Cic.2. de Orat.*

inhorreſcit mare:
Tenebræ conduplicantur, noctisq́ & nimbûm occæcat nigror:
Flamma inter nubes coruſcat: cœlum tonitru contremit:
Grando miſta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit:
Vndique omnes venti erumpunt, ſæui exiſtu[illegible]
Feruet æſtu pelagus.

CENTVM TAVROS) *Inſinuamus Æſopi fabellam. Ægro[illegible]i re familiari, à medicis deſperatus, vouebat diis tauros centum, ſi [illegible]ualuiſſet. Tum vxor hæc audiens. Et vndenam hæc tibi? ô miſer. Ille, an p[illegible] inquit, fore, vt dii requirant? Ita & nautæ improbi, & alij homines no[illegible]i, pollicentur etiam Deo, & ſanctis magna & multa, periculis circumuenti: quæ deinde non præſtant, quia Deus, & beati, quoniam tacent, non videntur requirere.* DECVMANIS FLVCTIBVS) *Decimi, ſeu decumani fluctus, qui maximus fieri dicitur, complures poëtæ meminerunt, quorum verſus adducit Politianus Miſcell. cap.86. Nos tantùm Ouidij locum ex elegia paulò ante nominata.*

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes,
Poſterior nono eſt, vndecimoq́ prior.

ACCI-

ACCEDIT AD ME HOMO) *Stoicus philoſophus cùm expalluiſſet in tempeſtate, vbi cœlum enituit, & mare deferbuit, cauſſam à quodam Aſiatico interrogatus, hoc idem, quod Ariſtippus, reſpondit; & quam ob cauſſam ſapiens inter procellas trepidaret, prolato Epicteti libello docuit. Lege totum caput Gellij 1. lib. 19.*

DE RE CVLINARIA.

PROGYMNASMA
SEXTVM ET VICESIMVM.

OEconomus.

EXOECONOMVS, OECONOMVS.

EXOECONOMVS. Gratulor, & gaudeo te mihi ante alios in hac functione mea ſucceſſorem eſſe datum, ſperóque & opto dominis noſtris ingenti commodo, tibi ſempiternæ laudi hunc honorem fore. OE. Iucunda eſt mihi ex optima mente profecta gratulatio, accepta amiciſſimi deſiderii plena voluntas tua. Tibi verò præfecturam hanc abrogatam dolenter fero: ſiquidem qui eam æquè vt tu prouidenter modeſtéque gerat, nunquam reperiemus. Nec velim exiſtimes, me aſſentatiuncula aucupari beneuolentiam tuam: quod res eſt, ſincerè proloquor. Ex. Atqui ſoluendus eſt aliquando equus ſeneſcens, ne peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat. Ætatem præcipitatam vides: quot annis quantas curarum moles voluerim, quales quantoſque labores exantlârim, neſcire non potes. In tuos humeros tandem iſthæc onera inclinanda, tibi hæc rei familiaris procuratio committenda fuit. Ad quam te ſuſtinendam, parem (quod præſentio) animi magnitudinem, conſtantiam, prudentiam es allaturus. OE. Vt potero, ita impoſitum hoc munus adminiſtrabo: quandoquidem domino ſic ſtat ſententia: quæque te agentem crebrò obſeruaui, ea pro infirma parte mea actitare ſtudebo. Eorum illud vel primum, ſummique momenti iudico: ne quoſcunque vndecunque venientes in domeſticos adſciſcam, niſi ante quinam ſint, quibus parentibus exorti, qua patria, quibus ex locis veniant explorauero. Ex. Si agas ſecus, non mediocria naſcentur incommoda, quibus quàm maturrimè eſt occurrendum. Ipſos quoque imperio tuo ſubiectos non faſtidioſè ac ſuperbè: humaniter autem ſedateq; tractabis: quò fiet, vt te ſibi præeſſe vehementer læti ſint, teque diligant ac reuereantur: alioqui leui apud eos momento pendebit auctoritas tua, in contemptionem temet adduces: quod in rem domini haud cenſendum eſt. Interim, vt quiſque ſeruorum miniſtrorumq; diligenter ac fideliter ſuas partes tueatur curandum ſedulo. OE. Benè mones. Quando enim illi ſuo

Digitized by Google

muneri non deſunt, recteque curant omnia quæ debent, præterquam quod Oeconomum ſuum propter expertum eius erga ſe amorem, & declaratam ſæpius humanitatem mirabiliter diligunt, eiuſdemque præceptis propenſiſſima voluntate obſequuntur, etiam exquiſitæ cuiuſdam prudentiæ opinionem ei apud pleroſque conciliant. Ex. Quoniam te ſponte tua præcurrentem video, non hortabor vt fidelitatem atque ſtudium famulorum agnoſcas, & animum ipſis gratificandi benefaciendique cupidum oſtendas, eorum, vbi vſus venerit, cauſſam agas, diligentiam commendes, in ſumma demum gratia eos apud dominos ponas. Oe. Scio iſthæc mihi præſtanda, præſtaboque pro viribus: nec plus ad meam, quàm ad eius cui ſeruio vtilitatem attentus ero. Ex. Hac mente non fuerunt, qui per œconomiam ſuam diuitias cumulàrunt: qui, vt ſe ex officio gererent, ac dominis quam chariſſimi eſſent, & ab iiſdem beneficiis ornarentur ampliſſimis, nihil penſi habuerunt. O pecunia pecunia, vt multos mortales improbos fieri ſubegiſti? Oe. Hac via non inceſſiſti tu, non incedam ego. Ex. Inprimis maximeque obſonatore non ſtulto, & præſtanti fidelique coco tibi opus eſſe intelligas. Vt autem inter vos conueniat, nec vllum exiſtat diſſidium, facito mandata tua ne verbis conſtent arrogantibus, inflatis, parum prudentibus, importunis atque contumelioſis. Quin potius omni cum lenitate, ac manſuetudine imperato: vt tua iuſſa magis ſummiſſæ preces, quam violenta ac rigida, & acerba imperia videantur. Obdurant aliàs & calcitrant, inerteſque ac languidi redduntur miniſtri. Oe. Tam in iſto quàm in aliis tua per veſtigia ambulabo. Ex. In curando victu dominorum, fas eſt adhibere ſollicitudinem. Diſcendum quid illi maximè bibere, quid edere velint: eaque ipſa vt ſint parata quàm citiſſimè, prouidendum. Illud puerile eſt, monere, vt cum cibum illis coquendum tractas, manibus ſis mundis, & alioqui etiam cultu nitido. Comprehendam breui, culina, cella vinaria, & penuaria crebriùs ingrediendæ, luſtrandæque: & ad eſculenta poculentaque, ne quid per luxum abſumatur, aut per miniſtrorum negligentiam corrumpatur attendendum eſt. Oe. Ingentes ago gratias, cum me conſilio boniſque legibus informaſti. Ex. Tua te prudentia paulatim plura docebit. Oe. Eſt tamen è media laude prudentiæ, ſi quid ego perſpicio, audire illos, qui ſuo munere cum gloria perfuncti ſunt. Nec tam facilè à mortuis, quàm à viuis magiſtris diſcitur. Experientia porrò longa eſt, ætas noſtra breuis.

ANNOTATIONES.

EX OECONOMVS) *Proconſul, Proprætor, Proquæſtor coniunctè, variatiſq; caſibus, proconſulis proconſuli, proprætoris proprætori, &c. vt pronepos pronepotis: proauus proaui, &c. an pro conſule, pro prætore diſiunctè, ſine varietate vlla per omnes caſus dicendum ſcribendumq; ſit, quærit diligenter doctiſſimus noſter Manutius. Ipſe priorem ſententiam tuetur, & exemplis idoneis confirmat, in epiſt. 1. lib. 1. Par ratio iſtorum eſt, Exquæſtores, Ex-*

res, Exconſules, Expatricij, Exprafecti, Exprætores, & ſimilium: quibus nempe deſignantur, qui dignitate conſulatus, quæſtura, præfectura perfuncti, vacant à munere. Non ergo probemus illa, ex præfectis ex conſulibus: quæ ad ſimilitudinem ſuperiorum illorum, pro conſule, pro prætore, &c. ſed minus antiquè, atque ideo minus rectè dicuntur. Lege Crinit lib. 0. cap. 12. Sigonius tamen homo in ſcribendo limatus & exquiſitus, in hiſtoriis quas reliquit, hoc dicendi modo ſæpiſſimè vtitur, Palladius ex magiſtro officiorum, Saturninus ex curatore palatij, Auitianus ex Vicario, &c. Diſputat etiam aduerſus Crinitum Alciat. Diſpunct. lib. 4. cap. 3. SOLVENDVS EST ALIQVANDO EQVVS) *Horat. epiſt. 1. lib. 1. vbi ſe depoſitis ſtudiis leuioribus atque ludicris animum ad virtutem exquirendam appulſurum profitetur, ſic ait,*

Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem:
Solue ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Eodem ſpectant illi verſus Ennij, quibus prope actam iam, decurſamq; ætatem ſuam equo forti & victori comparat, quorum in Catone mentionem facit M. Tullius.

Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

LABORES EXANTLARIM) *Muret. lib. 13. cap. 17. exantlandi verbum eſſe peregrinum exiſtimat, & græcè quidem rectè dici ἐξαντλεῖν, ſed latinè loquenti exanclare, non exantlare dicendum. Deinde reprehendit neſcio quem, qui hanc vocem neque ab vlla latina, neque ab vlla græca voce originem habere poſſe, & ex totius linguæ latinæ finibus ablegandam eſſe audacter pronunciauit.* SVO MVNERE CVM GLORIA) *In omni vita bene inſtituenda, & in omni officio rectè & cum laude exercendo prodeſt aliquem ſibi proponere, quem communi approbatione laudatum nouerimus, quem ſequamur, & cuius nos ſimiles efficere ſtudeamus. Eodem modo perutile cenſent prudentes, deligere ſibi quoſdam, quos conſtet in ſua functione nullam laudem, immo magnam reprehenſionem & dedecus adeptos, vt ab eorum moribus peccatisq; recedamus quàm longiſſimè. Nam vt ad doctrinam plus viua vox, ita ad bonos mores viui alicuius mores & exempla plus valent.*

PROGYMNASMA
SEPTIMVM ET VICESIMVM.
Obſonator.

OECONOMVS, OBSONATOR.

OECONOMVS. An non carnes iſtas fumo quamuis duratas, & has ſalitas diutius æquo aſſeruari cenſes? iamque inibi rem eſſe, vt pu-

vt putere propemodum incipiant, penituſque corrumpi, ac ſcatere vermiculis? O b. Mihi ſane non aliter viſum: ac proinde coco tradendas autumo, vt quamprimum coquat in prandium, atque adeo in cœnam ſeruis ancilliſque familiaribus. Qui ſi eas faſtidierint, egentibus diſtribuantur. Reconditum habere ſemper aliquid, quo neceſſitati ſubueniatur, equidem laudo: at tam multũ, vt ſit quod perdi poſſit, nunquam laudauerim. Oe. Tu in culpa ſis forſitan, qui tantum coemeris, quantum neceſſe non fuit. Ob. Emere ſoleo quantum iubeor: proinde apud te cogita & reminiſcere te imperaſſe mihi, vt tot libras carniũ mercarer: alioqui officium meum non ignoro. Oe. A laniis, piſcatoribus, propolis, ſalgamariis, ſalſamentariis, ouorum, caſeorum venditoribus: item ab olitoribus, à quibus lactuçam, cicorea, rapa, cæpas, aliasq; hortenſes & agreſtes herbas emptitare conſueſti, non aliquando te in fraudem impelli ſponſione cum quoquam haud certauerim. Ob. Illi vt me circumueniant? quonam modo? Oe. Cum te iuuenem comptum atque cultum, affabilem, & humanum aſpiciunt, verbis blandis meditatiſque te ad merces quiſque ſuas inuitant & pelliciunt. In quo inuidentia quadam concitante alius alium anteuertere contendit ac vincere. Norunt enim quantos quæſtus, quantaque commoda per te adipiſci queant, cùm ſis obſonator ditiſſimi & opulentiſſimi hominis, qui profuſis viuat ſumptibus, qui conuiuia inſtruat quàm frequentiſſima. Tu propter lenocinia verborum libentius ſemper ab iiſdem emptitas, & eorum erga te animi affectum quaſi remunerans, das pretium quod poſcunt: poſcunt autem quantum illis ſuadet amor nummi. Ob. Non capior talibus laqueis: nec ad iſtam prouidentiam capitis albitudinem exſpectò. Cum primùm hoc muneris exercere inciperem, eſſemque adhuc non ita peritus, eram aliquanto in ſumptu faciendo liberior: nec tamen prorſus inconſultò eram ac temerè. Oe. Qua de cauſſa igitur? Ob. Vt res ſuas præ aliis mihi libentius, cupidiusque venderent. Idcircò etiam humaniſſimè eos compellabam, nec de pretio contentioſius aduerſabar. Ad ſenem me, exercitatumque obſonatorem adiungebam, quicum ad forum itabam, & in eo dexteritatem obſonandi obſeruabam. Nunc rationem perdidici, euaſi doctior. Et quamuis multo argento ſacculus mihi tumeat quotidie, non tamen inde vel teruntium ſuffuror, nedum aureos totos. Oe. Sentio quorſum hoc. De pecunia dominorum ſublegunt ſemper aliquid obſonatorum plerique, & theſauros conficiunt, quos ſe ex parſimonia, & diuturnitate laborum collegiſſe ſimulant. Oe. Mos peſſimus, & cruce dignus. Noſſe legere, literarum ductus formare, noſſe arithmeticam, eſſe alacrem, impigrum, bene moratum, ſcire quæ ad rem culinariam emenda, illaque expeditè non perturbatè, tolerabili impenſa conquirere, in emendo tempora & ordinem conſeruare, domino nihil vel per negligentiam, vel per infidelitatem incommodare, quæ domum à foro allata ſunt, ea tutò ac bene cuſtodire, cum munditia, hæ ſunt obſonatoris partes: non autem habere viſcoſas manus, quibus crebrò aliquid de pecunia domini adhæreat. Oe. Oraculorum reſponſa edidiſti.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

OBSONATOR) *Qui emundis comparandisq́ obſoniis præeſt, Græcis ἀγοραστής. Quanquam & obſonator, ſeu, ut quidam malunt, opſonator græca vox cenſeri poteſt, quaſi ὄψου ὠνήτωρ, qui & ὀψώνης.* SALGAMARIIS) *Salgamà ſunt fructus ſeu obſonia, ſeu penora conditanea, quæ nimirum in vaſis fermè fictilibus, & ſæpius cum liquamine ſeu iure, aceto, inquam, ſale, muria, melle aqua mulſa & ſimilibus ſeruantur, & quoties opus fuerit, ad vſum edendi promantur. Exempli gratia, caules & olera, poma, pyra, fici, vua, & ſimilia. Salgamarius, qui bene concinnat, & conficere nouit, quiq́ vendit ſalgama.* SPONSIONE CVM QVOQVAM CERTAVERIM) *Sponſio generatim eſt promiſſio. Apud veteres genus erat actionis, quæ fiebat interpoſita ſtipulatione certa pecunia, quam perderet is, qui ſponſione vinceretur: ferret autem, qui ſponſione, ſeu ſponſionem vinceret, & coram iudice aut recuperatóribus diſceptabatur. Prouocans ſponſione ita dicebat. Spondeo me tantam pecuniam daturum, niſi, &c. Prouocatus autem contra reſtipulabatur. Vterq́ ſponſionem facere dicebatur* CAPITIS ALBITVDINEM) *Pro albore poſitum à Plauto. Trinum. cùm canitiem indicaret.*

> *Lesbonicum hic adoleſcentem quæro in his regionibus,*
> *Vbi habitet & item alterum ad iſtanc capitis albitudinem:*
> *Calliclem aiebat vocari, qui has mihi dedit epiſtolas.*

HÆ SVNT OBSONATORIS PARTES) *Sunt quidem hæ, ſed etiam illæ, de quibus Seneca epiſt. 44. his verbis. Adiice obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt: qui ſciunt, cuius rei ſapor illum excitet, cuius delectet aſpectus, cuius nouitate nauſeabundus erigi poſſit, quid iam ipſa ſatietate faſtidiat, quid illo die eſuriat.* VISCOSAS MANVS) *De pallio, & ſudario ſibi à Thallo ſurreptis conquerens Catullus, eaq́ repetens, ait. Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina & remitte. Germani furaces homines aiunt digitos habere longos. Munera viſcata, ſeu hamata, quibus plura aut maiora attrahuntur, quam dantur.*

PROGYMNASMA
OCTAVVM ET TRICESIMVM.
Cocus.

OBSONATOR, COCVS.

OBSONATOR. Quod diſcipulos tuos tam parum nitidos, tam inquinatos incedere ſinis, haud equidem miror. quoniam te ipſemet ineleganter ac ſpurcè, quod ad veſtitum curamque corporis attinet, te tra-

ctas. Non ſemel exprobraui hoc vitium tibi, nec tamen conſecuta eſt vlla emendatio. C. In quo vſque adeo tibi diſpliceo? O. Quam horrida barba? quam promiſſus ac ſordidus capillus? quando illam, quando hunc totondiſti? an vis ex vtriſque funes nectamus? Aſtare & inſpicere ollas apud focum, effundere in catinos cibum, tractare denique rem eſcariam cum iſtis turpiſſimorum crinium nemoribus decorum eſſe putas? C. Ibo igitur ad aliquem fœniſecam cras, qui demetat hæc gramina: aut ad lignatores potius, qui iſtam adeo nemoroſam, tibique formidabilem ſyluam ſecuribus exſcindant. Videbis formoſum prorſus ac virentem, quem nunc & hiſpidum & piloſum auerſaris. O. De induſio quid dicam? quam niueum? quam purum? Veſtes adipatæ. Adhæc non ſtrictæ caligæ, non thorax, vt cocis pulchrum eſt: ſed pendulæ & follicantes: vt quam plurimum venti colligant. An tu etiam vento coquis? C. An tu etiam hoc me rogas? Vtique, alioqui follibus non indigerem. O. Iam intelligo cauſſam laxitatis huius. Quid reſpondes de lineo terſorio, quod à collo vtrinque dependet? de præcinctio, de pannis & mantilibus culinariis? certè haud nimis te mũditiæ ſtudioſum indicant. C. Cogitare te oportet, me iam hominem natu grandiorem eſſe. O. Audio. C. Et omnibus negotiis laboribuſque non ſufficere poſſe amplius. O. Tithoni ſenectus. Quadraginta ſex annos geſtas: quale pondus? hem. C. Quî tu iſtuc noſti? an fuiſti matri meæ obſtetrix? O. Sic coniicio. Et tamen vt eſſes multò ſenior, habes impigrum adiutorem, qui ad manum ſit cum volueris: cui mandare poſſis liberè, quæcunque curata rectè velis. C. At nimium multa incidunt aſſiduò quæ mãdem: ſingulorum haud recordor. O. At illud te meritò induſtrium reddere deberet, quod non neſcis, haud eſſe vllum ſeruum, vllúmue miniſtrũ, quantocunque apud dominum in honore, quacunque dignitate ſit, in quo tantum videatur poſitum, quantum in coco: cui etiam reges, principes, ac dynaſtæ potentiſſimi vitam ſuam credere coguntur. C. Non me fugit, & arbitror dediſſe me operam adhuc, ne officium meum à quoquam vel moroſiſſimo iure deſideraretur. O. Deſcribam tibi paucis cocum omni laude dignum. C. Deſcribas licet. O. Vir honeſtus, integer, fidelis, occultis latentibuſque morbis omnino liber, munditiæ percupidus, diligens, affabilis, coquere gnarus, exploratéque cognoſcens, quinã cibi domino ſuo placeant præter cæteros. Multúmne an remiſſè conditis, piperatis an ſalſis, dulcibus an amaris atque acidis magis delectetur? C. Tu mihi aliquando cocum videris profeſſus. Progredere. O. Tenendum eſt illi qua hora prandere, qua cœnare ſoleat herus. Quod ſi illi appetitus non ſemper ad tempus adſit, tamen cocus egregius ſemper eſt paratus, cùm domino cibum capere libuerit. C. Vnum prætermittis. O. Quidnam? C. Aſſæ in veru ſunt relinquendæ, donec eas ſtruendi ad menſam tempus fuerit: curandumque vt alia omnia quàm maximè ſapida & ſucco plena anteponantur comedentibus. Plura ego te poſſum docere quã tu me. O. Non tu modo, ſed cocus quilibet: nec ego iſta docendi potius, quam monendi gratia differo. Addam hoc tantum, Quo maioris momenti munus adminiſtrat cocus, hoc ſe humaniorem, promptiorem, atque

quo etiam religioſiorem præbeat. Quod ſi fecerit, animum domini ſui mirificè ſibi vehementerque deuinciet, ac planè ſecurum, & de ſuo coco quàm optimè ſperantem efficiet. Hæc, inquam, ſunt, quæ in cocis commendantur. C. Et præſtiti hæc, & præſtabo affatim. Quis autem eſt, qui in officio ſuo nunquam claudicet? qui interdum de via non paululum declinet? nec ſapiens omnibus horis ſibi ſimilis eſt. Vobis contra faciendum, enitendumque vt cocum hilarem & alacrem retineatis: verbis dico manſuetis, iuſſis mollibus, ac plenis aliquando pateris. O. Nec nos in hoc negligentes ſumus, aut erimus: dummodo ille viciſſim promptus & obediens, nec humanitatis inops eſſe voluerit. C. Tu quod te decet: ego quod mihi conuenit: vnuſquiſque partes ſuas accuratè & fideliter.

ANNOTATIONES.

EX VTRISQVE FVNES) *Edidit librum Iulianus Imp. quem inſcripſit* μισοπώγων, ἢ ἀντιοχικός. *Oſor barbæ, ſiue Antiochenſis. In eo perpetua quadam & Socratica diſſimulatione cùm ſeipſum videatur reprehendere, Antiochenſes tamen reprehendit. Accuſat ſe, quod eorum mores imitari nequeat, quod à theatris, ludis ac deliciis abhorreat, quod vitam ab omni voluptate alienam degat, aliaq; in ſemetipſum iacit, vt ſatis, quam mollis & eneruata illa ciuitas fuerit, intelligi poſſit. Sed quomodo in exorſu orationis ludat in perſonam ſuam (in qua ſunt barba promiſſa nimis & ſordida, capillorum ſqualor, vnguium, digitorum, totiuſque corporis immunditia) iucundum eſt cognoſcere Recitabo locum latinis verbis. Et primum, inquit, à perſona ordiar. Huic enim, quod (vt arbitror) natura non multum pulchritudinis ac venuſtatis dediſſet, ipſe moroſitate quadam, & acerbitate animi longam iſtam barbam addidi, quaſi pœnas ab ea exigens, nulla quidem alia de cauſſa, niſi quod natura elegantior non fuiſſet. Ideò diſcurrentes in ea pediculos perfero, tanquam feras aliquas in ſylua, neq; largè edendi aut bibendi mihi poteſtas eſt: cauendum enim eſſe arbitror, ne imprudens pilos vnà cum pane deuorem. At vos etiam funes ex ea necti oportere dicitis. Equidem id vobis perlibenti animo concedam, modò pilos poſſitis extrahere, neque eorum aſperitas veſtras molles & delicatas manus offendat.* TITHONI SENECTVS) *Horat Ode 16. lib. 2. Longa Tithonum minuit ſenectus. Impetrauit quidam ab Aurora immortalitatem, quam petiuerat Tithonus, non etiam perpetuam iuuentam, quam petere oblitus erat. Quamobrem in cicadam nimia tandem ſenectute, quæ omnia imminuit & carpit, conuerſus fingitur: in beſtiolam aridiſſimam, canoram tamen & garrulam, quæ virtus ſenum eſt: nam vt ait in Catone Cicero: ſenectus eſt natura loquacior. Solere nomen Tithoni de ſenibus infælicibus, & laborioſis vſurpari, Euſtathius ad primum Homeri verſum lib. 11. notauit.* AN FVISTI MATRI MEÆ) *In Capt. cùm Tyndarum, qui ſe Philocratem ſimulabat, pro ſeruo dominum, interrogaret Hegio præſente Ariſtophonte, qui hominem in Aulide ſeruiiſſe Philocrati ſciebat, an liber fuiſſet, & ille reſponderet: fui, excipit Ariſtophontes: enimuero non fuit, nugas agit. Mox Tyndarus. Quî tu ſcis? an tu fortaſſe fuiſti matri meæ obſtetrix, qui id*

tam

Digitized by Google

tam audacter dicere audes? QVINAM CIBI DOMINO SVO) *Martialis ille homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis habet, & fellis, iudice Plinio, epiſt. 21. li. 3. ſic ait li. 14.*

Non ſatis eſt, ars ſola coco, ſeruire palato:
Namq; cocus domini debet habere gulam.

Non tantum, inquit, coci ars in eo poſita eſt, vt palato & guſtui ſeruiat: vt cibos coquat, quibus comeſis pellatur fames: ſed noſſe inſuper debet, quibus delectetur gula domini, quibus ſe libenter explere, & exſaturare conſueuerit.

PROGYMNASMA
NONVM ET TRICESIMVM.
Coquinariæ partes.
SPINTHER, CHYTRÆVS.

SPINTHER. Ecquid aures tuas fama tetigit de apparatiſſimo illo ſumptuoſiſſimoque epulo, quod principibus viris fœminiſque, non vltimus huius regni Heros nuperrimè dedit? C. Auditione accepi, & me non mediocris occupauit admiratio. Intellexi enim, cùm ibi adeſſent coci complures exercitatiſſimi, vnumquemque conatum anteire cæteros, ac primam laudis & gloriæ palmam auferre. S. Quo in genere, quæſo, certauerunt? C. In omnibus, quæ noſtræ arti ſubiiciuntur. S. Scio ſeptem in partes potiſſimum diſtributam eſſe omnem rationem coquendi: ſiquidem docemur coquere iura, quorum aliqua ſeorſum in patinis pro vnoquodam miſſu, ſeu cibarii genere apponuntur: vt quæ de vino, lacte & ſeminibus conficiuntur: alia cibos ipſos condiunt, ſapidioreſque reddunt, & cum cibis ſimul abſumuntur. Deinde carnes, quarum hæ ſunt ferarum, illæ cicurum domeſticarumque animantium. Vtriuſque ſpeciei multæ iterum, vt tute noſti, ſunt ſpecies. C. Mille. S. Præterea piſces. Adhæc, oua, quorum coquendorum eſt etiam diuerſa & multiplex ſcientia. Adde fructus & herbas: adde quæ confecta dicuntur: adde poſtremo loco pemmata, ſiue cruſtula, ſiue placentulas. Nunquid omitto? C. Nihil ſanè. S. Quomodo in varietate iuris primi illius generis certare potuerunt? C. Adeo, Spinther, & auſi ſunt, & potuerunt, vt apud te id effari ego vix audeam. S. Quid refert? dic modò quicquid eſt, credam ſi videbitur. C. Centum offas ſeu iura diuerſa fuiſſe appoſita narrabant, idque delectu habito. S. Centum? volebant conuiuas ſubmergere iuribus ſuis. Non abeſt ab hac narratione vanitatis ſuſpicio. C. Nec ego illi fidem accommodo. S. Quot autem fercula illata cognouiſti? C. Infinita prope, & exquiſitiſſima: Antonii & Cleopatræ conuiuium fuiſſe diceres. S. Non in cæteris duntaxat liberalibus inquam illis, verum etiam in hac noſtra facultate homines longè doctiores arbitror inueniri hoc ſæculo, quàm vetuſtis inuenirentur. C.

Nihil

Nihil te fallit iudicium. Veteribus in omni re ſimplicitas amica fuit. Illorum primas menſas abſoluebant carnes, ſecundas caſeus, & bellaria. Nec tamen in carnibus tantopere, vt nunc, diſſimilitudini ſtudebatur. S. Iam colligo quippiam. C. Quid colligis? S. Nihil, aut perparum noſtra apud eos ſcientia valuiſſet: mendicabula hominum fuiſſemus. C. Erras, bonus enim cocus non tam eo commendatur quod variè, quàm quod bene coquit: ſic nimirum, vt etiam faſtidioſiſſimæ, & ingenioſiſſimæ gulæ eius opera non reprehendant. S. Recte hoc abs te dictum, & aſſentior. C. Curnam cancros, nobilioreſque piſcium ad conuiuiorum luxuriam adhibere mos obtinuit, diebus illis nempe, quibus carnium eſus permittitur? S. Cum recogito qui hoc faciant, rationem & cauſſam videor obſeruare. Diuites faciunt, tenuiores omittunt: & illi magnificentiæ cuiuſdam ac liberalitatis gloriam aucupantur. Atque in ipſis piſcibus doctè coquendis condiendiſque maior propemodum difficultas ſentitur, quam in carnib., quas ego quidem à toto genere facillimè piſcibus antetulerim. C. Quod mihi vſu venit, tibi venire exiſtimo: mauis edere gallinam Indicam, quã piſcem quemuis. Malles tamen contra rhombum, quàm vaccinas, aut hircinas. S. Nec latum pedem aberraſti, ipſum oſtii limen tetigiſti. Sed quod offæ genus ante alia probas? C. Quod? de generoſiſſimo vino, de flore, inquam, Liberi, cum aromatis, & vitellis ouorum, & melle inſuper. Nihil vino conferendum. S. Qui toties vinum crepat, vinoſus arguitur. C. Mitte malè loqui. S. Oua miror tam valde à medicis ſuaderi, & ægrotis tanquam ſalubre edulii genus dilaudari C. Plurimum alere aiunt oua, piſces non item, qui magis ad excrementa, humoreſque vitioſos ſint idonei. S. Hoc loco quiddam in mentem venit. C. Quid illud? fac me participem. S. Tuũ de re cibaria inſtitutum commentarium, & iam affectum quando extrudes? an aliorum voluminibus culinariis es deterritus? C. Minimè: nam ſicut apud philoſophos, oratores, poëtas, hiſtoricos qui poſterius ſcribunt, ſemper ſperant ſe aliquid noui, aut melius allaturos: ita cur nobis in arte noſtra idem ſperare nefas ſit, ego cauſam nullam reperio S. Si nos coci tot libros euulgemus, non erunt poſtea diſcipuli. C. Hoccine times? de architectura, de re militari, de metallica, de medica, de ruſtica, de mille aliis extant codices, & tamen eos peruolutare non eſt ſatis: magiſtros etiam harum rerum intueri facientes oportet Tradunt quidem præcepta libri, vſus aliunde pendet. S. Diſputarem tecum ſuper quibuſdam, quæ in tuis ſcriptis, cum ea mihi ſuperioribus diebus commendaſſes, offendi, niſi cælum iam veſperaſceret. C. Non deerit tempus: & ego ſcrupulos omnes, dubitationes omnes me tibi perfectè exempturum polliceor.

ANNOTATIONES.

VTRIVSQVE SPECIEI MVLTÆ ITERVM) *Ferarum quidem animantium aliæ ſunt quadrupedes, aliæ volucres, quæ diuiſio etiam circum eſt, & prima haberi poteſt maximeq; ampla. Enumerarem iam quæ ſolerent*

lerent ex hiſce quatuor generibus coco ſubiÿci, ſed duabus de cauſis omittam. Nam & nonpauca in hac claſſe, quæ eſt de re culinaria, ſparſim ponuntur, & nimium longus catalogus texeretur. Quapropter doctoribus culinariis, & otioſis ventribus iſta relinquemus. INFINITA PROPE) *Ferculum fit à ferendo: qua voce Linius quid ſignificârit, ex eius verbis fit perſpicuum, quæ ſunt lib. 1. Spolia ducis hoſtium caſi ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium aſcendit. In re menſaria fercula ſunt propriè vaſa inferendis obſoniis ac pulmentis apta. Fercula vocantur miſſus quoq;. Nominantur item miſſus in ſpectaculis: & conficiebatur miſſus vnus, vbi à calce ad calcem procurrentes equi, rurſum à meta circumflexa calcem repetebant. Reliqua Rhodig. lib. 8. c. 7. Idem lib. 15. c. 27. ſaporum inquit genera 15. reperiuntur. Dulcis, ſuauis, pinguis, amarus, auſterus, acer, acutus, acerbus, acidus, ſalſus. Præter hæc, tria ſunt genera mirabili maxime natura. Vnum in quo plures pariter ſentiuntur ſapores, vt vini. Nam in his & auſterus, & acutus, & dulcis, & ſuauis, omnes alieni. Alterum eſt genus in quo ſit & alienus quidem, ſed & ſuus quidam ac peculiaris, vt in lacte, &c.*

Libet hoc loco ritus quoſdam conuiuiorum exponere, Conuiuæ diſcumbentes iam, quoad fercula proponerentur, vaſa, & alia quæ in aula erant laudabant, ipſam etiam domum. Interpres Ariſtoph. in Veſpis, & Athenæus li. 4. Mos item fuit conuiuatori ſchedulam quandam exhibere, quæ continebat eorum quæ apparata erant enumerationem, vt ſcirent conuiuæ quodnam obſonium cocus eſſet allaturus. Athenæus lib. 2. cap. 7. Ouum erat cœnarum initium, mala finis Horat ſat. 3. lib. 1. ſi collibuiſſet, ab ouo vſq; ad mala citaret. Aſſo autem claudebant æſtiuam cœnam Cic epiſt, 20. lib. 9. Integram famem ad ouum affero: itaq; ad aſſum vitulinum opera perducitur Claudebant etiam lactucis propter ſomnum inducendum: vt poſtea iÿſdem cœnas propter appetitum excitandum inchoabant, Mart. li. 13.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

Si quid de menſa cecidiſſet, non tollebant, maximè Pythagorici. Ideo, vt nonnulli tradiderunt, quò modeſtè in ſympoſiis, minimeq; petulanter conuiuæ diſcumbere conliſcerent. Alia ratio, quoniam ea quæ de menſa cadebant, heroibus, ſeu manibus ſacra ſeſe credebant. Vtebantur coronis in ſympoſio ex omni herbarum florumq; genere, præterquam ex apio, quoniam luctibus magis conueniret apium, Quare tumulorum thecas antequam in illis corpora mortuorum ponerent, apÿ foliis ſternere conſueuerunt. Leonicus lib. 1. c. 24. At Romani etiam lætis rebus copioſè coronabantur. Vide Lamb. ad Od. 11. li, 4. Tempeſtiuum conuiuium, quod non fit de die (nam id turpe & nequam, & intempeſtiuum habebatur, de die conuiuia agitare) neq; in multam noctem producitur: ſed quod tempori fit. Ad tempeſtiuum quoq; conuiuium fortaſſe pertinuerit, diebus potius certis, quam aliis conuiuas vocare, vt diebus feſtis, quàm profeſtis, & quibuſdam profeſtis potius, quam aliis, vt nefaſtis. Vide Turneb. lib 6. c. 16. ANTONII ET CLEOPATRÆ CONVIVIVM) *In eo conuiuio pocula & vaſa omnia viſebantur aurea, inſertis margaritis, & lapillis. Strauit triclinia duodecim, quorum parietes omnes aulæis purpura & auro diſtinctis conueſtiti.*

Digitized by Google

veſtiti Sumptuoſiſſimum apparatum admiranti Antonio ſubridens Cleopatra ei donare ſe dixit omnia. rurſumq; in diem ſequentem inuitauit, atq; iterum apparatum omnem, magnificentiorem etiam donauit Legatis eius & ſociis pretioſa pocula ad menſas vbi diſcubuerant diſtributa ſibi habere iuſſit. In diſceſſu gratia, auctoritate, dignitate excellentibus lecticam cum deferentibus ſeruis ſingillatim, cæteris argento & purpura magnificè inſtratos equos largita eſt. Expenſum retulit in roſas talentum, cum per omnia diſcumbentiũ triclinia foliorum paſſim aceruі, cubiti menſura panimentis vndequaque omnibus extarent. Aliquot exempla conuiuiorum luxurioſiſſimorum collegit Pererius in Daniel lib. 6, NOBILIORESQVE PISCIVM) *Rhodij laudabant admiratorès & amatorès piſcium, vituperabant carnium, agreſteſq;, & ventres nominabant: illos autem ἐλευθερίως ingenuos ac liberales. Ælian. lib. 1. ca. 28.* VINOSVS ARGVITVR) *Argumentum Horat. ep. 19. lib. 1. Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. Quo quidem in ipſum Horatium vti licebit. Nã quis toties vinum in ore habet?* ETIAM AFFECTVM) *Latinè admodum dicemus, aliquem affectum moleſtia, dolore, contumelia, iniuria, morbo, pœna, præmio, honore, lucro, damno. Item affecta ætas, valetudo, fides. Sed eſt huius adiectiui reconditior quædam vis, dicunturq; affecta etiam, quæ non ad finem, ſed proximè ad finem perducta, aut progreſſa, quæ nondum abſoluta ſunt. Cic. de prouinciis conſular. Bellum affectum videmus, & verè vt dicam, pæne confectum. Item infra. Nam ipſe Cæſar, quid eſt quod in prouincia commorari velit, niſi vt ea quæ per eum affecta ſunt, perfecta Reip. tradat? In Oeconomico. Cum verò affecta iam prope æſtate, vuas à ſole miteſcere tempus eſt. Gell. lib. 3. c. 16. & lib. 15. c. 5.* VSVS ALIVNDE PENDET) *Cice. Academ. lib. 2. loquens de Lucullo qui laudem imperatoriam ſine vſu militari conſecutus eſſet. Sed incredibilis quædam ingenij magnitudo non deſiderauit indocilem vſus diſciplinam. Quæ nimirum doceri non poteſt, quæq; nullis præceptionibus traditur. Et videtur dixiſſe, diſciplinam vſus, pro vſu: vel potius, pro longa exercitatione, & conſuetudine artis alicuius: ex qua quis fit vſu peritus.*

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVM.

Coquinaria amplitudo, & epulum, ſeu lauticia, ruſticana.

LITERATVS, COCVS.

LITERATVS. In arte veſtra tantam operis varietatem, tot differentias ineſſe, maiorem in modum admiror. Quando deditus eram poëticæ, putabam ingentem me videre aceruum, diuerſitatemque metrorum: quando oratoriæ, ſchematum & tropori: quando geometriæ, figurarum: quando arithmeticæ, numerorum: quando aſtrologiæ, ſtellarum.

rum. At iam in re culinaria longè magis multiplicem diſtinctionem animaduerto. C. Quomodo? L. De ſolo boue certum ſcio vos octoginta fercula poſſe conficere: hoc eſt bubulam modis & rationibus octoginta reddere guſtatu idoneam. C. Poſſumus verò. Quod quamuis tibi eſt admirabile, ne tamen ſit incredibile. L. Neſcio an non liceat etiam plura: quamuis hæc ipſa nimium multa mihi videantur. C. Fortaſſe: nam & ille modus quidam nouus fuit ad eſum parandi bouis, Francofurti ad Mœnum. L. Quid tu his verbis? C. Cum in ea ciuitate conuentus Principum ageretur ad Maximilianum. II. Romanorum regem appellandum, pro antiqua imperii Germanici conſuetudine, bos integer, detracta tãtum pelle, & exenteratus, pulliſque gallinaceis, leporibus, anſeribus, auibus, agnis bene fartus atque diſtentus, in veru ligneo & craſſo machinis rotarum circumactus & aſſus perhibetur. C. Iam memini. Diruta culina in medio foro conſtructa è tabulis, factaque egentibus diripiendi poteſtate, magno Principum ex edito loco ſpectantium riſu & voluptate, ſic illum bouem breuiſſimo ſpatio diſcerptum direptumque aiebant, vt ne veru quidem amplius ſupereſſet: putarique ipſum quoque ab aliquo deuoratum: qui tamen credebatur admodum malè cibum valentiſſimum concocturus. C. Non cognouiſti item, quàm varia de vitulo, de veruece? L. De illo quinquaginta nouem, de hoc quadraginta quinque. C. Et de agno? L. Duodetriginta. C. De hœdo? L. Triginta quatuor. C. De porcello? L. Duo ſupra triginta. C. Haud erras in numero. De ceruo autem? L. Triginta ſeptem. C. De lepore? L. Viginti. C. De apro? L. Quadraginta tria. C. Prætereamus capreolos, damas, vrſos, bubalos, oues Turcicas, ſuẽ, erinacium, ſciurum, cuniculum, & alias quadrupedes, de quarum carnibus nos varias epulas apparare nouimus: ad aues tranſeamus. An non ſtupeſcis de *aquila* nouem poſſe fercula inſtitui? L. Accepi iſtuc, & miror reginæ *auium*, ac Iouis aliti non plus conceſſum à cocis, quàm caponi: immò quàm anſeri. C. Cur hoc? L. Quia de illo traditis quadraginta quatuor cibi diſcrimina: de hoc vndetriginta. Gallinam quoque, columbam, coturnicem maiore gloria afficitis: ſiquidem de illa viginti duo, de hac viginti, de iſta vndeuiginti modos coquendi affertis. C. Aquila aliunde habet ſuam dignitatem atq; præſtantiam: quod te rerũ naturaliũ explicatores docere poterunt. Paruus hic auiũ honor eſt, occiſas, & ignibus domitas tam diuerſis rationibus palato blandiri poſſe, & ſe hic ingenia cocorum oſtentant. Quod ad me attinet, de phaſiano, qui plus quã viginti formis tractari queat, aut de grue tantũ aſſo malim edere, quã de columbis, quocunq; tandem illorũ modorũ ad eſum concinnatis. L. In tuam diſcedo ſententiam. Verum enimuerò, cum innumera pæne, & tam nobilia volucrum genera tam variè excellẽterq; ſciatis coquere, cur nihil de phœnice præcipitis? ſitne parandus vt aquila, an vt cygnus, an vt pauo, an vt phaſianus. Quomodo pectus, quomodo alæ, quomodo pedes ad epulationem iucundam aptandi. Quotuplex iuſculũ, quæ ſpecies farti adhibendi: etiámne apium, allium, mala Medica, & cæpæ. C. In Aſſyria tantũ, & vnicã huius nominis volucrẽ viuere dictitãt. Ne igitur naturę fiat iniuria, ei parcitur, in epulas nõ venit.

Quo

Digitized by Google

Quò fit, vt eius coquendi ratio ſub præcepta non cadat. L. Quinam hæc cauſa tam diu me latuit? en quam prudenter reſponſum? Porrò artificium veſtrum eximiè ſe quoque in piſcibus oſtendit. C. Verum narras. Nam ſi detur nobis ſilurus, ſtruemus fercula duo & viginti. Si ſalmo, ſeptendecim. De lampetra quatuor, de truttis octodecim, de lucio quadraginta, de carpione quinque & viginti. L. Et de mullo? C. Sex. L. De anguilla? C. Vndecim. L. de tinca? C. Septem. L. De caneris? C. tria & viginti. De ἐννεοφθάλμῳ octo, de perca tredecim. L. Nolo audire de reliquis: ſat multi piſces: ſat multi modi ferculorum. C. Poſſem dicere de aranea, erinaceo, porco, cane, vitulo marinis, & de cochleis ac teſtudinibus. L. Quæſo, quotnam facies de teſtudine? C. Nouem. L. Animi gratia vnum genus me doce. C. Libenter. Admoue illam ad ignem in olla, cum aqua, ſale inſperſo. Vbi elixaris, ſine frigefiat. Tum de teſta exime, diuide in partes, condi pipere & ſale. Mox in farina perbene volutatas frige in butyro. Poſt, calidas adhuc, & ſiccas labruſcarum liquore perfuſas, aut ſucco è recentibus malis citreis ſuper eas expreſſo apponi iube. L. Expertus doces. C. Quid non ſum expertus, qui in tot Principum culinis tot annis milito? Didici eandem rem, ſeu piſcis, ſeu caro fuerit, germanicè, italicè, gallicè, hiſpanicè, hungaricè, polonicè, boëmicè coquere. L. Quam vellem tu mihi etiam gulam hiſpanicam, italicam, aut gallicam poſſes dare. Ego enim in his rebus idiota, pro germanicè cocto lucio comederem, quem tu polonicè, aut hungaricè coctum affirmares. C. Quamquam lingua, & palatum hoc myſterium non intelligit: fatendum eſt tamen, aliter idem ſapere, & aliter palatum affici, ſi hoc modo: aliter ſi illo modo idem coxeris. L. Non refragabor. C. Quod ſi in omni iſta varietate iucundè afficitur, cur diligentia & induſtria noſtra in reprehenſionem veniat. L. Ego quidem non vitupero, laudo potius. Vnum rogare te volo. C. Age, roga. L. Quin poſſis recenſere quid in prandio, quid in cœna apponendum ſit tam diebus carnium quàm piſcium, in epulo Imperatorio, Regum, Principum, nobilium atq; ciuium, non dubito. De epulo ruſticorum velim audire quid ſentias: quo pacto eos pro dignitate quàm lautiſſimè acciperes. C. Obſequar petitioni tuæ.

Primus miſſus eſto ius ſimplex bubulæ coctæ. Deinde bubula, addito capone, & vitulina, ſuperfuſo naſturtio: atque hæc omnia in eadem patina. L. Non quærunt multitudinem patinarum agricolæ. Quis ſecundus? C. Anſer, femur veruecinum traiectum ſaluiæ foliis, porculus, gallinæ, vitulina, omnia hæc aſſa, & lucanicæ toſtæ: rurſus omnia in eadem paropſide. Addi poſſunt rapa rubra, aceto, naſturtio minutè ſecto, & cumino inſperſo macerata, ſeorſum in catillis. L. Tertius miſſus? C. Salgama è conciſis caulium capitibus cocta, coronata fruſto lardi fumati, ac circum circa farciminibus tanquam præſidiariis locatis. L. Quartus verò? C. Gallinæ vetulæ iure flauo, conditæ amygdalis, & vua paſſa. L. Addéſne quintum? C. Sanè. L. Dic. C. Porcina iure conſiſtente. Sextus habebit poma, pira, nuces, caſeum, omnia in eadem patina. Pemmata multimoda in vno catino. Veſperi (vt ſim breuis) primus miſſus lactuca

 cum

Digitized by Google

cum ouis duris, lucanicis, petaſone in fruſta conciſo, carne in fumibulo exſiccata, in eadem patina, circum & ſuper lactucam diſpoſitis. L. Bonas & firmas ſepes noſti condere. C. Etiam bonum tectum. Sic poſtulat perſonarum iſtarum amplitudo. Secundus, ius gallinarum decoctarum, bubulæ portione impoſita. Tertius, patina referta omni genere aſſi vilioris, ſeu ignobilioris. Quartus, herbæ virides conciſæ, cum porculo fumato. Quintus, anſerculi iure piperato conditi. Poſtremus placentulæ, & potiſſimùm quas Setzküchlin ſiue Baurnküchlin nominant. L. Quàm opiparè & pranderunt & cœnati ſunt apud te agreſtes? Multi nobilium raro vident menſas huiuſmodi conſtructas dapibus. C. Acciperem te vt imperatorem aliquem: tu tamen cum tot miſſibus nihilominus eſuriens domum redires. L. Ergo tibi delicias illas ciborum retine. C. Nondum audiſti de reliquis obſoniis quid poſſim. L. De ipſis quot cibos parares? C. Ad quatuordecim. L. De piris? C. Ad duodecim. L. De pomis, hordeo, ouis, auena molita, caulibus, cucurbitis, prunis, lacte vario, oriza, fungis, pane, amygdalis, ceraſis ſi vellem quærere, totum diem mihi narrares ſpeciatim quid ſcires conficere: magiſter magnus es. C. Studui quidem certè ne poſtremus eſſem. L. Lactucarum genera quot apponeres? C. Ad quinquaginta. Embammata ad aſſas quinta & vicena. Offas ad tres & ſexaginta. Genera cruſtulorum, & ſcriblitarum ſex & ſeptuaginta. Artocrearum ſex ſupra quadraginta. De piſcibus autem factas (quibus proprium nomen nec dum eſt datum) ad viginti. De certo genere placentarum (quas Germani Torten) amplius quadraginta. Confecta quæ vocantur, vndetriginta. Scio item condire nuces, mala cydonia, perſica, citria, & à ceraſis, pyris, rebusque aliis præſtantes ſuccos componere. Quin & aceti conficiendi ratio optima mihi eſt nota. Hæc omnia cocum excellentem ignorare nefas. L. Platonem cocorum te iudico. Bene vale, & quod facis, bene coque.

ANNOTATIONES.

REGINÆ AVIVM, AC IOVIS ALITI) *Aquilam ita volucrum Reginam à Ioue declaratam ait Pindarus, veluti delphinum piſcium, vtriuſque pernicitate genus omne ſuum exuperante. Apud Thebanos certè non aliter inter numina colebantur aquilæ, quàm cynocephali, crocodili, & alia quædam bruta apud Ægyptios. Imperatoriæ & regiæ maieſtatis hieroglyphicum eſt. Vide Pierium li. 19. in Aquila. Plin. li. 10. c. 3. ſex genera aquilarum naturasq; earundem deſcribit. Sed quoniam aquilam Ioui ſacram eſſe pleriq; norunt, dicamus quæ aues in quorum deorum dearúmue tutela ſint, ſeu quibus conſecratæ putarentur. Phœnix Soli ſeu Phœbo, picus Marti, coruus & cygnus Apollini, pauo Iunoni, noctua Mineruæ, columba, cygnus, paſſer Veneri, halcyones Thetidi,* DE PHASIANO QVI) *Phaſianos ſolis vaporibus à culinarum magiſtris ob maiorem gulæ iucunditatem coqui ſolitos, ex D. Hieronymo oſtendit Mercurialis var. lib. 2. c. 3.* NIHIL DE PHOENICE) *Nobiliſſima inter aues Phœnix Aquilæ magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, ceruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem caputq; plumeo*

apice

apice cohoneſtante. Nemo veſcentem vidit, ſacer eſt ſoli, viuit annus DCLX. ſeneſcens caſia thuriq́ ſurculis conſtruit nidum, replet odoribus, & ſupermoritur. Ex oſſibus deinde & medullis eius naſcitur primò ceu vermiculus, inde fit pullus, principioq́ iuſta funera priori reddit, & totum defert nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponit. Hæc Plinius lib.10.cap.2. Exponit præterea naturam huius auis in 15. Metamorph. Ouidius.

Vna eſt quæ reparet, quæ ſe ipſa reſeminet ales,
Aſſyrii Phœnica vocant, nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi,

& quæ deinceps. D. Ambroſ. Phœnix coitus corporis ignorat, libidinis neſcit illecebras, ſed de ſuo ſurgit rogo, ſibi auis ſuperſtes ipſa, & ſui hæres corporis, & cineris ſui fœtus. Ab ea natum eſt prouerbium, Rara auis, pro re ſingulari, eximia, inuentu rariſſima ac difficilima. Quomodo apud Plutarchum duo eruditiſſimi homines φοίνιξ, quod palmam quoq́ ſignificat, turpiſſimo errore phœnicem interpretati ſint, lege iucundam narrationem apud Muret. lib. 13. cap.12. GERMANICE, ITALICE, GALLICE) *Coquorum rationem Comici veteres iactabundam & glorioſam inducunt. Nec mirum ſi illi placeant ſibi, ſúumq́ ingenium oſtentent, quando artem ſuam magnoperè expeti vident. Philemon in Milite fecit quendam ſupra modum extollentem ſtudium ſuum, & ad extremum affirmantem: ſe rationem inueniſſe, qua homines nunquam extinguerentur, cum mortuos iam, odore epularum à ſe conditarum ad vitam reuocaret. Cocus Plautinus Pſeud. & ipſe magnificè ſe iactans, cum alios antea præ ſe ſpreuiſſet, inquit.*

Nam vel ducenos annos poterunt viuere,
Meas qui eſitabunt eſcas, quas ego condiero.

Hæc vberius Victor. lib. 20. cap.23. IVRE CONSISTENTE) *Sic reor appellandum ius illud flauum nigrúmue, quod Germani* Sultʒ: *quod habet ſpeciem iuris gelu & frigore concreti. Non præteribo quod in illa verba Horatij: corycioq́ croco ſparſum ſtetit, Turneb. affert lib.1. cap.24. Quæ liquidiora erant, & humidiora, vt aliquando adepta ſunt coquendi concretionem ſtare dicuntur. Verùm id ius de quo ante dicebamus, tametſi non ſtetit dum coqueretur, ſtetit tamen & concreuit, & veluti conglaciauit in patina.*

PROGYMNASMA
PRIMVM ET QVADRAGESIMVM.
Iuſſa, & vituperatio culinariæ.

ARCHIMAGIRVS, COCVS, LECANIVS Coculus.

ARCHIMAGIRVS. Fac ita vt iuſſi: & rem cum cura gerito: maturius vna hora probè coctum eſto prandium: herus & hera maiores mandauerunt. C. Non poteſt. A. Ain' tu non poſſe? quid

Digitized by Google

quid impedit? C. Deglabrare gallinas, deſquamare, & exdorſuare piſces, exenterare lepores, tot genera carnium aſſare, elixare, tot iura, tot fercula demum comparare, tot formarum pemmata frigere, non trium aut quatuor, ſed decem horarum eſt opus. Crede id mihi, quod tu ipſe vſu ſenſiſti, etiam hic illud protritum valere: feſtina lente. A. Habes adiutorem impigrum, huic quæ res poſcit impera, pro rota vtere. C. Pro plumbea ſanè quidem: vſque eo celer eſt in agendo atque verſatilis: nullus eſt. A. At ego iſtis manibus te adiuuero. C. Si quidem Geryon eſſes. Quamuis tu ſimul des operam nobiſcum, adhuc plus ſatis laborum reſtabit. Lecani, curre, vola, affer cremia, ſegmenta, ſarmenta, ſchidia, & Vulcanum conſtrue. Scis vbi ſit ignitabulum, vbi fomes, vbi ſulphurata ad ignem rapiendum. Vidi vt ſtat lapis. Expectas dum tibi caput diminuatur fuſtibus? L. En vt curro, velocius Euro. C. Cochlea tardior es. A. Quas præceperam artocreas feciſti? C. Feci. A. Et ius ſtans cum porcinis pedibus, piperis puluere, amygdalis & vua paſſa iniectis? C. Etiam. A. Inteſtina hæc, hanc offam cum pulticula, aſſo vitulino, & piſce prunario ſeruitia liguriant: minus his coquendis requiritur operæ, nec exquiſitè condiuntur. C. Quid vult obſecro hæc inſolita feſtinatio? A. Me clam eſt. C. Suggere ligna: cerne vt ignis prope extinctus eſt. Follem arripe, & vento facto, flammis penates adole. L. Nec bene fiſſa, nec ſicca penitus ſunt ligna, eo ardent lentius, & fumant copioſius. A. Dum nos piſces depurgamus, tu ahenum ſuſpendito, & aquam calefacito. Prius affer tabellam piſcariam. L. Ecce vobis tabellam. C. Hui piſcem. Quanto ſtetiſſe putas? A. Facilè dalero. C. Aſpice vt in aqua ludunt lupuli. Iam dabo finem veſtris luſibus. Hem, quid hoc monſtri? A. Quid tu exclamas? quid eſt? C. Lucius iſte continet in viſceribus luciolum. A. Solent deuorare piſces, etiam ſui generis, vnde illis luporum nomen. C. Tu cætera quæſo in piſcibus: ego gallinas haſce cum capone opimo ad mortem dabo. Laua puer carnes interim. L. Vbi iſtæ carnes? C. In carnario fruſtatim ſectæ iacent, in vaſe coquinario illo amplo, quod noſti. A. Excoria ſis leporem: pellem tibi dono. C. Lepidum verò donum leporina pellis. Amittit pilos, nihil quod ſciam, commodat. A. Aſſa deinde caput cum armis. C. Quid? ego nunquam aſſaui leporem? A. Ioculo dicebam: ſcio enim te cocum eſſe quam erudítiſſimum. C. Si non ſum, tu à culpa haud alienus, qui me ſemidoctum dimiſeris. A. Ha ha. Iam in reliquis parum eſt laboris, cum tuo diſcipulo tranſiges omnia. C. Contendemus neruos. A. Poſt horam & ſemis rurſus adero. C. Væ hodie piperi, væ ſaccharo, væ cinnamomo, væ croco, væ aromatis, væ butyro. Condimentis omnibus conditiſſimum prandebunt prandium domini mei cum hoſpitibus, quotquot inuitarunt. Quaſi Pontificum cœna erit, adipales epulæ, fercula duodeuiginti. Quære lardarium. L. Hic eſt. C. Fuliginoſæ ſunt ollæ fictiles: vt cupreæ & æneæ inſtar ſolis nitent? Scilicet. Niſi tu iſtas ante noctem in ſplendorem dederis, & illas abſterſeris, tergum tuum fuſtuario honorabitur. L. Non ſuppeditat tantum otii. C. Ain verbero? noui

noui tuam pigritiam. Et verua vt coruſcant? ſubitò arenis perfrica, fac niteſcant. L. Non vſque adeo eſt opus. C. Homo trioboli, vter ſcit melius quid ſit opus, túne an ego? L. Non erit finis iubendi hoc quidem die, vt apparet. C. Quid gero tam maculoſum præcinctium? mundius & ornatius ſumam, tanquam ſi dies feſtus agatur. L. Ille hinc abiit, ſolus ſum in coquina, dicam mihimet, quod animo collibitum eſt meo. Miſeriæ plenum eſt cocorum vitæ genus, quibus propter carnium, fructuum, piſciumque reiectamenta & ſordes, propter fuliginem, & adipem nunquam licet eſſe mundis. Fœdius etiam olent quàm hirci. Continenter aſtare ad ignem, eumque contemplari coguntur: ſudare proinde plurimùm, quantum nec balneatores in balneis, & oculorum aciem flammis perpetuò inſpectandis, & aſſultu ſcintillarum corrumpere. Quid quod etiam cineris multum glutiunt, & fauillis aduruntur? quantus deinde in vultibus eorum pallor? cùm veſtes nouas & pulchras induerunt, abſterſionibus, aſperſionibus, tactionibus eas paucis diebus inquinant. Ad dominorum nutum oportet eſſe paratiſſimos, quibus ſatisfacere difficilimum eſt. Hoc parum, illud nimium ſalitum eſt. Iſtuc vix, illud plus iuſto eſt conditum. In alio nimium ineſt piperis, in alio nihil zingiberis. Hic cibus eſt immodicè calidus, ille frigidus. Huic butyrum deeſt, huic nimium eſt. Iſtud malè elixum, iſtud malè aſſum. Aliud peruſtum, aliud nimis aridum, aliud immoderatè iurulentum. Quod ſi vel optimè coxerint, tamen ingens eorum, horarúmq; multarum labor momento deuoratus perit. Nec profectò vitare omnem culpam, & ſemper poſſunt: vitiant interdum cibos. Vnum audiui, qui affirmaret ſe annis ſex factitaſſe coquinariam, nec tamen ferculum vllum vnquam corrupiſſe. Admirantibus & cauſſam quærentibus ſic reſpondit. Tribus annis coxi ſuibus, tribus deinceps canibus: nec de me vel ſemel conqueſti ſunt comedones mei, quaſi perperam coxerim. C. quid tute fabulare tecum? L. laudabam artem cocorum. C. prehende ſcopas, euerre culinam, dum verubus carnes, & auiculas iſtas veruculis figo. Tenes hoc? L. teneo. C. Prius titiones & carbones viuos ita diſpone, vt apponere aſſatorium commodè liceat. Hic lebes non capit omnem materiam, affer grandiorem. Affer etiam illam quam oſtendo ollulam. L. Iſtáne eſt? C. ipſa eſt. Perge verrere vt occœperas. Deinde elues lances iſtas eſcarias. Poſtea accepta radula friabis hunc panem ſimilaceum. L. quia recentior, non eſt friabilis. C. En duriorem. L. quid amplius? C. multa quæ ſigillatim imperabo, vbi hæc abſolueris. Non te ſinam hodie operis expertem eſſe vel ad punctum temporis. Ac niſi te inſuper aliquoties tetigero, tu te Gyges annulum reperiſſe prædica.

ANNOTATIONES.

SI QVIDEM GERYON ESSES) *Geryon ſiue Geryones Chryſaoris & Calirrhoes filius, Hiſpaniæ rex triplex corpus ac proinde etiam ſex manus habuiſſe ideo fingitur, quoniam tres fratres fuerunt, viribus corporis admo-*

 dum

dum praſtantes & mirè concordes. A poetis ter amplus, trigeminus, tricorpor, triceps nominatur. Eius boues, qui vorabant hoſpites, ipſo interfecto abegit Hercules. VVLCANVM CONSTRVE) *Ignem excita, figura vel pueris nota, vt Minerua pro lanificio, Diana pro venatione. Plaut. Amphit. Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris? Alloquitur Mercurius Soſiam ferentem laternam, & in ea lumen. In Aulul. Quamquam Vulcano ſtudes, eadem figura.* SOLENT DEVORARE PISCES) *Non lucii modò minores piſces comedunt, ſed alij quoq; grandiores minutos deuorant. Ac proinde prouerbii ſpeciem habebit, cùm nimirum potentiores atq; opulentiores ſpoliant tenuiores. Vide Victor. lib. 6. c. 8.* PONTIFICVM COENA) *Sollemnes & ſacra cœnæ exquiſitiſſimis epulis inſtruebantur: vnde cœnas magnificentiſſ. & lautiſſimas appellabant pontificales. Horat. Ode. 14. lib. 2.*

Abſumet hæres cæcuba dignior
Seruata centum clauibus: & mero
Tinguet pauimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

CYGIS ANNVLVM REPERISSE) *In homines fortunatos, quibus ad arbitrium voluntatis fluunt omnia, qui, quæ bona concupiſcunt, facilè conſequuntur. Per annulum Gyges Rex Lydiæ euaſit. Cic. 3. Offic. Qui ergo vult diteſcere gratus & amabilis fieri aliis, adipiſci repentè doctrinam, & ſimilia, plures Gygis annulos optare ſibi dicetur, aut habere, ſi illa quæ dicta ſunt habuerit.*

PROGYMNASMA
ALTERVM ET QVADRAGESIMVM.
Quæſita.
ÆTHALIVS, CAPNÆVS.

ÆTHALIVS. Aue Capnæe. C. Aue Æthali. Æ. quid agitur? C. Viuitur & coquitur. Æ. ſunt quæ abs te vtenda poſcam. C. poſce, dabuntur mutua. Æ. prænoſſe velim quanto ſteterit hæc authepſa. C. Quid tu id quæris? Æ. quia ſimilem emere conſtitui. C. caſuiſti in hucuſq; ? Æ. qua ſum vſus, iam conſumpta: ſiquidem haud quidquã eſt, quod non ad interitum ſuum aliquando ab omnium rerum confectrice vetuſtate redigatur. C. florenis tribus. Æ. pretium pretioſum. C. me nihilominus emptionis huius haud pœnitet: vt nec iſtius climacteris. Aſpice, vt egregius eſt? Æ. omnia huius officinæ tuæ inſtrumenta, & vtenſilia coquinaria præ meis placent. Oh, accurre ad cacabum, aufer operculum, en vt ſupra labrum aſſurgat ebullitio? C. coercui malum. Æ. hi piſces, quot ſæculis pependerunt in fumario? aut quando erunt ſatis infumati? C. tot me curæ aſſiduò deſtinent, vt eorum non ſubeat recordatio. Heus puer, amoue piſces, eorumq; loco ſuillam à me heſterno die ſalitam cum larido ſuſpende. Æ. Iſtius generis craticulam, & verulum ele-

elegantiuſculum vbinam inuenerim? C. Ducam te vbi venduntur, ſi vis. Æ. de prandio ob eam cauſſam reuertar. Sanè cupio augere & inſtaurare ſupellectilem meam. Emam non ſine tuo iudicio creagras, radulas, cultros inciſorios, createuterium, ſartagines, vaſa quædam incoctilia. C. & muſcipulam vtique, ſi fortè habes non bonam & probam. Æ optimam verò habeo. Tamen quia furum numerus augeſcit, plures ad eos intercipiendos, morteque multandos mihi comparandæ ſunt. C. de iſta natione heri quendam in olla pedata deprehendi: ſtatim à me feli obiectus, pœnas luit cum ſanguine. Æ. quid coquis in prandium? C. caules, veruecinam, dimidiatum cuniculum, & ſcriblitam. Hoc dominorum erit prandium. Æ. frugale ſine dubio. C. in cœnam habeo paratam ferinam, paratam ſaginatam, anaticulam, paratas coturnices, & alias quaſdam gulæ ventrisq; delicias, quæ partim elixabuntur, partim aſſabuntur, partim torrebuntur ſuper cratem ferream. Æ. quid familiares? quid prandebunt? quid illis coquitur? C. ius caſeatum, bubula (hoc enim eorum ventribus magnum ſtabilimentum eſt) pultes, & fabæ. Apud vos ſitné ſumptus in cibum maior? Æ. ha, ne tantus quidem: ampliſſimam po[...]-denti pecuniam, auariſſimo ſeruio domino, qui viuit incultè atque hor-ridè, ac de ſeipſo quotidie meretur malè: tantum abeſt, vt ornet magnificè, ſplendideque conuiuium. Quod ſi faceret, daretur facultas experiundi quantum profeciſſem. Experirer autem, ſi decem, quindecim, triginta fercula coquerem. C. hui triginta? tam doctus es? neſciebam. Æ. atqui ex præſtantia magiſtri debebas æſtimare diſcipulum. C. nunc in memoriam redeo: cocus epulonis illius apud D. Lucam fuit magiſter tuus. Æ. homo ſalſus es. C. quia in dies ſalem tracto, nihil nouum. Æ. non ſic abibit, verberabo te viciſſim pro re nata aliquo conuitio. C. tam leui negotio commoueris? ſed tu ab initio neſcio quid mutuum dicebas à me petiturum: num exceſſit è memoria? Æ. artoptam illam, cum minuto incerniculo commodes quæſo. C. accipito, & quam primùm poteris reſtituito. Æ. reſtituetur. Interea bene ſit tibi. C. Ne tibi malè.

ANNOTATIONES.

HÆC AVTHEPSA) *Vas culinarium, in cuius fundo inferiore (duos enim fortaſſe habuit) ſemel poſitis carbonibus candentibus, ibiq; poſt ſufflationem vnà cum ſpiritu incluſis, materia coquebatur. Cicer pro Roſc. Am. Domus referta vaſis Corinthiis & Deliacis, in quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt, vt qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Aula extaris in Rud eſt olla, in qua coquuntur exta.* VERBERABO TE CONVITIO, &c. *Q. Cicero epiſtola vigeſima ſexta libri decimi ſexti. Verberaui te cogitationis tacito duntaxat conuitio. Cic. ſimiliter in Piſonem. Os tuum ferreum ſenatus conuitio verberari noluiſti. Sic translate ponitur verberatio. Q. Cicero ad Tironem epiſtola vigeſima ſeptima libri decimi ſexti. Mirificam mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti.* ARTOPTAM) *Plaut. Aulul. Ego hinc artoptam ex pro-*

proximo vtendam peto. Vas erat in quo panis torrebatur. Tria enim erant panis genera ex coquendi ratione: furnaceus qui in furno coquebatur: clibanites vel teſtuaceus, qui in teſta aut clibano: artoptitius qui in artopta aſſabatur, ſeu torrebatur, toſtus panis. Plinius autem libro decimo octauo, capite vndecimo, artoptam intellexiſſe videtur mulierem panificam, in Plauti Aulul. Lege Turneb. libro decimo quarto, capite quinto. Vaſa culinaria non pauca enumerat Bayſius libro de vaſculis, & de cacabo verſiculos Athenæi producit.

PROGYMNASMA
TERTIVM ET QVADRAGESIMVM.

Coculus ebrius.

XYLOCAVSTES, PLACENTIVS.

XYLOCAVSTES. Veſtram fidem, ô diui. Cur tu me immerito meo verberas? P. Immo meritiſſimo tuo. X. vnde ergo ſum meritus? P. Vnde? cùm ſobrius exieris, probe appotus redis. Vbi te vino deuinxiſti ſcelus? potin'es mihi verum dicere? X. nuſquam potaui, quod ſciam. P. inſuper tam apertè mentiris? Non ego id ſignis manifeſtis cognoſcó? X. quibus tandem? P. pedes vacillant, facies nitet, loqueris aliena, halitus vinolentus, crebri ructus. E. vbinam potui bibiſſe? P. vbi vinum de cuppa venditur, in œnopolio. X. atqui reuertor citius quàm putâras. Quomodo ergo in cauponula deliteſcerem? P. Tu citò reuerteris? quatuor horæ propemodum lapſæ ſunt, ex quo reditionem expectaui tuam. X. nimis properat horologium profectò. P. mittétne? X. neſcio. P. an ipſe veniet? X. tantundem. P. fuit ne domi? X. ne id quidem. P. vt me ſceleſtus iſte pro ridiculo ac delectamento ſibi putauit? quid nunc incipies? quid tibi mandem? Si iubeam adhærere foco, fouere ignem, prouidere ne flammulæ aſſum lambant & perurant: ne, quod in ollis eſt, nimium coquatur: ne quid ad interiorem ſuperficiem adhæreſcat: ne fumus ſe inſinuet: ne carbunculi inſiliant: hæc, inquam, ſi tibi agenda præcipiam, non plus agam, quam ſi aſello dem flabellum, ac heræ noſtræ minori ventulum facere, aut muſcas abigere iubeam. Fortaſſis etiam obdormiſces planè. Iam enim oculi ſomnum minitantur, & canis dicet ius crudis carnibus, quæ illic iacent ſuper menſam longam. X. impera aliquid. P. hoc impero, vt quàm citiſſimè è conſpectu meo te amoliaris, niſi rurſus aut pugnis pecti, aut hoc ſcipione mulceri cupis. X. alium mulce in locum meum. P. Prô quam bilioſus & furens homo es? P. Etiámne inclementer in me dicis? ô gurges. X. parce, parce. P. pulſabo igitur largius. X. au, au. Non hoc peto: vt parcas rogo. P. Quare tu mihi non pepercíſti? cur tibi non parſiſti, tuiſque nummulis, quos in helluatio-

potione intemperantiſſimè profudiſti? X. quis poteſt ſemper eſſe aridus & ſiccus? An tu me pumicē arbitrare? P. aquam bibe: præſtat enim aqua madere quàm vino. X. per hebdomadem puteis ſoleo interbibere animam: feſtis diebus nonne æquum eſt me guſtare vini aliquantulum? P. Si modò inebriari eſt guſtare. In malam peſtem cum huiuſcemodi guſtatibus. X. ſed tu diem ſacrum profanas. P. quo pacto? X. quia me importunè verberas. P. Carnifex argutari incipit. Poſtquā edormiueris crapulam diſputa: nunc abi portentum, lecto te actutum commenda: cras te in neruum raptari iubebo. X. volo dare operam tibi. P. hodie non egeo tua opem, apage. X. certè illic ſunt rapa, ſunt cæpæ, ſunt poma: ſine me in illis laborare, & corticibus, ac putaminibus exuere. P. aut diſcede, aut ollam iſtam in caput tuum illidam. X. aſper & durus es. P. ſic decet blandiri catellis iſtis. X. quid ſi te machæridio meo ad orcum mitterem? P. Tu niſi te in fugam penetras, cùm machæridio tuo ad terram afflictus iacebis, plagis irrigatus & coopertus. X. malè viue, & bene vale magiſter Placenti, eo cubitum. P. En vt greſſu titubat? vt offendit in oſtium frutex? paulò pòſt fruſtis eſculentis mero commiſtis totum cubiculum vomens implebit. Vt tetrum ſpectaculum eſt homo ebrius, quodque, ſi nihil aliud, vnumquemque honeſtum ab hoc flagitio dehortari iure poſſit. Cœnabitur ſerius hoc die: quia bonus iſte adminiſter meus pro eo vt me adiuuaret in opere, ſeſe curauit molliter, & mandata mea ſuo ventri poſthabuit.

ANNOTATIONES.

COCVLVS EBRIVS) *Ebrietas aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum, incitat libidinem, omnia membra debilitat, vitamque exterminat. Hæc D. Auguſtinus. Lucretius lib. 3. eius effecta perſequitur in hunc modum.*

Denique cur hominem cùm vini vis penetrauit
Acris & in venas diſceſſit deditus ardor,
Conſequitur grauitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt?

Lege deteſtationem ebrietatis apud Senecam *epiſtola* LXXXIV. *Lege etiam Plinium de vitanda ebrietate cap* 22. *lib.* 14. TE VINO DEVINXISTI) *Plaut.* P*ſeud. Sed ſcio, tu oleum haud magni pendis, vino te deuincis.* Sic Pro*pert. Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo: quamuis contra rationem etymi eius nominis* ἀπὸ τοῦ λύειν *deducti. Vnde & Latinis luere eſt ſoluere, item reluere, reſoluere. Vide Feſtum.* MITTET ME) *Fingere oportet coculum à magiſtro miſſum quopiam petitum aliquid, aut accerſitum quempiam: quæ mandata ille effecta non dederit.* ASELLO DEM FLABELLVM) *In Eunucho, cùm dixiſſet Chærea* P*ſeudeunuchus, iuſſum ſe capere flabellum, & ventulum facere virgini, reſpondet Antipho.*

Digitized by Google

Tum equidem iſtuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Status quis eſſet, flabellum tenere te aſinum tantum.

PARCE PARCE) *Diſcipulus tanquam verbum imperandi modo pronuntiat: magiſter vt aduerbium ſe accipere fingit: quaſi ille dicat, ſe non ſatis largè vapulare, & velle magis ac liberalius contundi.* PVTEIS SOLEO INTERBIBERE ANIMAM) *Plaut. Amphit.*

ſi ſitulam cepero,
Nunquam edepol tu mihi diuini quidquam creduis poſt hunc diem,
Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.

Id eſt aquam omnem exhauſero. Nam aqua puteo inſtar animæ eſt. Dicuntur enim viui lacus, viui fontes, viua flumina: viuunt autem animantes beneficio & opera animæ: idcirco aqua putei à Plauto verecunda translatione, anima putei dicta eſt. Soſia igitur his verbis velut mortem puteo minatur. Plura Lamb. QVODQVE SI NIHIL ALIVD) *Lacedæmonii quidem introductis ſeruis ebriis, ſpectaculo, vt ipſis videbatur, tam fœdo abſterrebant ab ebrietate filios ſuos.*

PROGYMNASMA
QVARTVM ET QVADRAGESIMVM.

Syluula culinæ vocum.

MISTYLLVS, TARATALLA, MAGIRISCVS.

MISTYLLVS. Vter veſtrum huius præclaræ friaturæ eſt auctor? T. Magiriſcus. MA. falſum dicit, ipſemet friauit hunc caſeum. Siccine hoc te mihi facere? MI. quaſi piſtillo in pila ſeu mortariolo contuſus eſſet, ita farinæ, (ſi credimus) quàm ſimillimus eſt. Hominibúſne, an equis putabatis inſtruendum prandium? tibi dico Magiriſce, de integro tyrocneſtin cape, friatum facito vt ſit aliud, ſume caſeolos è penu duos. Si fuerit tam molitum vt hoc, iſto bacillo latera contundam tua, aut iſtoc te ſtimulo fodiam & confodiam. MA. profectò Taratalla friauit: qui inſuper aquarium tam pulchrè colluit, & nudiuſtertius fuſcinulam iſtanc confregit. MI. audin' tuas laudes? T. ſi pergit dicere quæ vult, neceſſe erit audire viciſſim quæ minimè vult. MI. Eſto modus irarum, & cauillorum: amborum dorſa, vbi otium fuerit, bobus mortuis percurram. Da rudiculam. T. ecce. MI. tudiculam volo porrigas, non rudiculam. T. at ego ſic intellexeram. MI. extingue aqua ſuperfuſa hunc torrem fumiſicũ a me reiectũ, & prunas coaceruа. MA. ſetaceũ cribrũ cum pultario, item labrum, & minuta peluis quæ foras commodaſti heri vicinis, nondum

dum ſunt relata. MI. commodaui in hoc triduum: cras nobis reddentur, ne angaris fruſtra. MA. ſi frixoria hæc duo reficienda curares, faceres bene. MI. hodie ad fabrum bractearium portato: dic vt reficiat quamprimum: ipſe referat, & mercedē petat. MA. portabo. Nunquid etiam aliud præterea? MI. aliud? nihil, omnia ſunt integra. Cochlearia ferrea & lignea volo ſint nitidiora: aluei ſuo loco pendeant è paxillis: tripodes & chytropi hîc malè collocantur: alium locum commodiorem quærite. T. curabitur. Cùm in forum abieris, eme aliud igniarium: hoc iam, vt ipſe vides, nimis antiquum eſt, & exeſum rubigine. Aliam quoque forcipem paulò minorem, & teſtum alium. MI. videbitur. Teſtulas ocyus ex illo angulo cum ſordibus in ſterquilinium exportato. MA. fac Taratalla. T. fac tu. MA. tibi dicit. T. immo tibi dicit. MI. Magiriſce, tibi imperabam. T. iſte adoleſcēs eſt piger. MA. noſce teipſum. MI. abſis ab igne, ne ſcintillæ exilientes te lædant. Nodoſa ſunt ligna huius quem attuliſti faſciculi, crepitant horrendum: furnum aut clibanum melius illud calefaceremus. Affer panniculum, lubet extergere hanc ſitulam. Phuy quàm ſordidatus. Da lauandum: & tu craſtino die lauabis vrceos & hydrias. Quin adiunge tibi ſocium Taratallam, paratoque lixiuio laua quadras ſtanneas. Automatum veru etiam curate vt careat rubigine. Ligna inſuper cædite: aranearum telas de foribus deiicite. T. ſit ille labor Magiriſci, & Cylindri vbi redierit: redibit enim ante noctem. MI. Tu otioſus interim ſaltabis fortaſſe. T. lauabo colum, parabo ſuſcitabulum, reficiam furcillas & qualos. Nunquid non ſatis hoc laborum erit? MI. ſatis erit.

ANNOTATIONES.

MISTYLLVS, TARATALLA) *Ex verſus cuiuſdam Homeri initio 1. Iliad.* μίςυλλόν τ' ἄρα τἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν, *minutas in partes conciderunt alia (de bobus ſacrificatis ſermo eſt) & verubus confixerūt, fecit Æmilianus coco ſuo nomen Miſtyllus. Martialis ait pari licentia ſe poſſe cocum ſuum Taratallā vocare: capta ſcilicet occaſione vocabuli ex quatuor ſequentibus particulis, è quibus enclitica* τε *per apoſtrophum bis ſumenda eſt, vt* Taratalla *componatur. Epigramma eſt lib. 1.*

Si tibi Miſtyllus cocus Æmiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

BOBVS MORTVIS) *Id eſt loris bubulis, flagellis de corio bubulo factis. Plaut. Aſin.*

Apud fuſtitudinas, ferricrepinas inſulas,
Vbi viuos homines mortui incurſant boues.

LIGNA INSVPER CÆDITE) *Ligna minuta quibus facilè decoquuntur obſonia, dicuntur cocula: ſic etiam vaſa area coctionibus apta. Feſtus.*

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA QVINTVM ET QVADRAGESIMVM.

Eſculenta ſeu res cibaria.

ASPASIVS, CRESCONIVS, FIRMINVS diſcipuli, MAGISTER.

ASPASIVS. Quia nos tres ardentior quædam inceſſit in lingua latina proficiendi cupiditas, meo iſtorumque nomine à tua humanitate maiorem in modum peto, vt voces ad rem eſcariam facientes, cum explicatiunculis neceſſariis, tuo planè arbitratu iudicioque nobis exponas. Sæpenumero quippe in iſtis, vt in aliis quoque rebus propriè ac latine appellandis hæremus, & ob ignorantiam ad impropria, barbara, communia confugere cogimur. M. Habet ſalem hæc veſtra petitio. Etſi enim nomenclatores non deſint, nec vos ipſi eiuſmodi libris careatis (nam vt emerent, iam pridem diſcipulis omnibus auctor fui) tamen illa perpetuata infinitorum vocabulorum enumeratio, tantaque linguarum varietas, quæ ibi admiſcetur, Angliæ, Flandricæ, Hiſpanicæ, Italicæ, Germanicæ, nec adeo accuratè compoſita & digeſta in ordinem illa ſeries, ieiunum quiddam & ſterile, atque ad intelligentiam quandoque haud facile, ad memoriam autem perdifficile videtur. C. Atqui hæ ipſę ſunt cauſæ iuſtiſſimæ, vti remur, quamobrem ad te veniamus. Ex ore tuo quæ promanant, neſcio quomodo ad alenda ingenia noſtra plus ſucci, plus vbertatis & efficientiæ continent. F. Dum tu ea, quo voles ordine, recenſebis, nos quæ minus plana & obuia fuerint, de iis te interrogabimus, dicemusque & tu, & nos aliquid præterea, quod à literis non ſit alienum. Hoc, cum libellos illos ſoli legimus, non conceditur. M. Ergo primo loco eas voces conſtituamus, quibus res cibaria confusè generatimque circumſcribitur ac declaratur: tum de pane diſſeramus: poſt hæc de carnibus, piſcibus, ouis, ſale & aliis ad eſum aptis: tandem de prandio & cœna. His omnibus paruum quoddam auctarium corollariúmue annectamus. Hos mihi cancellos ipſe circumdo, extra quos ne egrediar, caueb o. A. Commodiſſimo ordine hæc tibi digeſta ac diſtributa ſunt. M. Penus, penu, & penus penoris, quidquid ad victum, cibum inquam, potumque idoneum eſt. Hinc cella penaria ſeu promptuaria, ſiue promptuarium, vbi videlicet conduntur, & vnde promuntur cibi. Cibaria, edulia, alimentum, alimonia, eſca, epulæ, dapes quid aliud valent quàm cibum? nolo enim nunc ſubtilius iſta diſtinguere; ſed agam pingui Minerua: & ſcimus vſum multa confundere, vnumque pro altero tum in his, tum in aliis innumerabilibus apud probatos auctores adhiberi. Ancipitem cibum, cùm ali-

Digitized by Google

quando apud Plinium legetis, eum intelligite, qui huic ſalubris, illi noxius atque inimicus eſt. C. Non arbitror tales eſſe auiculas pingues, quas heri bene aſſas in cœna comedebamus: ſunt ſalubres, etiam ægrotis. F. Credo profectò. & te ſuperiori menſe idcirco morbum puto ſimulaſſe, vt auiculas tibi coqueremus. M. Iſti adoleſcentes habent gulas plus æquo intelligentes & eruditas. Et poſſunt hæ, auiculæ, inquam, numerari in cupediis, quæ ſunt ciborum deliciæ, gularumque irritamenta. Eadem à ſcito ſapore ſcitamenta dicuntur. Cupediarius, qui delicatiora huiuſmodi eſculenta apparat. A. Quid propriè obſonium vocas? M. Quidquid eſt cibi, præter panem. Vnde obſonator qui cibos coëmit: barbari emptorem nomine nimis generali. Sagina cibus quo pingueſcimus & ſaginamur. Commeatus alimonia publica, vox hiſtoricis admodum vſitata cum de exercitibus bellisque loquuntur. De annona dicam, quæ vox etiam ad victum publicum annuumque refertur. Alia eſt militaris, eadem pæne notione, qua commeatus: alia ſalaria: quid enim tam neceſſarium, quàm ſal? & ſatis aptè ad illud tritum: nec aqua nec igni pluribus locis vtimur, addi potuit: nec ſale. *Quin & pecudes*, ait Plinius, *armentaq; & iumenta ſale maximè ſollicitantur ad paſtum, multo largiore lacte multoq; gratiore etiam in caſeo dote. Ergo hercle vita humanior ſine ſale nequit degere: adeoque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita ſales appellantur: omnisq; vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam militiæque interponitur ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet nomine Salariæ via, quoniam illa Sal in Sabinos portari conſueuerat.* Reliqua breuitati ſtudens prætereo. A. Noui, qui laudationem ſalis conſcripſerit. M. Iuſtius, & fortaſſe etiam copioſius, quàm ille, qui luti encomium contexuit, quæ oratio extat. C. Cum ingens eſt fructuum frumentique prouentus, quo pacto loquemur? M. dicemus laxitatem, vilitatem, vbertatem annonæ magnam eſſe. A. ſi inopia fuerit? M. magnam, ingentem caritatem, difficultatem, grauitatem. F. Quinam dicuntur frumentum comprimere? M. Qui id vendere nolunt, exſpectantes cupidiſſimè, dum magis magisque augeatur pretium, vt ita quęſtum faciant immenſum. Et mortales iſti plerumque annonæ incendia excitant, iſti annonam flagellant, vexant, incendunt, quam leuare & laxare poſſent, ſi apertis horreis paruo venderent. F. O pietas, ô priſca fides. M. Confero me ad alia. C. Euge. M. Epulum vocauerim, quod Germani ein Panckett/ item ein koſtfrey Mal. Epulũ autem funebre, parentale, quod datur, cùm anniuerſaria iuſta ſoluuntur. A. Quid hic mos ſibi vult, & vnde natus? M. puto equidem conſuetudinem hanc ab antiquis ductam eſſe temporibus, vt rerum Romanarum periti facilè mihi aſſentientur. Ratio præterea hæc occurrit: quod ſperant Chriſtiani, mortuorum animas piacularibus illis ſacris iam tandem liberatas, cæleſtium auxiſſe numerum: quocirca ad teſtificationem lætitiæ epulis indulgent. Scribunt quidam, ideo eiuſmodi conuiuia exequiarum diebus inſtituta, vt mutuo amicorum colloquio, & benigno affatu mœrenti familiæ aliquid ſolatii afferatur, &
adhuc

adhuc recens dolor mitigetur, ac liberaliore vini hauſtu triſtitiæ nebulæ diſcutiantur. A. Fateor mihi reſponſum iſtuc probari. C. Exiſtimo adhuc quædam ſupereſſe communia. M. Rectè exiſtimas. Conuiuium, quam vocem eruditus quidam non ſimpliciter à viuere, ſed ab illo poëtarum viuere, quod eſt genialem & voluptariam vitam ducere, factam credit. Sic igitur poëta Lucillius. Viuite lucrones, comedones, viuite ventres. Cæcilius Hymnide. Sex menſes mihi ſatis ſunt vitæ, ſeptimum orco ſpondeo. Martialis. Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie. Et alius.

Pone merum & talos, pereant qui craſtina curant.
Mors aurem vellens, viuite, ait, venio.

Catullus etiam: Viuamus atque amemus. Reprehendit autem Ciceronem, is, de quo dixi, vir doctus, qui hoc nō viderit in libello de Senectute, ac proinde Græcos falsò accusârit, quaſi melius Latini quàm illi, qui σύνδειπνον, & συμπόσιον, id eſt, concœnationē & compotationem vocauerunt. F. Quid verò tu ſtatuis? M. ego periculoſæ plenum aleę puto aduerſus M. Tullium ferre ſententiam, alii viderint. A. Non ignoramus Græcam nationem ventri deditam, Romanos autem longè temperantiores fuiſſe. M. Symbola ſymbolæ (non ſymbolum genere neutro, nam aliud plane notat, vt idem in libello de abuſu linguæ Græcæ demonſtrat) eſt pecuniaria collatio in cœnæ ſeu conuiuii apparatū & conuiuiis, latinè collecta: quod ſcilicet à conuiuatore colligatur: quomodo etiam epulæ appellantur, & alia quæ communiter ad cœnam conferuntur. Conferentes autem, ſiue illo priore, ſiue iſto modo, dare ſymbolam, non ſymbolum dicuntur. Itaque in Andria Terentiana legendū eſt de Pamphilo, ſymbolam dedit, cœnauit: non ſymbolum. C. Auges nos doctrina multum, nec pœnitet Aſpaſium, te ad iſtam vocum enumerationem explicationemq; induxiſſe. M. Nec me laboris pœnitet, ſi vobis proſum. Quid ſecundo loco propoſueram? A. De pane. M. Panis inter alimenta primas tenet, & quo pacto ille coquatur, tum ad vitam, tum ad valetudinem haud modicum pertinet. Eſt autem quidam è flore farinæ confectus, ſeu polline, qui primarius dici poteſt. Alius eſt ſimilagineus ſiue ſimilaceus, quem Semlein vocatis, eumque libenter eſitatis. Sum verus? F. maximè. M. alius cibarius & ſecundarius, ſiue ſecundus, qui farina non ita purgata & delicata conſtat, Haußbrot. Eſt item furfureus, & furfuratus, qui equis & porcis coquitur. Sunt adhuc hordeacei, & auenacei panes, qui tempore famis locum habent: atque hi ferè ſunt atri. Eſt etiam qui dicitur ſpongioſus à ſimilitudine, & nauticus, ſeu bis coctus, alii buccellatum & clibanitem dixerunt. Eſt dulciarius panis, eſt ſaccharites & butyratus, gratiſſima res pueris: eſt denique fermentatus, eſt azymus (de quo in ſacris literis multa) & mucidus. C. Hæc omnia clara ſunt. Quid eſt medulla panis? Ligni & oſſium medulla quid ſit, non me latet, in pane nullam video. M. Totum id, Creſconi, quod eſt inter cortices, medulla eſt. F. puſtulæ illæ, quæ in ſuperficie ſeu cruſta panis exoriuntur, qui vocantur? M hectæ, vel hettæ. In pane item cruſta dicitur: cruſtum eſt aliud. Cruſtula dicetis Küchlin.

Digitized by Google

ſin. Menſas in 6. Æneid. Virgilius dixit panis quadras, quę eduliis ſupponuntur, menſas paniceas. Placentæ, ſcriblitæ, ſpiræ, artocreæ, liba vobis cognita reor. A. vtcunque. M. De carnibus ſequitur. C. etiam. M. Caro alia eſt aprugna ab apris, alia bubula, ouilla, veruecina, vitulina, ferina, porcina, ſiue ſuilla, gallinacea. Alia conditanea quæ reconditur ad tempus, ſiue ſalita, ſiue muriatica. A. Quid eſt muria? M. Illa ſalſugo, ſeu liquamē ſalſum, quod carnes piſceſque conſeruat ne putreſcant. Alia fumo durata, alia iurulenta ſeu iuſſulenta, aſſa, elixa, toſta. C. Quî vocarentur carnes animantum non iugulatarum, ſed per ſe mortuarum? M. Morticinæ, ſeu morticina. C. quidnam eſt pulpa & pulpamentum? M. fruſtum ſeu portio carnis ſine vllis oſſibus. F. Antequam te ad piſces dimittamus, de farciminibus, lardo, porco dic aliquid. M. Videris delectari illis rebus. F. & valde quidem. M. Farcimen genus eſt, ſpecies lucanica, ein Bratwurſt/ tomaculum Leberwurſt/ apexabo Blutwurſt. Sumen eſt venter ſuillus cum ipſis vberibus, Romanorum quondam ſummæ deliciæ: præſertim ſi ex primipara ſue exciſum eſſet, vnoque die poſt fœtum editum. Plaut. Capt. Quanta ſumini abſumendo veniet, quanta labes larido? Rancidium lardum, fœdum ac putridum. Succidia tergum porci, quod aut in muria aſſeruatur, aut conditum ſale in carnario ad vſum neceſſarium ſuſpenditur: vti pernæ quoque, armi veruecini, piſces, & alia eſculenta. Iam hortum ipſi agricolæ, ait in Cat. Tullius, ſuccidiam alteram appellant. Porcellus Troianus eſt, qui aſſandus, auiculis & aliis rebus delicatis impletur: quemadmodum ille inſtar montis equus apud Troiam armato milite completus fuit. C. Huius equuli milites Thebas, aut Corinthum, aut Troiam nunquam capient, nec portarum vigiles, vt illi, occident. M. Tu vel mille huiuſmodi milites non timeres. C. nec decem millia, propter edendi exercitum quem mecum duco noctes atque dies. M. Tranſeamus ad piſces, atque piſciculos. Horum alius eſt fluuialis ſeu fluuiatilis, alius lacuſtris, alius marinus. De marinis pauca, quia ignoti nobis, qui tam longè à mari abſumus. Salſamenta ſunt piſces muria ſiue ſale conditi ac durati. Salſamenta macerare, eſt dulci aqua tollere eorum ſalſuginem. Sunt quidam teſtacei, alii cartilaginei, quæ cartilagines ipſis loco oſſiculorum inſunt: alii molles, alii turbinati, alii ceracei, grandes videlicet. Iam piſcium quoque ſunt branchiæ, ſecundum ceruicem follium more hiantes partes. Pinnæ, quibus in natando tanquam remis in vtroque latere vtuntur. Hinc pinnula. Spina os illud magnum, & per medium piſcis tergum extenſum. Oſſicula etiam ſpinas nominare ſolemus. Oua der Rogen. Habent nonnulli quædam velut capillamenta, quæ cirri dicuntur, flagella, acetabula, barbæ. Cancrorum brachia chelæ, è denticulatis forficulis, quas Græci χηλάς. Nunc aliquot genera piſcium vulgatiora recenſebo. Anguilla decumana, id eſt magna: nam decumanum à decimo fluctu, qui ſolet eſſe maximus, veteres magnum dixerunt. Cancer, fiber, halec, ſiue halex: quod genus infumatur & ſalitur, vt duret. Lucius, ſeu lupus, credo, quia paruos piſces deuorat. Carpio, mul-

Digitized by Google

pio, mullus, trutta, murænula, pectunculi, perca, rana. F. heu, exhorreſco! M. quare? non conſueuiſti ranas edere? F. etiamſi fame moriendum, non comederem. Phuy, nec aſpicere, nec nomen audire poſſum, quin vomituriam. Monſtrum fœdiſſimum. M. atqui caruncula ſapidiſſima, & deliciolæ meræ: nunquam aliâs ſatrapæ eo ſe cibo oblectarent. F. Non mî iſthæc poſco, nec mî ranas dederitis. Quo non progredietur adhuc hominum luxuria, ſi ranæ iam ſunt deliciæ? mihi dederitis bene coctum & butyratum Stockfiſch aſellum marinum audio vocari, vobis ſeruate virides, & cantantes iſtos piſciculos, M. Vt vis. Creſconius & Aſpaſius nõ abhorrent. C. qui ſecus exiſtimat, experiatur, ſteriles patinas exportabit foras, quas grauidas intrò attulerit. M. Dicam de ouis, quæ mallet quam ranas Firminus. F. centies. M. Quorum aliud eſt recens, aliud putidum, aliud tremulum, molle, ſorbile, ſind geſotten: aliud durum, aliud frixum. Reſtant pauca ad rem eſcariam pertinentia. Puls, pulmentum, pulmentarius cibus, piperatum, ſeu atrum ius, liquamen, oxyporum, ius, iuſculũ, ius coactum Sultz. A. quid oxyporum? M. aceratum condimentum, ſeu ius. Minutal, edulium conciſis minutatim carnibus conſtans. Offa, offula, offella, fruſta eſculenta, in quæ potiſſimùm caro conciditur. Alliatum, ein Brühlin von Knobloch. Moretum farti genus è lacte, caſeo & herbis. Intrita, intritum cibus in mortario contuſus & ſubactus, oder geribne Speiß. Viſceratio crudæ carnis diſtributio. Segmentum, Abſchnitzel/mica. C. De ſale prius quippiã, quàm de prandio & cœna. M. Hoc tantum. Salis florem intelligi candidum, ſeu primæ notæ ſalem, ac puriſſimum. Mica ſalis & grumus pro eodem vſurpari. Prandium antecedit ientaculum. Vos ientare iam deſiiſtis. A. pridem. M. Quæ ante alia bibebant, vt mane, aut ante prandium, aut eius initio, vt conditum, abſinthiatum, roſatum, violatum, dicebantur propimata. Apparet etiam promulſidem fuiſſe cibũ, qui initio aut prandii, aut cœnæ ſumeretur, loco mulſi, quod fuiſſe olim cœnæ aut prandii principium colligitur ex Horatii ſat. 4, lib. 1. Et animaduertit Turneb. lib. 28. cap. 23. Prandium ſtatarium explicãt, quod raptim ſumitur, & quaſi à ſtantibus, & aliò properantibus, auff der Poſt eſſen. Abſtemium, ſeu, vt Plautus, caninum, in quo vini nihil adhibetur: paſſerinum, exiguum, vbi paruis bolis res agitur, & venter non ſatis placatur. Merenda cibus poſt meridiem das Abentbrot. C. cùm de cœna dixeris, totum perſolueris. M. Cœna ambulans, cùm appoſitæ epulæ ad proximè accumbentem ordine tranſmittuntur. Terreſtris & cynica, in qua nihil præter legumina, & oluſcula ex terra nata. Dubia, in qua dubites quid potiſſimùm ſumas. Terent. Phorm. Prior bibas, prior decumbas, cœna dubia apponitur. Aduentitia, quæ aduenienti amico inſtruitur. Viatica, qua peregè redeuntes amicos excipiebant. Collatitia, cum accubantes ſuas quique epulas in commune conferunt. Recta, in qua nihil ad neceſſarium menſæ apparatum deſideratur. Genialis, dapalis, ſaliaris, adipalis, Pontificum, ſplendida & inſtructiſſima. Paupertina quid ſit, ſatis patet. Pocœnium appellant, quaſi poſt cœnam, ein Schlafftrunck. Chariſtia conuiuia, ad quæ non inuitantur niſi cognati & affines.

Repotia

Digitized by Google

Repotia quæ poſtridie nuptiarum apud nouum maritum fiebant, quaſi liberalioris potationis reparationes. A. Cumulatiſſimè præſtitiſti quod nos rogaueramus, & tu receperas. Cæterùm quoniam tibi negotium facillimum, nobis etiam vtiliſſimum eſt, obſecro de ſecundis etiam menſis breuiter.

ANNOTATIONES.

PENVS, PENV.) *Quid ſit penus, & quænam iſto nomine contineantur, lege diſputationem apud Gellium lib.4.cap.1. Cic.2.de nat. Deorum. Eſt enim omne quo veſcuntur homines penus.* QVI LAVDATIONEM SALIS) *De mira & multiplici vi ſalis lege Plin.lib 31.cap.7.& 9 & initium cap 1.lib. 6.apud Rhodigin. Turneb. lib 10.cap.22. Quod autem dicit in Rudente Gripus piſcator, poſtquam de ſe vt rege fabulatus eſt. Sed hic rex cum aceto pranſurus eſt, & ſale, ſine bono pulmento, hunc ſenſum habet. Ego qui me regem facio & ſomnio, pranſurus ſum ſine pulmento, cum ſale & aceto, quomodo pauperes ſolent, qui cum obſonio careant, ſalem & acetum ad panem adhibent obſonij loco. Ita Lamb Germani hoc genus prandij aut cœnæ volentes declarare, aiunt* Käß vnd Brodt. ANNONAM FLAGELLANT) *Flagellatur, quando in horreis & granariis veluti mancipatur, & verubus quaſi verberibus coercetur, ne exire aut egredi poſſit: qua phraſi vtitur Plin. lib. 33. c.13. metaphora forſitan ab obæratis & nexis, qui addicti creditoribus, ab iiſdem in ergaſtulis flagellabantur. Sic. Martial. arcam flagellare opes in ea reconditas dixit. Lamprid in Commodo & Seuero Impp. vaſtare & grauare annonam, quibus leuare contrarium eſt Ciceroni.* GRÆCAM NATIONEM VENTRI DEDITAM) *Malè ſcriptores dictitant Græcis, quaſi voluptariis, & luxui nimium deditis. Hinc pergræcari, quod eſt genialem agere vitam. Plaut.* Moſtell.

> *Dies noctesq; bibite, pergræcamini,*
> *Amicas emite, liberate, paſcite*
> *Paraſitos, obſonate pollucibiliter.*

EST AVTEM QVIDAM) *Genera panis & inſtrumenta exſequitur Rhodigin. lib.9.cap.16.* ALIVS CIBARIVS) *Cibarius panis ſordidus dicitur, à quo furfures excreti non ſunt: Græci αὐτόπυρον nominant. Cibarium etiam vinum pro ignobili, & cibarium oleum apud Plinium lib 12. eſt vile, paruiq; pretij. Brodæus lib. 4.capite decimo. Eadem notione homo cibarius appellabatur: tanquam omne quod ſordidum atq; abiectum eſſet, rectè hoc pacto vocari poſſet. Varro apud Nonium. Tuus autem iſte frater cibarius fuit Ariſtoxenus. Victor. lib.1 cap.22.* BVCCELLATVM ET CLIBANITEN) *Vide Mercurial. var. lect. lib.1.cap.12. & Brodæum lib.4.cap.11. Vtebantur eo quoque in militia. Vulcatius in Auidio Caſſio. Et præter laridum & buccellatum atq; acetum militem in expeditione quidquam portare prohibuit. Videtur ſic appellatus, quod buccella, id eſt, paruus panis eſſet.* FARCIMEN GENVS EST) *Hinc fartores qui inteſtina ſuilla carne minutiſſimè conciſa lardoq; admixto implent. Iſicium, inquit Muret. in Terent. eſt farciminis genus, quod*

Digitized by Google

vulgus ſalſitiam vocat. Hanc vocem ſunt qui latinam putent, dicantq; dict iſicium quaſi inſitium, quod fiat inſitis in inteſtinum minutis ſuillæ fruſtulis. Quod mihi eo minus probabile videtur, quod hac voce etiam Græci ſcriptores vtuntur. Alexāder in problem. Athenæus li. 9 quorum ille ἰσίκιον, hic ἰσίκιον, nominat, vt vel iſicum, vel iſicium ſcribi oporteat, ſi emendata ſcriptura eſt. Quod ſi à ſuilla nomen ductum eſſet, tunc hyſicium ſcriberetur. PRANDIVM CANINVM) *Cur Varro in Satyra caninum prandium vocauerit vinū, quod nec nouum eſſet, nec vetus, declarat Gellius libro decimo quarto, capite vigeſimo nono.* TERRESTRIS ET CYNICA) *Verſus eſt imprimis elegans Petronij Arbitri. Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna. Quo quidem eos ſignificari puto, qui miſerè viuunt, vt ſiliquis, & leguminibus, quiq; viliſſimis cibariis ſe tolerant atq; ſuſtentant: nam talis erat Cynicorum philoſophorum victus, quod ex Luciano intelligi poteſt. Latius hæc Turneb. libro primo, capite decimo quinto.* DVBIA IN QVA) *Cœnam dubiam (ait Parœmiographus) opiparam, variisq; inſtructam ferculis appellabant, idq; prouerbium à paraſitis repertum apparet. Phormio apud Terent. Cœna dubia apponitur. Quid iſtuc verbi eſt? Vbi tu dubites quid ſumas potiſſimùm. Exponit paraſitus verbum ſuum alioqui anceps. Nam dubium etiam periculoſum ſignificat: & dubia cœna poſſit intelligi, quæ non careat ſuſpicione veneni Horat. vides vt pallidus omnis Cœna deſurgat dubia. Et reſparum tritas appellamus dubias.* ADVENTITIA) *Solebant veteres tum Græci tum Romani aduenientes peregrè amicos lautiore conuiuio excipere. Athenæus ὁδοιπορικὸν, Plutarch ſympoſ. ἀποδεκτικὸν δεῖπνον vocant, Suetonius cœnam aduentitiam, Plaut. Bacchid. viaticam. Martialis præfat. lib. 12. aduentoriam epiſtolam, quæ aduenienti amico obuiam mittitur. Græci ὁδοιπόριον, quod aduenienti datur, ſiue cœna ſit, ſiue aliud. Hæc & plura Torrentius in Vitellium Sueton. cap. 13. Quædam & Turneb li. 2. cap. 30. De cœna pura diſputat multis Cæſar Baronius pag. 187. editionis Romanæ. Cœna caput eſt præcipuus miſſus, præcipuumq; ferculum. Vide Turneb. lib. 2. cap. 17.* DE SECVNDIS ETIAM MENSIS) *De menſis erudita quædam differuntur à Bayſio, lib. de vaſculis pag 146.*

PROGYMNASMA
SEXTVM ET QVADRAGESIMVM.

Secundæ menſæ, & poculenta.

IIDEM.

MAGISTER. Et in hoc reſpondebo ſtudio veſtro atque diligentiæ. Quæ ſub finem menſæ, eſcariæ illecebræ, & gulæ delectamenta apponuntur, bellaria, tragemata, pemmata, ſecundæ menſæ dicuntur: & conſiſtunt fermè in fructibus, vt pomis, pyris, nucibus, ceraſis, prunis, ficubus, vuis pēſilibus, & ſaccharatis cupediis. A. Cur omittis caſeum?

Digitized by Google

ſeum? audiamus aliquid de caſeis: quæſo ne omiſeris noſtrum caſeum. M. pruriunt tibi dentes, credo. F. ſordida res, & inuenuſta caſeus. R. Regum & Imperatorum cibum hic inuenuſtum vocat. Quæ te mala crux agitat? F. Quid ſi rapa comederent Reges? A. Quid ſi allium & cæpas? C. Caſeus multas vtilitates parit F. Et in his calculum. M. Mittite hęc. Caſeus quidam eſt oculatus, pumicoſus, fiſtuloſus, ſpongioſus, hæc quatuor pro eodem ponimus: alius recens: alius vetus: alius Parmenſis. C. Hic optimus eſt. A Helueticus non cedit. C. Parmenſem fortè nondum vidiſti. A. Et vidi, & comedi ſæpius, quam tu fabas. F. Vt iſti de luto litigant? qui ſcatet vermiculis, eum quidam prædicant eſſe optimum. C. Abi in malum cruciatum cum tuis vermibus. M. Si me vultis pergere, aures date. Caſei ſcobina, ſeu caſeus deſcobinatus, gerübner Käß. Sunt alia genera, quæ melius norunt, qui eſitant caſeum: ego à puero nunquam tetigi. C. de pomis affer aliquid in medium. M. Pomum decumanum eſt prægrande: pomum nanum ſeu paruulum illi ex altera parte reſpondet. Contraria item ſunt: pomum præcox, ſerotinum. Fugax, quod vigorem non diu conſeruat: vietum, quod nimis citò maturuit, & facilè fit putridum, caducum, vermiculoſum, ſeu vermiculans: calculoſum ſeu lapidoſum: maturum, mite, immaturum, immite, & acerbum atque crudum. F. Mea cauſſa etiam tria verba de pyris. Nam Aſpaſio dediſti vt de caſeolis diſſereres. M. pyrum volemum, quod volam manus implet, acidulum, cucurbitinum, ab oblonga cucurbitæ figura, Perſicum. F. Quare Perſicum? M. Quia hoc genus arboris è Perſide in noſtras regiones allatum eſt. A. Quia hoc quoq; nō negaſti nobis, largire iam, quod reſtat tertium. M. Quid illud? A. Scis nullam cœnam, nullum prandium ſine potu conſtare. Oramus igitur te, pauca vt adiungas de potus generibus. M. Ex vno negotio aliud mihi reperio: & quo plus ego præſto, hoc plus petitis. C Tibi multum non eſt dare, quò abundas: nobis, qui pauperes ſumus harum rerum & egentes, multum eſt accipere. M age age: verùm iſtoc præſtito, hodie nihil amplius. F. Nihil funditus. M. Amyſtis genus eſt potationis, cum pleniſſimo hauſtu affatim bibitur, ſeu, vt Plautus Curcul. cùm quis ingurgitat in ſe merum auariter, plenis faucibus: vnde amyſti ſeu amyſtide bibere, ſauffen wie ein Kuh Vinum genus potionis præſtantiſſimum, quod tamen ex abiecto ligno naſcitur: dicitur temetum, quod mentem teneat. Nuper quidam annis obſitus, nec illepidus vir, lac ſenum appellabat. Et quoniam adhuc immites vuas à matribus pendere ſciebat, propter cæli tot iam hebdomadibus turbulentiſſimam faciem continenteſque pluuias, valde ſe metuere oſtendebat, ne ſuo ſibi lacte in annum proximum carendum eſſet. A, ha ha hæ. Quod dixiſti de temeto, quia mentem teneat, tenet etiam corpus: quando ſcilicet nec pes nec manus ſuum officium facit Et tentat greſſus debilitatq; pedes. M. Verum hoc, & alia omnia quæ in eodem epigrammate leguntur. Aliud autem eſt vinum merum, meracum, purum: aliud dilutum, lymphatum, quod potores valde oderunt, quorum eſt illud dicere,

At vos qua lubet hinc abite lympha
Vini pernicies.

Villum eſt vinum non adeo potens. Aliud generoſum, nobile, conſiſtens, ſeu ferens ætatem: aliud aceſcens, vappa, marcidum, hornum, hornotinum, annoſum, atrum, rubeum, heluolum. F. Quale hoc? M. medium inter album & rubeum, Schiller Wein Vinum conſulare vocabant: optimum ac vetuſtiſſimum. Eſt item fragrans, odoratum, ſaccharatum, vinum igni eliquatum, Brantwein: quod genus pater tuus, Creſſoni, cui inde bibebat. C. puto ego inde ſibi mortem bibiſſe. H. Honorarium, ſecundarium, Creticum, Chium, barbaris maluaticum. Eſt vinum molle, id eſt ſuaue, cui opponitur durum. Eſt lene, aſperum, mucidum, muſtum, defrutum: eſt ſicera, mulſum, lac: nam hæc omnia bibuntur. Flos lactis, cremor, pingue lactis idem valent. Eſt & ſerum lactis. C. Hoc ſcabioſis relinquemus. M. Eſt cereuiſia, & aqua. C. Nec aquam volumus. M. Multi nolunt, quos paupertas eo compellit. Sed iamne quod petebatis abſolui? A. Abſoluiſti, chare Præceptor. C. Dic amabo, quid ſint epiſtomia. M. quibus canalium nares obturantur, veriatiſque recluduntur. F. quid excipulus? M. vaſculum qualecunque, quod excipiendo liquori ſubiicitur. C. Quid ſiphon & ſiphunculus? M. Siphon inſtrumentum, quo vinum è doliis tranſuaſatur, ſeu è doliis hauritur ſugendo. Siphunculus fiſtula, quæ dolio immiſſa liquorem reddit. A. De vaſis vnde potus petitur, non alienum videretur nos interrogare: ſed defeſſum nolumus enecare, & ſeruandum quod promiſimus. M. Ita profectò: nam hac vos conditione adſtrinxi. F. Tamen de paraſitis paucula, mi Præceptor. M. Fiat. Duplex olim paraſitorum genus. Vnum quod ridiculis dicteriis cibum alienum captabat, qui à Plauto in Capt. deriſores. Alterum quod verbera aliaſque indignitates vltro patiendo victum quæritabat. Qualis apud Homerum Irus, cuius antagoniſtam ſe Vlyſſes ſimulat. Iſti à flagris, quibus olim cædebantur, flagriones nominati, à Plauto plagipatidæ. Nomina autem paraſitorum plerumque etymo ſuo ad mores illorum paraſiticos alludunt Sic Gnatho à maxillls dictus ob auiditatem edendi. Sic Gelaſimus, quia ridiculus eſt. Sic Saturio in Perſa per antiphraſin à ſaturitate, quaſi qui nunquam expleri poſſit. In Milite Artotrogus à deuorandis panibus. Si Peniculus in Menæchmis, quod tanquam ſpongia menſam, ita ipſe reliquias ciborum omnes detergat. Sic Colax ἀπὸ τοῦ κολακεύεσθαι ab adulando. Diffuſus iſtam rem Nannius lib. 2.

ANNOTATIONES.

CVR OMITTIS CASEVM?) *Preſſi copiam lactis, periphraſi quadam caſeum vocauit Maro, eclog. 1. qui & interdum manu premitur, formatur, atque figuratur. Vnde manu preſſus. Premitur autē, ne ſit fiſtuloſus: quod ei accidit qui laxius, remiſſiuſque in formis ſuis habetur, nec ſatis cogitur. Turneb. ii. cap. 2. Caſeale apud Columell. eſt locus vbi & conficiuntur, & re-*

Digitized by Google

& reponuntur caſei, qui ob ſerum & eluuiem ſæpe mundandi ſunt. De diuerſitate caſeorum Plin. lib. 11. cap. 41. AMYSTIS GENVS EST) *Genus populi amyſtis ἀπὸ τοῦ ἀμυστὶ πίνειν. ab eo, quod eſt, hauſtim & labris non clauſis bibere. μύζω enim eſt muſſare, ſugere os, & labra claudere. Reliqua Lamb in illud Horat. Ode 36. lib. 1. Baſſum Threicia vincat amyſtide.* QVÆ IN EODEM EPIGRAMMATE) *Quia perquam cultum eſt, & adoleſcentes non ab ebrietate modò, verùm etiam à fœda libidine dehortatur, totum adducam.*

Nec Veneris nec tu vini capiaris amore,
Vno namq; modo vina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires: ſic copia Bacchi
Et tentat greſſus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri.
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe ciet ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.
Deniq; cùm mentes hominum furiarit vterq;,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abeſt.
Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat vterq; ſuis.
Vina ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Seruiat: hos fines tranſiliiſſe nocet.

DE RE MEDICA, ET MORBIS.

PROGYMNASMA SEPTIMVM ET QVADRAGESIMVM.

Morborum agmina, & laus Medicorum.

DOMITIVS, ABVNDIVS.

DOMITIVS. Ego, Abundi, quoties Ciceronis noſtri, Senecæ, Plinii, Plutarchi ſapientia clariſſimorum hominum, aliorumque præterea philoſophorum, oratorum, poetarum ſententias & locos lego, lego autem ſæpiſſimè, quibus vitam humanam lugent atque deplorant, eiusque calamitates & ærumnas infinitas propemodum enume-

Digitized by Google

enumerant, toties intima eorum miſeratione commoueor. A. Me quoque cæcitatis & erroris tantorum virorum nec ſemel, & iam olim miſertum eſt. Certam quippe veramque ac ſolam horum omnium incommodorum cauſſam originemque funditus ignorantes, totum noſtrę naturæ conditioni tantummodo, & fortunæ in nos dominationi adſcribunt: nec propter aliud nos tot malis expoſitos arbitrantur, niſi quod homines nati ſumus. Qua in re Theologi Chriſtiani cæleſtibus eruditi litteris longè melius philoſophati ſunt. D. Si fabulas etiam audire placet, Horatius & Heſiodus ante furtum Promethei homines ſerius vita caruiſſe, eiuſque ſcelere demum febres ac morbos alios in orbem importatos, & de conceſſo viuendi ſpatio annos reſectos nugantur. A. Vt alias ſæpe, ſic iſto quod profers poetico figmento veritas inuoluitur, & res geſta velut integumento quodam velatur. Furto quidem Adami & Euæ principum parentum noſtrorum, ſed alio quodam, & rei diuinioris, ſeu potius ipſius diuinitatis furto factum eſt, vt omnis in hoc rerum aduerſarum pelagus contruſa poſteritas, graues pœnas iuſtasq; perſolueret, perditaque immortalitate æuo breuiſſimo perfuncta occideret. D. Nuſquam porrò diuinæ animaduerſionis ſeueritatem ita, vt in ægrotationibus, corporumque vitiis cognoſcere licet. Quot hîc, quamque diſpares ſunt facies? Quanta ſæuit atrocitas? Diuerſis morbis iidem diuerſis temporibus, multi vno aliquo per omnem pæne vitã excarnificantur. Nec vllus fortaſſe inuenietur, qui ante ſummum diem valetudine quapiam non fuerit aliquando vel tentatus, vel cõflictatus. A. Nulla pars corporis eſt, quæ non aut communes cum aliis partibus, aut proprios ſibi dolores perpetiatur. Quæ malorum vis regnat in capite? Hemicrania, cephalalgia, vertigo, grauedo, catarrhus ſiue deſtillatio: vnde tot ſternutamenta, tot exſpuitiones, ſcreatus, emunctiones. Qualia verò capitis decora ſunt caluitium, porrigo, alopecia, ſeu capillorum defluuium? Laborant oculi ophthalmia ſua atque lippitudine, glaucomate vitiantur, hebetantur, excæcantur. Perpetuus tinnitus, grauitas, ſurditas, vermium ſcaturigo (vnde aures verminoſæ, & verminantes) auditioni obſiſtunt. Naſus, præterquam quod tanquam cloaca cerebri eſt, ſuum habet polypum, ſanguiniſque ſtillicidiis ac profluuio deſeruit. Guſtatus ſæpe corrumpitur, dentes putreſcunt, ſtupent, vſq; ad rabiem dolent. Eſt quando os miſerum rebus ſordidis è corpore egerendis porta fit, oſcedinique dare operam cogitur. Quid autem homine oſcitante ad aſpectum iniucundius? Fauces tonſillis, labra aphthis ſiue vlcuſculis occupantur. Faciem lentigo, collum ſtrumæ fœdant. Ibi raucitas, ibi angina. In ceruice naſcuntur glandulæ. D. Difficultatem ſpiritus, aſthma, orthopnæam, tuſſes, vomitiones, ſingultus, ſanguinis reiectionem, ructus ad pectus allegemus. Quid manus ſibi de morborum theſauro vendicant? A. Chiragram. D. Quid pedes? A. Podagram. D. Quid coxendices? A. Iſchiadem. Scis etiam quarum partium ſint tot genera herniæ ſeu ramicis: lues venerea, ſiue morbus Gallicus vbi exoriatur, vbi hæmorrhois (ſanguinis nimirum per quædam velut ora venarum

narum profuſio) fiſtula, ficus, hircus ſentiatur: vbi demum calculus, diſuria, & ſtranguria. D. Laboramus faſtidio & horrore ciborum, cuius contraria βουλιμία ingens fames, & caninus appetitus, ſiue appetentia. Vexat & mulieres ad pariendum vicinas ſua pica, ſiue malacia. Alium peripneumonia, alium pleuritis laterumque dolor exagitat. Hic phtiſi ſeu lenta tabe, ille atrophia extinguitur. Sunt item affectionum appellationes, nephritis, lieteria, dyſenteria, colicus dolor, volvolus, tormina. Magnum quoque cruciamentum lumbricos alere, & compluribus diebus diarrhœam, aluique proluuiem ſuſtinere. A. Volo quædam leuiora pathemata recenſere, tibi grauiora relinquam: nam adhuc reſtant ſanè multa. D Pro tuo arbitratu. A. Inflammationes, apoſtemata (quanquam intra cutem quæ naſcuntur, periculoſiora ſunt) liuores, tumores, ſpaſmi, torpores, ſiue ſenſuum hebetudo, dentitio, tetani ſeu rigores, virium imbecillitas, animi defectio, ſeu, cùm animo malè eſt, cùm quis animo linquitur, (quod à nonnullis deliquium) nauſea, cruditas, prurigo, tremor, ſcabies, tubera, papulæ, vari, reduuia. D. Mētis alienatio, ſeu diminutio, miſerabilis eſt morbus. Eiuſdem impotentia quoq;, vt eſt inſania, phreneſis, rabies, mania. Verè magnus ac noxius paralyſis, apoplexia, epilepſia, ſeu comitialis, herculeus, caducus, ſacer morbus, (omnibus enim his nominibus exprimitur) hydrops, icterus, ſiue morbus regius, arthritis ſiue articularis, cancer ſiue carcinoma, phthiriaſis ſiue pedicularis, quo antiquis illis temporibus Pherecydem, & noſtris Caluinum extremæ impietatis & ſceleris architectum interiiſſe traditur: etſi aliter de Pherecyde Plinius: peſtilentia, quo nullus formidabilior, cōtagioſior, crudelior: quippe qui paucorum menſium interuallo ciuibus vrbes viduare ſolet, ingenteſq; ſolitudines inducere. A Graues profectò quos enumeraſti. At communiſſimus omnium febris: ea eſt multiplex. Ephemeris ſeu diaria, quotidiana, tertiana, hemitritæa, quartana, cōtinua, hectica, peſtifera. Quadraginta febrium genera, neſcio de quo audiui, à medicis proferri: vt Horatius non malè dixerit, febrium cohortem terris incubuiſſe. D. Plurima nos quidem morborum genera in medium attulimus. Quod ſi huic congreſſui noſtro intereſſet egregius quiſpiam medicus, rideret nos: & cùm formas longè plures, tum nouas, nobis incognitas longo ordine memoraret. Quare exclamemus illud Maronis.

Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,
Ferrea vox.

Quin plurimi vagantur morbi, quos veteres medici non cognouerunt, nec eorum curandorum rationem tradiderunt. Et adhuc nouæ ſpecies gignuntur, quarum aliæ citius, aliæ ſerius exploratæ & intellectæ, à corporibus efficacitate medicaminum depelluntur. Sed tam horum quam aliorum pæne omnium morborum cauſſa eſt vnica propemodum luxuria. Peropportunè in manibus mihi eſt Seneca, cuius ſuper hac re illuſtriſſimum locum audi ex epiſt. 94. *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc peruenit tam*

multiplicem varietatem. Nec eſt mirum: tum illam minus negotij habuiſſe, firmis adhuc ſolidisq; corporibus, & facili cibo, nec per artem, voluptatemq; corrupto. Qui poſtquam cœpit non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inuenta ſunt mille conditura, quibus auiditas excitaretur: quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusq; venter, dum malè aſſueſcit plus capere quàm poterat. Inde ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus, tabeſque in ſe putreſcentium, & retorridi digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumq; tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe delicijs ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigata, aut venatu, aut tellure verſata. Excipiebat eos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaq; nihil opus erat tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis atq; pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per vnam gulam tranſiturum permiſceat luxuria, terrarum mariſq; vaſtatrix. Neceſſe eſt itaque inter ſe tam diuerſa diſſideant, & hauſta malè digerantur, alijs aliò nitentibus. Nec mirum, quòd inconſtans variuſque ex diſcordi cibo morbus eſt. Et illa ex contrarijs naturæ partibus in eundem compulſa redundant. Inde tam nullo ægrotamus genere, quàm viuimus. A. At enim quo infinitior eſt numerus, quoque ſæuiores, & magis letales ſunt morbi, eo vehementius Dei bonitatem admiremur. Nam cùm propter vnum protoplaſti facinus corpora humana tot morborum incommodis obiectauerit, nihilominus remedia medicamentaq; innumerabilia prouidit, quibus in ſanitatem vindicari poſſemus opera medici; quem nobis (quod te clam non eſt) diſertè & grauiter commendauit. Plagas igitur ſontibus imponit, quia iuſtus: eoſdem verò ſanat, quia miſericors. D. Semper illud Homeri pro veriſſimo habui.

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Nec minus illud, quod quidam ſapientes philoſophiam & medicinam ſorores eſſe dixerunt; alteram animi, alteram corporis conſeruatricem. Et eſt reuera philoſophia medicina animi, medicina autem philoſophia corporis: cuius inuentio à veteribus ad deos auctores relata eſt, & medici diuinis honoribus aucti: quaſi non humanam, ſed cæleſtem ſcientiam colerent. Ex diuerſis floribus mel apes colligunt: medicina ex varijs herbis ſuccos elicit, quibus ægris opem ſalutarem ferat. Certat

cum

Digitized by Google

cum violentia morborum medicus, fugientique iam vitæ quodammodo manum iniicit, ac mortem differt. Nec in vllum aptius cadit: homo homini Deus, quàm in medicum. Si parentibus habemus gratiam, quod vitam ſemel dederunt, cur non medicis, qui dant ſæpius? Quid vnoquoque noſtrum dignius eſt, quid cuique honeſtius, laudabilius, præclarius, quàm prodeſſe alteri, ſi poſſit? Quis autem magis aut profuit vnquam, aut prodeſſe potuit, quàm qui vitam ſalutemque ſeruauit? Hoc medicorum eſt. Suppeditent alicui voluptates omnes, diuitiæ ampliſſimæ, bona vniuerſa. Si morbo ad mortem vrgeatur, quid illi iucundum, quid ſuaue, quid optatum eſſe, aut quid animum eius recreare tandem poterit? Veniat medicus, morbum curet, ab aditu mortis hominem reuocet, nónne è cœlo illi miſſus? nónne confirmato iam, omnium deinceps bonorum conſequentium cauſa & auctor eſſe videbitur? Per medicinam & medicos longè adhuc abſentia vitamus, impendentia auertimus, opprimentia repellimus, inhærentia eiicimus: idq; domi, foris, in itineribus etiam, à natis & nondum natis, à pueris, adultis, iuuenibus, ſenibus. Imperator ſine milite ceſſat. Iureconſultus inter arma ſilet. Orator non omnibus, nec omnia perſuadet. Medicus quod agat ſemper habet, nullius gratia, auxilio, approbatione indiget: omnes eo indigent, à quo nulla eſt prouocatio. A. Fateor omnia, fateborq; plura, ſi in medicina laudanda orationem ſumere longiorem volueris. Hoc tamen addiderim.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger:
Interdum docta plus valet arte malum.

D. Idem Cicero. Non omnes ægroti conualeſcunt: num ideo ars medicinæ nulla eſt?

ANNOTATIONES.

QVIBVS VITAM HVMANAM LVGENT) *M. Tullij ſunt illa voces 1. Tuſc Nam hæc quidem vita mors eſt, quam lamentari poſſem, ſi liberet. Reſpondet Auditor. Satis tu quidem in Conſolatione es lamentatus: quam cum lego, nihil malo quàm has res relinquere. Et infra rurſus. Illud angit, vel potius excruciat, diſceſſus ab omnibus iis, quæ ſunt bona in vita. Vide ne à malis dici verius poſſit Quid ego nunc lugeam vitã hominum? verè & iure poſſim: ſed quid neceſſe eſt, cùm id agam, ne poſt mortem miſeros nos putemus fore, vitam etiam efficere deplorando miſeriorem? fecimus hoc in eo libro, in quo noſmetipſos quantum potuimus conſolati ſumus. Enumerant & lamentantur miſerias vitæ humanæ Plinius procemio lib. 7. & eiuſdem lib. cap. 50. Seneca epiſt. 91. & 99. & locis aliis. Plutarchus in Conſolat. ad Apollonium. Auguſtinus de Ciuit. lib. 21 cap. 14. & li 22. cap. 22 & 23, Idem lib. 13. cap. 10. quærit, an vita mortalium mors potius, quam vita dicenda ſit. Stobæus ſerm. 247. Epigrammata græca lib. 1. tit. 13.* ET FORTVNÆ DOMINATIONI) *Quantam fortunæ potentiam tribuerent antiqui, quomodo eam rerum omnium moderatricem ac dominam*

 conſti-

conſtituerent, eiuſque numini omnia ſubiecta agnoſcerent, ſatis profectò indicant illa Plinij. li. 2. cap. 7. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna ſola inuocatur, una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuiciis colitur, &c. Laudauit & Theophraſtus in libro quem de Calliſthenis ſodalis & familiaris ſui interitu fecit, illam ſententiam: Vitam regit fortuna, non ſapientia. Qua de cauſa, ut refert Cicer. 5. Tuſcul. vexatus eſt libris & ſcholis omnium philoſophorum, negātium ab ullo philoſopho dictum quidquam eſſe languidius. Idem laudat Epicurum 1. de finib. qui dixerit exiguam fortunam interuenire ſapienti: maximasq; ab eo, & grauiſſimas res conſilio ipſius, & ratione adminiſtrari. ÆVO BREVISSIMO PERFVNCTA) *Ante eluuionem illam terrarum, quæ deſcribitur à Moyſe Geneſ. cap. 7. conſtat homines admodum longæuos fuiſſe. Poſtea mortalibus ſcelera ſceleribus cumulare non deſinentibus, magis magiſque contractum eſt: adeo ut Pſalmo 89. legamus: Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. At nunc iſta ætate, quæ mundi extrema creditur, quā pauci ex immenſitate viuentium ad annum ſexageſimum perueniunt? Profert exempla Plin. lib 7. cap. 48. & Lucianus libro qui μακρόβιοι appellatur, longiſſimorum ſpatiorum humanæ vitæ. Sed ea tam multa non ſunt, quin ſemper valeant & valitura ſint, quæ dixit Iob, breues dies hominis ſunt: &, ſicut umbra dies noſtri.* NVLLA PARS CORPORIS EST) *Mos erat* AEgyptiis *ſingulorum morborum habere medicos: alios oculorum, alios capitis, alios dentium, alios alui, alios vicinarum partium, morborumq; occultorū. Itaq; referta erant omnia medicis. Herodot. li. 2.* LABORANT OCVLI OPHTHALMIA) *Quibus vitiis oculi eorumque partes infeſtentur, Rhodigin. li. 6. cap. 20.* FAVCES TONSILLIS) *Quid morbi ſit tonſilla, in qua parte corporis, & unde vocabulum, exponit Crinit. lib. 17. cap. 16* REDVVIA) *Reduuiam quidam alij reluuium appellant, cùm circa ungues cutis ſe reſoluit, quia luere eſt ſoluere. Hæc Feſtus. At mihi ut à luendo reluuium, ita ab iduando reduuia, aut etiam riduuia dici poſſe videntur. Iduare enim diuidere eſt, unde & viduam dictam Grammatici tradiderunt. Duere autem antiquo verbo dare potius, quàm ſoluere ſignificat. Græcis παρωνυχία. Pithœus lib. 1. cap. 19.* SEV COMITIALIS) *Apud Romanos nefas fuit eo tempore cum populo agere, quo morbo iſtoc quiſpiam in ſenatu inuaderetur: inde nomen ei Comitialis, quod nempe comitia habere non liceret. Indicia illius notiora ſunt, caput grauedine oppreſſum, ceruix obtorpens, tempora ipſa velut ictu quodam pulſata, aures tinnitum emittentes, in labris ſpuma, oculi ſubinde circumducti. Corripiuntur eo potiſſimùm melancholici, & qui ingeniis, doctrina atque animi magnitudine præſtant. Exempla aliquot collegit, & ſuper hoc morbo plura diſſeruit Crinit. libro 25. cap. 1. Ex omni animantium genere præter hominem cornices comitiales ſunt.* CIVIBVS VRBES VIDVARE) *Peſtem animalium deſcribit* Maro *3.*

Georg.

Digitized by Google

Georg. Hominum autem illam, quæ Athenis temporibus belli Peloponneſiaci acerrimè graſſata eſt, Lucretius in 6. & ornatiſſimè & vberrimè ex 2. Thucydidis Principium hoc eſt.

Hæc ratio quondam morborum & mortifer æſtus,
Finibu' Cecropiis funeſtos reddidit agros,
Vaſtauitq; vias, exhauſit ciuibus vrbem.
Nam penitus veniens Aegypti è finibus ortus,
Aera permenſus multum, campoſq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde cateruatim morbo, mortiq; dabantur.

Huius porrò longè omnium atrociſſimæ peſtilentiæ cauſas 3. memorat Diodorus *li 12. cælum corruptum, vitioſitatem frugum, Eteſiarum per æſtatem ceſſationem. Extat item graphica planè deſcriptio generalis cuiuſdam peſtilentiæ apud Ioan Cantacuzenum hiſtoriæ lib. 4. cap. 8. Quam abhinc penè triennium è græco translatam edidimus.* FORMAS LONGE PLVRES) *Morborum verò tam infinita eſt multitudo, vt Pherecydes Syrus copia ſerpentium ex corpore eius erumpente expirauerit. Plin li. 7. cap. 51.* AD DEOS AVCTORES) *Cicer. 3. Tuſcul. corporis curandi tuendiq; cauſa quæſitam eſſe artem, eiusq; vtilitatem deorum immortalium inuentioni conſecratam ait. Vetuſtiſſimum medicinæ auctorem celebrari Aeſculapium ſcribit Celſus lib. 1. præf. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtilius excoluit, in deorum numerum receptus eſt.*

PROGYMNASMA
OCTAVVM ET QVADRAGESIMVM.
Præcepta tuendæ ſanitatis, & conſeruatiuæ partes.

STVDIOSVS, MEDICVS.

STVDIOSVS. Quid de ſomno meridiano, ſiue de meridiatione ſentis? M. Quid ſentiam? Aut nullam, aut breuem eſſe oportere. S. quamobrem nullam? M. Pigritiam torporemq; corporis, dolorem capitis, & rheumata generat: vt alia non pauca incommoda ſilentio prætermittam. S. cauſam noſſe percupio. M. ſpiritus atque fumi, materia nondũ confecta, exhalantes, qui vigilantibus per cutis poros diſſolui ac diſſipari ſolent, ſomno illo diurno conciti in caput ſeſe tollunt, cerebrum plus æquo humectant, vnde illæ deſtillationes ad pectus, fauces, & nares. Hinc item capitis perturbatio Ad hæc cùm cerebrum nimio humore oppletũ eſt, nerui qui inde per totum corpus pertinent, ipſi quoque immoderato humore compleantur neceſſe eſt. Quorum redũdantia, quoniam ad muſculos, tendines, articulos confluere conſueuit, iſto ſopore non ſolùm non diſpellitur atq; diſcutitur, verumetiã tenacius adhæreſcens augetur.

Vnde

Vnde lentitudo, & tarditas, & quaſi quædam corporis totius diſſolutio. S. ſi pro more habeat aliquis ſomno ſe dedere ad meridiem, vt ego, qui id factito annum iam viceſimum, ſeque torpidum, os catarrhi plenum, caput plumbeum, corpus languidum fieri experiatur, ſi intermittat? M. Conſuetudo id efficit interdum, vt mala quæ ſunt, minus lædant. Aliqua tamen præcepta tibi dederim in hoc genere. S. Euge. M. Primùm, ne mox ſecundùm prandium. S. Hoc perpetuò ſeruaui: vnam quippe horam colloquiis, & moderatæ inambulationi tribuere ſoleo. M. Placet hoc mihi. Alterum, ne depoſito ac demiſſo, ſed erecto capite. S. Hoc neglexi quodam tempore, indeque caput tam grauatum, fauceſque deſtillationem plenas ſentiebam. M. Ergo poſthac caue negligas. Noli etiam valde diu. S. Horam pæne in dies ſingulos impendo. M. Nimium eſt, media ſufficeret. S. Minuam igitur ſpatium, & imperabo iſtuc mihi. M. Expergefactio modeſta ſit, non repentina ac tumultuoſa. S. Ita fiet. Quoniam verò docuiſti, quo pacto me in ſomno meridiano, ſine aliquo ſanitatis detrimento gererem, plura bonæ valetudinis cõſeruandæ præcepta prome. Hoc enim veſtræ munus eſt nationis, nõ ſolùm curare morboſos, verum etiam conſeruare ſanos. Nec minus pręclarum & artificioſum, bene valentes tutos præſtare à morbis, quàm iis implicitos liberare. Quin etiam maiorem gratiam medicis deberi affirmabat Demades, qui ingruentem morbum arcerent, quam ſæuientem iam depellerent. Siquidem magis optandum ſit, non experiri malum, quã eo liberari. M. Imperfecta eſſet ars noſtra, ſi ſola θεραπευτικῇ, nõ etiam ὑγιεινῇ conſtaret, quæ in προφυλακτικὴν, συντηρητικὴν, & ἀναληπτικὴν diſtribuitur. Prima morbos imminentes auertit, altera præſentem ſanitatem tuetur, à tertia valetudinarii reficiuntur. S. Si quam adhuc habes partitionem, adiunge. M. Quæ ad partem ſecundam conſtituendam à medicis excogitata atque præſcripta ſunt, quatuor nominibus indicantur, quorum ſingula varias ac multiplices res complectuntur, tot namque præſidiis bonam valetudinem conſeruari à Galeno aliiſque medicinæ profeſſoribus concorditer decretum eſt. S. Quæ ſunt igitur? M. τὰ προσφερόμενα, τὰ κενούμενα, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ τὰ ποιούμενα. Quæ enim exhibentur, potulentis atque eſculentis finiuntur, ſiue ciborum ſiue remediorum vſum habeant. Quæ ſub exinanitionem ſubiiciuntur, ſudoribus, excrementis, ſputis, vrinis, & ſimilibus continentur. Extrinſecus accidentia, aqua, aere, ſalſugine, mari, oleo & huiuſmodi conſtituuntur. Agenda verò exercitationibus, ſtudiis, vigiliis, ſomno, ira, cura, lotionibus, cæteriſque eiuſdem generis. Nulla igitur res, nullumue auxilium eſt, quod quidem ad ſanitatem defendendam conducat, quin aliquo prædictorum quatuor generum, quæ totam conſeruatoriam artem perficiunt, concludatur. Quod ad præceptiones conſeruandæ valetudinis attinet, plurima poſſem afferre, feruntur que hac de re multorum commentarii: verum paucula deguſtes licet. S. Cum voluptate audiam. M. Cibis vtare bonis, mediæ materiæ: nihil enim ad κακοχυμίαν morboſque generandos tantum facit, quantum alimenta vitioſi ſucci,

& ad

Digitized by Google

& ad coquendum minimè facilia. S. Vellem mihi nominari cibos iſtos. M Hoc alias opportunius. Vniuerſè, cibus leuis, ac facile deſcendens ſalubris eſt. Vtiliſſimus verò ſimplex. Multi enim & varii ſapores, cum vino diuerſi generis, multa etiam condimenta, hæc omnia in vnum tanquam chaos commiſta, vbi frigida calidis, humentia ſiccis pugnant, cruditatem progenerant, parentem morborum fœcundiſſimam. Fugiendus igitur conuiuiorum luxus, in quibus venter quantum hominum exercet? Quorum voluptates quamuis in præſens non fuerunt, tamen occulte aliquid operis, intus, & quidem peſſimi facient, & venena fuiſſe quamuis ſerò cognoſcentur. Vbique etiam, ſeu domi ſeu foris colenda in cibo potuque ſimplicitas & temperantia. Nunquam eſt vtilis nimia ſatietas. Ebrietatem autem ſcire vis quæ mala conſequantur? S. Etiam. M. Vitæ breuitas: hoc maximum eſt incommodum. S. Siquidem vita nihil carius. M. Pallor vultus, tremor membrorum, ſuffuſiones fœdæ oculorum, animæ graueolentia, obliuio ſeu mors memoriæ, ſomni turbulenti, & inquieta noctibus quies, apoplexia, paralyſis, & quædam ſanè in proles impietas. S. Quomodo? M. Neceſſe eſt non tātum vinoſos, vt docet etiam Plutarchus de educand. lib. ſed morboſos & amentes quoque naſci ab ebrioſis. Hinc Diog. videns adoleſcentē labantem animo: adoleſcens, inquit, ebrius te pater genuit. Edacitatem autem comitantur æquè noctes irrequietæ: cum ſe corpus in lecto huc illuc iactat, & ciborum tantam molem non poteſt ſtomachus conficere: ex quo in vultu puſtulæ, grauedo, dolores colici, calculus, podagra. Quæ ſi ſatis multa tibi non videntur, adde cruditates, adde obſtructiones, putredines, febres, apoſtemata, lepram denique. S. Præclaræ ingurgitationis & intemperantiæ mercedes. Hinc nempè natum illud vulgare: plures gula occidit, quàm gladius. M. *Olim apud medicos non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cùm eſſent periculorum pauciſſima. Nunc ideo innumerabiles pœne morbi, quia innumerabiles coci. Neſciebant illi cibum dare ſæpius, & vino fulcire venas cadentes: neſciebant ſaniem remittere, & diutinum ægrotationem balneo ſudoribusq; laxare: neſciebant crurum vinculo, brachiorumque latentem vim, & in medio ſedentem ad extrema reuocare. Nunc verò quam longè proceſſerunt mala valetudinis? Has vſuras pendimus voluptatum vltra modum faſque concupitarum.* S. In clara lectione, curſu, ambulatione, pila, ſimilibusque exercitationibus corporis non paruum momentum ad ſanitatem conſeruandam ineſſe credo: docuit enim me hoc ipſum vſus. M. Nihil exploratius. Cum enim ſine intermiſſione minutula quædam corpuſcula è corporibus noſtris effluere ſoleant, quæ ad vitam retinendam repenſare ac reficere oportet, ob id quamdiu huius lucis compotes ſumus, cibo indigemus, per quem quod amittimus recipiamus Cibus autem quantumuis commodus, & ſine vitio eligatur, nunquam ita in membrorum naturam ſe induit, quin reliquiæ inutiles remaneant: quæ niſi continuò foras truderentur, interuallo temporis adeo accumulari poſſent, vt calorem naturalem opprimerent. Cui vt obuiam iret naturæ

ſaga-

ſagacitas, meatus ac vias multas illis eiiciendis aperuit: quæ quia non ſufficiunt omnibus, aſſumenda eſt exercitatio: vt huiuſcemodi motionibus attrita, aliàs ſudoribus, aliàs ſenſilibus & inſenſilibus exſpirationibus ſecludantur. Quod ſi in otio & torpore huiuſmodi excrementa retineantur, periculum eſt, ne innumeræ morborum exitialium ſpecies exiſtant. S. Ratio longè optima. M. Exercitatio corpus firmat, vt nimia quies & otium hebetant. Et hinc quidem præmatura ſenectus, inde longa adoleſcentia. S. Salubriúſne ante exercemur, quàm cibum capimus, an poſtea? M. Salubrius ante. Docet nos hoc vel auicula, quæ Porphyrio nominatur, quæ non prius attingit eſcam, quàm locum nacta idoneum, ibi aliquantum inambulauerit, ſeque exercuerit: deinde etiam puluere iam conſperſa lauat, atque ita demum ſeſe paſcit. A cibo exerceri inſalubre eſt, iis præcipuè, quibus crudior ventriculus. Debet autem remiſſior eſſe in eo, qui minus bene concoxit. Et ambulatio ſit eiuſmodi potius, quæ varietate corpus moueat, vt ea, quæ in aſcenſu & deſcenſu eſt: niſi corpus ſit perimbecillum. S. Eſtne in exercitatione habendi loci ratio? M. Immo. S. Quo pacto? M. Melior ſub diuo, quam in porticu: &, ſi caput patitur, in ſole quam in vmbra. Et rurſus in vmbra, quam parietes & viridaria efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt: ſalubriorque recta, quam flexuoſa exercitatio. S. Quouſque iubes nos exerceri? M. Vſque dum ſudor euocetur, ſeu ad laſſitudinem, citra fatigationem nimiam. S. Aliud præceptum da, ſi placet. M. Anxiæ item curæ, & mordaces ſollicitudines, dolor, mœſtitiaque fugienda ſunt, & quantum poteſt, auocanda ſemper à triſticulis rebus cogitatio. Intenta ſiquidem & moleſta cura maximè cor vrit, corpus exſiccat & extenuat, ſomnum impedit: ex quo vigiliarum perpetuitas innatum calorem imminuit, & extinguit, vires debilitat, grauiſſimis corporũ difficultatibus velut oſtium aperit. Atq; hæc omnia tanto magis, quanto fuerit diuturnior. Iam triſtitia ipſa quoque corpus arefacit & tabefacit, cor immodicè conſtringit, ſpiritum vitiat, ingenium obtundit, rationi & iudicio nebulas offundit, memoriam carpit. S. Meritò igitur Eccleſiaſticus: *Spiritus triſtis exſiccat oſſa, & quod vermis ligno, hoc triſtitia cordi.* Multoque adhuc clarius. *Triſtitiam,* inquit, *longè remoue abs te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.* Si vnquam, nunc maximè fugiam hanc peſtem, meque ad hilaritatem & lætitiam dabo. M. Sapies: illa ſiquidem cor dilatat, ſanguinem in omnes corporis partes æquabiliter deriuat, ac diſpertit. Copia porro & vis ſanguinis, qui vehiculum animæ dicitur, omne corpus vegetat, animat, viuificat, ſenſum & agilitatem confirmat, colorem floridum, caloremque natiuum excitat. Vnde per omne corpus iucundus quidam ſenſus exoritur. Spiritus puriores fiunt, ingenium acuitur, & ad obeũda negotia aptiores euadimus. S. Magna merces hilaritatis & lætitiæ, quæ me quidem latuit hactenus. M. Sed eius immoderatio offendit valetudinem. S. Hoc velim me doceas qua ratione. M. Calor à natura inditus ad ſuperficiem diſpergitur, & membris excedit: ſicuti per immodicam triſtitiam ad inte-

riora

Digitized by Google

riora colligitur, vnde humor natiuus exſiccatur. Nec ſit ergo nec ſubita, nec nimia, nec diuturna lætitia, ſed tempeſtiua & mediocris. S. Superſunt ne alia, quæ hoc tempore mihi præcipienda putes? M. Hodie nihil præterea. Cùm rurſus conuenerimus, plura audies S.

Luciferum hunc vtinam nobis aurora nitentem
Quam primum roſeis candida portet equis.

ANNOTATIONES.

SI corpus hoc noſtrum non ita natum haberemus, vt inualetudini & mutationi obnoxium eſſet, verùm bene ſemper conſtitutum, integrum, & in optima habitudine permaneret, nulla prorſus arte ad id vel incolume conſeruandum, vel è morbo recreandũ reſtaurandumq; indigeremus. Quia verò continenter mutatur & patitur, & ad interitum tendit, nec conſtitutionem illam cum qua extitit, minimè vitioſam, retinere poteſt, omni opera & procuratione à morborum lue prohibendum, & in ea qua licet ſoſpitate retinendum eſt. Ad hoc ipſum ſanitatis præſtantia nos excitare debet. Etenim ſi omnes ſe fortunæ, omnes diuitiæ, & huius vitæ bona vniuerſa in manus noſtras tradere poſſent, quid illa nos morbidos, & in lecto miſerè cum doloribus perpetuò decertantes ſolarentur? Pythagoras τῦ ὑγιαίνειν nihil putabat præſtabilius, quam ſalutationem in epiſtolis adhibebat, vt Plato εὖ πράττειν, Epicurus εὖ διάγειν, Cleon χαίρειν. E ſymbolis autem, quibus Pythagorei inter ſe vtebantur, fuit ὑγίεια, ſanitas. Pyrrhum Epirotarum Regem narrant cum immolaret, non regnum latius, non illuſtrem de hoſte triumphum, non gloriam, non diuitias, & ſimilia, ſed bonam duntaxat valetudinem à diis precari ſolitum. Omnia ſibi affore putabat, ſi illa afforet. Proinde haud falsò græcus ille verſiculus in monoſtichis.

ὑγίεια καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.
Incolumitas & mens, duplex vitæ bonum.

Quid igitur facto opus eſt? Id M. Tullius 2. de Officiis docet in hunc modum. Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis, & obſeruatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus. Poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Eſt & magnifaciendum Plutarchi conſilium eodem ſpectans, libro de tuenda valetudine. Si amicos laborantes obſeruemus, ſciſcitemurq; cauſam morborum, non vt medicinæ peritos nos oſtendamus, atque ita recondita medicorum ibi vocabula depromamus: ſed, vt cum leuia vulgariaque non oſcitanter audierimus, puta de repletione, inſolatione, laſſitudine & vigiliis, præcipuè verò quo victu tum vterentur, quum in febrim inciderint: deinde ſicut in alienis erratis. Plato ſolitus eſt diſcedens ſecum dicere: num & ego ſum iſtiuſmodi? ita & ex amicorum malis ſibi quemque conſulere & cauere conueniet, ac meminiſſe ne in eadem incidat, néue ipſe ſimiliter lecto affixus laudet ac deſideret pretioſiſſimam illam ſanitatem. In præceptis porrò ſanitatis tuendæ quæ à medicis dari ſolent,

Digitized by Google

lent, duo videnda ſunt. Vnum, cùm quid inſalubre atq; noxium eſſe pronunciant, uti ab eo penitus abſtineamus. Quanquam enim nonnulla obeſſe ad tempus non apparet, tamen vbi humor ex illis vitioſis diu in venis latitans, tandem in putredinem conuerſus fuerit, malignasq; & curatu difficiles febres generauerit, hominemq; necauerit, tum demum heu nimis obfuiſſe apparebit. Alterum, ſi prætermittere ea non poſſimus, quæ illi prætermittenda ſuadent, vtemur quàm rariſſimè: ſi frequentius uti oportebit, quam parciſſimè. nam iſto modo propter exiguitatem materiæ peſtifera qualitas nihil oberit. De somno meridiano) *Somnum inſititium vocauit Varro libro* 1. *de re Ruſt. Ego hîc, vbi nox & dies modice redit & abit, tamen æſtiuum diem, ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridie, viuere non poſſem. Poteſt etiam legi: tamen æſtate diem ſi non, &c. cum lib.* 3. *cap.* 2. *dicat. Quid ni nouerim, vbi æſtate diem meridie diuidere ſoleam?* Mediæ materiæ) *Facilè concoquuntur panis triticeus farina optimè purgata & ſincera, mediocriter ſalitus & fermentatus, vinum melioris notæ, oua recentia & ſorbilia, pullaſtri, & gallinæ non vetulæ, hœdina, vitulina (ſed de vitulis lactentibus) agnina, pulli columbini, perdices, phaſiani, mala cydonia, vua paſſa, cicorea. Malignæ concoctionis ſunt panis ſecundarius, è cuius farina non probè excreti ſunt furfures. Panis admodum recens, & iam iam è furno extractus, aut etiam immodicè durus. Carnes frixæ, aut toſtæ, & quæ dentibus commoli facilè nequeunt, quarumcumq; animantium, anſerum & auium aquatilium, caſeus nimium durus & vetus, piſces lacuſtres, cancri, caules, & radices ferè omnes, allium, raphanus, legumina, præſertim fabæ, cucumeres, cucurbitæ, pepones, auellanæ, caricæ, vinum acidum, craſſum, rubens. Ea demum quæ ſtomacho nocent.* Ad κακοχυμίαν morbosque) *Humores noxios generant hæ res potiſſimùm. Omnia ſalſa, inſipida, ad concoquendum difficilia, acria, morticina, carnes fœtidæ, animantium vetularum, præſertim ſale durata, vt bubula, vaccina, &c. Partes item animalium duriores, aut valdè pingues, omnis adeps, oua anſerum, pauonum, lac ouillum, fungi, phaſeoli, piſa, fructus immaturi, aut à vermibus vitiati, oleum, vinum turbidum, acidum, muſtum.* Vtilissimvs vero simplex) *Faciliuſne digeratur cibus multiplex, an verò ſimplex, quærit Plutarchus Sympoſiacôn lib.* 4. *quæſt* 1. *Macrobius quoq; Saturnal. lib.* 7. *cap.* 4. *ſimplicem præferre multiplici non dubitat.* Mvlti enim et varii sapores) *Genus quoddam luxuriæ, in eadem patina diuerſorum ſaporum cibos confundentis ac permiſcentis, graui oratione vituperat Seneca, demonſtrans, quam ea res officiat bonæ valetudini. Locus eſt epiſt.* 95. *Pro corollario addamus, Celſum lib* 2. *c.* 18. *cibos ac potiones in* 3. *genera ſecernere, in valentes, medios, infimos: ſeu, in valentis, mediæ, imbecillæ materiæ. Valentes vocat, in quibus multum eſt alimenti, valentiſſimum in quo plurimum. Ex quo reliquorum generum natura cognoſcitur. Materiæ genere pro viribus vtendum præcipit. Imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt. Mediocriter firmos media materia optimè ſuſtinet: & robuſtis apta validiſſima eſt.*

PRO-

PROGYMNASMA NONVM ET QVADRAGESIMVM.

Medicamenta ſimplicia.

CVRIOSVS, PHARMACOPOLA.

CVRIOSVS. Quid tu nunc rerum actitas? P. Medicamenta diſparia conficio. C. Qualia? P. Exterſoria, ſanguinem ſiſtentia, ſuppuratoria, ſopotifera, laxantia, mollientia, purgantia, ſternutatoria, & alia ſexcenta millia, quibus ſolent repleri tabernæ medicamentariæ, vti etiam hæc mea, in quam pedem intuliſti. C. Cui ſunt paratæ hæ pilulæ? P. Nobili viro, qui eis ad alui ductionem eſt vſurus. C. Súntne alii prætetea vſus pilularum? P. Et varii quidem. C. Quàm varii? P. Quoddam genus caput purgandi, & oculorum aciem exacuendi vim habet. Quædam ventriculi inteſtinorumq; flatus diſſoluunt, iecur obſtructum apetiunt, dolores mitigant, craſſos, pituitoſos, putridos, acres, ſalſos, bilioſos humores detrahunt. C. Mirifica virtus, ſi ita eſt vt narras. Expertus nunquam ſum: malui enim illis vti, quas de carnibus minutè conciſis parat cocus meus, easq; ſtomachicas, & confortatiuas dici poſſe arbitror. Sunt autem prægrandes, vt minimè veſtris pyxidiculis, ſed rotundis & profundis paropſidibus capiantur. P. Nondum tamen extra telorum iactum es. Veniet tempus, cum variis medicamentis indigebis, medicorumq;, & pharmacopolarum fidem gemebundus implorabis. C. Si multiplicibus morbis vexabor, indigebo medicina multiplici: non nego. P. Quamuis vno tantùm: nam ad vnicum fugandum centum pharmacis aliquando eſt opus, nec fugatur tamen: non enim ſemper comprehendunt. C. Idcirco ſanè hæc officina tua nartheciis, pyxidibus, cucullis, myrotheciis, herbis & radicibus tam referta eſt, quod mirabar mecum adueniens modò. P. Te verò nulla inceſſeret admiratio, ſi, quàm latè patentibus terminis circumſcribatur medicina dediciſſes. C. Id ipſum, amabo, me doceas. P. Quod tua nil refert: noſſe vis? Niſi forte medicamentarius fieri cogitaſti. C. Non hoc quidem cogitaui. Verum nihil dubito, quin mihi iſta cognitio voluptati ſit futura. P. Mera eſt hæc curioſitas tua. C. Immò certè honeſtiſſima cupiditas. Eia Magiſter Paule, quæ ſunt auxiliorum prima & ſumma genera? Hinc ego non exibo, niſi ad quæſitum reſponderis: & alióqui circumforanei te aliculus pharmacopæi ſimilem, id eſt, æquè imperitum opinabor. P. Odioſus flagitator es. C. Quid? odioſus flagitator? Potius deſcendi auidus petitor. P. Scito alia vocari ſimplicia, id eſt, cum aliis non confuſa, ſeu ab alterius admiſtione libera. Alia compoſita ſiue miſta. Materiam ſimplicium eſſe plantas earumque & arborum fructus, animantes, terram & aquas, ſeu quæ in hiſce duobus elementis generantur. C. Teneo iſta quatuor.

Quid ex primo ordine ad medicandum ſumitur? P. Plantæ ipſæ, folia, flores, ſemina, fructus, radices, ſucci, liquores, gummi, cortices, ligna etiam ipſa. C. Magnopere vellem ſingula in partes diuidi, mihique numerari. P. Plurimas voces non intelligeres, ipſaque te multitudo obrueret. C. Concede ergo mihi hoc, vt in ſingulis aliquas, & paulo notiores enumeres exempli cauſa. P. Hoc faciam. Accipe. Abrotonum, amaranthus, aſparagus, betonica, braſſica tam marina, quàm hortenſis, chamæmelum, melilotum, pimpinella, plantago, ſcolopendrum, ſpica nardi. C. Quos laudas flores? P. Bugloſſi, lilia, violas, & reginam florum omnium, roſam. C. Nihil antiquis roſa gratius, nihil maiore in pretio. Quin exiſtimo inde ortum prouerbium, roſas loqui, id eſt, multo gratiſſima, & inſtar roſarum amabilia. P. Cùm nihil gratius hoc flore, tum nihil fuit etiam vnquam, neque eſt ſalubrius. C. Video ad multa adhiberi. Nunc audiam aliquid de ſeminibus. P. Vtimur ſemine aniſi, cæparum, cannabis, coriandri, cucumeris, papaueris, rutæ, & granis paradiſi. C. Granis paradiſi? Atqui ego plus millies audiui, paradiſum neſciri quo loco terrarum ſit. Quomodo igitur vos inde grana adipiſcimini? homóne an angelus quiſpiam ad vos apportat? Quæ tandem ſunt iſta paradiſi grana? Si de pomis vetitæ arboris ſunt, quomodo afferent ſalutem, quæ Adamo & Euæ, noſtroque generi vniuerſo mala innumera, peſtem, interitum & exitium attulerunt? Venena ſunt, non remedia. Quin ea in ventum ſpargis? P. Quaſi tu ignores, & in re medica, & in aliis quædam ob excellentiam ſuam excellentibus affici vocabulis. Sic appellamus aquam vitæ, lignum ſanctum, manum Chriſti, agnum caſtum, &c. C. Aſſentior, & accepi in Sicilia quoddam genus vini optimi appellatum lachrymas Chriſti. Id cum Germanus primùm bibiſſet, eoq; hauſtu mirifice delinitus, nomen vini interrogans accepiſſet, ſuſpirans: O bone Chriſte, inquit, cur non etiam in patria mea lachrymatus es? P. Ha, ha, ô ſanctiſſimum votum. C. Adhuc exempla aliquot de fructibus. P. Amygdala. C. Semper ego hunc fructum magni feci, ſaluberrimumque iudicaui. Quod ſi tu, Paule, pilulas inde conficeres inſtar pugni magnas, adderes de vuis paſſulis, de cinnamomi puluere, de vino Cretico aliquid, ſtomachis parum valentibus, me iudice, rem gratam præſtares. P. Cocum & Culinam tibi charam eſſe oportet. C. Quod ſecundæ valetudini meæ præſidio eſt, id charum & iucundum eſt, quidquid eſt. Eſca & potio duos morbos exitiales auertunt, famem & ſitim. P. Mitte nugari. Vis audire cætera? C. Volo equidem. P. De fructibus ad medendum proſunt præter alios pæne infinitos etiam baccæ iuniperi, & lauri, mala cotonea, punica, nux pinea, melones, glandes. C. Ad porcos cum tuis glandibus. P. Hiccine tibi fructus tam vilis videtur? C. Viliſſimus. P. Scias velim in pharmacis quædam vſurpari, quæ tu ſine horrore non poſſes aſpicere: nedum manibus attrectare, aut in os ſumere. Quid autem refert vnde medicina comparetur, ſi modò reſpondeat? Plúſne quemquam vita conſeruata, quàm eius conſeruatæ ratio delectat? Iſta verò curanda non eſt, cuiuſmodi eſt. C. Dic deinceps de

radi-

Digitized by Google

radicibus. P. Eſt angelica, eſt ebuli, inulæ, pentaphyllis, zingiber. C. Nobiliſſima radix quam nominaſti poſtremam, præſertim ſi condiatur. P. Et alia non pauca, ſi condiantur. C. Quid ſuccorum liquorúmue nomine intelligis? P. Humorem, qui vel è tota materia, vel ex eius aliqua parte conciſa, aut contuſa, aut compreſſa manibus, torculari, igne, elicitur. Qui humores per æſtatem ex herbis viridibus, & recentibus ſtillicidio exprimuntur, & aquæ diſtillatæ ſeu eliquatæ vocantur, eorum vt vſus eſt perfrequens, ſic infinita ſunt genera. C. Interfui ſæpe, & conſideraui inſtrumenta, cepiq́ue magnam voluptatem. In ædibus ſuis idem factitant ampliſſimo genere mulieres pleræque: & aquas illas ægrotis pauperibus ſine vllo pretio non ſolùm rogantibus donant: ſed etiam in eorum caſas, ædiculasq́ue vltro mittunt. P. Laudabile piumq́ue factum. C. Eſtné alia ſpecies liquorum? P. Sunt concreti, qui vel per ſe à planta defluunt, vel è ſecto terebratóue caudice, ramo, aut ligno erumpunt. Vt mel aerium, manna, ſaccharum, ladanum, aloe. Gummi quoddam arabicum nominamus, quoddam bdellium, aliud euphorbium, aliud ſtacten, aliud maſtichen. Reſina, & ceraſorum gummi tibi ſunt notiſſima. Vtimur inſuper corticibus caſiæ, radicum capparis, mali citrei, mandragoræ. E lignis xylobalſamo, tamarice, & guaiaco. C. Hoc illud eſt lignum ſanctum ſcilicet, quod India mittit. P. Idipſum eſt. C Et decoctum huius bibunt, quos Gallica lues depaſcitur. P. Et illi & alii, qui humoribus ſuperuacuis carere cupiunt: oppidò enim exſiccat. C. Oculis vidi vnam harum arborum in horto viri illuſtris. Erat ſanè humilis, & ad ſpeciem contempta. Folia acuta, lata atq; longa, rami breues, & gradatim in orbem enaſcentes: ſtipes non craſſior meo crure. Nunc ſi quiret vt exponas, quænam ab animantibus ad ſimplicia medicamenta petatis. P. Pinguedines ſeu adipes: vtar enim pro eodem. Nam propriè adeps, aut ſebum magis terreſtrium, pinguedo humidiorum animalium eſt. Durior item eſt adeps, nec ita facilè liquatur, celeriterq; liquefactus cogitur. C. Quorum adipem probatis ergo? P. Annatum, caponum, canum, ceruorum, caprarum, felium, gallinarum, hircorum, hominum, ſuum, taurorum, vitulorum, vrſorum, taxorum, vulturum. Medullas autem bouis, canis, cerui, vituli, hirci. C. Nihilne de medulla hominis? P. Illa eſt tam caſti quàm turpis & vetiti amoris pabulum. C. Eſt mollis flamma medullas Interea: & tacitum viuit ſub pectore vulnus. P. Quod attinet ad oſſa, valent cornua ceruina, caprina, item humana. Quod ad teſtas, ſepiarum, concharum. Adde huc vngues caprarum, aſinorum vngulas, monocerotis ebur. C. Quæ animantes, quarúmue animantium partes ſunt ſalutiferæ? P. Cantharides, cochleæ, ranæ, hirudines, cancri, lumbrici, pili & cerebrum leporis, pulmo vulpis, iecur lupi, & caprinum, & caninum, canis, inquam, rabioſi, caſtorium, caro viperæ. C. Quos vt ita dicam, ſanguines probatis? P. Columbarum, hircorum, veſpertilionũ, ac ſuum. Lac autem omnis generis, & ſerum lactis, butyrum quoq; & caſeũ. Fimum hircinũ, accipitrinum, leporinum, bubulum, gallinaceũ, columbinum, ouillum, & quod album græcum pharmacopolæ, itẽ moſcum &

Digitized by Google

bombycem: hæc enim quoque confectorum ciborum reliquiæ ſunt. C. De hirco mirabile dictu, illum tam malè olentem, plurimarum vxorum maritum, tot de ſe bona ad ſanitatem largiri hominibus, à quibus tamen tantoperè deſpicitur. P. Quæ proxima Principum comitia celebrabuntur, in iis ſuadeo, vt tanquam fidelis ac diſertus patronus hirci cauſſam agas: ſiquidem non in vna regione Germaniæ, ſed in tota paſſim contemnitur. C. Quin etiam ad Hiſpaniæ, & Franciæ Reges, ad Italiæ Principes eius cauſſa ſcribendum. Siquidem non multò excellentior honos illis in prouinciis miſero defertur. Verùm age, quæ ſunt metalla? P. Aurum, argentum, argentum viuum, gypſum, ærugo, vitrum, minium, plumbum, ſal, ſquama æris & ferri. C. Qui lapides? P. Hæmachites, aetites, ſeu lapis aquilæ, cryſtallus, iaſpis, ſapphirus, ſmaragdus. C. Quàm magno vendis pugillum pulueris ſmaragdini? P. Non metimur hunc puluerem pugillis, vt auellanas, aut nuces caſtaneas. C. Fidem commodo, ſine argumentis. Quas terras porro? P. Lemniam, ſeu terram ſigillatam, bolum armeniacum, cretam. C. Quid ab aquis? P. Aſphaltum ſeu bitumen, ſpongiam, garum, muriam, ſpumam ſalis. C. Etſi perſpicio plura te enumerare potuiſſe, nolo tamen in percunctando nimium eſſe oneroſus. P. De iſta humanitate amo te.

ANNOTATIONES.

REGINAM FLORVM OMNIVM ROSAM) *Græci* ῥόδον *vocant* ὅτι ῥέα μάλα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, διὸ καὶ τάχιστα μαραίνεται. *Quod odoris fluxum emittat plurimum, quo nomine primo quoquo tempore etiam flacceſcat. Plura dialogo 19. Primæ Tertij.* MANNA) *Manna vſum antiquum eſſe, & quibus nominibus à Romanis auctoribus à Papinio & Orpheo poetis appellaretur, à Plinio inſuper in thure concuſſu eliſas micas manna nominatas, docet Crinit. lib. 25. cap. 2.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM.

Medicamenta compoſita.

PHARMACOPOLA, CVRIOSVS.

PHARMACOPOLA. Venturum ad me hodie iſtum quæſitorem non putaſſem. Num audiendo non es defeſſus? C. Ego defeſſus? Non ſum adeo tener & imbellis, qui tam parua mora, tam paruo labore defatiger. Te potius oro quæſoque, vt quod reſtat, ſine cunctatione perſoluas. P. De compoſitis medicaminibus dicendum eſt. Eorum duo ſunt genera. Quædam enim intra corpus recipiuntur, quædam corpori foris admouentur. C. Percepi hanc diſtributionem. Quæ ſunt ſpecies

Digitized by Google

cies primi generis? P. Antidota, purgantia, vomitum cientia, condita, eligmata, ſucci medicati, ſerapia, decocta, pulueres ſeu trituræ, paſtilli, catapotia, glandes, clyſteres, collyria, gargariſmus, dentifricia, errhina, apophlegmatiſmi, odoramenta, ſuffimenta ſeu ſuffitiones. C. Non prius quæram de externis, quam horum primorum rationem didicero. Quapropter ſi vis deuincire me tibi, ſingula quàm breuiſſimè declara. P. Quod ipſe non rogatus eram facturus, id tanto faciam libentius, quia rogas. Ergo antidota ſunt, quæ propter venena aut è corpore eiicienda, aut ab eo prohibenda ſumi mos eſt: quæ item amuleta, & alexipharmaca dicuntur. Illa quæ malis reliquis depellendis comparantur, non propriè hoc nomen gerunt. In antidotis verò ob variam ſingularem vtilitatem principem tenet locum theriaca. C. Audiamus aliquid de hoc miſto. P. Non ſolùm præſentiſſima venena diſcuit: ſed etiam dolores capitis, vertigines, aurium grauitatem. Epilepticis, attonitis, aſthmaticis, ſanguinem reiectantibus, arcuato morbo correptis, ilioſis & cœlioſis prodeſt. Ventriculi imbecillitatibus ac inflationibus, cruciatibus maioris inteſtini occurrit. Induratum lienem emollit, calculos in renibus comminuit, vrinæ difficultati, & veſicæ exulcerationibus medetur, fœtum mortuum excutit. In lue peſtifera non inuenies ſalutarius auxilium. C. Quam reſiſteret veneno, ipſemet oculatus ſum teſtis, cum circumforaneum myropolam puer viuos araneos theriaca inuolutos deuorantem admirabundus aſpexi. Reliqua ſic eſſe vt dicis, non auſim negare. Iam labere ad alia, ſi videtur. P. Purgantium, ſiue catharticorum partim liquida ſunt, partim ſolida. In his poſterioribus numerantur bolus purgatorius, fruſtulum nimirum eſui aptum, quantum bucca poteſt capere. Item quod dicitur dilutum purgatorium. C. Quid hoc eſt? P. Liquor eſt, in quo ad certum tempus medicamenta purgantia conciſa, trita ſiue in puluerem redacta, vel ſolida etiam integraq; macerantur. Hæc Principibus, dynaſtis, tenerioribusque exhibentur. C. Qua de cauſſa? P. Quod minor in iis, quàm in cæteris purgantibus vis eſt, & eorum vſus putetur minus habere periculi. C. De vomitum elicientibus quid ais? P. Quædam hoc poſſunt leuiter: quemadmodum inter ſimplicia quoque hanc vim habent nonnulla: vt calida, decoctum hordei, oleum digitis aut pinnis illitum, & in guttur demiſſum. Eôdem valet eſus ficuum recentium liberalior. Inter compoſita ſerapium acidum, oxymel, & hydromel. C. Quænam igitur mediocriter hoc ipſum poterunt? P. Anethi flos & ſemen, radix betonicæ, & cucumeris ſatiui. Vehementer vterque elleborus, radix cucumeris ſylueſtris, ſparti flores, nux quæ vomica dicitur. C. Vnum omiſiſti. P. Vel plura etiam, ſtudeo enim breuitati. C. Ebrietas & crapula mirè efficacia ſunt in hoc genere. P. Quæ turpiter ingeruntur, meritò turpiter egeruntur. C. De ſaccharis & conditis, opinor, iam dicendum eſt. P. Ioſaccharum è violis, roſaceum è roſis fit. Aliud è cichoreo, aliud è bugloſſo, è ſaluia, è lauendula, betonica, pæonia. Condiuntur cotonea, zingiber, acarus, citria, pimpinella. Ecligmata, ſeu eligmata vocamus, quæ linguntur & lambuntur verius (quod vox ipſa

Digitized by Google

ſignificat,& ideo latinè etiam illinctus dicuntur) quàm deuorantur,& ore retenta,aut linguæ ſubdita paulatim liqueſcunt ac reſoluuntur. C. Puto Latwergen à Germanis dici, & ipſam hanc vocem indicare quod aſfirmas. Corruptum enim eſſe ex Leckwergen / quod de cibis Schleckwerck dicimus. P. Quod res ipſa eſt loqueris. C. Quid ſuccus medicatus? P. Qui primùm defæcatur: ſubinde verò ſolis aut ignis calore ſic denſatur, vt diutius citra interitum aſſeruari queat. C. Quid ſerapium? P. Quod hodie ſyrupus: cùm videlicet medicamenta adhibito melle aut ſaccharo coquuntur, donec concretionem adipiſcantur. Iam, decocta fiunt è radicibus, foliis, ſeminibus & floribus plantarum. Pulueres ſeu trituræ, ex rebus odoratis, & medicamẽtis ſimplicibus in puluerem redactis, adiecto ſaccharo cõponuntur: quæ item in ſecundis mẽſis apponere licet. Germani Trizenet. Paſtilli Græcis τρόχισκοι rotulæ à figura. C. Quid vult catapotiũ? P. Medicamentum vſitatiſſimum, quod deglutiẽdo ſumitur, & a paruæ pilæ ſimilitudine pilula nomẽ habet. Excogitauerunt medici hoc genus ad diſſimulandam medicamenti inſuauitatem. Simul ne ventriculus adſcititiis humoribus grauaretur, propriis ac domeſticis interdum ſatis oneratus. C. Quid glans? P. Quod barbari à ſupponendo ſeu ſubiiciendo ſuppoſitorium. C. Scio, cùm nimirum ægri ob imbecillitatem nimiam enemata perpeti nequeunt. P. Etiam alias ob cauſſas adhibetur. Collyria oculis allinuntur, quæ liquida ſunt: nam quædam ſunt arida. De gargariſmo quid opus eſt me loqui? niſi audire vis quam variis modis componatur. C. Nolo, de dentifricio velim vnum verbum. P. Vſus eius potiſſimum eſt in expoliendis, extergendis, ſtabiliendiſque dentibus. C. Errhina quid? P. Quæ in oblongam ac pyramidulæ formam coacta naribus immittuntur, quæque liquida infunduntur, aut illinuntur. Etiam quæ ſicca ipſis induntur, aut per calamum inſpirantur ad ſternutamenta mouenda, pituitamque & mucum è cerebro elicienda. Quod ſequitur, apophlegmatiſmi ſunt, quæ intra os retenta & commanſa, per emiſſaria palati pituitam, natoſque in capite humores noxios educunt. Barbaris maſticatoria. Odoramentorum voce intellige omnia tam ſimplicia quàm compoſita, quæ non admoto igne, ſuo odore cerebrum afficere, aut grauem odorem, aut peſtilentem aerem depellere poſſint. Suffituum nomine, quæ incenduntur aut viuis carbonibus committuntur, ad ſuaueolentiam conciliandam, ad deſtillationes ex capite in ſubiectas partes, grauedines, obſtructiones, alios frigidos cerebri affectus, & peſtilentiæ contagia arcenda. Conueniunt etiam aſthmaticis, & quibus frigidorum craſſorumque humorum copia thorax refertus eſt, ſuppurationibus, tuſſi, laterumque doloribus. C. Quoniam diſſeruiſti de compoſitis, quæ intra corpus recipi ſolent: adde nonnihil de illis, quæ extra corpus. Quæ ſunt illa? P. Inprimis varia genera olei, & vnguentorum, quorum nomina iſtæ quas cernis pyxides oſtentant. Linimenta iiſdem ferè ex rebus, quibus vnguenta componuntur: niſi quod carent cera. Emplaſtra ex herbis, floribus, radicibus, generibus olei pluribus, aut liquoribus commixtis

Digitized by Google

mixtis vnaq; coctis. Cataplaſma propriè eſt, quod è plantis viridibus contuſis, vel iiſdem penitus in aqua decoctis fit, ſine oleo. Ceratum ex ſpeciebus paulò craſſioribus conſtat, & oleo vario, addita cera, reſina, terebinthina, quò fiat ſolidius. Epithemata propriè dicimus malagmata, quæ mediis corporis partibus, ventriculo, iecinori, lieni admouentur: generatim, quæ cæteris etiam partibus. Fomenta à fouendo, quod ſuo calore partes corporis, quibus applicantur, foueant. Quorum alia humida ſunt, alia arida. Hæc hodie medicamenta ſacculi nominantur. Componuntur ex radicibus, herbis, ſeminibus, & id genus aliis. Inſeſſiones ſeu inſeſſa ἐγκαθίσματα, decocta ex herbis, radicibus, ſimilibusque medicaminibus, quibus æger inſidet. Vſus horum eſt potiſſimùm in renum, veſicæ, coli, ani, & vteri malis. C. Nihil puto reſtare. Quod ſi quid etiam reſtaret, diutius ab opere tuo cui dabas operam, impedire te nollem. P. Feci quod amicum decuit, tuis precibus morem geſſi. C. Viciſſim geram tuis, cùm vſus poſtulauerit.

ANNOTATIONES.

DE VOMITVM ELICIENTIBVS) *Duplicem purgandi rationem, per vomitionem nempe, & alui deiectionem in duabus animantibus obſeruarunt medici, eamq; ad homines tranſtulerunt. Nam canes quidem, vt etiam nobis eſt notum, vomitione: aluo autem ibes Ægyptiæ ſe curant. Cic. 2. de nat. deorum. Sed locus eſt corruptus.* ENEMATA PERPETI) *Ab ἐνίημι immitto fit enema, à κλύζω quod eſt irrigo, fit clyſter. Inſtrumentum ipſum, quo cremor in aluum iniicitur, clyſterium & clyſter: id autem quod iniicitur, quoq; aluus euocaur, enema dicitur. Ab ibi, quæ eſt auis Ægyptia, didicimus hoc valetudinis cauſſa facere: illa ſiquidem roſtri aduncitate aquam ſibi per eam partem infundit ad purgandum, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Eadem ratione hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter nobis extitit. Aſſidua namq; ſatietate obeſus exit in littus, recentes arundinum cæſuras ſpeculatus: atque vbi acutiſſimam videt ſtirpem, imprimens corpus, venam quandam crure vulnerat: atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliâs corpus exonerat, & plagam rurſus limo obducit. Sunt item complura animalia, quæ herbas nobis ad medelam vtiles oſtenderunt. Plin. lib. 8. cap. 26 & 27.*

PROGYMNASMA
PRIMVM ET QVINQVAGESIMVM.

Morbidi duo, & laus Podagræ.

PODAGRICVS, CALCVLOSVS.

PODAGRICVS. Heu heu heu, ô podagra. Apud inferos te natam, tibique matrem Megæram, nutricem Alecto fuiſſe autumo.

Quorſum Tantalus ſiti, Ixion rota, Siſyphus voluendo ſaxo, aliis alii modis illic cruciantur? Tu omnibus excarnificandis ſola ſufficeres. Nunquámne diſcedes? Quamdiu miſerum me torquebis? Si epilepticus eſſem, ſi paralyticus, ſi lethargicus, ſpleneticus, ſi diruptus, ſi morbo alioui ſontico obnoxius, ſi peſte demum affectus, ad ſalutem peruenire liceret. Hos dolores nulla tam ſingularis ac præſentanea medicina excogitari poteſt, quæ excludat. Quidquid medicamentorum edas, bibas, pedibus illinas, nihil agis, vincuntur. Non mentitur Pelignus vates,

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram.

C. Satius eſt me queri iſto modo. Quod vtinam cibi ac potionis minus aſſumere conſueuiſſem: vtinam corpus non ita immoderatè exercuiſſem: vtinam alia omiſiſſem, quibus concoquendi & expellendi facultas mea debilitata eſt: id quod ad generandos calculos multùm valet. Nunquam fuiſſet caſeus, lac, raphani. O ſi abſtinuiſſem alimentis pinguibus, viſcoſis, pituitoſis, immodicè ſalitis carnibus ac piſcibus, iis etiam malè coctis, lentibus, piſis, piris, ouis duris, rapis, fabis, iuglandibus, auellanis, fungis, vino acido, ceruiſia turbida, & iis demum omnibus, quibus cruditates mouentur: præſertim verò pultibus, & placentis iſtis farinaceis, quarum eſus propè aſſiduus vehementer obfuit mihi, quod nunc demum experior & credo. P. Quis hoc ait? C. Medicus. P. Quid dicit? C. Valentis eſſe materiæ has placentas, ſi egregiè valentem robuſtumque ſtomachum nactæ ſint: ſuccum autem craſſum progignere, humorum crudiorum certum ſeminarium: ſiquidem craſſitiem illam calor naturalis infirmior percoquere nequit: ita humores illos crudiores ſæpenumero omnes corporis partes replere, & potiſſimùm vias naturà anguſtiores infarcire: ac modo grauare iecur, modo lienem turgidum reddere, renibusque calculi principia ſuppeditare. Quod ſi illa craſſities viſcoſum quippiam admiſtum habuerit, duplicatum fore malum. Non enim ſolùm, inquit, quod craſſum eſt, meatus vacuos implebit; ſed viſcoſum illud in anguſtiis illis tenaciſſimè inhærebit, alimentique diſtributionem, vniuerſamque nutritionis œconomiam impediet: nec naturam ſuis fungi muneribus permittet peſſimorúmque affectuum, & inprimis lapillorum iſtorum cauſſa erit, quos in pulmonibus, & in hepate, & in cerebro, & in folliculo fellis, & in ſplene quorundam ab anatomicis inuentos audio. Hinc in renibus hæc mea calamitas, quæ me dies atque noctes intolerabili cruciamento fatigat. P. Nihilne remediorum medicus? C. Præſcripſit, non profuerunt tamen, nec prodeſt vllum, niſi cum immittor in balneum vmbilico tenus: tum enim mitigatur aliquantum dolor. Podagram tuam eſſe tormentum hoc noſtro maius & acerbius non ſit mihi probabile: & teſtes inuoco illos, qui vtrumque perpeſſi ſunt, quiq; comparatione calculi podagram vocant auream. P. Habeant illi hoc ſuum aurum ſibi. Ah, vt æſtuat, vt furit peſtis? Vt per membra intima, perque oſſa penetrans omnia depaſcitur? Ades mi ſodalis, mi ſcipio; ſis mihi quod ſoles, pes tertius, & tremulum rege greſſum: vt olim ille patris ſui, qui abs te nomen hoc primus in-

inuenit. Ecce ambulonem. Hem quot dies in lectulo continenter iacui? & ſummis oppreſſus cruciatibus iacui. Magis in mortuis profectò, quàm in viuis numerandus ſum. C. Et ego cultellis me diſcindi arbitror, quoties per meatus aſtrictiſſimos lapilli ſe penetrant. P. Nihilne eiicis cum veſicam ſoluis? C. Aliquando fruſtilla inſtar piſorum. Interdum oblonga & acuminata, aut hiſpida cum ſanguine. Quod ſi particulæ iſtæ in veſicâ concreuerint (& timeo ne contingat) interitum mihi afferent. P. Licebit tum lithotomum adhibere & ſecari, vt multi: quorum ego lapides prægrandes vidi. Ego vero non aliter ſecari poſſum aut debeo, niſi ſi mihi ambo crura bipenni amputentur. C. Tu de ſectione caue vnum mihi verbum: horreſcit animus, & aſſurgunt comæ, quoties clamoris recordor duorum, quos aſpexi cùm ſecarentur. Eorum alter præ doloris acerbitate vitam depoſuit. Seruáſne illa quæ ſolent podagrioſis edicere medici: vt ne ſaltent, vt ne trochum agitent, vt remiſsè admodum & lentè ambulent? P. Nimis ſeruo, atque etiam libenter, quod illi prodeſſe nobis affirmant, lectica geſtandum me curarem vel à lecticariis, vel, vt hodie fieri ſolet, à duabus mulis, ſi valerem opibus. Et tamen (ô ſtultitiam hominum otio & litteris abutentium) incidi nuper in librum, quo podagra laudabatur. C. Nec falsò. P. At ego dico falsò. C. Multis priuaremini commodis, quæ vobis conciliat benigna podagra. P. Commodis? Quæ ſunt iſta commoda? C. Honor quo afficimini, quando vobis aſſurgitur, de via deceditur, potior locus datur; quando cæteris ſtantibus, vos allatis cum puluino ſellis ſedere iubemini: quando curribus vehimini, equis portamini, cùm alioqui pedibus ingredi oportuiſſet. In conuiuiis primi diſcumbitis: quod melius & delicatius eſt in cibo, in potu, id vobis præminiſtratur: & beneficium ſe accipere arbitratur conuiuator, cum libere eloquimini quid velitis. P. Male rem intelligis. Hæc calamitatis ſunt argumenta: nec verus honor eſt iſte honor. C. Tamen conſtat vobis benefieri præ aliis, quacunque de cauſſa id tandem fiat: mallentque multi veſtram miſeriam cum veſtris voluptatibus, diuitiis, omniumque rerum copiis & commoditatibus, quàm onus paupertatis ſuæ intolerabile cum ſanitate corporis. P. Stultorum vota nihil moror. C. A quàm multis periculis ſeruamini, dum domi, & in lectis veſtris detinemini? Quàm multi ad vos rumores afferuntur? Quàm varia de toto orbe apud vos narrantur? Quid quod ab adminiſtratione Reipub. vos Podagra plerunque liberat: hoc eſt, à curis moleſtiſſimis, & grauiſſimis? Quid quod interim in iſto otio animum litteris & ſapientia excolitis? Quid quòd nullus vates, aut aſtrologus temporum mutationem tam certò, vt vos, prænuntiauerit? vt non humanas tantum, verum etiam cæleſtes res illa vos docere videatur. P. Nondum intelligis, hæc non indicare quàm beati, ſed quàm miſeri ſimus? Lues & pernicies humani generis eſt, quæ exſorbet noſtrum ſanguinem, immutat præclaram corporis ſpeciem, colorem infuſcat, vires attenuat, corpus incuruat, oculos hebetat, ſomnum adimit, hilaritates omnes fugat, manus, digitos, articulos,

 hume-

humeros, membra omnia debilitat atque frangit. C. Hoc eſt laudare magis, quàm vituperare. Nam cùm ſciamus corpus continuum quaſi bellum gerere aduerſus animum, tum demum poteſt hic valere bene, ſi illud valeat male. Quandiu vegetum ac ſoſpes eſt, multorum malorum velut ſcaturigo eſt: quandoquidem tum maxime cupiditates ſeſe efferunt, quibus ægre reſiſtitur. Equus indomitus eſt ſanum corpus, ſeſſorem animum facilime excutit. Et nulli melius affectiones vitioſas comprimunt, quàm quibus cœpit eſſe male. Quin etiam corpori commodat podagra, dum ſuperuacuum adipem exſiccat, humoreſque nimium redundantes & inutiles conſumit. Vitam denique longiorem efficit. Nam niſi materiam illam furentem atque noxiam in membra, articuloſque deriuaret, in ſtomachum vtique, in cerebrum, in hepar euaderet, ſpiritumque vitalem extingueret. Non igitur apud podagroſos multum loci eſt ambitioni, ſuperbiæ, inuidiæ, inimicitiis, fraudibus: ſecum ipſi ſatis habent quod agant, & domi plus negotiorum quàm vellent. Nec eſt tam inhumana & agreſtis Podagra, vt cibum vobis vinumque prorſus neget. Quin eius conceſſu delicatius interdum cibo & potionibus reficimini. Quod ſi vos ingurgitaueritis, aut in Venerem effuderitis, tum iuſtitiæ munus exercens, pœnas ſumit de ſontibus iuſtas atque meritas. Ob hoc ſane laudanda eſt. Illa ex inhumanis humanos, ex iracundis mites, ex intemperantibus temperantes, ex libidinoſis caſtos, ex impiis religioſos, ex auaris liberales efficit. P. Hæc eadem cæteri morbi. C. Immo non. Quoniam aut citò homines tollunt è medio: aut ita ſine intermiſſione vellicant & affligũt, vt niſi de doloribus cogitare nihil poſſint. Hæc verò ſuas vires & intendere nouit, & remittere, longaque interualla concedit. Qua etiam conflictati ſunt Philoſophi, & Principes, & Reges, & Imperatores: cum quibus, qui eſt ingenuus, malle debet aſpera quæque perpeti, quàm cum plebeis & ſordidis mortalibus voluptatum illecebris eneruari atque effœminari: ac dum mens modò ſtatum ſuum valetudinemque rectam conſeruet, de corpore, quo tanquam mancipio vtimur, non adeo laborare. P. Quis hanc peſtem laudauit è veteribus, quam tu ita prædicare inſtituiſti? C. Quamuis nullius præconio exornata eſſet, non ideo tamen laudem non mereretur. Quot enim illuſtribus rebus, quot illuſtribus viris contigit, vt præconem nullum aſſequerentur? Et tamen nihilominus illarum præſtantia, & horum virtus laudibus digna eſt. Nec quia cuiquam facta eſt iniuria, ideo eam augere oportet. Cæterùm, ne omnino laudatore putes caruiſſe Podagram, ſcito Lucianum diſertiſſimum ſcriptorem eam celebraſſe. Mihi verò de ea cogitanti tam multa egregia occurrunt, vt ſi velim proferre omnia, citius diei quàm orationis finis ſit futurus. Etenim quod primo loco dictum conueniebat, non quæſiuit nomen ſplẽdidum. Neq; enim ſe Cephaleam, aut Cardialgiã, aut Ophthalmiã à præſtantioribus partibus, ſed à contemptiſſimis & infimis, à pedibus, inquam, ſe nominauit. Tam antiqua porrò eſt, vt etiam in bello Troiano interfuerit. Quæ cum doloribus, quod negari non poteſt, homines premat, nullum interficit, aperteque inuadit, ſine vllis inſidiis,

ſidiis, quos inuadit. Soli Deo ſubiecta, medicos irridet. Generoſa eſt, ſiquidem imbellem ætatem contemnit: pueros, ſenes decrepitos, mulieres, ſpadones nihili facit: quod floret, quod robuſtum, quod nobile atque inclytum aggreditur. Pauperes & ruſticos relinquit. Nullæ illam minæ terrent, nullæ blanditiæ deliniunt, nullæ machinæ expugnant. P. Occidis me loquacitate tua. Lauda calculum tuum: & cum tibi perſuaſeris habere te in corpore tuo excellens bonum, tum mihi quoq; perſuadebis. Poſſet eodẽ modo laudari peſtilẽtia, poſſet bellũ, ſicut ebrietas, ſicut moria, ſicut mors, ſicut muſca, ſicut caluitium à quibuſdam laudata ſunt, qui ſua ingenia ſuamque eloquentiam in rebus vel abſurdis & incredibilibus, vel abiectis & humilibus oſtentare venditareque voluerunt. Non mihi foret difficile commendare lupanaria, mendicitatem, & ſimilia. C. Quod ergo remedium eſt morbis noſtris congruentiſſimum? P. Æquus animus, id eſt ærumnæ condimentum optimum. C. Sic exiſtimo: & occurrit illud Senecæ. Nihil tam acerbum eſt, in quo non æquus animus ſolatium inueniat.

ANNOTATIONES.

MORBO ALICVI SONTICO) *Sex. Cæcilius Iurecoſ. qui leges duodecim tabularũ interpretatus eſt, morbum ſonticum eſſe intelligendum dixit morbum vehementiorem, vim grauiter nocendi habentem. Gell. lib. 20. cap 1. Alii iuſtum & perpetuum exponunt, quique alicui rei gerendæ impedimento eſt: ac proinde in militaribus decretis non tenebatur is iureiurando eſſe aſtrictus, qui ſontico morbo eſſet affectus. Apud Næuium ſontica cauſſa eſt legitima & iuſta. Elius Stelo ſonticum exiſtimauit pro noxio dictum: unde ſontes homines pro obnoxiis & deperditis: & ſontire verbum pro eo quod eſt, in aliqua re obeſſe, & grauiter nocere. Sons igitur nocens, vt ex contrario inſons innocens. Auſonius. Si bonus eſt inſons, contrarius & malus eſt ſons.* POTEST HIC VALERE BENE, SI ILLVD) *Quum nos ægrotantes nihil niſi cum probitate coniunctum delectet, quam nulla illecebra ad peccandum ſollicitent, docet Plin. epiſtolio quodam lib. 7. cuius in extremo conſilium eſt, vt ſani explicemus, & ad rem conferamus, quod ægri ſtatuimus. Sed malo ipſius verba, atque adeo epiſtolam illam 26 integram ponere, quia me recreauit, nec lectoribus meis ingratam futuram ſpero.*

C. PLINIVS MAXIMO SVO.

Nuper me cuiuſdã amici languor admonuit, optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus. Quẽ enim infirmũ aut auaritia, aut libido ſollicitat? nõ amoribus ſeruit, non appetit honores, opes negligit & quantulumcunq; vt relicturus, ſatis habet: tunc deos, tũc hominẽ eſſe ſe meminit: inuidet nemini, neminẽ miratur, neminẽ deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur; balnea imaginatur & fontes. Hæc ſumma curarũ, ſumma votorum, mollemq; in poſterum, & pinguem, ſi contingat euadere, hoc eſt innoxiam, beatamq; de

ſtina

Digitized by Google

ſtinat vitam. Poſſum ergo quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philoſophi docere conantur, ipſe breuiter tibi mihique præcipere, vt tales eſſe ſani perſeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi Vale. MVLIERES] *Romanis tamen mulieribus accidere quoque podagram, & quam ob cauſſam, indicat Seneca epiſt 95. Maximus, inquit, ille medicorum, & huius ſcientiæ conditor, fœminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ iam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. Non mutata fœminarum natura ſed vita eſt. Nam cùm virorum licentiam æquauerint corporum quoque virilium vitia æquauerunt. Non minus peruigilant, non minus potant, & oleo & mero viros prouocant. Æque inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æque niuem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis.*

PROGYMNASMA

ALTERVM ET QVINQVAGESIMVM.

Philebotomia, ſeu miſſio ſanguinis.

MEDICVS, PHLEBOTOMVMENVS, PHLEBOTOMVS.

MEDICVS. Si effectum dediſti quod heri præceperam tibi, vt ante horam nonam, quo tempore miſſurus eſſes, inambulares per hortum, moderateque corpus agitares ad humores commouendos extenuandoſque, feciſti bene. P. Obſecutus ſum tuo iuſſui. M. Præterita iam nona ad rem aggrediendum puto, ſecabimus venam. P. Paratus ſum, ſecetur. M. Paretur ſubitò ouum ſorbile, apporteturque vini caliculus. P. M hinc? M. Maxime. P. Mos eſt cibo vacuis plane ſanguinem mittere. M. Hunc eſſe morem ſcio: tamen iſtuc quod iubeo etiam eſt in more, & Medicis nonnullis probatur. P. Quanam de cauſſa? M. Exinanito ventriculo ſanguinem natura pertinaciter cohibet, ne prorſus alimento ſpolietur: eum facile dimittit, ſi vel aliquantillum antea nutrimenti acceperit. Quod ſi te humoribus ſpiſſeſcentibus plenum iudicaſſem, ante biduum etiam imperaſſem balneum: quando per id rareſcunt, ac diſſipantur. P. Tuum iudicium & in hoc, & in aliis promptus ſequar. PHLEBOTOMVS. Afferte peluim capaciorem, in qua collocem hæc duo minuta excipula ad perſpiciendam commodius in iis emiſſi varietatem conditionemque ſanguinis. Poſt, eam reponite loco non ſordido, quò nec puluis, nec ventus, nec ſolis radii aſpirent.

Digitized by Google

rent. Statuite hîc ſellam cum ſcabello. M. Exſorbe hoc ouum. Hauri etiam iſtuc villum. Tu interea ſcalpellum, faſciam lineam, & qua conſtringatur brachium laneam expedito. Præſtóne eſt mitella ſerica, cui de collo pendenti brachium affectum inſeras? P. Iſta eſt. PHLEBOTOMVS. Iam brachium paululum oleo inunctum fricabo, vt eo tepefacto ſanguis veniat expeditius. Aliquid inſuper olei ſcalpello illinam, quo ſectiunculæ dolor temperetur. P. Quod tuæ conſuetudinis & artificii eſt, libere facito. PHLEBOTOMVS. Quam venam incidam? M. Mediam, & communem ſeu matrem: tu medianam appellas. Si λειποθυμίαν times, iacenti mittemus. P. Nihil timeo. PHLEBOTOMVS. Manum extremam pedi meo ſiniſtro ſuperpone. Turgent venæ. Num arctius aſtringo faſciam? P. Remitte nonnihil. PHLEBOTOMVS. Quoties antehac miſſus eſt tibi ſanguis? P. Quinquies. PHLEBOTOMVS. Sempérne ex hac vena? P. Non: è cephalica, è baſilica quoque. PHLEBOTOMVS. Quo anni tempore? P. Menſe Maio, vt nunc. PHLEBOTOMVS. Menſis opportuniſſimus. M. Et in anno ſemel tantum, nónne? P. Semel. M. Crebrior inciſio facit, vt quemadmodum multum ſanguinis, ſic multum vitalis ſpiritus ſimul exeat. Quo exhauſto, vniuerſum corpus frigeſcit, actiones naturales præpediuntur, & infirmantur, intempeſtiua ſenectus difficileſque morbi conſequuntur. Quippe vbi calor naturalis ſupra modum eſt refrigeratus, & humidum primigenium immoderatius imminutum, languent viſcera, regnat malorum multorum genitrix cruditas. PHLEBOTOMVS. Tu famule, ambabus manibus peluim tene. M. Abſiſte longius à brachio, ne cruore aſpergaris: ſaliet enim prima eruptione longius. PHLEBOTOMVS. Quod fæliciter cadat. En, recluſi venam M. Heus ancilla, acetum in patella, vt ſi res poſtulet, tempora, frontem & nares illinamus. P. Balneator quidam ab hinc triennium, cum, non vti tu modo, ſecuiſſet, ſed pupugiſſet, & quidem tertium, dicebat habere me cutem præduram: ſcilicet in elephantis corium ſe putabat inc idiſſe. PHLEBOTOMVS. Nihil tua cute mollius. Ac periculum magnum fuit, ne tertia percuſſione venam penetraret, aut neruum attingeret, vnde neruorum diſtentio fuiſſet conſecuta, quæ hominem crudeliter conſumit: aut arteriam incideret, quæ neque coit, neque ſaneſcit. Iuncta eſt ſiquidem vena arteriis, his autem nerui. M. Belle, & cum impetu ſanguis profluit. PHLEBOTOMVS. Quot vncias? M. Septem. Agita pollicem. P. Spero hanc ſectionem mihi ſalutarem fore. PHLEBOTOMVS. Diui diuæque omnes te adiuuent. M. Num te ſentis debiliorem? P. Aliquanto. M. Perunge illi aceto vtrumque tempus. Mutatur ſanguis, & prope impleta eſt menſura. Supprime, priuſquam anima deficiat. Vulnuſculo iam penicillum ex aqua frigida expreſſum impone, & deliga brachium. PHLEBOTOMVS. Factum eſt. Sede adhuc pauliſper in iſta ſella, brachiúmque ſuper caput repone. M. Initio craſſus & niger fluxit, poſt rubere & pellucere cœpit. Satis detractum. Quod reſtat, id ſincerum, integrum, & purum crede. PHLEBOTOMVS. Togam rurſus tibi induam. Intorque brachium

ſenſim,

Digitized by Google

ſenſim, caue extendas. Iam in modum torquis micellam tibi è tela ſerica circumdabo. Nodum in ceruice faciam. Siccine ſatis longa, an contrahenda? P. Conuenit. M. Recuba aliquantiſper in hoc lectulo, dum exagitati humores conquieſcant. Somnum ſi acceſſerit, faceſſere vſque in noctem iubeto. P. Quamobrem à phlebotomia noxius eſt ſomnus? M. Ante ſextam horam minimum neutiquam ſomnus admittendus. Cauſæ complures cùm adducantur, duas adduxero. P. Quæ ſunt? M. Ideo prohibemus iſtuc, ne inter domiendum humores in partem ſcalpello affectam ac dolentem cum transfluxerint, abſceſſus ibi, ſeu apoſtema exiſtat. Natura quippe comparatum eſt, vt dolentes partes affluxibus huiuſmodi cumulentur, in ſomno præſertim. Præterea ſpiritus, ſanguis, & calor vena laxata ad exteriora prolectati, ſopore ad centrum retrahuntur: atque ita perſæpe, tum ob vena patefactâ excitatam commotionem, tum per ſomnum retractionem, humores bullire incipiunt, indeque febris tandem accenditur. Vitandi item cibus potuſque frigidus, & omnino frigus. Corpus etenim calore innato non parum per ſanguinis detractionem imminuto, immodice frigeſcit. Hoc præceptum tam neceſſarium non eſt Maio menſe: aliâs obſeruabis, cum cœlum eſt frigidius: item quando nebuloſum ac turbidum eſt, tum intra tectum mane. Motionem inſuper vitabis, ne commoti humores magis commoueantur. Abduces te quantum potes à moleſtiis & angoribus, dabiſque te ad riſum cum amiculis & lætitiam, onerabis te hilaritudine. Cibus eſto leuis, ſed materiæ valentis, quodque Plautus ait, optimi ſucci. P. Qualis? verbi gratia. M. Hodie pullus, aut auiculæ aliquot aſſæ, ius amygdalinum, & huiuſmodi. Alimonia primo atque altero die vtendum eſt moderata: facultas namque confectrix, ſanguinis imminutione reddita imbecillior multum eſcarum concoquere haud potis eſt. P. Quantum intellexi, & vti recordor me aliâs acceptum, parce pranſurus ſum. M. Sed ſalubre prandium. P. Hæc vobis medicis quaſi quædam teſſera caſtrenſis eſt: omnes idem mandatis. M. Sub noctem te interuiſam. P. Quæſo, quod ſine moleſtia tua poteris.

ANNOTATIONES.

ARTERIAM INCIDERET) *Celſus, cùm docuiſſet lib. 2. cap. 9. omne auxilium corporis aut demerè aliquam materiam, aut adiicere, aut euocare, aut reprimere, aut refrigerare, aut calefacere, ſimulq; aut durare, aut mollire: demi verò materiem ſanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, vomitu, frictione, geſtatione, omnique exercitatione corporis, abſtinentia, ſudore: primum agit per cap. decimum de ſanguinis detractione per venas. Ex eo capite non alienum eſt viſum nonnulla transferre aut ornamenti, aut ſupplementi nomine. Mittere autem ſanguinem cum ſit expeditiſſimum, vſum habenti, tamen ignaro difficillimum eſt. Iuncta enim eſt vena*

arteriis,

arteriis, his nerui. Ita ſi neruum ſcalpellus attigit, ſequitur neruorum diſtentio, eaque hominem crudeliter conſumit. At arteria inciſa neque coit, neque ſaneſcit, interdum etiam vt ſanguis vehementer erumpat efficit. Ipſius quoque vena, ſi fortè præciſa eſt, capita comprimuntur, neque ſanguinem emittunt. At ſi timide ſcalpellus demittitur, ſummam cutem lacerat, neque venam incidit. N*onnunquam etiam latet, neque facilè reperitur. Incidenda ad medium vena eſt, ex qua cum ſanguis erumpit, colorem eius, habitumque oportet attendere.* N*am ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus eſt. Ideoque vtiliter effunditur. Si rubet & pellucet, integer eſt: eaque miſſio ſanguinis adeò non prodeſt, vt etiam noceat protinusque is ſupprimendus eſt.* Hæc Celſus. D*ifferentiam inter venas & arterias hanc affert Gellius lib.* 18. *cap.* 10. *Venæ ſuapte vi immobiles ſunt, & ſanguinis tantum demittendi gratia explorantur: arteriæ autem motu atque pulſu ſuo habitum & modum febrium demonſtrant.* Q*uamobrem reprehendit ibi Taurus philoſophus medicum, qui ſibi dixerat,* ἐὰν ἅψῃ αὐτοῦ τῆς φλεβός, *ſi tetigeris eius venam, Gellii ſcilicet, qui aluo cita & accedente febri rapida decubuerat: venam quippe pro arteria dicere non debuiſſe. Sed tamen eum peruulgatè magis quàm inſcitè locutum eſſe: non enim ignorare illum medicum quid vena appellaretur & quid arteria. In extremo autem capite fuſius hæc duo Gellius ita diſtinguit. Vena eſt conceptaculum ſanguinis, quod* ἀγγεῖον *medici vocant, miſti confuſique cum ſpiritu naturali, in quo plus ſanguinis eſt, minus ſpiritus: arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis, miſti confuſique cum ſanguine, in quo plus ſpiritus eſt, minus ſanguinis. Verumtamen pulſum eſſe venarum quoque, aduerſus Gellii ſententiam oſtendit ex auctoribus magnis Rhodig. lib.* 3 *cap.* 14. *vbi item ex Auicenna tradit, arterias eſſe corpora ſinuoſa, in longum porrecta, neruoſa, ex corde propagata, quibus inſit motionis virtus per diaſtolen, & ſyſtolen, id eſt per diſparationem & contractionem, vt inde cordis euentatio comparetur, & ab eo fumidus ſegregetur vapor, & membris corporis diſtributim infundatur ſpiritus. Venæ autem arteriis perſimiles quidem ſunt, ſed ab hepate manant & quieſcunt. Earum munia ſunt, membris ſanguinem inſinuare.*

*Q*uòd ſi ego aut frequentior, aut vberior paulò, cuipiam in quibuſdam declarationibus aſſertionibusque ad rem medicam, ſiue ad corporis noſtri bonam habitudinem ſpectantibus videbor, ei reſponſum eſto: mihi perabſurdum videri, hominem liberalem, ac præſertim literarum cultorem ea prorſus neſcire, quæ non occulta quadam ratione continentur, ſed in promptu ſunt, & efficiunt, vt cùm neque corporis humani, atque adeo noſtri etiam partes, earumque vim & nomina, neque medicaminum poteſtatem atque genera penitus ignoremus, & ipſi medico affectiones, dolores, morbos noſtros planius exponere, & quæ ab illo dicuntur, ſuadentur, præcipiuntur rectius intelligere poſſimus.*

PRO-

PROGYMNASMA TERTIVM ET QVINQVAGESIMVM.

Moroſitas ægrotantium.

ÆGROTVS, CVSTOS.

ÆGROTVS. O dulce mœrorum dolorumque lenimentum. O voluptatem ſomni ſuauiſſimam. Optime ſomne, quamprimum fac me iterum conuenias: nam certè nihil te vno mihi vtilius, quidquid iſti medici garriant. C. Quid ego noui percipio? Tu me abſente ſomno victus es? Incautum me, cur tam diu abſui? non ſiuiſſem te in ſomnum labi. Æ. Quare? C. Quia medicus ita imperauit. Æ. Diuinitus ergo factum, vt abeſſes. Vides me inſomnia morientem, & potes æquo animo ſuſtinere? Túne hunc ægrum amas? ô alienum ab humanitate, magisque ferum, quàm verum hominẽ. C. Quod ſalutare tibi eſt, & medicus cenſuit, hoc exſequar: aliter ſi faciam, quouis malo dignum me deputem. Iſta autem ſæuitia quã tu obiectas mihi, eſt legitima pietas & humanitas. Æ. Carnificina eſt. Negat omnia mihi. Sitio, vetat bibere; niſi interdũ guttas aliquot, quantum daretur paſſeri. Eſurio, intritum ex aqua calida, ſine butyro, ſine ſale comedendum dat: panatellam, tilletellam. Quas, quæſo, vires præſtare hoc inſulſum cibi genus poteſt? Neſcio præterea, ſitne aqua an vinum quod ſorbeo. Moriar, niſi ego pullos duos aut tres vno prandiculo conficerem, & ſextantem vnum alterumque ebiberem. C. Quid faciemus tibi, quid nõ faciemus? Paulòante nihil loquebaris *aliud*, niſi vt nihil cibi prouideretur: nunc pullos optas. Nihil perpetuò placet tibi. Ne velis tute tibi dare conſilium: in ea præſertim re, in qua nihil didiciſti. Imitare potius viros ſapientes, qui cùm in morbum incidetunt, obliti ſapientiæ ſuæ, doctis ac diligentibus medicis ſincere obtemperant. Æ. Non intelligo tamen, cùm ſe profiteatur me ſanaturum, cur occidat. C. Hem, mitte contumelias: morbi vis mentem tibi videtur imminuere. Æ. Quando tandem conualeſcam? C. Quando placuerit Deo. Æ. Hoc fiet etiam ſine medico. C. Sed non placet Deo, nos medicum contemnere cùm in promptu eſt: & eiuſdem opera nobis vult ſanitatem reſtituere. Æ. Vrinam inſpexit centies. Nunc alba, nunc flaua, nunc rufa illi eſt. Iam probat, iam non probat. Venæ pulſum explorauit millies. Miror autem qui ſint formicantes, vermiculantes, caprizantes pulſus, de quibus ille nuper. C. Depone iſtam curam. Æ. Quando erit finis huius curationis? Qui ſemel in medicorum manus incidit, tanquam præda à canibus ægrè ſe poteſt liberare. C. Dicito mihi. Si tu ageres medicum, ego eſſem in morbo, velléſne tibi me, an te mihi obedire? Æ. Te mihi vtique. C. Cur ergo non facis modò idem? Cur ſecundam te valetudinem diuino beneficio recuperaturum non ſperas? Æ.

Equi-

Equidem & facio, & ſpero. Sed puto hominem à me grandem exſpectare pecuniam in mercedis loco. C. Omitte hos ſermones. Æ. Abſterge ſudorem mihi. C. Abſterſi. Æ. Leua corpus meum. C. Leuò. Æ. Porrige manum: ſine deſcendere de lectulo, & illum ſterne. Vt ſolutæ ſunt mihi compages? Vtinam quis mihi afferat è puteo frigidam. Vtinam alicubi in herboſo prato ſub arboris vmbra recubarem. C. Cooperiam te palla iſta pellibus vulpinis ſubſuta: cauendum eſt enim frigus. Æ. Sine me ſic. C. Non ſino: ſede interim in hoc hemicyclo. Æ. Inambulabo. Porrige ſcipionem. C. Deſunt vires, vix conſiſtis pedibus. Æ. Tamen ambulabo: iucundum eſt videri ſaniorem quàm ſis, etiamſi non ſis. C. Nempe ſicut videri ditiorem, cùm ſis inops. Æ. Occluſior fac ſit valua: nimium luminis ſe ingerit. C. Siccine? Æ. Etiam. Age, ſubitò me in lecto repone. Feſſus ſum: nec ſedere libet, nec ambulare. Aperi valuam: nimium tenebrarum eſt. C. Sciebam te hoc diu non facturum, non paſſurum: ſemper enim quod abeſt, placet: quod adeſt, citò diſplicet & iam tibi, & aliàs tui ſimilibus. Æ. Sparge ſuffitum è iuniperi granis, aut thure, ſi habes. Fœtet valetudinarium. C. Paulò antè id feci. Æ. Fac iterum. C. Sua hora fiet denuo. Æ. Age fac. C. Prô, facilius reor ægrotare, quàm ægroto dare operam. Æ. Quo pacto? C. Ægrotus ſimplex habet malum: qui curat, duplex. Æ. Quomodo duplex? C. Laborem corporis, & animi moleſtiam. Æ. Quis tibi moleſtiam exhibet? C. Tua moroſitas, & impatientia. Æ. Immo tua impatientia. Nondum ſentio ſuffimentum. C. Mitte curam. Æ. Quot pyxidulæ? quot condita, ecligmata, trochiſci? quot aquarum, vnguentorum ſpecies? pharmacopolæ totam officinam puto euacuatam, & me ſolum ægrotare in hoc oppido. C. Quot ſollicitudines inutiles te ſollicitant? Æ. Etiam tu me reprehendis? C. Quia dignus es. Moderatione & robore animi ſi vllo eſſes, morbum ferres lenius. Æ. Conſolari me debes, non obiurgare. C. Conſolatus ſum, & conſolabor. At tu nimis indulges impatientiæ, & dolori non reſiſtis, quantum poſſes. Æ. Omnes cùm valemus, recta conſilia ægrotis dare conſueuimus. Da aquam ad gargariſmum. C. Gargariza Ego ſubiiciam hoc vaſculum. Æ. In terram exſpuam. C. Medicus volet videre quid reieceris. Æ. Hui, margaritas videbit. C. Contege te ſtragula veſte. Æ. Nimis caleo. C. Ipſe iuſſit. En adeſt præ foribus: loquentem audio. Æ. Væ mihi, nouum tormentum imperabit.

ANNOTATIONES.

MOROSITAS ÆGROTANTIVM) *Quid eſſet moroſitas, ſatis, opinor, oſtendimus annotationibus in 17. dialogum 2. voluminis. De ægrotorum verò moroſitate pulchrè in libro de tranquillitate animi Plutarchus. Moroſiſſima res eſt ægrotantes, præ conſilij inopia, vt inquit Ion: nam vxor faſtidio eſt, medicum incuſant, lectulo ſuccenſent, denique amicus inuiſens moleſtus eſt, abiensq; rurſus offendit. Poſtmodum verò remittente morbo, temperamentoq; reddito ſenſim venit ſanitas, iucunda iam omnia faciens & placida: adeò, qui oua pridie, amylum & primarium panem faſtidiosè*

Digitized by Google

ſtidioſè expuerat, cibarium poſtridie auidiſſimè cum oliuis aut naſturtio comeſt. Tantum eſt in firma ratiocinatione momentum, ad vnum quodq; vitæ inſtitutum immutandum: ea vis ad vitam fœliciter traducendam. Expreſſit eleganter moroſitatem iſtam de qua loquimur Euripides in Oreſte, & Hippolyto. Nam ibi matricida ille miſerrimus, animi inops, & tamen per interualla ad ſe rediens, toto corpore languente, cùm haberet miniſtram ſororem, eamq; in curando fratre maximè ſedulam, nunc vult ſuſtolli è lectulo: nunc ſibi ab ore ſpumas, ab oculis è lacrymis ſorditiem abſtergi: nunc illius ſe lateribus fulciri, nunc comam in oculos propendentem remoueri: nunc rurſus in lectum reclinari: paulò poſt denuo leuari, & ambulare etiam. Quæ omnia videns & audiens Chorus, ait, δυσάρεστοι οἱ νοσοῦντες ἀπορίας ὕπο. Moroſi ægrotantes, ob mentis impotentiam. Hic autem Phœdræ Nutrix, cùm ante ædes eductam ſub dio collocaſſet τί σ' ἐγὼ δράσω; τί δὲ μὴ δράσω; & quæ ſequuntur. Quid faciam tibi, quid non faciam? IVCVNDVM EST VIDERI SANIOREM) *Interrogat mirum in modum ſollicita illa, & Oreſtem laborantem non vt fratrem chariſſimum beneuolentiſſima ſoror, ſed vt filium vnicum, eumque tenerum pia mater omni ſtudio & induſtria fouens, num aliquantum, & propter virium imbecillitatem lento paſſu ambulare velit, quia grata ſit in rebus viciſſitudo. Reſpondet ille.*

Μάλιστα, δόξαν γὰρ τόδ' ὑγιείας ἔχει.
Κρεῖσσον δὲ τὸ δοκεῖν, κἂν ἀληθείας ἀπῇ.

Quid ni ambulem? videtur enim quodammodo ſibi & aliis ſanus qui ambulat. Et iucunda eſt etiam ſine veritate opinio. Ita dulce eſt putari ſanum cùm non ſis, diuitem cùm non ſis, probum cùm non ſis, doctum cùm non ſis, formoſum cùm non ſis, nobilem cùm non ſis.

PROGYMNASMA QVARTVM ET QVINQVAGESIMVM.

Chirurgicæ querimonia.

CHIRVRGICA, PHARMACEVTICA, DIÆTETICA.

CHIRVRGICA. Olim auia noſtra Iatrice, ſeu empiricam, ſeu methodicam, ſeu logicam medicinam cum filiabus ſuis, cum matre, inquam, noſtra Therapeutica, & matertera Hygiena, factitaret, vnum perpetuò eundemque finem atque ſcopum ſibi proponebat: vt homines nimirum commoda valetudine vterentur. Eadem nos tres neptes ſuas medicis omnibus maiorem in modum commendauit: qui nos æqualiter dile erunt; honoribusque ampliſſimis efferre ſemper contenderunt. P. Hippocratem, Galenum principes illos, & alios ex antiquitate multos in[illegible]as. C. Sic eſt, ſoror mea. Qui porrò factum dicam, vt tam infœliciter diſiungeremur diſtraheremurq; à poſterioribus medicorum filiis: & ego quidem

quidem pleriſq; in locis ad tonſores relegareris: tu Pharmaceutica ad pharmacopoles: tu Diætetica ad cocos, & ægrotantium miniſtros atq; cuſtodes detruderetis? D. Hei, factum eſt, & id mecum ſæpius lamentata ſum. Iam non ſimul in ædibus medicorum: in culinis, tonſtrinis, & pharmacopoliis potius tanquam in diuerſis exiliis diuerſe habitamus. P. Me quidem ſermonesque meos iſti pharmacopœi haud nimis intelligunt. C. ... nimis benę meos, qui hodie chirurgi vocantur. D. Hoc ſibi boni illi medici ſeruauerunt, vt de victus ratione conſtituerent ali..., plus ... de medicaminibus, idque in reconditis affectibus: manus ... medicæ nobiliſſimum primariumque inſtrumentum in curatione adhibere nequaquam volunt; plebeis iſtuc, & in medica facultate parum exercitatis quibuſdam pæne totum relinquunt. C. Et tamen nuſquam non ... nus in curando: nec eſt, quod clarius oſtendat, medicinam eſſe adie... nem & ſubtractionem, quomodo noſter Hippocrates definiuit. Adie... ctionem quidem deficientium, ſubtractionem vero redundantium. P. Hoc barbaris gentibus debemus, qui poſtquam nobiliſſimæ prouinciarum Italiæ cladem & vaſtitatem intulerunt, ſimul etiam diſciplinis liberalibus intulerunt: quæ poſt id tempus labi ac in præceps ... erunt. Tum primum conſuetudo inter medicos ... ata eſt, quæ apud ægrotos curandos manuum officia poſtularent, ea ſeruis mandare, ... ſe vt architecti ſolent ſuis operis, aſtare. Paulatim conſequentium ætatum medici, cùm quæſtus honoresque ſuos nihil imminui paterentur, incommoda autem, & moleſtias deuitarent, ipſos illos imitati, præparationem ciborum atque potus, medicamentorum compoſitionem, & quæ manu confici debebant, ad alios tranſmiſerunt. D. Inde ſecutum, vt tabernæ pharmacopolarum tam vitioſis remediis, & ars tota noſtra tam peregrinis, quæ neque Græcus, neque Latinus intelligat nominibus repleretur. Tecum verò, Chirurgica, peius actum videtur quàm nobiſcum: ac ... inde vehementius me tui, quàm noſtrûm ambarum miſeret. C. Quanquam huius tuæ miſerationis cauſſam germanam ſuſpicor, nihilominus aperito mihi. D. Haud me fugit, nec tu neſcis, quàm illi veteres curationem quę manibus perficitur, diligenter accurateque tradiderint, & quantam ipſimet induſtriam in ea collocarint? Vtique tantam omnino, quantam in aliis partibus duabus, quarum nos dominæ & reginæ ſumus. Quoties autem libros Hippocratis quidem de medici munere, de vlceribus, fiſtulis, vlceribus capitis, de oſſium fracturis, de articulorum luxationibus, officina medici: Galeni de faſciis: Oribaſii de laqueis, de machinamentis intueor, toties tua cauſſa ingemiſco. P. Et ego ſimiliter, cùm mihi ſubit recordatio Galeni, qui Pergamenſium gladiatorũ curationem ſibi commiſſam aliquoties gloriatur: quique cum affecta iam ætate ſectu-rus eſſet ſimias, noluit famulorũ opera eas pellibus exui. Nec ... præ-dicat, quãtoperè manus artificio delectatus ſit: quamq; libenter in ... reliquis Aſiæ medicis incubuerit. C. Tanto igitur iuſtiorem video eſſe dolorem meum. Et quoniam nunc Chirurgi famulorum loco habentur, nonne manifeſtum eſt, me à medicis in famulæ loco duci? Quaſi ...

 penitus

[illegible]us mihi incognita eſſet: quaſi molitoris alicuius, aut opilionis eſſem [illegible] P. Ex hac eorum erga nos inhumanitate apparet, cur ſe phyſicos dicunt: quo vocabulo nullus antiquorum ſe poſtulauit nominari, cùm conſtet tamen eos φυσικωτάτους fuiſſe. D. O rem indignam. Quando vel vnus occurrit morbus, qui non ſubitò omnium noſtrûm opem requirat? Mox de victus ratione cogitandum: mox medicamenta comparanda: mox aliquid demum manu peragendum eſt. Inde propter iſtam noſtram diſiunctionem tribus aut pluribus artificibus eſt opus. Quos omnes vt ego medicos nominem, abſit. Quàm pulchrum foret, ſi tum manibus inter nos complexæ, vnà cum medico ad ægrum intraremus? Sanè ſingulæ tanto fælicius, quanto coniunctius operam nauaremus. D. Optare licet iſtuc: nunquam fiet: quoniam à recto tramite diſceſſum eſt, quàm longiſſimè. P. Nec iudicem habemus ad quem prouocemus, Niſi Æſculapius (vt quondam Virbium) Hippocratem & Galenum in vitam reuocet, apud quos accuſemus iſtos, qui Therapeuticæ matri noſtræ nobiſque tam inſignem imponere non verentur tot annis iniuriam. C. Decantant illi verſiculum Homeri, quo medicum vnum multis aliis hominibus anteponit. Perinde quaſi poeta ſapientiſſimus, cum toto poetarum choro Podalirium & Machaonem ideo dílaudet, quia febriculam morbúmue alium, quem ſola natura, & leuius etiam aliquando pellit, fugaſſent: ac non potius, quia luxationibus, fracturis, contuſionibus, vulneribus, ſanguinis fluxionibus curandis præeſſent, ſpicula, tela è corporibus militum educerent, reliqua adminiſtrarent, quæ læſi in bello milites deſiderant. Non ergo magis ad Phyſicos, quam ad Chirurgos carmen illuſtriſſimum pertinet. D. Aptè concludis ſoror. Contemptus, in quem ſe venturos timent iſti, in cauſſa eſt, cur ſe nec eſſe, nec dici Pharmacopolas & Chirurgos velint. C. Atqui ne imperfecti medici habeantur, cur non timent? P. Hortandi ſunt tyrones, vt manus quoque ad medendum ægris admoueant. C. Actum eſt. D. Nóſne aliquando hoc malum ſperare potuiſſemus? C. Ego potiſſimùm, quæ in tantam ignominiam & paupertatem è tanta gloria tantíſque diuitiis protracta ſum. Vultis meam ſupellectilem audire? P. Narrato. C. Pelues aliquot, ſcalpra, phlebotoma, ſpecilla diuerſi generis, dentifrangibula ſeu odontagræ, nouaculæ, cultriue tonſorii, forpiculæ, myrothecia, ſpongiæ, inſtrumenta ad ſagittas extrahendas, vt forceps deceptoria, terebrum torculatum, ſolidum, concauum, tenacula camulata, denticulata. Item ad extrahendos è corpore globulos plumbeos, partes loricæ, partes catenæ, ferramenta quadricula, reſque alías, ſpecilla conuexa, annularia, hami ſimplices, duplicati, alphonſinum apertum, clauſum, anſerinum magnum, mediocre, paruum, gruinum, ciconinum, camulæ. Inſuper ad alios vſus varia terebra, modioli, ſerrulæ, phacoti, meningophylaces, vertibula, ſcolopomachæria, ſyringotoma. Denique machinamenta aliquot, laquei, faſciæ. Pudet memorare reliqua D. Deſinamus conqueri, & quod mutari non poteſt, placatioribus animis, quoad Deo viſum fuerit, toleremus.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

QVerimoniæ huius occaſionem nobis Andreas Veſalius, ille clariſſimus archiatrus obtulit, qui præfatione in libros ſuos de fabrica humani corporis, diſtractionem partium θεραπευτικῆς *eruditiſſimè reprehendit.* DISIVNGEREMVR) *Peropportuna cenſeo fore, cùm huic loco, tum toti dialogo illuſtrando, quæ in 2. de Orat. à Craſſo prolata leguntur. Non in hac vna, Catule, re, ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium ac ſeparatione magnitudines ſunt artium diminutæ. An tu exiſtimas, cùm eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios medicos qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur? Hoc loco ſubit animum, quoniam Hippocratis allata mentio eſt, quod ſcriptum reliquit Celſus lib. 1. præf. repetam altius, ſiquidem ad dignitatem ſcientiæ medendi faciunt. Primo medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, vt & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem auctoribus nata ſit. Scilicet his hanc maximè requirentibus, qui corporum ſanorum robora inquieta cogitatione, nocturnaq; vigilia minuerant. Ideoq; multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos eius fuiſſe accepimus. Clariſſimos verò ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum. Huius autem (vt quidam crediderunt) diſcipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparauit, vir & arte, & facundia inſignis, &c.* DE OSSIVM FRACTVRIS) *De arte parandorum ὀψωνίων, quam ignorare medicus non debet, nonnulli antiquorum medicorum etiam libros reliquerunt, vt ſcribit Athenæus, & ipſe Galenus videtur egregiè calluiſſe.* PODALIRIVM ET MACHAONEM IDEÒ) *Hos non in peſtilentia, nec in variis morborum generibus aliquid attuliſſe auxilij, ſed vulneribus tantummodo, ferro & medicamentis mederi ſolitos notauit etiam Cornelius Celſus lib. 1. præfat. Tota res planiſſimè ex Homero cognoſcitur. Et tamen hi principes medici, & huius nationis quaſi progenitores, & antiquiſſimi parentes numerantur.*

PROGYMNASMA QVINTVM ET QVINQVAGESIMVM.

Apologiſmus pro medicis.

SAMPSON, EMMERANVS.

SAMPSON. Quouſque tandem te ſicca tuſſis vexabit? Quouſque mihique tibique creabit moleſtias? E. Quando tu liberaberis iſtis tuberculis? S. Agnatum eſt hoc mihi, nunquam non aliquid habere mali in corpore. Quamdiu ætatem viuo (viuo autem annum ſextum ſupra vigeſimum) vix triennium vacaui: ſemper vnus fui de numero patientium:

 nec

nec tamen patienter fui patiens. Quin etiam depoſitus planè ac deſperatus fui aliquando. Cùm etiamnum in cunis vagirem, ægrotare cœpi morbis infantiæ, vt mihi nutrix iam anicula narrauit. E. Timeo ne parens iſtanc parum certe optabilem & glorioſam tibi hæreditatem reliquerit: ne, inquam, morbi tui ſint patrii, quod aſſolere ſcimus Plerique morbi per ſucceſſiones, vt alia quædam, traduntur, ait Plinius in epiſt. S. Haud puto. Non enim fuit tam cachecticus qui me progenuit, vt ego: mater quoque robuſto, & ſalubri corpore cum me peperit, multoque etiam poſt. Quanquam ille in extrema ætate pulmonicus factus eſt: hæc iſchiadico dolore aliquandiu cruciata, proxime cum corrupto cœli tractu peſtifer annus multis millibus extorqueret dulces animas, ipſa quoque fato ſuo perfuncta eſt. E. Vnde autem tua tam crebra ſternutatio? S. Ex humoribus cerebri. Hunc ex cauſſa non bona bonum effectum prædicant medici. Oſcitatio autem & pandiculatio tua frequens, ſtomachi totiusque corporis languorem indicant. Sine me quoque ex parte aliqua videri medicum. E. Per me tibi Hippocratem eſſe licet. S. Cras vtar ſcarificatione. Quin te adiungis ſocium? E. Hac ego medicina haud indigeo; mallemque induci mihi, quàm educi ſanguinem: adeò exſuccus & exſanguis ſum. Qui verò ſunt alii morbi, quibus te implicitum eſſe meminiſti? S. Anhelus, ſeu ſuſpirioſus aliquandiu fui. Papulis ſeu puſtulis, pſora, impetigine, vitiligine, verrucis, palpitationibus cordis, ſtomachi faſtidio, exſpuitione ſanguinis, pruritibus laboraui: cephalicus, nephriticus fui. E. Metuebam ne diceres, lunaticum, ceritum & inſanum te fuiſſe. S. Sanioſus quidem certè, & purulentus quibuſdam in partibus corporis. Non occurrunt omnia genera pathematum, quæ me afflixerunt. E. Nec ego non ſæpe inter ægrotos merui. Veruntamen perito ac fideli medico ſalutem meam credidi, quod tibi ſimiliter faciendum ſuaſerim. S. Non omiſi hoc quidem. Fit tamen neſcio quo modo, vt à medicis conſulendis, & à pharmacis capiendis abhorream. E. Quamobrem? S. Raro ſanant, & mercedem magnam exigunt. E. Si præſtant officium ſuum, quamuis non ſanent, ſua mercede digni ſunt: nam finis, quæ eſt curatio, in dei, non in illorum manu ac poteſtate eſt. Symptomata interdum pertinaciora, maioraque ſunt, quàm vt vlla medicorum ſcientia, ſedulitate, cura, & induſtria expugnentur. Sunt quandoque occulta nimis, & quæ nec à doctiſſimis cognoſci poſſunt, impedimenta. Eſt inſuper nouitas morbi in cauſſa: eſt ipſe ægrotus, qui obedire in omnibus medico detrectat. Loquor autem de medico, de cuius diligentia, vſu, doctrina conſentiens fama eſt: non de tyrone aliquo, qui heri de pharmacopolio exiuerit. S. Vidi ego frequentem curationem paſſos interiiſſe: & quidem citius illis, qui ſe rarò medicorum arbitrio ſubieciſſent. E. Ad eleuandam medicinæ neceſſitatem, præſtantiamque hoc nihil valet. Coniecturalis ars eſt: coniecturæ autem ratio eſt eiuſmodi, vt cùm ſæpius reſponderit, interdum fallat. Si quid itaque vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cùm per innumerabiles homines reſpondeat. S. Non ſperno iſtos Æſculapios: crebrò non ſum vſus

adhuc,

Digitized by Google

adhuc, nec vtar. E. Non miror ſi toties malè tibi ſit: & dubito num tu ipſe charus tibimet ſis. At tuum exemplum nihil me mouet. Imitor autem Ariſtotelem. S. Quid is fecit? E. Cùm in morbo eſſet, & medicus illi quiddam præciperet: ne me curaueris, inquit, vel vt bubulcum, vel vt foſſorem: prius cauſſam ediſſere, cur quidque iubeas, aut præbeas: ſic enim facili præſuaſione me morigerum reddideris. Hæc res medicum meum minimè offendit: gaudet potius ſcientiæ ſuæ declarandæ à me anſam ſibi porrigi, & me cauſſis rerum explicandis oblectat. S. Si tu ipſe legeres volumina de ratione medicandi, aut de ſanitate conſeruanda, num non idem aſſequereris? E. Non plus, quàm ſi tu de philoſophia, iuriſprudentia, matheſi libros conſcriptos euolueres. S. Haud exiſtimo tam obſcura, tantisque tenebris inuoluta eſſe omnia. E. Pauca ſunt obuia & plana. Quod ſi vllius diſciplinæ vocabula ad intelligendum difficilia ſunt, huius ſunt: omnia fermè Græca, aut Arabica. Pauci præterierunt dies, cùm voces partium humani corporis legi. Deus bone, quàm recondita, quàm etiam multa, nec viſcerum tantummodò, ſed oſſium quoque, neruorum, venarum, arteriarum, cartilaginum, humorum, pellicularum. Ac me deſiderium inceſſit videndæ anatomes: arbitror ſiquidem illa fabrica humani corporis, quæ ibi perſpicitur, in tota rerum natura nihil eſſe mirabilius. Oculis ad eam rem opus eſt: ſola lectio parũ prodeſt ad cognoſcendum. S. Mihi videris homo aut curioſus nimis, aut ſciendi cupidiſſimus. E. Hanc poſteriorem partem ad me appone: priorem tute ſerua tibi. Quò plura cognoſco, eò euado doctior. S. Vtinam quoque probior atque ſanctior. E. Saltem nihilo improbior. Non eſt homini Chriſtiano penitus aſpernanda, & reiicienda medicina: nec tota ſpes in eadem collocanda. Quid ergo? quemadmodum agriculturam adhibemus, & à Deo nihilominus fruges alimoniamque petimus: & gubernatori clauum tradimus, cùm interim ventos ſecundos, & portum ab eodem rogitemus: ſic opere medicorum vtentes, bonam ſpem cæleſtis auxilii deponere non debemus. Eſt ergo perfectus medicus, vt perfectus orator, vt perfectus gubernator, non qui finem ſuum ſemper adipiſcitur: ſed qui eorum, quæ ad adipiſcendum valent, nihil omittit.

ANNOTATIONES.

PRO MEDICIS) *Commune nomen eſt medicus græcè ἰατρός. Quid autem ſit ἀρχιατρος, & quodnam eius munus, perquam eruditè monſtrauit Mercurial. var. lect. lib. 4. cap. 1.* DEPOSITVS PLANE AC DESPERATVS) *Qui morbo ancipiti & periculoſo vexarentur, & de quibus deſperabatur, deferebantur, deponebanturque ante ianuas ædium ſuarum: vel vt ſupremum ſpiritum terræ redderent: vel vt à tranſeuntibus curandi ſeſe rationem acciperent, ſi qui fortè ſimili malo aliquando iactati fuiſſent. Teſtis etiam Plutarchus, lib. Num rectè dictum, λάθε βιώσας. Virgil. 12. Æneid.*

Ille, vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, vſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

 Quem

Quem in locum illa Seruius quæ attulimus. Atque hi depoſiti dicebantur. Qua voce translatè vſus eſt quàm venuſtiſſimè Cicero in Verrem. Itaq; mihi videor magnam, & maximè ægram, & prope depoſitam Reipub. partem ſuſcepiſſe. Dignum porro notatu, quamobrem poeta medicorum artem vocet mutam. Nempe quod eius vis tota in auxiliis & actione potius, quàm in ſermonibus & facundia quadam poſita ſit, quod & Celſus & Galenus paſſim teſtantur. Hinc in medicos loquaces, ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος. INTER ÆGROTOS MERVI) *Maximum conciliare orationi ſplendorem translationes aptas, neque vllum alium ferè ornatum tantoperè eam expedire atque illuſtrare, ac propterea in antiquis ſcriptoribus, atque in omni denique ſermone diligenter attendendas monet Victor. lib.* 19. *cap.* 11. *Deinde ex Lucretio, Varrone, Plauto metaphoricum vſum verbi huius, ægroto, demonſtrat. Quibus teſtimoniis adde hæc. Plaut. Trinum. Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ. Horat. ſat.* 3. *lib.* 2. *tantum hoc ediſſere quo me Ægrotare putes animi vitio. Sic ægrotatio cum propriè in corpore nomen habeat, non ſeiunctum à dolore, ægritudo autem in animo, vt eſt in Tuſcul.* 3. *tamen ad animum transferri ſolet. Cic. Tuſcul.* 4. *Quibus cognitis quis eſt, qui dubitet, quin hic quoque motus animi ſit totus opinabilis, ac voluntarius? Quis enim dubitarit, quin ægrotationes animi, qualis eſt auaritia, gloriæ cupiditas, ex eo, quod magni æſtimetur ea res, ex qua animus ægrotat oriantur? Verùm quæ inter ægrotationem & ægritudinem differentia eſt, ea inter ægrotus & æger non ſeruatur. Nam ad animum & corpus pertinet vtrumque vocabulum.* A PHARMACIS CAPIENDIS) *Pharmaca vomitus, & alui ſubducendæ cauſſa ſumi vetat Plutarch. de tuend. valetud. Appellatione autem pharmacorum non venena modò ac veneno proxima, ſed excantamina quoque, & imprecationes diræ, ac philtra, & quibus plerumque contabeſcunt homines, ſignificantur: vnde ſunt alexipharmaca. Rhodig. lib.* 6. *cap.* 12. *Eſt ergo vox media, vt fortuna, pretium, ars, & ſimiles.* QVOD SI VIX IN MILLESIMO CORPORE) *Vide Celſum lib.* 2. *cap.* 6.

***

APPEN-

APPENDIX ELEGANTIARVM, (PRÆCIPVE CORNELII CELSI) SPICILEGIVM, PER LOCOS COMMVNES.

A.

AFFECTVS, AFFICI.

Affectus vocat, quæ Græcis συμπτώματα, & quas alibi valetudines, difficultates corporis, Cicero inualetudines. Eadem notione vſurpat, affici, vt cùm dicit, mẽte affectus. Sic Cic. ad Att. ep. 19. lib. 14. Cæſarem Neapoli affectum grauiter videram. Philip. 9. qui cũ ita affectus eſſet, vt ſi ad grauem valetudinem labor viæ acceſſiſſet, ſibi ipſe diffideret, non recuſauit, &c. Adiectiuè item, affectum brachium, caput, corpus, affectus puer, affecta mulier, affectæ partes.

ANATOMIA.

Incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera, atque inteſtina ſcrutari. *Hæc definitio eſt anatomiæ, & pro eo quod definitur, poni rectè poteſt.*

ANIMA.

Animæ, & animi defectio, Barbari, deliquium. Anima deficit in curatione.

APHTHÆ.

Græcum eſt. Celſus, ſerpentia vlcera oris.

APOSTEMATA.

Abſceſſus corporis maiores, minores, in magno abſceſſu multum puris coiit. Malagma ad ſupprimendum omne quod abſcedit. Sub lingua interdum aliquid abſcedit.

ASSVMERE.

De cibo & potione frequentiſſimè vtitur hoc verbo. Modò plus iuſto, modò non amplius aſſumere. Primo cibo ſalſamenta, olera, &c. aſſumere, *pro primo ferculo. vt noſtri loquuntur, hoc aut illud comedere.* Cibum modicum, potiones meracas aſſumere. Paululùm aliquid aſſumere.

AVDITVS.

Grauis auditus. Grauiter audire.

AVRES.

Cui ſonant aures.

AVXILIA.

Sic vocat quàm creberrimè, quibus corpus ad ſanitatem proficit, quæ proſunt bonæ valetudini aut conſeruãdæ, aut recuperandæ. Auxilia vulnerum, & morborum. Valida auxilia, imbecilla. Vitia per totum corpus orientia medicamentorum auxilia deſiderant.

C.

CACHEXIA.

Malus corporis habitus.

CAPILLI.

Fluunt.

Digitized by Google

CAPVT.

Ætate nudatur.

CARO.

Coërcere carnem creſcentem. Caro ſinus vlceris implens, hebes nec firma. Producere carnem. Carunculam citare.

CATARRHVS.

Deſtillationes. Deſtillat humor, inquit lib. 4. c. 2. ex capite interdum in nares, quod leue eſt: interdum in fauces, quod peius eſt: interdum etiam in pulmonem, quod peſſimum eſt. Si in nares deſtillat tenuis per has pituita profluit, caput leuiter dolet: grauitas eius ſentitur, frequentia ſternutamenta ſunt. Si in fauces, has exaſperat, tuſſiculam mouet. Si in pulmonem, præter ſternutamenta, & tuſſim eſt etiam capitis grauitas, laſſitudo, ſitis, æſtus, bilioſa vrina. *Ibidem de grauedine hoc modo ſcriptum eſt.* Aliud autem, quamuis non multum diſtillans malum grauedo eſt. Hæc aures claudit, vocem obtundit, tuſſim ſiccam mouet, ſub eadem ſalſa eſt ſaliua, ſonant aures, venæ mouentur in capite, turbida vrina eſt.

CAVTERIVM.

Ferro cādente in occipitio quoque & infra, qua ſumma vertebra cum capite cōmittitur, adurere duobus locis, vt per ea pernitioſus humor enadat.

CIBVS.

Cibi qui celeriter deſcendunt. *Qui ſunt facilis digeſtionis, vt noſter ſermo eſt. Ponitur verbum deſcendere in eodem, in quo deijcere.* Cibi qui ventrem molliunt, *Intellige ventrem, vt ſæpe, aluum.* Cibis plenioribus vti, ex media materia. Sæpe in eo magis neceſſaria cibi feſtinatio eſt, qui minus inediam tolerat. *Quàm hoc Celſi venuſtum? pro ſæpe debet citius cōedere, qui non ita poteſt ieiunare.* Abſtinendus æger à cibo. Cibus qui neque incitat febrem & tamen longū eius ſpatiū ſuſtinet. Cibi potioneſue aut valentis, aut mediæ, aut imbecillæ materiæ. Itē valentiſſimi, infirmiſſimi, *id eſt, qui plurimū, mediocriter, parū nutriūt.* Ex feris quo mai⁹ animal, eo robuſtior ex eo cibus eſt. Ratione item alimenti, dicitur aliquid ad cibum aptum, leue, graue. Leuior piſcis inter ſaxa editus, quā in arena: leuior in arena, quam in limo. Quo fit vt ex ſtagno, vel lacu, vel flumine eadem grauiora ſint, leuiorq; qui in alto, quàm qui in vado vixit. Grauiores aues quæ magis currunt, quàm volant. Omne etiam ferum animal domeſtico leuius, & quodcunq; humido cœlo, quàm quod ſicco natum eſt. Itē piſcium eorum, qui ex media materia ſunt, quibuſq; maximè vtimur, tamē grauiſſimi ſunt, ex quibus ſalſamenta quoque fieri poſſunt. Inter domeſticas quadrupedes leuiſſima ſuilla eſt, grauiſſima bubula. Ergo cibus leuis, grauis, plus minus alens. *Ad potiones quoque transferuntur valens, infirmum, media materia, leue, graue.* Nam quæcunque ex frumento facta eſt., itemque lac, mulſum, defrutum, paſſum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut muſtum, aut magnæ vetuſtatis, valentiſſimi generis eſt. At acidum, & id vinum, quod paucorum annorum, vel auſterum, vel lene eſt, in media materia eſt. Aqua omniū imbecilliſſima eſt. Cibus quantus pleniſſimus poteſt concoqui. Cibi corpus implentes. Cibus parum obſequens ſtomacho, Cibi minimi erat, & vulgaris fere. Suet de Octauio. Cibi plurimi erat. *Noſtri, ipſe valde multum comedebat.*

CICA-

CICATRIX.

Inducitur.

CLYSTERIVM.

In aluum cremorem ex inferiorib. partibus indere. Ab inferiore parte aluum euocare,

COLICA.

Morbus maioris, laxioris inteſtini, quod Græcè *κῶλον*.

CORPVS.

Corpus ſtrictum, aſtrictum, fluens, profluens, mixtum, quadratū. Quid compreſſum corpus reſoluat, quid ſolutum teneat. Repletum, inane. Ante omnia, inquit lib. 1. c. 3. nôrit quiſque naturam ſui corporis: quoniam alii graciles, alii obeſi ſunt, alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii ſicci, alios aſtricta, alios reſoluta aluus exercet. Raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis verò homo implere ſe debet; plenus extenuare: calidus refrigerare: frigidus calefacere: madens ſiccare: ſiccus madefacere, &c. Corpus morbis opportunum. Corpus integrum, quod *εἰλικρινὲς* Græcis. Aquilo ſanum corpus ſpiſſat, & mobilius atq; expeditius reddit. Corpus mali habitus. Corpus autem habiliſſimum quadratum eſt, neque gracile, neq; obeſum. Gracile, infirmum, obeſum, hebes eſt. *En habes quid ſit corpus habitiſſimum. In quo videlicet eſt ſtatura media, & à quo abeſt tam obeſitas, quam gracilitas.* De ſtatura autem dici quadratum, patet ex Columella lib. 7. Pinguis & campeſtris ſitus proceras oues tolerat: gracilis & colliuus quadratas: ſylueſtris & montoſus exiguas. Et de canibus, probatur quadratus potius, quàm longus, aut breuis. Plaut. Aſin. commoda ſtatura dicitur, Suet. iuſta.

CRVDITAS.

Diſcuſſa. Hic cibus mouet cruditatem. Hæc res diſcutit.

CVCVRBITVLÆ.

Corpori aptantur, admouentur, imponuntur, inhærent. Cucurbitulas corpori defigere, accommodare.

CVRATIO.

Procedit curatio ad ſcalpellum, &c. Morbus, vulnus curationem recipit. Difficilis, prompta curatio. Curatio expleta eſt.

CVTIS.

Reſoluitur, labat; eſt aſtrictior, relaxatur, & procidit.

D.

DENTES.

Dens dolores mouet. Euellere, eximere, excipere dētes. Inſtrumenta vocat forfices. Dentes labant, bene hærent.

DIAPHRAGMA.

Tranſuerſum ſeptum, quod membrana quadam ſuperiores partes ab inferioribus diducit. *Lib. 4. cap. 1. rurſum ſic deſcribitur.* Sub corde atque pulmone tranſuerſum ex valida membrana ſeptum eſt, quod à præcordiis vterum diducit æquè neruoſum, multis etiam venis per id diſcurrentibus, à ſuperiore parte non ſolum inteſtina, ſed iecur quoque lienemq; diſcernit.

DIGESTIO, DIGERERE.

Concoctio, concoquere crebra ſūt Celſo. Concoctionem medicamentis moliri. *Eſt porrò concoctio plus quā digeſtio.* Bene, recte concoquere. *Aliter a. ac vulgus ſolet vſum videas verbo digerere, ex hiſce teſtimoniis.* Id autem nihil aliud eſt, quàm nimia imbecillitas corporis, quod ſtomacho

macho languente digeritur. Quoties humor intus nocet, iſque digerendus eſt. Genera autem geſtationis plura ſunt adhibenda: quæ ſint & pro viribus cuiuſque, & pro opibus: ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obſint.

DOLOR.

Interdum id malum intra dolorem eſt, iſq; modo tardè, modo celeriter ſoluitur. Neruorum oculorumque dolore vrgeri.

E.

EMPLASTRA.

Ex emplaſtris, ſcribit lib. 5. cap. 19. nulla maiorem vſum præſtant, quàm quæ cruentis protinus vulneribus iniiciuntur, ἔναιμα Græci vocant. Hæc enim reprimunt inflammationem (niſi magna vis eam cogit) atque illius quoque impetũ minuunt, tum glutinant vulnera, quæ id patiuntur, cicatricem iiſdẽ inducunt. Dicit etiam, accommodare emplaſtrum corpori.

EX MELLE, ACETO, VINO.

Medici veteres, latiniique ſcriptores omnes, qui tradunt aliquid ad eam artem faciens, ita loquuntur, vt iubeant hoc aut illud ægrotum ſumere, aut illi dari ex melle, vino, aqua, aceto, &c. Victor. lib. 32. cap. 4.

F.

FEBRIS.

Qui lentis febriculis diu detinentur, cum aut ex toto receſſit acceſſio, aut, ſi id nõ ſolet, certè lenita eſt. Peſſimum eſt ſi ne leuatur quidem febris, ſed æque concitata continuat. Expectanda remiſſio eſt, ſi non decreſcit, ſed creſcere deſiit. Si circuitum habere ea febris ſolita eſt, ſic, vt tertio, quarto die reuertatur. Febris diſcutitur, ſoluitur. Tertiana quæ ex toto intermittit. Tenuata, leuata febris. Inſtar, incipit, conquieſcit, augetur, conſtitit, decedit, deceſſio. Porrigitur febris. Febris quæ tertio die reuertitur, ex octo autem, & quadraginta horis, ferè ſex & triginta per acceſſionem occupat, hemitritæos dicitur. Neque ex toto in remiſſione deſiſtit. Tertianarum, quartanarumque & certus circuitus eſt, & finis integer, & quia perliberaliter quieta tempora ſunt, expeditior curatio etiã. Febris quotidie vrget. Febricula incurſat Febris extorret. Inclinata, ſed adhuc tamen hærente febre. Ex toto receſſit, ex toto quieuit. Febris eodem die finita eſt. Febricula vacare.

INFLAMMATIO.

Inflammationem in eas partes euocat. Quod inflammationes reprimit, prohibet. Leuata. Os fractũ niſi ſuccurſum eſt, grauibus inflammationibus afficit.

INTESTINA.

Ventre perforato inteſtina euoluuntur, refunduntur, prolapſa conduntur, reponuntur.

HÆMORRHOIDES.

Sanguinis per quædam velut ora venarum profuſio. Oua venarum tanquam ex capitulis quibuſdam ſurgentia, quæ ſæpe ſanguinem fundunt: atq; in quibuſdam parum tutò ſupprimitur: habet enim purgationem, non morbum.

HVMOR.

Euocatur.

HYDROPS.

Cùm aqua cutem ſubiit. Aqua inter cutem.

INFIRMARIA.

Valetudinarium, *qualia ſunt in monaſte-*

Digitized by Google

naſterij, loca ſcilicet, vbi ægrotantes, & conualeſcentes monachi detinentur. Apud Senecam, & Columellam locus vbi tantum ſerui ægroti habebantur, in vnaquaque domo.

LETHARGVS.

In phrenetico difficilis ſomnus, prompta ad omnẽ audaciam mens: animi hîc marcor, & inexpugnabilis pæne dormiendi neceſſitas.

LINAMENTA.

Vocat illa, quæ vulneri ſupprimendi ſanguinis cauſſa induntur, & quæ aliâs lineæ materiæ vulneribus imponuntur in curationibus. Ex melle linamentum ſuperdandum, ſupraque linteolum, &c. In vlteriores, lunataſq; plagas linamentum dandum eſt.

MALAGMA.

Trium rerum differentiam malagmatis, emplaſtri, paſtilli his verbis declarat lib. 5. cap. 17. Malagmata maximè ex floribus, eorumque etiam ſurculis: emplaſtra, paſtillique magis ex quibuſdam metallicis fiunt. Deinde malagmata contuſa abunde molleſcunt: nam ſuper integram cutem iniiciuntur. Laborioſè verò conteruntur ea, de quibus emplaſtra paſtillique fiunt, ne lædant vulnera, cùm impoſita ſunt. Inter emplaſtrum autem, & paſtillum hoc intereſt, quod emplaſtrum vtique liquati aliquid accipit, in paſtillo tantùm arida medicamenta aliquo humore iunguntur, &c.

MEDICAMENTA.

Medicamenta comprehendunt, reſpondent, non reſpondent. *Nos, operantur, non operantur.* Bene, malè reſpondent, maximi effectus ſunt. Ad ſanitatem medicamenta proficiunt. Medicamenta quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellunt. Quotidie palpebra vertatur, vt medicamentum inducatur. Hoc vitiũ ſi medicamentis cedit. Si vincitur. Medicamenta vincuntur. Medicamenta infricare. Medicamenta nihil adiuuant.

MORBVS.

Morbum medicina ſoluit. Morbus cedit remediis, inceſſit, increſcit, ſubſiſtit, minuitur, inclinat, inclinatur, in ſummo incremento eſt, in incremento conſiſtit, penitus inſedit, ſi compreſſerit aliquem morbus, aut fuderit. Compreſſorum, & fluentium morborum genera. Morbi quidam breues acutique ſunt, qui citò vel tollunt hominem, vel ipſi citò finiuntur. Quidam longi, ſub quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt. Morbus eſt ſolutus, eſt in abſceſſu & inclinatione. Morbi ſeneſcentis remiſſio. Morbus amplior factus eſt, aggraueſcit.

NIMIVM COMEDERE.

Se implere, nimium ſe replere.

NOXÆ CORPORIS.

Quinque ſunt genera noxarũ corporis. Cum quid extrinſecus læſit, vt in vulneribus. Cum quid intra ſeipſum corruptum eſt, vt in cancro. Cùm quid innatum eſt, vt in veſica calculus. Cum quid increuit, vt vena, quæ intumeſcens in varicem conuertitur. Cùm quid deeſt, vt cum curta pars aliqua eſt. lib. 5. cap. 26.

OSSA.

Promouentur. Mouentur ſedibus ſuis, reponuntur. Quæ iuncta ſunt inter ſe dehiſcunt.

PALPEBRA.

Si parum palpebra deſcendit, laxãda vtique: ſi nimium, aut aſtringenda, aut etiam rurſus tenuis habenula ab

Digitized by Google

la ab vlteriore ora excidenda. Concidit, neque attolli poteſt.

PARALYSIS.

Neruorum reſolutio

PAROXYSMI.

Acceſſiones. Interdum ægri in acceſſione deſipiunt, & loquuntur aliena. Sed plerunque breue eſſe cõſueuit, leuatoque acceſſionis impetu mens redit. Tempus acceſſionis præterijt. Vnam acceſſionem ſecuta integritas eſt. Acceſſiones continuantur Grauior leuior, longior breuior, magis minus affligẽs vi, tempore acceſſio. Febres pares acceſſiones habentes. Febris vno die non acceſſit.

PITVITA.

Vitanda, quæ pituitam contrahunt. Deſcendit, medicamentis ſuſpenditur.

PRÆCORDIA.

Dolor infeſtat præcordia.

PVLSVS, PVLSVM TANGERE.

Tangere venam.

PVS.

Pus maturat. Membrum, digitus ſuppurat Orta eſt ſuppuratio. Medicamenta quæ pus mouere conſueuerunt. Quæ concoquunt pus. Pus excedit. Ore vel aluo redditur. Fieri deſiit Si pus ſe oſtendit. Supprimitur. Coitus puris fit.

SANGVIS.

Sanguinis ex naribus curſus. E naribus fluit, prorumpit. Sanguinem inciſa vena mittere. Sanguinis detractio per venas. Sanguinem fundere è naribus. Sanguis ſupprimendus eſt. Aliquando frequens tuſſis ſanguinem quoque extrudit. Interdum ex pulmone fertur. Impetus ruentis ſanguinis conquieſcit. Malus eſt ſanguis, nimium aut tenui; aut craſſus, colore vel liuidus, vel niger aut pituita miſtus, aut varius. Optimus calidus, rubens, modicè craſſus, non glutinatus. Hoc ſanguinem citat.

SANARI.

Ad ſalutem perduci. Ad ſanitatem peruenire Qui meliuſculus eſſe cœpit. Ex toto ſanitas reſtituta. Refici, refectus. Catullus; & Cicero.

SANIES

Vulnus exſaniat. E vulneribus & vlceribus exeunt ſanguis, ſanies, pus. Sanguis notus eſt. Sanies eſt tenuior hoc, varia, craſſa & glutinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum albidiſſimumq;, glutinoſius & ſanguine, & ſanie. Sanguis exit è vulnere recenti, aut iam ſeneſcente. Sanies eſt inter vtrunque tempus. Pus ex vulnere iam ad ſanitatem ſpectante. lib. 5. c. 26.

SOMNVS.

Somnum hac aut illa re moliri. Tuſſis ſomnum prohibet. Catapotium ad ſomnum accerſendum, inducendum. Facit ſomnum. Somnus accedit. Somni breuiſſimi erat. *Quod nos en quàm multis, & quàm ineptè. Ipſe non ſolebat valde diu dormire.*

SPASMVS.

Frigus modo neruorum diſtentionem, modo rigorem infert. Illud σπασμὸς, hoc τέτανος græcè nominatur.

SPIRITVS.

Quid grauem tardumque ſpiritum expediat. Spiritus difficulter, difficilius redditur. Spiritus eſt grauis. Spiritus ex naribus cum feruore prorumpit, contrahitur.

STERNVTATORIA, STERNVTAMENTVM.

Admouere ea per quæ ſternutamẽta euocantur. Excitare, mouere ſternutamenta.

STO-

STOMACHVS.

Parum valere ſtomacho; Imbecilli eſſe ſtomacho. Calor nimius ſtomachum ſoluit. Stomachum quæ infeſtant. Marceſcere adhuc ſtomacho pridiani cibi onere.

SVDOR.

Exercet, mouetur, elicitur. Sudores tenues oriuntur. Ingens ſudor effunditur. Exercitationibus ſudorem euocare.

SVTVRA.

Sutura oras vulneris iungit, coniungit, comprehendit; quæ ne ipſæ quidem inter ſe contingere ex toto debent, vt ſi quid humoris intus cõcreuerit, ſit quà emanet. Oras vulneris inter ſe ſutura committere. Sutura eximitur. Suturam iniicere.

VALETVDO.

Inclinata in melius valetudo eſt. Secunda præſidia valetudinis. Cauendum eſt ne in ſecundam valetudinem aduerſa præſidia conſumantur. Valetudo à primo impetu inclinata. Longæ, valetudinis metus eſt. Hoc facit ſecundam, hoc aduerſam valetudinem, creat, præſtat. Subita valetudine corripi. Sueton. Eidem vltima valetudo eſt, ſub mortem. Vix firmus adhuc à graui valetudine.

VENÆ.

Ore alicuius venæ patefacto ſanguis exit. Venis maximè credimus fallaciſſimæ rei, quia ſæpe lentiores celerioresue ſunt, & ætate, & ſexu, & corporum natura Venæ ſubeunt, quieſcunt, modò ſe ſubmittunt, modò attollunt. Venam incidere. Vehementer agitantur. Venas concitatas haber ſæpe eas concitat, & reſoluit ſol, & balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet animi affectus: adeò, vt cùm primùm medicus venit, ſolicitudo ægri dubitantis quomodo illi ſe habere videatur, eas moueat. Ob quam cauſſam periti medici eſt, non protinus vt venit apprehendere manu brachium; ſed primùm reſidere hilari vultu, percontariq; quemadmodũ ſe habeat, & ſi quis eius metus eſt, eum probabili ſermone leuare, tum deinde eius corpori manum admouere. Venarum motus elangueſcũt. Si timidè ſcalpellus demittitur, cutem lacerat, neque venam incidit. Incidenda ad medium vena eſt, ex qua cum ſanguis erumpit, colorem eius, habitumque oportet attendere. Venarum exigui, & imbecilli pulſus. Brachium deligandum, habendumq; ita eſt, donec valens cicatricula ſit, quæ celerrimè in vena confirmatur. Coitus venæ poſt ſectionem. Venas violare, pro lædere.

VINVM.

Nullarum virium, ingentium.

VLCVS.

Vlcus ad ſanitatem perducere. Ad maturitatem peruenit. Cicatricem recipit. Vlcera mitiora efficiunt. Cruſtas vlceribus inducunt, reſoluunt. Saneſcentia vlcera exaſperare. Vlcus reſilit, impletur.

VOMICA.

Rumpitur.

VOMITVS.

Eiicere, eiectio. Vomitu ſtomachũ ſollicitare. Vomitum eluere. Stomachus reddit.

VRINA.

Vrinæ difficultas, στραγγουρία. Vrinam hoc ſupprimit, tardat, mouet, citat. Vrina prorũpit. Calculoſi his indiciis cognoſcuntur. Difficulter vrina redditur, paulatimq; interdũ etiam ſine voluntate diſtillat. Eadem arenoſa eſt, nonnunquam aut ſan-

ſanguis, aut cruentum, aut purulẽtum, aliquid cum ea excernitur. li. 2. c. 7. Si plus humoris excernitur, quàm aſſumitur. Emollire manu vrinam. cum illa non redditur, aut quia ſenectute iter eius collapſum eſt, aut quia calculus, vel concretũ aliquid ex ſanguine intus ſe oppo. ſuit. Cato. Quibus lotium ægre it, quibus ſubſtillum eſt. Quod in fundum vaſis deſcendit, vocant medici vrinæ ſedimentum, à ſubſidendo. Præfandi humoris è corpore effluuium. Veſicam leuare.

VVLNVS.

Ad glutinanda vulnera. Vulnus glutinat, glutinoſum. Vulneris oræ in vnum attrahuntur. Oræ vulneris ſe glutinarunt. Emplaſtrum, quod celeriter vulnera ad cicatricem perducit. Vulnerum aliqua inſanabilia ſunt, aliqua difficilem habent curationem. Non poſſunt ſeruari, quibus baſis cerebri, cor, ſtomachus, iocinoris portæ, in ſpina medulla percuſſa eſt, quibuſque aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, aut circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt lib. 5. cap. 26. Quæ vulneris oras contrahunt. Linamentis complere vulnus. Quod per morſus, per tela infertur. Peius vulnus eſt, quod etiam colliſum, quàm quod tantum diſciſſum eſt: adeò vt acuto quoq;, quam retuſo telo vulnerari commodius ſit. Peius item, ex quo aliquid abſciſſum eſt, ex quóue carō alia parte abſciſſa, alia dependet. Peſſima quæque plaga in orbem eſt: tutiſſima, quæ lineæ modo recta eſt.

MIXTA.

Os aqua frigida fouere. Præcordiorum totiuſque pectoris grauitas. Gangræna te nondum planè tenet, ſed adhuc incipit. *Cancrum intelligit hoc nomine Celſus, quomodo antiqui omne propemodum mali genus quod vt cancer ſerperet, gangrenum vocarunt, quod ex Lucilio, & Varrone docet Nonius.* De ſimplicibus facultatibus rerum. Nihil per alimenta corpori accedit. *Medicus dicitur medicinam exercere, non praxim: niſi etiam dicas, exercitationẽ exercere.* Diocles Caryſtius, &c. Si artem hanc medendi exercuerunt, vt etiam in diuerſas curandi vias proceſſerint. Laterum dolores quẽ celeriter rapiunt. Subeunt lippitudo, tormina, febres. Soli aperto ſe committere. Sonus ventris ad inferiores partes euolutus exceſſit. Mortem maturat. Genua, articuli, tali excidunt, prolabuntur. Fluente per inſuetudinem cibi aluo. Vrina genitalis. Moriunculis leuibus tentari. Aluo vſque ad defectionẽ ſoluta. Dies meus eſt hodie, puto heri tuum diem fuiſſe, *de his qui tertiana, aut quartana laborant.* Ad officia naturalia, ad ſecreta ventris ſecedens.

DE

Digitized by Google

DE RE FVNEBRI.

PROGYMNASMA SEXTVM ET QVINQVAGESIMVM.

Aequo libentique animo è corporum vinculis euolandum, & defunctos vita moderatè lugendos.

PRESBYTER, PATERFAMILIAS *diem ſupremum agens,* **CONIVX, FILII** *puſilli,* **PROPINQVI.**

PResbyter. Quandoquidem, Antoni chariſſime, tuorum commiſſorum maculis & antea per ſacroſanctum exomologeſeos myſterium, & iam nunc per hanc ſalutarem vnctionem es vindicatus, teque cæleſti pane reficiendum curauiſti, teſtamentum legitimum condidiſti, nihil demum eorum, quæ germanum ſincerumque Catholicum, quæ pium patrem, quæ fidelem maritum ſub amiſſionem huius lucis præſtare pium eſt, non præſtitiſti vel cumulatiſſimè, reliquum videtur, vt quoniam de iſto diuerſorio mortalitatis demigrare ad immortalitatem iuberis, forti erectoque ſis animo, & conditori tuo ſanctè atque cupidè parendum exiſtimes: atque ab iſtis locis ærumnarum plenis in illam innumerabilibus fælicitatibus redundantem affluentemque regionem toto pectore feſtines. Hic finis noſter, hic terminus hæret: ob iſtuc nati ſumus: in hoc nobis ſunt omnia, vt aliquando cùm hinc abiuerimus, diuinæ maieſtatis aſpectu in omnium ſæculorum perpetuitatem inſatiabiliter perfruamur. P. Id equidem voluto mecum R. P. nec reluctabor eius imperio, in cuius poteſtate & arbitratu verſantur omnes & omnia. Nec iraſcor Deo, cùm repetit à me quod ſuum eſt, quodque ipſe mihi donauit vſurpandum, quoad ipſi placuiſſet. Ille me procreauit: ille me non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati, vnigeniti ſui Domini noſtri IESV CHRISTI recuperauit. Quod viuimus, ab illo accepimus: & cùm morimur, illi morimur: nec Prophetis, nec Apoſtolis, nec Chriſto ipſo meliorem me reputo. PRE. Optimè, & gaudeo, mi Antoni, te ſic eſſe animatum: te, inquam, vt probum ſeruum vigilare: vt cùm venerit Dominus tuus, oſtiolumque pulſauerit, confeſtim aperias ei. Ille ſapienter conſtituit & gubernat omnia: cumque ſit, & velit à nobis haberi parens noſter: ſciatq; vnus exploratiſſimè, quid conducat filiis ſuis, paterno ſtimulatus amore ad ſe nos euocat: ne amplius in terris peregrini, ſed in cœlo eius domeſtici facti, cum eo vitam beatiſſimam æuo infinito viuamus. Nam profectò graue ſupplicium foret, ſi ea conditione veniſſemus in haſce oras, vt in eiſdem immortaliter

Digitized by Google

maneremus. Quid enim hîc eſt, quod quenquam ad diutius viuendum inuitare poſſit? an labores aſſidui? an diurnæ nocturnæque ſollicitudines? an quotidiani angores? an fortunæ ludibria? an morborum varietas? an mille caſus, mille incommoda? Verè melior eſt dies mortis, quàm natalis. Ille ſiquidem quietis & beatitatis: hic autem miſeriarum dolorumq; initium eſt: vt iure S. Iob ſtatuerit, optimum eſſe non naſci, aut quamprimum emori, & de vtero transferri ad tumulum. P. Me quidem cepit viuendi ſatietas, & mori iam in lucris deputo: nec inuitus hoc mutuum reddo. Te porrò tam ſuaui, & christiano ſermone me confirmantem perlibenter auſculto. Pre. Expende igitur tecum, & grata animi voluntate proſequere ſingulare Dei munus, cum ſub exceſſum tuum tam liquidas intelligentias, tamque perfectum rationis vſum, & tam morigerum animum tibi largitur, vt & agnoſcere illum, & eius implorare miſericordiam poſſis; & mandanti citra moram obtemperare velis. Heu quot nec opinantes de vita exire iuſſit? Age gratias, atque vt peccatis tuis magno piandis veniam dignetur tribuere, dolenti ac ſummiſſa mente obſecra. Curas rerum fluxarum, quid vxore, liberis, agris & poſſeſſionibus fiat, penitus eiice ex animo: in vnica ſalutis cogitatione defixus eſto, cætera Deo permitte, cuius bonitas vult, & ſapientia poteſt conſeruare tueriq; tuos, ac tua vniuerſa. Ergo ad eius benignitatem perfuge. In Ieſu Christi meritis, atque vulneribus ſpem colloca firmiſſimam: vſque ad finem certa certamen tuum, & certa viriliter aduerſus machinationes Sathanæ teterrimi. Quin enim ſanctiſſimæ genitrici ſpes tuas commenda, eamq; ſuppliciter venerare, multumque roga, vt vnà cum cæleſtibus aliis apud filium cauſam tuam agere, & peccatorum condonationem tibi impetrare ne grauetur. Deniq; in mentem reuoca exemplum Simeonis illius grandæui. Quàm incenſo is deſiderio moriendi afficiebatur, poſtquam ſemel Saluatorem vidit & complexus eſt? *Nunc dimittis*, inquit, *ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace* Pollicitus mihi es, ante me viſurum ſalutare tuum, quàm ex hac caligine abirem. Vidi, & lætatus ſum. Nunc igitur ſine me exire: ſine è ſeruitute in libertatem euolare. Soluar tandem ab hac vita breui, quæ mihi tamen nimis longa fuit. Non me delectat illud lumen: aliud lumen ſum intuitus. Viuere iam ſupplicium eſt: mors erit mihi præmium. Quid eſt quod me in his tenebris retineat? quid habet iucundum hæc vita miſera, immò hæc miſeria miſerrima? Satis vixi, gliſcit in horas decedendi cupiditas. Expectaui & aſpectaui, omnipotens genitor, filium tuum: hoc ſufficit animæ meæ: maius gaudium euenire mihi ſub ſole nullum poterit. Nolo audire concionantem: non geſtio aſpicere mira opera perpetrantem: non aueo contemplari morientem. Diuturna me dilatione fatigaſti: diem obitus mei nimium extraxiſti: dimitte iam ſeruum: ſatur ſum annorum: abeam aliquando ex iſto infælici conuiuio ad eum quem vidi, quem inter vlnas foui, quem exoſculatus, quem Deum meum Saluatoremque gentium confeſſus ſum. Clamabat etiam Apoſtolus: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Dauid autem ad Deum, tanquam ad fontem viuum peruenire medullitus

concupi-

concupiſcebat. *Quando veniam,* inquit, *& apparebo ante faciem Dei?* O quando tandem illuceſcet illa dies, quando adueniet illa hora quæ dirumpet catenas meas, quibus circundatus, & conſtrictus abeſſe tamdiu cogor ab eo, qui eſt firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: qui eſt Deus cordis mei, & pars mea in æternum: præ quo omnes terrenæ opes, & omnia regna terrarum mihi ſordent: & ſine quo cælum ipſum mihi auxilium eſt? Heu quouſque peregrinabor à patria? quouſq; carebo bonis Domini mei mihi ad fruendum paratis, mihi repoſitis? quouſque dicetur mihi: vbi eſt Deus tuus? feſtinemus, Antoni, nos quoque ad iſtum fontem, & ad iſtam domum, cuius vbertate inebriabimur. P. Intelligo intelligo. Domine Iesv te obteſtor per immenſitatem dolorum tuorum, miſerere animæ meæ in articulo diſceſſus eius ex hoc luteo tabernaculo. Te oro, quæſoque Pater ne à lectulo meo latum vnguem; quin tuis me cohortationibus ad religioſè moriendum, atq; ad cacodæmonum conatibus fortiter obnitendum magis magiſq; inflammes: Vbi autem ſummum efflauero halitum, precationibus & ſacrificiis propitium mihi Deum reddere ne omittas. Hæc ſpes ne me fallat, vehementer te rogo. Pre. Neceſſitudinis noſtræ iura ſuadent, officium poſtulat, charitas iubet, benefacta cogunt, quorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio. P. Vos item, dilecta vxor, propinqui ac neceſſarii, in egentes ſtipem benignius conferte: ac pro me peccatore ſedulò precamini; quò citiùs debito vſque ad nouiſſimum quadrantem perſoluto educar è carcere, in quem me iuſtiſſimi iudicis ſententia traditura eſt: quod etiam atque etiam metuo. C. Ah ah, mi dulcis coniux, ſiccine me viduam, & hoſce pupillos? quis noſtri curam? Pre. Quis? Oh, quaſi te iſtuc interrogare oporteat. Ille ſine dubio, qui pupillum & viduam ſuſcipere conſueuit: ad eum confuge, ille vos tuebitur. Nec cognatorum piorumque hominum tibi auxilia & conſilia defutura ſunt: parce lacrymis, habe bonum animum. Maritus tuus deterioribus relictis, ad meliora tranſibit: quæ deſiderauit, tenebit: quæ credidit, videbit: quæ meruit, poſſidebit: ipſam te luge potius, quam adhuc labores & dolores multi manent, quamdiu viuis. Pete à Domino, vt te cum illo hinc euocet, & in cœlis coniungat. F. Heu heu, ô pater, quò abis? Pro. O cognate ſuauiſſime, quàm ingrata, quàm intolerabilis hæc nobis diſtractio atque diuulſio? Tu familiæ noſtræ lumen: tu decus omne tuis. Pre. Matrona noli te macerare: precibus meis locum relinque. C. En ſuaſorem. Ego non fleam, ego non defleam talem maritum? ſi quidem cornea mihi eſſet fibra: ſi è mari, aut è ſilice nata prodiiſſem. Mulier ſum, & quod mearum partium eſt, hoc ago. O me miſerrimam, ô calamitoſiſſimam. Quid incœptem, aut quò me vertam? Cur tibi ſuperſtes relinquor, mi vir? Heu heu, non queo plura, tanta eſt vis lacrymarum. Pro. Nec vos prorumpentem reprimere fletum poſſumus, quibus tantum eripitur ſolatium, rerum noſtrarum columen atque præſidium vnicum. Optime Deus, vt grauem nobis plagam imponis? F. Morieris ne pater? â, â, â, pater moritur, noſter pater, â, â, â. P. Heus tu famula, quàm ocyſſime pueros

Digitized by Google

hinc in conclaue ſuperius abducito: ploratorum ſatis hìc remanebit. PRE. Eſto fidelis vſque ad mortem, Antoni. Non longè abeſt, qui te victorem coronet. P. Miſericordiarum pater, oſtende mihi lucem miſerationum tuarum. O creator mi, ne deſeras me, ne abiicias me, quoniam in te confidit anima mea Deus meus. Operi manuum tuarum porrige dextram. Eſto mihi propitius, néuę intres in iudicium cum ſeruo tuo. Clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, per acerbiſſima tormenta tua, pérque indigniſſimam necem tuam, quam ſalutis noſtræ cauſſa pertuliſti, te quæſo ſuccurre mihi in hoc agone meo, & ſacratiſſimæ paſſionis tuæ fructum mihi quoque impertire, ac propter bonitatem tuam ad numerum electorum tuorum me adiunge. Tibi me dedo, Saluator mi, noli me aſpernari: ad te confugio, noli me repellere. Tu enim dixiſti: qui venit ad me, eum non eiiciam foras: quia nimirum tibi eſt proprium miſereri & parcere. Sancta Maria miſericordiæ parens, & patrona humani generis, tuum mihi ne deneges auxilium. Etiam nunc filio oſtende quę infans ſuxit vbera, & ille patri obiiciat quæ propter me accepit vulnera. PRO. Exaggeras dolorem noſtrum, cùm mente tam æqua ſub imperium mortis ſuccedis, noſque deſeris. PRE. Atqui exaggerat hoc ipſo etiam ſibi ſuum præmium, cùm diuinæ voluntati tam promptum ſe offert: id quod vnumquemque Chriſtianum decet, cui cariſſima ſemper, & in omnibus antiquiſſima eſſe debet voluntas ſanctiſſimi numinis. P. Non vos deſero amici, niſi vt qui peregrè proficiſcitur: nec tamen ad vos rediero: vos potius ad me venturi eſtis. Videbimus, complectemurque inter nos (ita Chriſto placeat) apud ſuperos. PRO. Ita vt precaris eueniat. At hoc longum erit. PRE. Longum? quaſi non omnis vita hominum, etiam longiſſima cùm eſt, breuiſſima & momenti inſtar ſit, ad æternitatem futurorum ſæculorum comparata. Vmbræ ſomnium, fumi vmbram dicetis longum eſſe? Vitæ hominum bullæ: quarum aliæ ſimul vt extiterunt, ſtatim euaneſcunt: aliæ paulò diutius manent: omnes breuiſſimis interuallis aliæ aliis ſuccedunt. Quod ſi noctes demas, dimidio tantùm vitæ ſuæ ſpatio quiſque viuit: pars enim æqua morti ſimilis exigitur. Quid eſt hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum? Homo breui viuens tempore, quaſi flos egreditur & conteritur. Hæc eſt noſtri generis diuturnitas, hæc fælicitas. Punctum eſt quod viuimus, & puncto minus. PRO. Dictum ſapienter. Interim iſta ſeiunctione cruciamur, & cruciabimur diutiſſimè. C. Eheu, mi coniux, mi vir: te ſic à me diſcindi? Non iam vita vitalis, non: lenta quædam mors mihi erit. P. Inhumanus ſim nimis & ſaxeus, ſi vos luctu & lacrymis prohibere inſiſtam: nec modò naturæ, verùm etiam ſacris literis, & fama celebratorum hominum exemplis contumaciter repugnem. Cæterùm mediocritatem ſi requiſiero, nihil his omnibus alienum egero. PRE. Et rectè. Nam qui ἀπάθειαν introducunt, & nos ἀστόργους eſſe volunt, omnemq; affectionem è mentibus humanis radicitus euellunt, beſtiarum ac lapidum naturam nos induere poſtulant. Sapientis vox eſt: Fili in mortuum producito lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, quid? an non Chriſtus Lazarum, quid? an non Abrahamus

Saram,

Saram, Iacob ſuum Ioſephum, Dauid Saulum & Ionatham, Patriarchas Iſraëlitæ olim fleuerunt? In actis Apoſtolicis eſt: Sepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Nec diuus Paulus fletum omnem reprehendit: ſed eum duntaxat, qui immodicus, & pæne inſanus, ethnicæ cuiuſdam diffidentiæ ac deſperationis imaginem gerit. Putabant enim ſtulti, animum cum corpore occidere ac morte omnem ſenſum deleri: ſimilem eſſe interitionem hominum ac iumentorum. Moderationis huius cauſſa in promptu eſt, & ignota nemini. Pro. Etſi ea nos haud latet, veruntamen libenter te audimus, atque vt pergas oramus. Pre. Pergam, nec ita multis, & ea quæ dixero, vos penitus animis veſtris mentibusque mandabitis. In vno atque eodem itinere verſamur, idem pelagus nauigamus omnes. Mortui qui ſunt, iter confecerunt, portumque tenuerunt: in quem, quotquot viuimus, neceſſariò volentes nolentesque perueniemus. Cur ergo inuideamus fratribus, ſororibus, parentibus, filiis, ſi pelagi periculis defuncti, littus attigerint? Quæ porrò in hac lamentandi, plorandique aſſiduitate vtilitas? num fata recludere, extinctosq; in vitam reuocare poſſumus? num valetudinis noſtræ rationem ducimus? num plerumque mors cari alicuius capitis non ad alios æquè pertinet? qui tamen adeò ſeſe non excruciant. Num videmur aut credere diuina prouidentia fieri omnia: aut ei nos piè ſubiicere? Quid aliud fortiſſimum athletam illum Iob conſolabatur, quàm reſurrectio? Et Paulus, configurabit, inquit, corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Quis ad Chriſti ſpeciem reformari non gaudeat? Quis repugnanter exuerit tunicam veterem ac laceram, vt nouam regiamque recipiat? Atque hoc eſt, quod Eccleſiæ magiſtri in concionibus ſuis ſæpe accuſarunt: luctus videlicet extra modum: cum more ethnicorum, Chriſto initiati velut amentes atque lymphati vlulant, capillos vellicant, capita & barbam radunt, genas dilacerant, nudata pectora pugnis verberant, quæ mulierum præſertim conſuetudines ſunt. P. Ab huiuſcemodi abſurdis & ineptis te abſtinebis vxor, ne tanquam vna Mænadum Bacchico furore percuſſa videare. Cauebis item, ne exemplo quarundam viduarum cum filiabus & pediſequa multas hebdomadas domi te clauſa contineas: nunquam omnino pedem in publicum efferas: ne feſtis quidem diebus ad templum ſacrorum cauſſa concedas. C. Atqui mos inueterauit: quæ ſecus facit, ſui honoris & exiſtimationis negligens iudicatur. Pre. Mos vituperatione dignus, Eccleſiæ præcepto contrarius: nec vllo egregio auctore, aut præceptore natus. P. Quin & hoc volo, vti funus meum cùm ducetur, tu & filiæ ſequamini: quod multis locis vſitatum eſt: & cũ ſacerdotibus preces mihi ſalutares religioſè coniungatis. Præterea cùm ſeptimo, & triceſimo ab exceſſu die piacularia pro me ſacra conficientur, tu cum liberis pullata interſis. Sine alios garrire pro libidine: tu, quantùm me viuum dilexeris, nihilominus etiam his modis declara. C. Parebo mandatis tuis, quæcunque me fama ſequatur. P. Mœror tuus intra anni ſpatium finiatur. Hoc non ideo dixerim, vt tam diù in ſqualore ſis, verùm ne diutius. Poſt id tempus eſto cum altero, ſi

 voles.

voles. Nam quæ vix diem à maritorum obitu viceſimum exſpectant, parum ſe caſtimoniæ cupidas, parumque præteritorum coniugum amantes fuiſſe oſtendunt. C. In harum numero non reponar. Tu, cui primis ominibus iugata fui, meos amores tecum in ſepulchrum auferes. P. Recedite pauliſper, vt ſolus cum ſolo ſacerdote colloquar. Irruunt in me hoſtes: Domine in auxilium meum reſpice. Pre. Cum agere animam cœperit, confeſtim vos arceſſam. Pro. Faciamus quod iubet. C. Itáne fieri oportet? tamen exibo: ſed extremum ſpiritum excipiam, & oculos ei claudam vtique. Pre. Excipies, & claudes.

ANNOTATIONES.

Quàm ſit breuis atque adeò fugacis æui, & interitui ſemper vicinum genus noſtrum, Homerus Iliad. 6. & 21. itemq; alij poetæ Græci luculenta foliorum comparatione declarauerunt: quæ vti pronos mutantur in annos, primaq; cadunt, & cadentibus noua ſuccedunt, quibus paulò poſt viciſſim areſcentibus ac decidentibus, alia in eorum locum quaſi ſubrogantur, ſic hominum alij fatis vrgentibus occidunt, alij exoriuntur: & his quoad præfinitum ſibi diem lucis vſuram reddentibus, ac velut in terram collabentibus putreſcentibusq;, denuo ſubnaſcuntur, à quibus hic mundus ad exigui momentum temporis, & tanquam ab inquilinis habitetur. Nullus tamen in haſce luminis oras, niſi ab iiſdem receſſurus ingreditur: moriendi ſiquidem neceſſitas propoſita eſt omnibus. Ac proinde grauiter Seneca epiſtola nonageſima nona. Omnes eadem conditio deuinxit. Cui naſci contingit, mori reſtat. Interuallis diſtinguimur, exitu æquamur. Hoc quod inter primum diem & vltimum iacet, varium & incertum eſt. Si moleſtias æſtimas, etiam puero longum: ſi velocitatem, etiam ſeni anguſtum. Sed quando quisq; ab hac rerum colluuie & inanitate profecturus ſit, in pueritiane, an in adoleſcentia, an in confirmata ætate; noctu, an interdiu, hoc vnumquemque latet. Nec minus quo loco, qua leti forma periturus. Alios ſiquidem ferro, alios igne, alios terroribus repentinis, alios fame, alios ſiti, alios præcipiti lapſu, alios laqueo, alios morborum ſæuitia de medio inuiſa mors rapit: poſt quam nihil reſtat. Quando ergo illa rerum extremum eſt, haud inconſultò à nobis factum, cùm funereis vltimum in hoc volumine locum deſtinauimus. Scribimus autem ea, quæ partim à Chriſtianis (quanquam non vna aliqua in regione nec vno ſæculo) partim à diuerſis gentibus atque populis in cadauerum procuratione ſeruata comperimus: & ſcribimus eo animo, vt quomodo in reliquis, ſic in iſto rerum ordine, & ſermonis ſcientia, & materiæ ipſius liberali quadam cognitione iuuentutem excolamus. TESTAMENTVM LEGITIMVM CONDIDISTI) *Teſtamentum Iureconſ. eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Tabulas autem teſtamenti teſtator tenens, ita dicebat.* HÆC VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS QVIRITES TESTIMONIVM PRÆBETOTE. DE ISTO DIVERSORIO) *Cato apud Ciceronem Ex vita iſta diſ-*

ſta diſcedo tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi locum dedit. Vidit hoc Rex & vates Dauid, & ſe tamdiu in iſto diuerſorio, atq; carcere detineri ingemuit.
NEC PROPHETIS, APOSTOLIS) *Ad mortem citra recuſationem excipiendam valet magnoperè, ſæpius recordari, non meliori conditione vſos viros illuſtres, potentes, religioſos, & Deo imprimis caros. Hoc libro tertio nos docet Lucretius, prolatis Regibus, Imperatoribus, artium inuentoribus, poëtis, philoſophis eximiis. Sed carmina ipſa propter ſummam venuſtatem quin ſubiungam, mihi imperare nequeo.*

Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis:
Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alij multi reges, rerumq; potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoq; ipſe, viam qui quondam per mare magnum
Strauit, iterq; dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuperare lacunas,
Et contempſit, aquis inſultans, murmura ponti,
Lumine ademptò animam moribundo corpore fudit.
Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror,
Oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.
Adde repertores doctrinarum, atq; leporum:
Adde Heliconiadum comites: quorum vnus Homerus
Sceptra potitus, eâdem aliis ſopitu' quiet' eſt.
Deniq; Democritum poſtquam matura vetuſtas,
Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte ſua leto caput obuius obtulit ipſe.
Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Præſtinxit ſtellas, exortus vti ætherius ſol.
Tu verò dubitabis, & indignabere obire,
Mortua quoi vita eſt prope tam viuo, atq; videnti?
Qui ſomno partem maiorem conteris aui,
Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas,
Sollicitamq; geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid ſit tibi ſæpe mali, cum
Ebrius vrgeris multis miſer vndiq; curis,
Atq; animi incerto fluitans errore vagaris?

EX ISTO INFÆLICI CONVIVIO) *Qui libentes extrema ſenectute confecti, aut alioqui annis quibus vixerunt, contenti moriuntur, tanquam è conuiuio ſaturi videntur diſcedere, Horat. lib. 1. ſat. 1.*

Inde fit vt rarò qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat vti conuiua ſatur, reperire queamus.

Lucret. lib. 3.

Cur non vt plenus vitæ conuiua recedis,
Æquo animoq́; capis ſecuram ſtulte quietem?

Dio Chryſoſtomus oratione quæ Charidemus inſcribitur, hanc vitam cum conuiuio variis epulis referto, homines cum conuiuis pereleganter componit. Qui exitus quoniam facilis & ſine cruciatu eſt, qualem ſibi Auguſtus optabat, εὐθανασία dici poteſt: quo verbo idem Imp. vtebatur. Suet. Auguſt. c. 99. IDEM PELAGVS NAVIGAMVS OMNES) *In hanc ſententiam Palladas Anthol. lib. 1. Tit.* εἰς ἀνθρώπινον βίον.

Πλοῦς σφαλερὸς τὸ ζῆν, χειμαζόμενοι γὰρ ἐν αὐτῷ,
Πολλάκι ναυηγῶν πλείομεν οἰκτρότερα.
Τὴν δὲ τύχην βιότοιο κυβερνήτειραν ἔχοντες,
Ὡς ἐπὶ τοῦ πελάγους ἀμφίβολοι πλέομεν.
Οἱ μὲν ἐπ' εὐπλοΐην, οἱ δ' ἔμπαλιν, ἀλλ' ἅμα πάντες
Εἰς ἕνα τὸν κατὰ γῆς ὅρμον ἀπερχόμεθα.

Quorum quidem verſuum paraphraſis hæc eſſe queat. Vita noſtra quæ dicitur, nihil profectò eſt aliud, quàm incerta periculoſaq́; nauigatio, in qua tempeſtate quaſſati, ſæpius multò grauius lædimur, quàm qui in naufragium inciderunt. Quòd ſi etiam fortunam gubernatricem adepti ſimus, nihilominus adhuc futurorum ignari, velut ancipiti ſpe per mare vela damus: & alij quidem proſperum curſum tenent: alij curſu excutiuntur. Veruntamen omnes tandem, nemine excepto, eodem cogimur, & ad vnum quoddam littus peruehimur, quando ſinguli morte obita ſub terram deſcendimus. MEDIOCRITATEM SI REQVISIERO) *Non eſſe dolendos (hoc eſt non immodicè dolendos) ſuo die perfunctos, & quo pacto quis ſeſe conſoletur, eximiè docet Tertullianus libro de patientia non longè à principio.* SIMILEM ESSE INTERITIONEM) *Hac voce vſus eſt Cicero, Verr. 5. quam quidam inſcitè emendarunt, vt alias item alibi. Vide Victor. lib. 3. cap. 2.* VNA MÆNADVM) *à* μαίνομαι *furo, inſanio dictæ ſunt Mænades Bacchi ſacerdotes. Ratio appellationis patebit ex verbis Alex. ab Alexand. libro ſexto, capite decimo nono. Quæ ſacra (Bacchica) præterquam quod per anum deliram & temulentam indicerentur, eo inſolentiæ proceſſere, vt mulieres virique hedera ornati, crine fluxo, lymphatis animis debacchata, cum thyrſis velut inſanientes, & furore afflatæ obuios ferirent: miniſtri quoq́; fanatici non minore veſania ferulas geſtarent, tanta temulentia, & verborum licentia, vt M. Varro niſi ab amentibus fieri potuiſſe negaret: quare miniſtræ Mænades dictæ. De his Ouid. lib. 4. Faſt.*

Mentis inops rapitur, vt quas audire ſolemus
Threicias fuſis Mænades ire comis.

Iuuenal. ſat. 6.

& cornu pariter vinoq́; feruntur
Attonitæ, crinemq́; rotant vlulante Priapa
Mænades.

ET PEDISEQVA) *Matronæ, & matresfamiliâs Romanæ ordinis honeſtioris, ſine ancillis nunquam prodibant in publicum, ne ſi in proximas quidem adeſ-*

ædes, aut in vicini domum vellent ingredi. Coniectura fieri poteſt ex Caſina Plautina, vbi Murrhina vxor Alceſimi in ædes vicinas itura, his verbis ancillas ſecundum ſe ire iubet. Sequimini comites in proximum hinc me. TV ET FILIÆ SEQVAMINI) *Athenis mortuorum filiæ, innuptæ etiam, aliæq́; cognatæ mulieres in funus prodibant, ac mortuum vſq; ad rogum ſequebantur, quod ex And. Terentij & Lyſia probat Victorius libro tertio, capite duodecimo, quem morem hodie quoque gentes quædam tenent. Quæ autem virgines, & mulieres raro in publicum exire patiuntur, id ipſarum pudicitiæ diligentius cuſtodiendæ cauſſa faciunt: ſæpius enim videre viderique ab aliis, non modo puras mentes, ſed etiam pura corpora commaculauit.* VT EXTREMVM SPIRITVM EXCIPIAM) *Proximi ſanguine, morientis corpus, dum traheret animam, amplexi, exhalantis ſpiritum oſculo excipiebant flatumq́; vltimum hauriebant: mox decedentis oculos, & ora claudebant: nefas enim exiſtimabant, à viuentibus decedentium oculos ſpectari. Prioris illius conſuetudinis meminit in 7. Verrina Cicer. Matreſque miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſæ, quæ nihil orabant, niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret. Virg. quoq; Æneid. 4.*

& extremus ſi quis ſuper halitus errat
Ore legam.

De more claudendorum oculorum hunc in modum Plinius libro vndecimo, capite trigeſimo ſeptimo. Morientibus oculos operire, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacratum eſt, ita more condito, vt neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas. Virgil. 9. Æneid.

nec te tua funera mater
Produxi, preſſiue oculos, aut vulnera laui.

Optat etiam Penelope ad Vlyſſem ſcribens, vt Temelachus communis filius amborum oculos claudat: id eſt, ambobus ſuperſtes viuat. In conſolat. ad Liuiam vterq; mos vno diſticho tangitur.

Soſpite te ſaltem morior Nero, tu mea conde
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

PROGYMNASMA
SEPTIMVM ET QVINQVAGESIMVM.

Curatio corporis exanimi, priuſquam efferretur.

GRANIVS, MELANTHVS.

GRANIVS. Antequam pro eo ac te facturum ſpopondiſti, enarres mihi rerum veterum percupido, quæ priſcis ſæculis ante humationem, vel potius ante vſtionem domi cadaueribus adhiberentur, velim

Digitized by Google

exponas,pollinctorum, libitinariorum, veſpillonum, quæ functiones fuerint: ſic enim eorum diſcrimen intelligam. M. Pollinctores erant, qui corpora mortuorum lauabant & vngebant, à pelle vngenda conformata voce, quaſi pellis vnctores dicas. Plaut. Pſeud.

Eorum alter viuit, alter eſt emortuus,
Propterea apud vos dico confidentius,.
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Libitina dea funerum erat, in cuius æde proſtabant, quæ humandis, ſiue efferendis corporibus eſſent vſui: quas res μετονυμικῶς Libitinam vocauit Liuius lib. 41. cùm dixit: ne liberorum quidem funeri Libitina ſufficiebat: ob magnam ſcilicet morientium vim. Vitare Libitinam apud Horatium eſt mortem effugere, & immortalitatem adipiſci. Ab ea nominati ſunt Libitinarii, quorum cura & occupatio in procurandis funeribus verſatur. Eorum vota Seneca lib. 6. de benef. ait eſſe, vt complures moriantur: cuiuſmodi illorum quoque, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt. Veſpillones ſunt baiuli, qui cadauera ad ſepulturam exportant. G. Teneo iſta. Quid ergo, & quo ordine fiebat, cùm quis naturæ debitum reddidiſſet? M. Statim efflata anima, antequam calor omnis diſſipatus corpora deſereret, membra dirigebant, & ad priſtinam, ac naturalem corporis formam perducebant: ſi fortè (quod vſu venire noſti) morientes extremo illo tempore partem aliquam contraxiſſent: deformitatem quippe illam non ferebant. Deinde lauabantur, non aqua tantum viua & pura: ſed admiſtis liquoribus odoratiſſimis, è roſis, amarãtho & ſimilibus herbis, aut floribus eliquatis, vt teter halitus pelleretur, qui plerumque exanimes ſtatim comitatur. Poſt vngebantur. Vnguentum erat non vulgare, tam odorum ſæpe, vt quis naſutiſſimum ſe, ſeu etiam naſum fieri optaret, quò delicatæ illius voluptatis quàm plurimum attraheret. Nec ſemper pollinctores, aliquando etiam mulieres hanc lotionem vnctionemque peragebant, & lauabant calida. Præcipuè fœminarum hoc muneris fuiſſe coniicimus ex illo Ennii.

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Socrates quoque in Phædone cicutam bibiturus, ita loquitur. Ac fortaſſe iam tempus eſt eundi in lauacrum. Nam mihi quidem conſultius videtur, me prius lauari, quam bibam venenum: nec mulieribus negotium faceſſere, vt mortuum lauent. Naribus & auribus ſtuppam indebant, ne quid fœdi odoris emanaret; manus item & pedes inſtitis colligabant. Myrrha præterea, aloë, & varii generis odoramentis cadauer condiebant, & capite tenus mundiſſima ſindone inuoluebant. G. Omnibúſne iſta contingebant? M. Haud omnibus, ſed nummatis & copioſis. G. Interea tamen æqua tellus recluditur ſummis atque infimis: nec ego multum referre duco, quid me extincto fiat: quis mihi oculos claudat: quis me lauet, vngat, condiat: atque vt nemo alius, odor me ſepeliet. M. Suaueolentib. floſculis cadauer humi ſuper tapetum depoſitum aſpergebant, & de viridiſſima neſcio qua herba ſertum contextum capiti imponebant, & in Italia quidem toga, magiſtratus prætexta, Cenſores purpurea tota, in Græcia

cia pallio amiciebant. Demum corpus exanimatum in ædium veſtibulo, ad ianuam collocabant, quod verbo proprio collocatio dicebatur. Ita porrò collocabant, vt corpus foras ſpectaret, facie ac pedibus in publicum verſis: ad ſignificandum, non eſſe reuerſurum. Sæpius tandem conclamabant corpora: hoc eſt, mortui nomen vocibus claris ore plurium iterabant. G. Cur hoc? M. Quòd, vt Plinius ait libro ſeptimo, cap. 52. ſolet plerunque vitalis ſpiritus exitusque putari, & homines fallere. Ibidem narrat, quendam pyræ impoſitum, adhibitis ignibus arrectum eſſe, nec liberari potuiſſe. De conclamatione Lucan. libro quinto.

ſic funere primo
Attonitæ tacuere domus, cùm corpora nondum
Conclamata iacent.

Inde natum illud Terentii in Eunucho. Deſine, iam conclamatum, hoc eſt, transactum, finitum eſt, ſpei nihil ſupereſt. Euerriator dicebatur, qui domum vnde mortuus efferendus eſſet, certo genere ſcoparum adhibito purgabat. Cupreſſinus ramus (quæ arbor exciſa non renaſcitur, & ex mortuo nihil eſt ſperandum: quam ob cauſſam Diti ſacra habebatur) in veſtibulo mortui, ſeu ſuper limen ſuperum ianuæ ponebatur: tum propter ſignificationem quam dixi; tum propter cærimonias ſacrorum, quibus pop. Rom. obſtrictus erat: ne quis ſcilicet imprudens funeſtam domum rem diuinam facturus introiret, & velut attaminatus ſuſcepta peragere non poſſet. Diuitum autem duntaxat, non omnium ædibus præponi ſolitum auctor Lucanus.

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

Per præconem porrò funus ita indicebatur. OLLVS LETHO DATVS EST. Græcis quibuſdam ſeptendecim diebus corpora domi ſeruare, antequam cremarentur, ſolemne fuit. Itaque & Homerus Odyſſ. lib. 24. Achillis corpus totidem diebus & noctibus defletum, & octauo decimo crematum tradit. Hæc hactenus, pauca de multis. G. At mihi multorum iuſtar.

ANNOTATIONES.

INTER *orationes, quas ſumma grauitate, doctrina, eloquentia cumulatas emiſit in publicum Franciſcus Bencius, qui cum mihi multa iam pridem neceſſitudo intercedit, lege quæſo diligenter illam, qua rationem funerum apud Romanos explicauit. Omnimodis præclare in eo argumento verſatus eſt. Quæ autem cærimoniæ in Chriſtianorum funeribus olim adhiberentur, eruditè admodum diſſerit Ioan. Steph Durantus de cærimon. Eccleſiæ, libro primo, capite vigeſimo tertio.* POLLINCTORES ERANT) *Vide præterea Turneb. lib. 28. cap. 31.* DICTI SVNT LIBITINARII) *Poſſumus hoc nomine eum afficere, qui humo defunctos operit, in ſcrobe ſcilicet: aut etiam, qui eos in hypogæo, ſeu crypta ſubterranea deponit, qui Germanis* Todtengräber/ *Græcis* νεκροθάπτης. VESPILLONES SVNT) *Feſtus. Veſpæ & veſpillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis*

illis volucribus: ſed quia veſpertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. NATVRÆ DEBITVM REDDIDERVNT) *Cic. 1. Tuſcul. Pellantur ergo iſtæ ineptiæ pene aniles, ante tempus mori miſerum eſſe. Quod tandem tempus: naturæne? At ea quidem dedit vſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Quid eſt igitur quod querare, ſi repetit cùm vult? ea enim conditione acceperas.* POST VNGEBATVR) *Cur vngerentur, Donatus in Virg. cauſſam hanc ponit, vt celerius arderent. Immo vt minus fœterent dum cremarentur. Quidam aliam, vt diutius integra conſeruarentur. Vtriuſque moris, lauandi, inquam, & vngendi teſtis Homerus Iliad. 18. de funere Patrocli, & Odyſſ. lib. 24. de Achille mortuo. Sic Virgil. lib. 6. de Miſeno.*

> *Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis*
> *Expediunt, corpuſq; lauant frigentis, & vngunt.*

ODOR ME SEPELIET) *Diogenis eſt, qui aliâs item rogatus, num ſeruulum, aut ancillam haberet, negauit. Dicenti, ſi ergo mortem obieris, quiſnam te ad ſepulcrum efferet? Qui domo, inquit, indigebit.* DIVITVM AVTEM DVNTAXAT) *Cuius rei cauſa videtur raritas arboris, quod initio pauci in agris, aut intra vrbanas villas eam inſtituebant. Intelligitur hinc, quamobrem cupreſſos Horatius ferales inuiſas, funebres, Virgilius atras dixerit. Principio idcirco adhibitam funeribus quidam putant, vt corpus humanum ab anima iam relictum diutius ſeruaretur, maneretque incorruptum. Sed cur prope rogum eadem arbor depangeretur, docebit Iunius lib. 1. cap. 20.* OLLVS LETHO DATVS) *Varronis locus eſt lib. 6. de ling. lat. Apud Ennium. Olli reſpondet ſuauis ſonus Egeriai. Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. Quod alterum comitiis cùm recitatur, à pracone dicitur olla centuria: non illa: alterum apparet in funeribus indictiuis, quom dicitur,* OLLVS LETHO DATVS EST, *quod Græcus dicit λήθη, id eſt, obliuioni. Vult igitur Varro lethum dici quaſi λήθην: eo enim reſpicit, quod veteres mortis mentione abſtinebant, ne cogerentur δυσφημεῖν. Quare etiam abitionem pro morte dicebant. Conſule coniectanea Scalig. in Varron.*

PROGYMNASMA
OCTAVVM ET QVINQVAGESIMVM.

Funerea veſtimenta, & tempus luctui præfinitum.

NICOMEDES, APPIANVS.

NICOMEDES. Magnoperè miror, Appiane, quæ tam grauis te cauſſa impulerit, vt reiecto priſtino amictu, eleganti illo atque mundo, atratus, ſordidatuſque, nec caput, nec barbam tonſori committens, dies iam bene multos, quod obſeruaui, incederes. Num in iudicium pertractus

ctus aut auitis fortunis cedere, aut ſolum vertere, aut reſtim capere, aut obſtricto collo facere literam longam iuſſus es? A. Num hic vigilans ſomniat? nihil horum. N. Quid vult ergo ſibi hæc mutatio? A. Quid velit? audies. Meus auunculus maior curriculum viuendi à natura datum confecit: quem, vti more communi Chriſtianoque receptum eſt, lugeo: quod officium tu præſtares ſimiliter, ſi de cognatis tuis quiſpiam anima ſuperare deſiiſſet. N. Egóne vt pullatus ingrediar? nunquam me hic color delectauit: mœſtitudinis quippe index eſt, quæ cordi meo non placet. A. nemo tamen vllo in ſæculo repertus eſt, quem non aliquis aliquando attigerit in vita dolor, cui non aduerſum quippiam & acerbum euenerit: vt proinde malum mœrorem miſtum bibere interdum vnumquemque hominem natum, volentem nolentem oporteat. N. Philoſophari hoc quidē eſt. Quin tu ab iſto luctu moleſtiaque te abducis, & hunc eius nuntium valere iubes? A. Non ſum ego vſque piarum conſuetudinum inimicus, vt hoc leuitatis ſuſcipere in animum inducam. N. Stultitia eſt venatum ducere inuitos canes: nihil promoueo. Quamdiu igitur geſtabis hunc triſtiſſimum pileum, hanc togam funebrem, hoc lugubre pallium? A. Annum integrum. N. Annum integrum? certumne? A. Certum. N. Cuius præcepto? Quo exemplo? mulieribus quidem ſeu Romulus, ſeu Numa decem menſium luctum præſcripſit, non viris. A. Neceſſe haud eſt, nos omnia, quæque agimus, quæque dicimus vel exempli vetuſtate ſtabilire, vel literarū auctoritate corroborare poſſe. N. Verū. A. Verūtamē, quoniā diſcēdi cupidum auditorem me nactum ſuſpicor, de tempore luctibus præſtituto nonnulla promam. N. Tam gratum id mihi futurum puta, quàm quod gratiſſimum. A. Docet Plutarchus, Numam Pompilium, quem tu paulo ante nominabas, puerum trimo minorem lugeri plangique vetuiſſe: filiis tamen ad parentum, & vxoribus ad maritorum obitum mœrendum decem menſes conſtituiſſe, annum videlicet integrum, vt eum Romulus deceſſor digeſſerat. Qua de re principio 1. Faſtor. Ouidius. Tantundem ſpatii parentibus ad filiorum, & ſororibus ac fratribus ad mutua funera lugenda impertiuit. Quidam filios non luerunt omnino, quod ad magnitudinem animi referendum ſentio. N. Nomina iſtos. A. Quintus Maximus, & L. Paulus, & Cato Cenſorius: & inter Græcos Anaxagoras, & Xenophon. N. Cur tu non potius iſtorum ſapientum, & illuſtrium hominum, quàm obſcurorum exempla imitari vis? A. Volo, ſi poſſim modò. Sed naturæ ſtimuli ſunt peracres, cui neſcio an ſemper reſiſti debeat: certè non ſemper poteſt. N. Non negauerim. A. Quid ſacræ literæ? an non Moyſen & Aaronem ab Iſraëlitis 30. Saulum 7. Iudam Machabæum diebus compluribus defletos commemorant? N. Recordor me iſta legiſſe, nec improbaſſe tam humanum factum. A. Licet igitur tam grauibus, teſtatiſque exemplis lugere mortuos, nec parum diu. Quia verò tu de hoc loca plura non requiris, de veſtibus lugubribus, ſi placet, cœptum ſermonem pertexamus, oſtendamuſq; tum apud quos vſitatæ, tum quales fuerint. N. Mihi verò, & vehementer quidem placet: nec ſeriò illa dixi, quæ in primo congreſſu dixi: iocabar ſcilicet, & ex te hanc ipſam ſcholam elicere volebam: quam-

Digitized by Google

quamquam ea quoque mihi periucunda accidit, quam de luctus tempore explicauiſti. A. Viſne à profanis, an à ſacris libris ordiamur? N. Malo equidem à ſacris, quorum auctoritas & pondus cæteris ſcriptoribus lumen addit, & robur ad fidem faciendam conciliat. Siquidem tum potiſſimùm aliquid veritate coniunctum eſſe credimus, cùm ſacri cuiuſpiam voluminis teſtimonio fuerit confirmatum. A. Rectè. Cognoſcimus ſanè ex libro, qui Iudith inſcribitur, viduarum certum quoddam fuiſſe genus veſtium, quas lugubres appellare quid prohibet? Abſtulit, inquit, cilicium ſuum, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. Ante id tempus, iam inde vſque à mariti morte, cùm in qualore iacens corpus negligeret, non vnguentis, non ſandaliis, non mundo muliebri vteretur, quid agebat aliud, quàm luctui indulgebat? Cæterùm infra, vbi exponitur, quo ſe pacto lauerit, compſerit, ornauerit, vt Holofernem Nabuchodonoſoris Regis potentiſſimi Ducem amoris ſpiculo vſque ad venas & oſſa vulneraret, inter alia: induit ſe, inquit, veſtimentis iucunditatis ſuæ. De ſanctiſſima item regina Eſther ſcriptum eſt, propter imminens ſuæ genti internecionis periculum, veſtem regiam poſuiſſe, & illi tempori aptam induiſſe, ſuumque caput cinere & ſtercore impleuiſſe. Illa inſuper fæmina, quæ Abſalonem Dauidis filium in patris gratiam reducere conabatur, lugubri indumentó viduam ſe eſſe ſimulabat. Thamar quoque cultum viduitatis depoſuiſſe traditur. N. Tantùm mulieres? A. Immo & viros: ſed breuitatem ſecutus, duos ſolum, eoſque reges proponam. De Ezechia his verbis in quarto regum legimus: Quæ cùm audiſſet Rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco. Illuſtriſſimum porro teſtimonium eſt apud Ionam Prophetam de Niniuitis. Et prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue. Et ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. N. Exemplorum ſat eſt. At ego non tam de lugubribus, quàm de funebribus veſtimentis, an ea nimirum in vſu fuiſſent, doceri cupiebam. Amphora cœpta eſt inſtitui, currente rota exiuit vrceus. A. Quid dubitas, cùm in luctu geſſerint veſtes ſingulares, num eas etiã eo in luctu geſſerint, qui plerunque intolerabilis, & immenſus eſt, ob interitum videlicet chariſſimorum accenſus? N. Non aduerſabor tibi hac quidem in re diutius. Cuiuſnam coloris, ſeu quale fuiſſe exiſtimas illud veſtimentorum genus? A. Nigrum, pullum ſiue atrum fermè, & magna ex parte. Tamen apud Græcos viri fœminæque, Syracuſani, Argiui candidis in luctu veſtibus amicti leguntur. Noſtræ quidem mulieres pullatæ cum ſint in luctu, nihilominus ſubtili ſtamine linteum candidum capitibus imponunt. Apud Iapones, de quorum moribus, & inſula ſcribunt multa ſocietatis Iesv Patres, & Petrus Ioannes Maffæius præſertim, hiſtoriarum Indicarum libro duodecimo, triſtis color habetur albus, niger lætus, ac proinde hunc rebus ſecundis, illum aduerſis, adeoque in luctibus & funeribus adhibent. N. Quæ tua eſt ſententia? A. Nigrum eſſe communiorem, ſuaque natura ad dolorem & mœſtitiam prodendam magis idoneum, quàm vllum alium. N. Mihi idem videtur. Quid autem eſt, cur ſan-

Digitized by Google

ſti Doctores, vt Chryſoſtomus, Hieronymus, Cyprianus ſuis concionibus harum veſtium vſum tam acriter inſectantur? A. Non vſum, ſed abuſum in vituperationem adducunt, & id, quod nimium eſt, culpæ dant, non quod ſatis, vt etiam in luctu. Nolunt enim Chriſtianos tantum in his ritibus momentum putare, & ab ethnicorum ſtultitia eos deſiderant longius recedere. N. De cubiculorum, hypocauſtorum, totiusque domicilii parietibus atro panno ad mœrorem indicandum coopertis quid ſentis? A. Hanc conſuetudinem non ſolùm eſſe, verùm etiam eſſe illorum oportere, qui pecuniarum modo, & nobilitate generis præſtant aliis: quorum vniuerſa ratio funebris (neque id immeritò) apparatior & glorioſior eſt. Quod ſi etiam feneſtræ claudantur, vt degatur in perpetuis tenebris, & in meridie lumen accendatur, non probo. N. Probant tamen qui faciunt: quanquam in Germania noſtra haud credo vſpiam fieri. A. Gens animi robuſtioris, multa reſpuit, quæ cæterarum mollities, & imbecillitas contemnere non poteſt.

ANNOTATIONES.

NEC CAPVT, NEC BARBAM) *Ægyptij & Aſſyrij ſqualore & ſordibus obſiti, cœno obliti, capillum ſummittentes, & barba detonſa: Mileſii raſis capitibus. Perſæ coniugibus & liberis detonſis lugebant mortuos. In funere autem clarorum virorum ſeipſos, equos, & iumenta tondebant. Apud Græcos viri capillum barbamque ſummittebant, mulieres tonſis crinibus erant. Lege Alex. ab Ale. li. 3 c. 7. In grauiſſimo luctu, ingentique calamitate caput etiam cinere conſpergebant, ſeu puluere deturpabant aliqui, quod Homerus non vno loco teſtatur, Euripides in Supplicibus. Virgil. libr.* 10. FACERE LITERAM LONGAM) *In Aulul. eſt ſuſpendia ſemet afficere, ſuſpendio vitam abrumpere. In quem locum videndus Lamb. Controuerſia enim eſt, qua ſit intelligenda litera longa ibidem: vtrum certa aliqua, an quauis earum, quas nos appellamus maiuſculas, Cicero maximas, & grandes: vt minutulas, quas nos minuſculas.* QVEM NON ALIQVIS ALIQVANDO) *Euripides quidem Hecuba:* κεῖνος δ' ὀλβιώτατος, ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν. *Ille fæliciſſimus, cui nihil in diem obtingit mali. Proferatur tamen aliquis, cui vel vnicus dies tam feliciter, & tam ſincera in lætitia exactus ſit, vt eodem non vel delictorum conſcientia illum pupugerint: vel irarum faces non incenderint: vel motiones aliquæ rationi parum obtemperantes non exagitarint? Quis tutus fuit à ſuperbia? ab inuidia à libidine, idq; vel paucas horas, quid dicam totum diem? Quem non læſit, non perturbauit aliqua in parte quippiam? Quis integro die nihil iniucundum aſpexit? nihil moleſtum audiuit: nihil, quod nollet, vllo ſenſuum hauſit? Nullum in hac vita merum, purumq; gaudium, & voluptati ſemper dolor it comes. A parentib. quoq;, ab vxorib., à liberis, à chariſſimis deniq; ſollicitudines & angores nobis ſuboriuntur: & cũ ad ſomnũ, vt ad medicinam, vt ad ſecuriſſimũ portum confugiamꝰ,*

in eo

in eo ipſo perſæpe atroces tempeſtates inuenimus. PRINCIPIO I. FAST. OVID.) *Cauſſas anni à Romulo decem menſibus circumſcripti, duas affert Ouid.*

Eſt tamen & ratio, Cæſar, quæ mouerit illum,
Erroremq́; ſuum quo tueatur habet.
Quod ſatis eſt vtero matrix dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Q. MAXIMVS, L. PAVLVS, ET CATO) *Fatetur Cic. epiſt. 6. lib. 4. qua ad conſolatoriam Sulpitii reſpondet, hoſce viros clariſſimos non luxiſſe filios: ſed tamen non defuiſſe illis in ea fortuna magnum quoddam ſolatium affirmat, quo recreati caſus ſuos ferrent moderatius. Sibi autem ad conſolationem nihil relictum.* ANAXAGORAS, ET XENOPHON) *Anaxagoræ quidem cum eſſet renuntiata & damnatio ſua, & filiorum mors, ad alterum dixit: iam pridem aduerſum Athenienſes atque ſe ex æquo naturam tuliſſe ſententiam. Ad alterum: ſciebam me genuiſſe mortales. Laert. lib. 2. Cicer. Tuſc. 3. Valer. lib. 5. cap. 10. de Xenophonte. Cùm ſolemne ſacrificium perageret, è duobus filiis maiorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidiſſe cognouit: nec ideo inſtitutum deorum cultum omittendũ putauit, ſed tantummodò coronam deponere contentus fuit. Quam ipſam, percontatus quonam modo occidiſſet, vt audiuit fortiſſimè pugnantem interiiſſe, capiti repoſuit: numina quibus ſacrificabat teſtatus maiorem ſe ex virtute filij voluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentire.* PLVRA NON REQVIRIS) *Quoniam de tempore luctus hæc diſputata ſunt, addamus perpauca, de luctu ſcilicet minuendo, eoque publico & priuato. Minuebatur populo luctus ædis dedicatione: cùm à cenſoribus luſtrum condebatur: cùm votum publice ſuſceptum ſoluebatur. Priuatis autem, cùm liberi naſcerentur: cum honos in familiam veniret, cùm pater, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum rediret: cùm puella deſponderetur: cùm propiore quis cognatione, quam is qui lugebatur naſceretur. Feſtus Blond. Roma triumph. lib. 2. Crinit. lib. 19. c. 12.*

PROGYMNASMA NONVM ET QVINQVAGESIMVM.

Apparatus, & pompa funerum.

SERVATVS, GRATIANVS, EVODIVS.

SERVATVS. Ecquid heſterno die lugubri ſpectaculo, exſequiiſque præſentes interfuiſtis, cùm efferebatur apparatiſſimo funere huius Reipublic. Coſſ. vir omnibus rebus clariſſimus atque ampliſſimus? G. Non defuimus Seruati: Sumus enim vterq; iſtiuſmodi celebritatum pomparum.

Digitized by Google

parumq; paulò auidiores: & magnificentiam funeris cùm libenter contemplati, tum vehementer admirati ſumus. E. Ego quidem ſplendidius aliquid & ornatius in hoc genere me vſpiam vidiſſe haud recordor. Primò enim feretrum (quem etiam lectum, & lectulum, & ſandapilam Latini vocant) non viſebatur coopertum pallio atro, lineo ſeu laneo, quod longa crux per medium, alba ſiue rubra, panni damaſceni ſiue aurei diſtingueret: ſed ſericum, in quo Saluatoris de cruce pendentis, Mariæque & Ioannis aſtantium pulcherrimis coloribus, auro etiam argentoque intermiſto depictæ imagines. Oram circum emblemata ſeu parerga mirificè decorabant. Velum illud candidum, quod infra eſt, & loculum proximè attingit, atque ex omni parte ante nigrum prominet, erat nimirum carbaſinum: vt iam aliquanto minus mirum videatur, ſi Principum, Regum, & Imperatorum feretra, purpureis, aureisue tegumentis inſternantur. S. Illa ſimpliciora pallia ſeu tegmina, quæ dicebas, tenuiorum ciuium, & opificum cadaueribus plerunque adhibentur, quæ etiam linteis detritis, & foraminum plenis inuolui ſolent, ſine vnguentis, ſine odoribus. Ferebant autem humeris exanime corpus ſex, totius ciuitatis honeſtiſſimi, quos ſenatores fuiſſe interpretor: de facie non ſatis cognoſcebam. G. Non indecorè à ſui ordinis hominibus ad tumulum eſt deportatus. E. Quomodo? S. Cernimus opifices ab opificibus ὁμοτέχνοις, monachos à monachis, ſacerdotes à ſacerdotibus, milites à militibus efferri. Eſt vbi virgines à virginibus, puerperæ à nuptis efferuntur. Qui mos nec mihi diſplicet, nec cuiquam prudenti improbabitur. Quin item arbitror Epiſcopos ab Epiſcopis, ſi affuerint plures, ad ſepulturam geſtandos. Vniuersè vt loquar, nullum eſt ex omnibus oneribus onus honorificentius, quàm in ceruicibus Chriſtiani mortuus. Et, ſi tolluntur laudibus, qui extinctos terræ mandant, non æquè tollendi erunt, qui mandandos apportant? E. Omnes ego in laude ponendos duco, qui funeri quoquo modo dant operam, dum id modo non ſolo mercedis amore agitent: vt deſignatores, libitinarios, ſandapilarios, buſtuarios, qui funebrem pſalmodiam canunt, qui faculas præferunt daduchos, qui iuſta faciunt, qui glebam in os iniiciunt, qui ſequuntur: quorum erat heri vtriusque ſexus multitudo immenſa: è qua complurium vultus fletu irrigatos aſpiciebam, qui eſt honor mortuis honeſtiſſimus: lacrymæ namque viuorum ſunt ornamenta mortuorum. Profectò hic vir lectiſſimus, atque ornatiſſimus, ſenatus columen, præſidium populi nec ἄταφος eſt, nec ἄκλαυστος. S. Quis Conſulis nomen & perſonam vnquam geſſit dignius? quàm multi etiam ſacerdotes linteati in hac exſequiarum pompa? quàm multæ maiorum imagines? G. Mos tenet quibusdam in regionibus, vt eius artis atque ſtudii inſtrumenta vel præferantur, vel feretro imponantur, quod in vita defunctus excoluerit. Exempli cauſſa militi, aut equiti aurato galea, gladius, calcaria: Doctori volumina, ſeu codices. Solent præterea familiæ inſignia eleganter picta, & cereis facibus, & veſti ſtragulæ, quo feretrum contegitur, affigi. E. Nec iſtud heri deſiderabatur: & quidem præ multitudine

funalia numerari non poterant. Domorum feneſtræ ſpectatoribus complebantur. S. Verius illa ex duodecimo vſurpemus.

Tum ſtudio effuſa matres, & vulgus inermum,
Inualidiq; ſenes, turres & tecta domorum
Obſedere.

E. Cantum & hymnos funebres præ campanarum ſtrepitu, & lamentantium vocibus ægrè audiebamus. Sanè poſtquam in ædem ventum eſt, laquearia reſonabant. Et hoc quidem modo, quam cum tubarum ſono efferri præſtat. S. Valde commendanda conſuetudo, vt antequam ſepulchro tradatur cadauer, ante aram collocetur, dum iuſta ſacrorum, & funeralia illa abſoluta ſint: quo tempore bis aram circumeuntes demortuorum cognati & affines, eorum expiandis animis offerre pecuniam in vſus ſacerdotum conſueuerunt. G. Nec illa non laudanda, cùm à certo homine gratiæ aguntur honoratioribus, quod in funus prodierint. S. De panegyrico autem, ſeu laudatione funebri, quam habuit Curio maximus, quid iudicatis? E. Ita commendaſſe mortuum, tanta rerum copia, & ſplendore verborum, vt melius nemo poſſit. G. Idem eſt meum iudicium. S. Tutum eſt poſt fata laudari, quando in ſuperbiam nullus concitatur. Eſt etiam vtile & honeſtum: nam ita dolor amicorum nimius aliquantum lenitur, iuuentus ad virtutis imitationem ſpe honoris & gloriæ accenditur, & bene de Repub. meritis gratiæ referuntur.

ANNOTATIONES.

APPARATVS ET POMPA) *Quo apparatu, qua celebritate, quibusq; ritibus eorum corpora, qui magiſtratus & honores geſſiſſent, Romani ad rogum producerent, copioſè ac diligenter Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. De tibiis item & tubis in funeribus, Magius lib. 1. cap. 13. In eodem quinam fuerint Siticines. Fuit item vſus luminum cereorumq; in funeribus & parentalibus, vt patet ex Suetonii Auguſto, Tiberio, aliiſq; ſcriptoribus. Bene tamen D. Auguſt. Ciuit. lib. 1. c. 12. Omnia iſta, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exſequiarum, magis ſunt viuorum ſolatia, quam ſubſidia mortuorum. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis, aut nulla.* PRIMO ENIM FERETRVM) *Poſiti mortui dicuntur, cùm aut in feretro, aut in pyra ſunt collocati, Ouid. ad Liuiam de morte Druſi.*

Tene ego ſuſtineo poſitum ſcelerata videre?

Idem.

Nec iuuenis poſiti ſupremos deſtrue honores.

GLEBAM IN OS INIICIVNT) *Veteres non integras ac ſolidas glebas, ſed tritum ac minutum puluerem iniiciebant mortuis: credo, ne preſſu dolorem eis aliquem afferrent. Quò reſpexit Horatius, cùm in Architæ Tarentini epitaphio bis puluerem nominat lib. 1. Ode 28. Romani, vt ex Cicerone ac Varrone notum eſt, glebam iniicere ſolebant. Muret. lib. 10. cap. 19. Nos Chriſtiani quoq; ſepeliendis terram iniicimus, nulla ſuperſtitione, ſed deſiderio perpetrandæ miſericordiæ, cuius vna pars eſt, ſepelire mortuos.* LACRYMÆ

NAM-

Digitized by Google

NAMQVE VIVORVM) *Signum quippe ſunt amoris: amari autem, & amatum eſſe, etiam lumine vitali perfunctis honeſtum glorioſumq; dicitur. Iudæi cùm Ieſum Seruatorem ad tumulum Lazari plorantem intuerentur, ecce, aiebant, quomodo amabat eum. Sunt item indices doloris, qui ex eo creatur, quod is qui anima caret, viuentes orbos, aut magnis vtilitatibus ſpoliatos deſerit Hoc ſimiliter honorificum eſt defunctis Ornant autem mirabiliter mortuum publicæ & communes lacrymæ, quas populi & ciuitates bonis Principibus, Rectoribusq; vt parentibus perſoluunt. Simonidis quidem epigramma in Nicodicum eſt huiuſmodi.*

Τὸν αὐτοῦ ἕκαστος ἀπολλυμένων ἀνιᾶται.
Νικόδικον δὲ φίλοι καὶ πόλις ἥγε κλαίει.

Vnuſquiſq; lugetur à propinquis, & conſanguineis ſuis, vbi deceſſit: aſt Nicodicum amici, & tota hæc ciuitas amiſſum deplorat Sed Ambroſium audiamus, cuius hæc ſunt in oratione de obitu Valentiniani Imperat. Soluamus bono Principi ſtipendiarias lacrymas, quia ille nobis ſoluit etiam mortis ſuæ ſtipendium. Nec tamen flendi admonitio neceſſaria. Flent omnes flent & ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flent & barbari, flent & qui videntur inimici. Quantos iſte de Gallijs vſq; huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? Omnes enim non tanquam Imperatorem ſibi, ſed tanquam parentem publicum obiiſſe domeſtico fletu doloris illacrymant. ſuaq; omnes funera dolent. Amiſimus enim Imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & conſiliorum ſenectus. MAIORVM IMAGINES) *Tria hæc erant iura apud antiquos, agnationis, gentilitatis, ſtirpis. Nobiliorum fuit gentilitas eorum ſcilicet, qui imagines generis ſui proferre poterant. Vnde imagines pro nobilitate generis accipi ſæpe ſolent. Cic. de lege Agraria orat. 2. ſignificare volens, ſe nouum hominem, id eſt, nulla generis nobilitate commendabilem Conſulem tamen factum: quemadmodum cùm petebam, inquit, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: ſic, ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. In Piſonem fumoſas imagines appellat antiquiſſimi generis ſtemma. Mos autem viguit Romæ vt imagines maiorum in funeribus ducerentur ad gentilitatem oſtendendam. Cicer. 2. de Orat. Brute quid ſedes? quid anum illam patri nuntiare vis tuo? Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? Loquitur de anu Iunia, Bruti agnata, quæ efferebatur. Hæc, & quidem multò copioſius Budæus in Pandect.* CVM TVBARVM SONO) *Nobiles ac fortunati homines Romæ cum tubarum ſono efferebantur. Quod ſignificauit Propertius;*

Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa,
Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Victor. lib. 9. cap. 14.

LAVDATIONE FVNEBRI) *Cic. lib. 2. de legibus. Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, eosq; etiam ad cantus, ad tibicinem proſequuntor. Primus omnium P. Valerius Publicola L. Iunium Brutum collegā pro cōcione laudauit. Tranſlata eſt eadem res poſtea ad fœminas laudataq; princeps Popilia mater Catuli. Cæſar Quæſtor, vt refert Suetonius, Iuliam*

amitam, & vxorem Corneliam defunctas pro roſtris laudauit. Inſtituerunt etiam Græci laudationes huiuſcemodi, quas ἐπιταφίους λόγους vocarunt, quoniam primùm ad tumulos pronuntiarentur eorum, quos ita laudibus decorabant. At non niſi iis, qui in prælio occubuiſſent, vt apud Platonem, Thucydidem, & Demoſthenem videre eſt. M. Tullii 14. Philipp. bona ex parte in legionem Martiam, quæ ad Mutinam oppetiuerat, vt item 9. in Seruium Sulpitium in legatione ad Antonium pro Repub. obeunda mortuum ſcripta eſt. Scripſit ornatiſſimam funebrem Iſocrates ad Euagoram Regem Salaminæ Cypri, patrem Nicoclis. Chriſtiani quoq; hunc honorem mortuis habendum iudicauerunt. Inde eſt quod complures antiquorum Patrum funebres orationes legimus.

PROGYMNASMA SEXAGESIMVM.

Floſculi, herbæ odoriferæ, ſerta, coronæ, quibus animi exuti cohoneſtantur.

CAMILLVS, DECENTIVS.

CAMILLVS. Cùm ante meridiem adiiſſem viſitatum Doctorem noſtrum, quem affectum eſſe heri primis tenebris famulus eius mihi renuntiauerat, eum in exedra ſedentem, & paulò ſeſe habentem melius, quàm per noctem habuiſſet: pallore tamen multo adhuc ſuffuſum, & immoderata vomitione non mediocriter debilitatum ac nauſeabundum inueni. Aderat eidem Flaminius, homo, vt noſti, literarum ſtudiis mirificè deditus, & vrbanitate præcipuus. Poſtquam inter nos conſalutauimus: Quid tu? inquam, mi Præceptor, rectène iam, atque vt vis vales? nuntius enim heſternus ad ſummum me timorem nil tale ſuſpicantem traduxit. Hîc ille. Egóne? vt queo, Camille. Reliquiæ ſunt, quas hoc biduo depellam. Tu aſſide in hac ſella, & pauxillùm da operam, dum inchoatum ſermonem decurrimus. Libenter gero morem, inquam, cœpique confeſtim ſedere ad læuam, nec me pœnitet: receſſi enim doctrina auctior. D. Indicaſſes vno verbo te iturum, comitem tibi me addidiſſem. Sed quoniam de eius inualetudine nihil cognoui, dabit veniam abſentiæ. C. Nondum ſol ad occaſum commeauit. D. Intelligenti pauca: ita ſum facturus: nam mihi tam charus eſt quàm tibi: pæne dicam, quàm ipſe ſibi. Quis autem fuit ille ſermo? C. Elegantiore ſcientia, qua pollet, refertus. D. De eloquentia? cuius magiſter eſt optimus. C. Non. D. De ſtudio antiquitatis? C. Nec iſtuc. D. Ne tamdiu me hiare ſinas: impinge bolum faucibus, & dimitte. Qua de re colloquium miſcuerint, quid memoria dignum attulerint, narra: vt quomodo tu illi, ſic ego tibi beneficio improuiſo deuinciar. C. Non patiar me rogari pluribus. De rebus funebribus mentio inciderat. Et cum Flaminius conſpexiſſet fortè variis aſperſum floſculis

pueri

Digitized by Google

pueri defuncti corpuſculum, hoc ipſum magiſtro detulerat, familiariterque ex eo quæſierat, quid ex probatis ſcriptoribus de hoc more exanimes floribus, herbis odoratis ac ſertis honorandi in medium proferri, quæq; illius rei ratio videri poſſet. At enim quaſi agatur res, non quaſi commemoretur, ita ſuauiſſimam illorum diſputationem, feſtiuiſſimumque dialogum exponam, ſi annuis. D. Beabis me: tuo arbitratu Camille. C. Pæne igitur ad hunc modum exorſus erat Flaminius (mea ſiquidem cauſſa à capite repetebatur oratio.) F. In hac nobili ciuitate conſuetudinem offendo, honore quodam proſequendi mortuos, quam noſ[illegible] inuſitatam atque incognitam eſſe autumo. Non pueros duntaxat, pu[illegible]laſq;, ſed adultos etiam, vbi vitam terminauerunt, bene olentibus ſertis ornant, eorumq; monumenta floribus, & odorifero gramine conſpergũt: quod & aliâs vidi, & iam in itinere cùm ad te ire properarem, in puerulo factum notaui. Apud veteres (quantum ego veterum libros legi) id obſeruatum eſt. Verùm an apud Chriſto dicatos locum habere debeat, cùm ad gentilium ineptias pertinere videatur, dubitatione nonnulla tangor. Tu me doctiores: quod ſenſeris, idem ego mihi ſentiendum, & in tuo veſtigio pedem ponendum putabo. M. Errore magno laberis, Flamini, ſi continuò ſuperſtitioſum, aut impium, proindeque nobis interdictum credis, quidquid illi mortales à vero vnius Dei cultu alieni aut fecerunt, aut docuerunt. Exemplis quàm plurimis id faxo intelligas. Deos adorantes manus ſuas oſculabantur: nos honoratos alloquentes idem facimus: nũ idcirco eos tanquã deos adoramus? iidem imagines ac ſtatuas deorum ſuorũ, in quibus aliquid diuinitatis ineſſe opinabãtur, deoſculari ſolebãt: eodẽ nos honore Chriſti, beatæ Mariæ, ſanctorũ, ſanctarumq; imagines, ſigna, & ſtatuas veneramur. Expiationis ergò ſeſe frigida aſpergebant. Quid nos? nónne aſpergimur? hoſtias mactabant: Iudæi ſimiliter. Radebant Sacerdotes barbam: noſtri quoque radunt, in Germania quidem certè. Accendebant lampades & faces in ſacris: defunctos iam humatos luminibus honorabant: nos æque. Abluebant cadauera, & vnguentis perlinebant: nos, ſi eundem morem vſurpemus, num ſceleſtum & capitale facinus conſciſcimus? F. Atqui cùm non odorentur hac luce carentes, immo cùm ſint omni ſenſu orbati funditus, quorſum illis flores? M. Quære etiam, quorſum vnguenta, quorſum aromata, quorſum balſamum, quo Principum corpora euiſcerata referciuntur, quorſum lotio, quorſum cœmeterium, quorſum vniuerſi tandem ritus funerei? Cur non canibus & volucribus inhumati proiicimur? F. Homines, id eſt, Dei ſimulacra ſumus, & animus noſter cum corpore extingui non poteſt, quòd eius natura ſempiterna eſt: cui iniuriam irrogare videamur, ſi eiuſdem domicilium, quod olim redeuntibus in vitam omnium terrarum ſæculorumque hominibus recepturus eſt, vel potius Dei tabernaculum (quandoquidem ſumus templum Dei, & ſpiritus eius habitat in nobis.) indignè tractemus. M. Rectiſſimè. Tute ſoluiſti nodum tibi. Non gelido cadaueri, quod à lapide aut trunco nihil differt, ſed diuino templo, & habitaculo ſpiritus nobiliſſimi, qui ad

cæleſtis præſtantiam numinis prope, ad angelorum excellentiam quàm proximè accedit, honores iſti habentur. F. Non valde repugnem: perpuliſti enim me. Velim tamen rem ſententiis exemplisque ſtabilias. M. Nihil facilius. Atque vt à poetis ſumatur initium, occurrit illud ex Virgilio de Ænea ad Anchiſæ ſepulchrum in 5. Purpureosque iacit flores. Et in Marcellum Octauiæ, ſororis Augusti filium, eximia ſpe, & ſummæ virtutis adoleſcentem: cuius tumulum Anchiſes floribus & liliis decorari poſtulat.

manibus date lilia plenis.

Purpureos ſpargam flores, animamq; nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere

Tibull. lib. 2 eleg. 4.

Atq; aliquis ſenior veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

Iuuenal. ſat. 8.

Dii maiorum vmbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesq; crocos, & in vrna perpetuum ver.

Statius in Glauci epicedio.

Quid Cilicum flores, quid munera graminis Indi?

Recentiores in ſuis epitaphiis ſæpe, vt Iouianus.

Vnguenta atq; roſam, & coſtum properate puellæ,
Et violam, & cunctas ſpargite veris opes.
Spargite opes Arabum.

Sannazarius.

Da ſacros cineri flores.

Nec rarò Græci, vt videre eſt in 3. Anthologiæ epigrammatum, qui totus conſtat epitaphiis. F. Nihilne ex hiſtoricis? M. Accipe. Sueton. in Aug. cap. 18. Per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri, cùm prolatum è penetrali ſubieciſſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſis veneratus eſt. Capitolinus in vita M. Aurelii. Tantum, inquit, honoris magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulchra eorum additis hoſtiis, & floribus ſemper ornaret. Plinius lib. 12. cap. 3. Iam tum coronæ deorum honos erant, ac lariũ publicorum priuatorúmque, ac ſepulchrorum & manium. Varro de lingua latina lib. 6. Itaque nunc cùm ad ſepulcrum ferunt frondes & flores, addunt lanas. Spartani fortium virorum cadauera puniceo velo cooperta, deſuper frondibus oleaginis aſpergebant. Achillis tumulum ferunt apud Theſſalos amarantho exornatum, ob virtutem bellicam nimirum. Inde morem natum ſcribit Philoſtratus, ſepulcra amarantho coronandi. Quæ etiam genere floris candidi, qui pothos, latinè deſiderium dicebatur, ſolebant coronari: quaſi is deſideratis deſtinatus eſſet. Et apio quoque ornabantur. Hinc prouerbium, τοῦ σελίνου δεῖται, apio eſt opus, quoties morbum capitalem, & periculum vitæ impendere ſignificabant. Florum funeralium D. Ambroſius oratione in obitum Valenti-
niani

niani Imperatoris meminit, nec vſum in crimen vocat, vt minus attento ſtatim apparet: ſed alio quodam, ac meliore modo defunctum Auguſtum ſe honoraturum profitetur. D Memoria tenes verba? C. Etiam. *Non ego floribus tumulum aſpergam, ſed ſpiritum eius Chriſti odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis. nobis lilium eſt Chriſtus: hoc reliquias eius ſacrabo, hoc eius gratiam commendabo.* M. Teſtis eſt præterea huius ſollemnis etiam Hieronymus ad Pammachium. *Cæteri mariti,* inquit, *ſuper coniugum ſuarũ tumulos violas ſpargunt, & roſas, floresq; purpureos, atq; pectoris ſui dolorẽ his officiis conſolãtur.* Accedit his Poeta Chriſtianus Aurelius Prudentius, cuius in hymno de exſequiis ſunt iſti verſus.

Nos tecta fouebimus oſſa,
Violis & fronde frequenti,
Tumulumq; & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

F. De tumulis honoratis iſto honore ſatis dixiſti. Age iam de coronis & ſertis. M. Defuncti caput olim ſertis redimiri ſolitum nimis palam eſt. F. Quam ob cauſſam tandem? M. Vt hoc ſigno declararetur, ſuperatis huius vitæ laboribus, & ærumnis partam eſſe mortuo victoriam, & triumphum. Hinc eſt, quod Græci mortuos appellabant *μακαρίτας* beatos, ſiue *κατ' εὐφημισμὸν*, id eſt, boni ominis cauſſa: ſiue, quaſi iam vitæ calamitatibus miſeriisque humanis perfunctos. Et nos ita loqui conſueuimus: beatæ memoriæ, felicis recordationis Petrus, Margaretha, &c. hoc ipſum videlicet indicantes, quod vna voce Græci. Quàm autem meritò, oſtendit, quod iidem mortuos vocant *κεκμηκότας*; & *καμόντας*, id eſt, laboribus defatigatos, ſeu qui iam laborarunt, quíue laborando defatigati fuerunt: à quibus cùm iam vacent, & vacaturi ſint in tempus ſempiternum, haud iniquè beati numerantur. F. Quàm multis ergo donandi ſunt coronis martyres, quique aduerſus diabolum, & vitioſas animi cupiditates aſſiduò decertarunt? M. Præſtantiores illi coronas adipiſcuntur, de quibus D. Paulus: nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Et de ſe ipſo. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. In Apocalypſi: eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Romani pro virtute caſtrenſi ac militari, muralibus, ciuicis, obſidionalibus, caſtrenſibus coronis coronabantur, quas omnes interire, & corrumpi neceſſe fuit: nonne multò magis Chriſtiani milites pro ſalute æterna præliantes, tamque potentes inimicos deuincentes, cæleſtibus & immortalibus coronis digni iudicentur? Nec tamen è roſis, aliiſque floribus ſerta contexta ſepulcris & capitibus virginum, martyrum, cæterorumque diuorum neganda ſunt: quorum illæ æſtuantem in corporibus flammam reſtinguere, & pudicitiæ ſuæ florem pulcherrimum indecerptum conſeruare potuerunt: iſti per vulnera & mortes Regi ſuo præclarum teſtimonium dederunt: hi in edomandis libidinibus, affligendiſque corporibus vehementer quotidie ſudarunt. Si fortibus viris, vt docui, hic honor eſt tributus, qui noſtris fortiores? quin & aureas, & lapillis gemmiſque fabricatas coronas horum capitibus addere conuenit, quod etiã fieri

videmus: vt omittam, quod oſſa illa ſancta, & cineres argenteis thecis includuntur.

Hæc ille, Decenti, non quidem iiſdem planè verbis, quibus ego: attamen iiſdem ſententiis diſputabat. Si tu plura requiris de rebus funebribus, ab aliis requirito. D. De hoc argumento ſanè amplius nihil: de aliis ad idem genus pertinentibus videro, vbi otium dabitur. Iam recta hinc ad magiſtrum me conferam, cui narrabo, eius diſputationis vtilitatem ad me quoque confluxiſſe. C. Bene facis. Ad me redi, vbi ab illo digreſſus fueris. D. Redibo.

ANNOTATIONES.

EXPIATIONIS ERGO SESE FRIGIDA) *Antequam re diuina operarentur veteres, quibuſdam ſacris ſe præparabant & expiabant, in quibus ablutio, qua tum animi labes tolli, tum caſtimoniam corporis conciliari exiſtimabant. Ex quo Æneas apud Maronem 2. Æneid.*

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq́ penates.
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Similiter Dido diis inferis ſacrificatura, lib. 4.

Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.
Et in 6.
Occupat Æneas aditum, corpuſq́ recenti
Spargit aqua.

Planè quod apud nos eſt piè ſancteq́ in more poſitum, vt ingredientes, ſeu ingreſſi templum aqua luſtrali nos aſpergamus, id etiam Ethnici aqua pura, & eadem de cauſſa qua nos, faciebant. Lege Magij cap. 11. lib. 4. VT A POETIS SVMATVR INITIVM) *Non rara mentio coronarum, floſculorum, lacrymarum in epitaphiis, præſertim puerorum, puellarum & adoleſcentum: meritò: quandoquidem illa ætas vt flos marcet ac decidit cum extinguitur. Qua quidem re non mediocris ſuauitas carmini accedit. Cauendum tamen, ne dum his nominibus, lilia, viola, roſa, luſus, ioci, corolla, laurus, vnguentum, coſtum, lacryma, Muſa & ſimilibus tumulos noſtros ornare ſtudemus, ipſa frequentia potius contaminemus: id quod in Iouiani Pontani tumulorum libris vituperatur.* DEFVNCTI CAPVT OLIM SERTIS) *Græci mortuis honeſtioribus coronam imponebant. Victor. lib. 2. cap. 7.* PVDICITIÆ SVÆ FLOREM) *Virginitatem perfectam, hoc eſt, corpus animumq́ ab obſcena libidine integrum ſacri ſcriptores ſoliti ſunt cum flore, præcipueq́ cum lilio & roſa comparare. Quid illo candidius, quid formoſius? quid hac fragrantius, quid amœnius? Eodem modo pudicitia illa virginali qua homines humana ſorte ſuperiores, & cæleſtibus illis, atque omni concretione mundana ſegregatis mentibus æquales euadunt, nihil eſt quaſi venuſtius, mundius, ſuaueolentius, delectabilius iis, in quibus iam Chriſtus viuit: qui terrena amplius non ſapiunt: ſed mentem & cogitationem ſuam omnem ad ſupera*

tran-

Digitized by Google

tranſtulerunt. Mos etiam fuit veteribus, vt cùm diis ſuis diuerſis coronas neƈterent è diuerſis floribus, Muſas coronarent roſis: flore ſcilicet fragrantiſſimo, & pulcherrimo virgines. Victor. lib. 14. cap. 18.

PROGYMNASMA
PRIMVM ET SEXAGESIMVM.

Mortuos terræ commendandos, & cæmeteria.

MARIANVS, RENATVS, LVCEIVS, HIEREMIAS.

MARIANVS. Qui ſe priſcis temporibus venditarunt pro philoſophis, eorum quidam, immo enimuero permulti hoc tam graui nomine indigni, philaſophi potius nominandi fuerunt. In quos illud Ciceronis verſiſſimè proprieq; conuenit: nihil tam abſurdum dici poſſe, quin ab aliquo philoſopho aſſeratur. Ecce enim hic docuit niuem eſſe nigram. R. Puto hunc caruiſſe oculis: & tamen idem fuit, niſi me fallit, qui ſe ſolis, lunæ, aſtrorumque videndorum cauſſa natum affirmaret: tantam è ſiderum contemplatione voluptatem animo hauriebat. M. Alius omnia eſſe vnum: ille, non eſſe motum: Thales, aquam rerum omnium principiũ. Zenonis ſchola ſolum ſapientem diuitem, formoſum, regem. Non pauci animos vnà cum corporibus interire ſtatuebant. Iam verò, quod naturæ humanæ, communique ſenſui aduerſati ſunt nonnulli, ac ſibimet tam inimici extiterunt, quis non reprehendat? L. Nondum odoramur, quorſum procedas. M. In extrema prima Tuſculana fit mentio Theodori Cyrenæi, vocaturque non ignobilis philoſophus: cui cùm Lyſimachus Rex crucem minaretur: iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis. Theodori quidem nihil intereſt, humine an ſublime putreſcat. Hoc reſponſum M. Tullius admiratur, ego irridendum duco. H. Nec ego ad hoc ſapientiæ faſtigium aſcendere geſtio, vt meipſum adeò contemnam. M. Ibidem profertur Diogenes & Anaxagoras: quorum ille ſe inhumatum volucribus & canibus in agrum proiici iuſſit: hic cum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, velléme Clazomenas deferri in patriam, ſi quid accidiſſet: nihil neceſſe eſt, inquit; vndique enim ad inferos tantundem eſt viæ. O præclaram virtutem, imitari beſtias, quas nulla ſepulturæ cura ſollicitat. R. Sed additur Socrates, princeps & velut Dictator philoſophorum, cuius auctoritas vincit omnia: qui rogatus à Critone, quemadmodum ſepeliri vellet, ſe hinc auolaturum, nec quidquam ſui relicturum reſpondit. M. Haud falsò quidem Socrates, ſi noſtri pars corpus non eſſet. Nam inde ſequebatur, vt de ſepulcro nihil laboraret: nec tamen à vulturibus, & coruis laniari voluiſſet fortaſſe, vt ſupe-

Digitized by Google

riores illi. L. Mihi ſanè arrogantiam & faſtidium redolentia eiuſmodi
dicta ſemper diſplicuerunt. Pertinet quidem ad corpus humatio ſiue ſe-
pultura, non tamen quaſi ſenſurum, nihil enim ſentit. Sed non tantum
ad corpus, vt illi magiſtri errorum, & impietatis duces affirmarunt: ad
animum quoque pertinet: qui, vnde mortis imperio diſceſſit, eo ali-
quando, iubente Dei filio, eſt reuerſurus: nec poteſt, cùm violenta ſit,
æternum hæc durare diſiunctio. Verùm hoc myſterium reſurre-
ctionis illi neſciebant. H. Stolida profectò ſapientia, putare diuini ſpi-
ritus templum, & immortalis animi ſedem abiiciendam in ſterquili-
nium. R. Contemnamus igitur etiam poëtarum voces illas ex hoc fonte
profluentes: facilis iactura ſepulchri: cœlo tegitur qui non habet vr-
nam, & ſimiles. M. Salomon pigros & inertes ad formicas mittit: ego
iſtos μισονέκρους ad eaſdem miſero, à quibus humanitatem doceantur. Pro-
diderunt quidam ſcriptores, formicas habere cubile ſub terra tanquam
cœmeterium, quò defunctos ſuos efferunt. Admiremur huius tantilli
animantis ingenium, laudemus induſtriam, cùm de cognatis corpuſ-
culis tumulandis tam eſt ſollicitum. L. Si equos ſuos, & canes hono-
rificè quidam Principes ſepelierunt, nónne humano corpori tanquam
rei ſacræ, & olim in vitam redituræ multò iuſtius hoc officii tribuatur?
R. Quid nobis abſentibus futurum ſit liberis, domui, ſeruis, veſtibus ſol-
liciti ſumus: & de corpore omnem curam abiiciemus, quo nihil poſt ani-
mum ipſum nobis eſt charius, vt nihil etiam coniunctius atque copula-
tius? Feræ homines ſepeliſſe leguntur, & homo hominem non ſepe-
liet? H. Vtriſque impertienda laus: & qui filiis ac hæredibus ſuis mandant
de monumentis ſuis: & qui ſeu iuſſi, ſeu iniuſſi mortuis terram iniici-
unt. M. Quo in officio Tobias ille notiſſimus eſt. L. Notiſſimi *quoque*
Nicodemus, & Ioſephus Arimathæus. R. Athenis lege latum *proditur*,
vt viator, ſi fortè in aliquod cadauer incideret, illud tumularet. Duces
autem, ſi quem militum non ſepeliſſent, capite plectebantur. H. Quo-
niam de humatione hæc inter nos hucuſque dicta ſunt, par videtur, vt de
loco etiam colloquamur.

M. Cœmeterium appellatur locus, vbi conduntur mortui: polyandrium
præterea, & ſepulchretum. Poſtremi notio manifeſta eſt: alteri à multi-
tudine ſitorum nomen eſt: primo à dormitione, vt ita dicam, quaſi di-
cas dormitorium: mors enim Chriſtianorum ſomnus eſt: Lazarus ami-
cus noſter dormit, inquit Seruator: & Stephanus princeps martyr ob-
dormiuit in domino. Paulus item non vult nos ignorare de dormien-
tibus. Quocirca immoderatos eiulatus, ploratus, planctus & lamenta
in funeribus non tolerat. Antiquitus Chriſtianis erant cœmeteria,
quod nunc templa. In iis & ſynodi celebrabantur, & pſalmi cantabantur,
& ſacramenta diſtribuebantur. Erant enim ibi extructa quædam ad v-
ſum ſacrorum domicilia. Quamobrem Imperatores tyranni Chriſtia-
nos illos primæuos à cœmeteriis inprimis arcebant. L. Legiſſe memi-
ni, ſæculis illis vetuſtis intra vrbem, & domeſticos intra parietes hu-
mo coopertos fuiſſe mortuos, vnde larium, & penatium religio extiterit.

Poſt,

Poſt, XII. tabularum lege extra vrbem tumulari cœptos, Plato item in legibus ſuis agros ſteriles ſepulturis deſtinauit. Inueni & illud, Adrianum Auguſtum mulctam XL. aureorum nummûm in eos decreuiſſe, qui quempiam intra mœnia humaſſent. Qua pœna animaduerti voluit etiam in magiſtratus, quid id ſuſtinuiſſent: locum autem publicari, & cadauer effoſſum transferri, R. Seuerus vtique Imperator. L. Romani ſecus vias militares, & publicas ſepeliebant defunctos, Flaminiam, Latinam, Salariam, & alias. Athenienſes in Ceramico. H. Quaſnam ob cauſas, Mariane, extra vrbem ſuos humabant? M. Vt fœda cadauerum aſpiratione vrbs libera, peſtilens cœlum effugeret: aër enim tetris, iiſque aſſiduis afflationibus inquinatur, & corrumpitur. H. Amplector quod dicis. M. Alia cauſſa: vt illic iter habentes, & conditionis humanæ admonerentur: & legendis defunctorum elogiis, ad ſimilem virtutis excellentiam inflammarentur. R. Præclarè. M. Si quando hoſtem ad vrbem venire contingeret, vt eum à maiorum ſuorum monumentis dum repellerent, ſimul à mœnibus portiſque arcerent, & ita patriam ſuam impendenti periculo eriperent. Chriſtiani verò intus & foris, ante vrbem & in templis, ac ſacellis diuorum ſepeliuntur. L. Arguit hoc, vt arbitror, pium affectum viuorum erga mortuos. Cùm enim recordantur, quorum ſanctorum in locis charorum corpora ſint compoſita, eorum illis opem, vti patronorum, precibus ſuis exorant. Et quia ſæpe ſacramentorum concionumque cauſſa conuentus ibi aguntur, dubium non eſt, quin illic ſiti, à populo crebrius Deo commendentur. Quid quod etiam ſacerdotes, dum ibidem ſacris funguntur, non rarò pro illic tumulatis cœleſtem agnum immolant? H. Dolendum tamen hæreticos, vſurarios, alioſque ſcelerum cumulatiſſimos homines illis locis condi, in quibus olim tantum Regibus ſepultura dabatur, & nunc ſanctorum duntaxat cineribus, piorumque corporibus dari debet. Quid prodeſt miſeris terra conſecrata obrui? R. Cùm hæc ita ſint, natura tamen neſcio quomodo ingeneratum eſt, in maiorum ſuorum, chariſſimorumque monumenta, & in ſepulcra familiaria, & hæreditaria velle inferri, eaque plurimum venerari. Ita quibuſcum in vita concorditer amanterque verſabamur, & à quorum conſuetudine conuictuque diuelli non poteramus, nec verò debebamus, cum illis quoque poſt obitum cubare iucundiſſimum eſſe conſueuit. Hinc Iacob, Ioſeph ex Ægypto oſſa ſua reportari, & in ſepulchris Patrum ſuorum reponi mandauerunt. Et pro ſupplicio irrogatur Prophetæ, vt cadauer eius in ſepulchrum patrum ipſius ne inferatur. Monica D. Auguſtini mater, ad virum ſuum vt ſepeliretur, moriens rogauit. Tobias quoque filium monet, vti matrem ſuam Annam eodem tumulo ſecum componat. Iudith in mariti monumentum illata eſt. Ad profana progrediamur, ne quod huic diſputationi ornamentum defuiſſe videatur. Alexander Magnus Darii lacerum corpus maiorum ſepulchris credi iuſſit. Apud principem poëtarum Mezentius Hetruſcorum Rex cum filio Lauſo ſepeliri rogat. Hector Achillem rogauit, vt ſe exanimem parentibus redderet, patria ſepultura afficiendum. Ennius eodem

eodem monumento cum Scipione clauſus eſt, à quo fuerat familiariſſimè dilectus. M. Antequam finem huic colloquio faciamus, de Regum ſepultura dicam pauca. L. Etiã multa, ſi lubet, &, ſi otium eſt. M. In campo Martio putant quidam ante Syllam reges ſolùm funerari ſolitos. Ægypti Reges apud Memphim, vbi etiam plures, & altiſſimæ pyramides erigebantur. Macedoniæ Ægis oppido condebantur. In Ceramico apud Athenas ii tantum, qui in conflictu pro patria cecidiſſent. Ioſephus memorat, Danielem Ecbatanis Mauſolæum fabricaſſe, in quo Medorum, Perſarum, Parthorumq́ue reges ſepelirentur. Reges Iſraelitici in arce montis Sion, quæ ciuitas Dauid appellatur. Noſtri quoque reges ſua habent loca, & quidem Gallorum ad D. Dionyſii, ſecundo à Lutetia lapide. Luſitanorum Vlyſſiponæ in æde Bethleem. Chryſoſtomus ſcribit, reges in ſummi beneficii loco ducere, ſi non prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra veſtibula eorum ſepeliantur, fiantq́; reges oſtiarii piſcatorum. R. Nemo hinc diſcedet ἀσύμβολος: quiſque aliquid auditu dignum pro ſe in medium contulit.

ANNOTATIONES.

MORTVOS TERRA COMMENDANDOS). *Falli Plinium, qui lib. 7. cap. 54. doceat, ipſum cremari cadauera non fuiſſe apud Romanos vetuſtiores in vſu, oſtendit Magius lib. 3. cap. 10. Idem quærit cap. 11. ecquid etiam apud Hebræos iſte mos fuerit. Humabant autem mortuos, ſeu condebant mortuorum cineres in agris tam Græci quàm Romani. Victor. lib. 14. c. 21. Qui egregia virtute, rebuſq́; clariſſimè geſtis id meriti putabantur, in vrbe ſepeliebantur. Lege quæ narrat Crinit. lib. 21. cap. 12. Commune ſepulcrum quid fuerit, explanat his verbis Turneb. lib. 5. c. 16. Cùm olim, qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponerent, & priuata haberent ibi ſepulcra ſibi familiæque ſuæ, aut heredibus, plebs, quæ agris fundiſque carebat, in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabatur: ſepulcrumque commune vocabatur, vbi ſepeliebatur: ex quo ſcripſit Horatius ſat. 8. lib. 1. Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum. Et elegantiſſimus poëta Catullus fata fratris ſui deplorans, apud Troiam mortui & conditi, vbi tot quondam heroes bello Troiano ex Aſia & Europa occubuerant, & terra mandati fuerant, eam vrbem commune ſepulcrum eodem modo appellat. Dicamus etiam quid ſit cenotaphium. Eſt imaginarium ſepulcrum, quale Virgilius deſcribit 3. Æneid.*

Sollemnes tum forte dapes, & triſtia dona
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas cauſſam lacrymis ſacrauerat aras.

Græce κενὸς inanis, & τάφος ſepulcrum, vnde nomen iunctum. Suetonius honorarium tumulum nominat in Claudio, vbi verba facit de Druſo, cuius corpus Romam è Germania deuectum erat. Sic vocari poſſunt hodie funerum expoſitorum imagines, quas repræſentationes in anniuerſariis exequiis vocamus.

Budæus

Digitized by Google

Budæus in Pandect. Quorum cadauera haberi ad ſepulcrum non poterant, vt qui peregre obiiſſent, aut naufragio periiſſent, iis cenotaphium extruebatur: quod tantum valebat, quantum ſepultura plena. Hoc autem ideo, ne defunctorum animæ aliquot annos ad infernorum fluminum ripas vagarentur. Inſepultos ab aliarum animarum ſocietate repelli conqueritur Homericus Patroclus Iliad. ψ. & Elpenor Odyſſ. λ. Hinc Æneid. 6. Æneas. Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem Conſtitui. Et Palinurus honorarium tumulum ſibi ab Ænea extrui poſtulat. ROGATVS A CRITONE) *Hac propterea Socrates, quod vnumquemque noſtrum ſuum eſſe animum putaret, corpus autem tantummodo inſtrumentum & domicilium animi. Locus ex Phædone Platonis ita conuerſus eſt à Tullio 2. Tuſcul. Cùm enim de animorũ immortalitate diſputauiſſet, & iam moriendi tempus vrgeret, rogatus à Critone quemadmodum ſepeliri vellet. multam verò, inquit, operam, amici, fruſtra conſumpſi: Critoni enim noſtro non perſuaſi, me hinc auolaturum, neque quidquam mei relicturum. Veruntamen, Crito, ſi me aſſequi poteris, aut ſicubi nactus eris, vbi tibi videbitur, ſepelito. Sed, mihi crede, nemo me veſtrum cùm hinc exceſſero, conſequetur. Cum Socrate facit ipſemet Tullius, cuius ex eadem Tuſcul. hæc ſunt. Non enim, credo, id præcipit, vt membra noſtra, aut ſtaturam figurámue noſcamus: neque nos corpora ſumus: neque ego tibi hæc dicẽs, corpori tuo dico. Cùm igitur, Noſce te, dicit, hoc dicit: noſce animũ tuum. Nã corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculũ ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. Item in Som. Scip. Tu verò enitere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Non enim tu is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque eſt is quiſque: non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Veruntamen hanc delirantem ſapientiam Ciceroni & Platonicis relinquamus.* EQVOS SVOS, ET CANES) *Apud Perſas equi, apud Moloſſos canes ſepulcris & exſequiis honorabantur. Agrigentinos quoque ſepulcra & pyramides equis feciſſe tradit Plin. lib. 8. cap. 42. Auguſtus & Hadrianus Impp equos ſuos tumulis honorarunt. Plin. Xiphilinus ex Dione. Idem legitur de M. Antonino, Commodo. Alexander autem Magnus in honorem canis mortui dicitur vrbem condidiſſe.* COEMETERIVM) *De voce hac Victor lib. 8. c. 2.* SECVS VIAS MILITARES ET PVBLICAS) *Monumenta ſepulchrorum, ait Varro, ſecundum viam ponuntur, quo prætereuntes admoneant & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales: ab eoque cætera ſcripta & facta memoriæ cauſſa, monumenta dicta.* CVM FILIO LAVSO SEPELIRI) *In extremo 10. Æneid*

Vnum hoc per (ſi qua eſt victis venia hoſtibus) oro:
Corpus humo patiare tegi: ſcio acerba meorum
Circumſtare odia: hunc oro defende furorem,
Et me conſortem nati concede ſepulchro.

PRO-

PROGYMNASMA
ALTERVM ET SEXAGESIMVM.
Genera, materia, forma ſepulchrorum.
VALENS, ACHILLES.

VALENS. Artemiſiam Mauſoli Cariæ regis vxorem, vltra affectionis humanæ fidem ſuum amaſſe virum probati rerum auctores tradiderunt. Cuius argumentum, quod ei ſepulchrum illud fama literiſque celebratiſſimum, & ex orbis ſeptem miraculis vnum ſumptibus pluſquam regalibus conſtruxit, cinerem & oſſa concuſa, atque in puluerem redacta, odoribusque & vino permiſta ebibit, vt in mediis viſceribus, ac ſi poſſet, etiam in intimis medullis, quo liceret modo incluſum geſtaret theſaurum ſibi multo chariſſimum. Dicat igitur quis, Mauſolum habuiſſe animatum viuumque, ac ſpirans mauſolæum: in quo, ſi ſeſe conditum iri ſciuiſſet antea, quàm à rebus humanis demigraret, obſtupuiſſet vtique tam incredibili, & omnibus ſæculis inaudita amoris magnitudine. Dubitare tamen mihi in mentem venit, vtrúmne ibi, an in pretioſo aliquo, artificioſeque ædificato monumento quieſcere maluiſſet. A. Affectus pudicæ illius fœminæ laudandus eſt, & imitandus vxoribus: factum non perinde. Nec ſepulcro nobiliore iacuit Mauſolus, quàm ab anthropophagis quiſpiam deuoratus in India aut Braſilia. Ac non modò noſtrorum, qui humanum ciuilemque cultum percepimus: *ſed barbarorum* etiam atque agreſtium populorum nemo, opinor, ita ſepeliri cupiat: non magis certè, quàm in auium, ferarum, canum denique corporibus, quos publicos in Hyrcania plebs alebat: optimates domeſticos (quod quidem genus canum erat nobilius) à quibus laniati conſumerentur, qui ſepulchrales dicti: & hanc immanitate efferata illa gens optimam ſepulturam credebat. V. Non ergo animatum homini ſepulchrum dari pateris. A. Qui patiar? quid enim tetrius? quid eius eximia natura indignius? vt præſertim comeſus ab alio homine in ventre circumferatur, cùm ne cæteræ quidem animantium ſui generis vllam comedant: non canis canem, lupus lupum, leo leonem. V. Si nos animalium tumuli ſumus (quotidie namque carnes earum aſſas, & elixas abſumimus) cur non illa viciſſim noſtri fiunt, vt par pari referatur, & ab aliis exſpectemus, quod aliis facimus? A. Quando te ſic funerari delectat, mittemus te ad Diomedem Thraciæ tyrannum, qui mactatum pro pabulo ſuis equis apponat. Hac ratione viuum animatumque ſepulchrum es habiturus. V. Aufer iocum. In aquis, vt qui ſubmerguntur, aut in aëre; vt qui de crucibus, & qui apud gentem neſcio quam de arboribus ſuſpenduntur, malim putreſcere. A. Quid narras? túnc aut præfocari aquis vt parricida, aut la-

queo

quo ſuſpendi vt fur concupiſcis? V. Non me hoc concupiſcere, ſed in hiſce duobus elementis ſepeliri non nolle aio: vt ne iumentorum beſtiarumue cibus ſim. A. Quid ſi pyra cremeris, tuique cineres amicorum ſparſi lacrymis, & in vrnam collecti humo abdantur? V. Hoc quidem Romanum eſſet. Simplicius reor, & ex vſu Chriſtiano, terra operiri: vt tanto clarius verum appareat illud Iobi. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar. Mater illa vtique terra eſt, & quæ noſtrum quemque genuit mulier, terra fuit. Nam ſi vterus ille, in quo infantes delituimus, terra non fuit, in vterum matris non reuertimur, quando vel morimur tantum, vel mortui etiam humo contegimur. A. Bene colligis, & aſſentior concluſioni tuæ. At illa quoque ſepulchra dici poſſunt, in quibus ſpectatur materia: quæ nimirum de metallis & lapidibus extruuntur: vt auro, argento, ferro, plumbo, ære, ſtanno, orichalco, electro, marmore, porphyretico, lateribus, lignis, criſtallo, vitro. V. Poſſunt, ſi corpus mortuum continent, quod officium ſepulchri eſt, idque veteres mortuorum domicilium credebant. Ex qua opinione eſt illud Maronis in 3. animamque ſepulchro condimus. Ex eadem opinione Ennius vocauit portum corporis. A. Memini verſum apud Ciceronem.

Neque ſepulchrum quo recipiatur habeat, portum corporis:
Vbi remiſſa humana vita, corpus requieſcat à malis.

Execratur Thyeſtes Atreum, à quo ſibi prandium tam crudele paratum fuerat. Quanquam vero hæc M. Tullius vituperet, vt qui iudicet errore Thyeſtis ea dici, putantis corpus ſentire, & corpora inſepulta inquieta eſſe, ac velut in tempeſtate iactari: nos tamen, qui adeò mente alienata non ſumus, nihilominus ita loquimur, vt corpus poſt mortem requieſcere dicamus.

V. Legiſſe te apud Homerum puto, Achillem Patrocli amici ſui cineres phialæ aureæ commiſiſſe: Hectoris quoque vrna aurea exceptos. Papiniano Iureconſulto, propter ſummam eius in ea facultate claritudinem Seuerus Auguſtus thecam argenteam fieri curauit. Ipſius autem Seueri puluerem è Britannia Romam in vaſculo aureo allatum ſcribunt. A. Multò rectius hic honos in martyres, alióſue cœlo iam receptos confertur, & à maioribus noſtris collatus eſt. Meretur hoc illorum egregia, & nunquam pro dignitate prædicata virtus: merentur tam multa in homines beneficia. Quæ enim tam admiranda, tam noua ſunt opera, vt ad eorum tumulos, thecas, vrnas, capſas, edita non ſint? quot ibi cæcis lumen redditũ? quot claudis greſſus reſtitutus? quot ægroti curati? quot dæmones ex humanis corporibus profligati? quot mortui in vitam reuocati? Annus nimium breuis ſit, ſi omnia percenſere coner. Ad eos etiam Reges & Imperatores adeunt, omnique faſtu depoſito, eorum opem ſupplices implorant. Quare qui ſanctiſſimis oſſibus & reliquiis, vnde cæleſtis quædam virtus, & vis ſingularis emanat aſſeruandis, auro margaritiſque veſtiendis ſtudent, non mediocrem à Diuis ipſis gratiam inire exiſtimandi ſunt. V. Quàm conſpirant cogitationes tuæ cum meis? Nihil eſt ſimilius. Liceat tamen Principum quoque, Regumq; corporibus

magnifica & ſumptuoſa extruere monumenta, non beatis modò. A. Liceat: at illis minimè conceſſum ſit, qui hinc profecti, recta ad cœleſtium abiiſſe concilium non cenſentur, neque in tam alto nobilitatis faſtigio collocati fuerunt, quamuis pecunia eis ampla ſit. V. Intelligo, homines non ita excellenti, & omnibus nota ſanctitate: item vſurarios, cerdones, tonſores, & lanios dicis. A. Aut hos, aut non longè diuerſos.

Mira porrò apud veteres etiam in forma ſepulcrorum varietas ac diſſimilitudo: cum alii columellas, alii pluteos quaſi, alii arculas, ſcrinia, alii tanquam lectulos pararent, alii gradus quoque ad tumulos adderent: quidam in obeliſcis & coloſſis poſt obitum habitare vellent. Cryptas ſubterraneas familiarum & olim in vſu fuiſſe, & nunc eſſe non ignoramus. Quin imagines quoque, ſeu ſtatuas è gypſo, aut polline marmoreo, aut marmore, aut è metallo quopiam confectas, ſolatii memoriæque cauſſa aliqui monumentis imponebant: quæ res nec à noſtris moribus eſt abhorrens. V. At nos qualis figura ſepulchri manet? Longa pedum ſex, ſeptem: lata duorum: accommodata ſcilicet corpori vtriuſuis noſtrum, quod ſpatium libitinarius decempeda ſua dimetietur, cùm terram nobis ſepeliendis effodere iubebitur. A. Non ſumus meliores patribus noſtris.

ANNOTATIONES.

ARTEMISIAM MAVSOLI) *De amore mulieris huius erga virum quamuis extinctum, & de ſepulchro magnificentiſſimo quod ei comparauit, & de certamine ad id inſtituto Gell lib. 10. c. 18. Deſcribit Mauſolaum Plin. lib. 36. cap. 5. Anaxagoras cùm illud vidiſſet: monumentum, inquit, pretioſum, & lapidibus ornatum, diuitiarum imago. Laert. lib. 2 Meminit huius Artemiſia, eiuſque luctus Cic. Tuſcul. 3. vbi de ægritudine diſſerit, his verbis. Vt Artemiſia illa Mauſoli Caria Regis vxor (quæ nobile illud Halicarnaſſi fecit ſepulchrum) quamdiu vixit, vixit in luctu eodemque etiam confecta contabuit.* CINERES AMICORVM SPARSI LACHRYMIS) *Cineres cognatorum eorumque lacrymæ in vrnam collectæ ſepulcro immittebantur cum defuncti cineribus, quos vino & vnguento, & lacrymis quoque aſpergebant. Quò reſpexit Horatius Ode 6. lib. 2.*

Ille te mecum locus & beatæ
Poſtulant arces: ibi tu calentem
Debita ſparges lacryma fauillam
Vatis amici.

Sappho apud Ouid.

Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrymas oſſa bibere meas.

HIC HONOS IN MARTYRES, ALIOSQVE) *D. Elegius antequam epiſcopatum capeſſeret, cùm eſſet aurifex nobilis, ſumptibus Dagoberti Regis Francorũ multas ſanctorũ ex auro, argento, gemmis thecas ſiue tumbas fabricauit.* ETIAM REGES ET IMPERATORES) *Theodoſius quidem ſenior, bello cum Eugenio tyranno decertaturus, ac de euentu mirum in modum ſollicitus,*

Digitized by Google

licitus, quod ille omnibus rebus neceſſariis dicebatur eſſe paratiſſimus, primùm ſibi diuinam, deinde humanam expoſcendam opem exiſtimauit. Itaq; ieiuniis vigiliisq; perfunctus, cum ſacerdotibus, & populo templa ſupplicabundus obiuit, atq; ante martyrum apoſtolorumq; ſepulcra cilicio indutus procubuit, ac fida ſanctorum præſidia implorauit.

PROGYMNASMA
TERTIVM ET SEXAGESIMVM.

Legitima ſepultura negata, & exhumatio.

AQVILIANVS, SILVERIVS, FRVCTVOSVS.

AQVILIANVS. Quæſtionem, Sylueri, mihi ponebas inter cœnam heri, quamobrem qui ſibimet ſponte necem attuliſſent, communi iure ſepulchri prohiberentur. Reſpondi tum id, quod ad tempus occurrebat: nunc audi, ſi videtur, quid hic libellus tibi reſpondeat. *His ita expoſitis, iam varios ſepeliendi ritus moreſq; afferam: ſi tamen te prius admonuero, eos quondam publico ferè hominum conſenſu ſepulturæ honore carere, qui ſibi manus inieciſſent, quiq; vt eſt Pythagoræ ſententia, iniuſſu Imperatoris ex ſtatione & præſidio vitæ deceſſiſſent, id eſt, qui ſe interemiſſent. Digniſſimum enim eſſe ait Egeſippus, eos qui Dei patris imperium non exſpectarent, priuari quaſi quodam matris gremio, terræ ſepulchro. Alij tamẽ his dextram à cætero corpore abſcindebant, ea ratione, ne membrum quod veſano quodam furore in corpus ſæuierat ſuum, cum eo pariter ſepeliretur.* S. Quiſnam eſt hic liber, aut qua de re? A. Lilius Gyraldus de vario ſepeliendi ritu. S. Vt te hominem natura triſtem, & melancholicum triſtia legere iuuat? A. Quidquid ingenio perfectum, & induſtria elaboratum eſt, lego ſitiens, ſeu triſte, ſeu lætum fuerit. Doctrinam ſpecto ante omnia, cætera minoris æſtimo. Et tamen, ſcias velim, non carent omni iucunditate etiam hi funebres commentarii. Atque vt nihil aliud, ſuauem quendam miſerationis ſenſum gignunt, & dulcem erga mortuos affectum exſuſcitant. S. Quem huc ſeſe ferentem conſpicor? Fructuoſus eſt. A. Niſi errant oculi, ipſus eſt. Hem Fructuoſe, plurimum ſalue. F. Et vos ſaluete tantundem. Quid agitur? S. Viuitur. F. Satin' ex ſententia? A. Si eueniunt quæ volumus, ſatis. F. Credibile eſt. Quid nugarum? S. Aquilinus hic noſter, ſui perpetuo ſimilis, cum mortuis ſocietatem fœduſque paciſcitur. F. Eia, nimium ſe vixiſſe arbitratur forſitan. Dic ſine inuolucro, quid eſt? S. Legit librum de funeſtis rebus. F. Funeſtum igitur facinus deſignat. Narra mihi aliquid, Aquiline, de tuis mortuis. A. Iam recitaui cauſſam Silnerio, cur non cum vſitata cærimonia rituque mandarentur ſepulcris, qui ſuimet ipſorum crudeliſſimi carnifices extitiſſent. F. Non me fugit cauſſa. An verò alia hominum genera ſunt, qui legitima ſepultura excluduntur? A. Omnes qui iure Pontificio exhumari iubentur, quos ſepeliri profectò non fuit licitum. S. Qui ſunt illi?

Digitized by Google

A. Fœneratores manifeſti, ludis equeſtribus ac duellis interempti, raptores, blaſphemi, ſemel in anno ſacrum confeſſionis myſterium obire negligentes, abſque piaculo, ſpretis videlicet apertè ſacramentis emortui, & quibus templum ingredi nefas eſt, Iudæi, Ethnici, hæretica labe infecti, infantes aqua vitali nondum abluti, omnes demum ſacra deteſtatione iugulati, ſeu fidelium communione exterminati. F. Papæ ex hoc numero non neminem ego in ſanctiſſimis templis, & prope ſanctorum tumulos humari non ſemel vidi. A. Quaſi ego de conſuetudine, non de iure loquerer. S. Vincit in multis vſus, & iuſtitia non omni tempore, nec vbique, nec ſecundum omnem partem ſeruari poteſt. A. Regem Ioacim, vt ſcriptum video apud Hieremiam ob ſceleſtiſſima facinora quibus alligatus erat, extra portas Hieruſalem proiectum & putrefactum, ſepultura aſini ſepultum iri prædixit Deus. Maximinus Imperator cum filio apud Aquileiam eſt vita priuatus: quorum cadauera canibus & volucribus relicta Herodianus ſcribit. Caracallæ corpus in Tiberim abiectum conſtat. Impium illum Iaſonem lib. 2. Machabæorum ſua ſcelera vlta ſunt: & qui prius non paucos inſepultos abiecerat, ipſe inſepultus manſit. Athenienſium legibus, qui eſſent proditionis conuicti, ſepultura carebant. F. Nos Chriſtiani, niſi qui rogo concremantur, aut in patibulis appenduntur, ſepelimus omnes: tametſi non omnes ſolemni ritu ac cærimonia, quæ apud hæreticos nulla eſt prorſus: nec lux nec crux, nec cantus, nec ſacerdos, nec vllæ preces, nec vlli gemitus, vllæúe lacrymæ: vt dubites homóne, an vitulus efferatur. S. Tolerabilius porrò dedecus iudico, non humari, quàm exhumari: quod notæ turpiſſimæ ſupplicium in hæreticos, & Eccleſiæ caſtris horrendo execrationis carmine expulſos decretum eſt. Hi vt viuentes digni non erant, qui ſupra terram ambularent: ſic poſtquam ducere ſpiritum deſierunt, digni non ſunt, qui in complexu & gremio terræ conſecratæ putreſcant. F. Reperiúne in diuinis voluminibus exhumationis exemplum aliquod? A. Et illuſtre ſatis in Regum hiſtoria. Religioſiſſimus Deóque chariſſimus Rex Ioſias facinoroſorum ſacerdotum oſſa, è ſepulchris effoſſa flammis perdidit eo ipſo in altari, quod Hieroboam ædificârat. Quin exiſtimandum eſt, bellicis tumultibus ac ſeditionibus ciuilibus interdum à Deo hanc mentem dari militibus, vt aduerſum quos gladium ſuum ſtringere Eccleſia, quibus, inquam, iuſta imponere ſupplicia non poterat, ipſi eorum tumbas & monumenta prædandi ſtudio diſiiciant, deſtruant, corpora furioſè atque contumelioſè tractent. S. Quid illi, qui in piorum cæleſtiumque cineres, & oſſa per ſummum furorem debacchantur? vt qui in Galliis Hilarium, Radegundam Pictauis, Martinum Turonibus tam chriſtianè habuerunt? A. O Deum immortalem, factum execrabile. S. Adde quod corpus quoq;, Ludouici XI. & Franciſci II. cor è monumentis extracta combuſſerunt: cui immanitati ſimilem deteſtantur in Cambyſe hiſtorici. F. Quid fecit? S. Amaſis Ægyptorum Regis cadauer effodit: quod cùm verberibus creberrimis cecidiſſet, in ignem coniecit. Quanto res magis in iis deteſtanda, qui ſe germanos Chriſti diſcipulos prædicant?

Digitized by Google

cant? A. Benignitas Dei hos perditorum hominum flagitioſiſſimos greges, qui omnia diuina & humana iura violarunt, vexarunt, euerterunt, ad pœnitentiam exſpectat. Iura ſepulcri apud Romanos, Græcos, Iudæos, Barbaros religioſa ſemper, & ſancta fuerunt. Scythæ cum à Dario bello peterentur, pugnamq; retrocedentes detrectarent, & idcirco à Perſis pro ignauis haberentur, reſponderunt: cùm ad maiorum ipſorum ſepulcra ventum foret, tum intellecturum Regem, eſſentne illa aduerſus Perſarum iniuriam defenſuri. Sepulcrorum ſanctitas in ipſo ſolo eſt, inquit Tullius, quod nulla vi moueri, neq; deleri poteſt. Atque vt cætera extinguuntur: ſic ſepulcra ſanctiora fiunt vetuſtate. F. Vetus Romanorum lex fertur iſta. Vbi demortui hominis corpus condas, locus ſacer eſto. Quæ pœna autem ſepulcrorum violatoribus irrogetur, Iureconſulti docebunt: ſiquidèm contra eos edicta habemus.

ANNOTATIONES.

QVI SIBIMET SPONTE NECEM) *Concedebant ſapientes antiqui, & affirmabant aliquando iuſtam à Deo cauſſam dari quibusdam ſeſe in malis interficiendi, quaſi ipſis vltra vitam propagare non modò non iucundum, ſed nec honeſtum eſſe poſſet. Illud tempus, cùm afferre ſibi manus ſine reprehenſione quis poſſet, vocabant* εὔλογον ἐξαγωγὴν *iuſtam eductionem, tanquam à cuſtodia videlicet. Lege totum caput vndecimum Victor. libro ſexto. Plutarchus libro contra Coloten, primò grauiſſima oratione eos refellit, qui licitum putant in rebus aduerſis mortem ſibi conſciſcere. Negat etiam Ariſtoteles Ethicor. 4 magnanimi eſſe, in aduerſa fortuna ſemet hac luce ſpoliare. Idem libro quinto, qui ſe manu ſua interficiat, eum iniuriam facere, ſi non ſibi, certe ciuitati. Cic. 1. Tuſcul. Vetat enim dominans ille in nobis Deus iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Non eſt ſanè deſpiciendum Dei donum, quod nimirum vita eſt, quam ille nobis impertiuit. Quòd ſi præterea is numeratur improbiſſimus, qui hominis depoſitum malè tractauit: non erit improbus qui Dei depoſitum contempſerit, & per extremam nequitiam è corpore ſuo eiecerit? Nec citius velle debemus diſcedere, nec diutius manere, quàm velit is, cui debemus quod nati ſumus, & viuimus. Deo ſeruimus, eius igitur imperia nobis exſpectanda ſunt. Cùm ſuaderent ſocii Flauio Ioſepho in puteo illo, in quo vnà latitabant, ne ſe Romanis dederet: ſed aut ipſe letum ſibi manu ſua conſciſceret, aut ab alio ſe interfici pateretur, ipſe longa, & argumentoſa oratione docuit, nemini ſine grauiſſimo ſcelere licere ſibi necem afferre: potiusq; ſeruitutem & vltima quæq; perferunda: ſolutis quæ in partem alteram prolata fuerant rationibus. De bello Iudaico lib. 3. cap. 25. Egeſippus lib. 3. cap. 16. & 17. Vide inſuper Macrob. lib. 1 in ſom. Scip. cap. 13. vbi Platonis ex Phædone, & Plotini rationes producuntur. Diſputat etiam præclarè aduerſus ſuimet interfectores Auguſtin. Crin. lib. 1. primis capitibus. Apud Hebræos qui ſemet interemiſſent, amputata dextra inhumati proiiciebantur. Cur autem luctuoſus ſit huiuſmodi hominum interitus voluntarius, indicat Plin. epiſt. 12. lib. 1. Nam vtcunque in illis qui morbo finiuntur,*

magnum ex ipſa neceſſitate ſolatium eſt: in iis verò, quos accerſita mors auſert, hinc inſanabilis dolor eſt, quod creduntur potuiſſe diu viuere. QUI ESSENT PRODITIONIS CONVICTI) *Vnde originem duxerit mos non ſepeliendi proditorum corpora. Victor. li 28. c. 13.* CONTRA EOS EDICTA) *De ſepulcris, inquit Cic. 2. de leg. nihil eſt apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, néue alienum inferat, pœnaque eſt, ſi quis buſtum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit. Vlpianus. Sepulcri, inquit, violati actio infamiam irrogat. Paulus quoque ita ſcribit. Rei ſepulcrorum violatorum ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint: humiliores quidem fortuna ſummo afficiuntur ſupplicio: honeſtiores in inſulam deportantur; aut relegantur, aut in metallum damnantur. Plura de ſepulcrorum religione Rhodigin. lib. 17. cap. 19.*

PROGYMNASMA
QVARTVM ET SEXAGESIMVM.
Quæ ſolerent vnà ſepeliri.

MEMMIVS, GERMANVS.

MEMMIVS. Pecunioſus homo ſemper eſt iudicatus pater tuus. Quantus, quæſo, theſaurus vnà cum eius corpore ſepultus eſt? G. Scilicet ſarcophagus, & linteum peruetus, quo eum mater obuoluit: cum hac gaza tumulatus eſt: hoc illi aurum, hoc argentum, hæ veſtes pretioſæ, hæc monilia, & ornamenta, hæ argenteæ, & inauratæ phialæ ipſi fuerunt: nam cum hiſce rebus mortales ſtultos olim ſepulcris commendari voluiſſe didicimus: quam conſuetudinem communis Chriſtianorum conſenſus iampridem ſuſtulit. M. Saltem nummum ei nos inſeruiſſetis, quem traiecturus Acherontem pro naulo Charonti ſolueret. G. Hæc ſuperſtitio delirantium Græcorum fuerit, quos poetarum figmenta luſerunt. Nullos amnes, nullas illic paludes, nullos Rhadamantos nouimus. Quid porrò volebant ſibi? quo fine theſauros ſecum tumulabant? vt ærugine abſumerentur? an non ad laudem honeſtius feciſſent, ſi tenuiorum fortunis ſuccurriſſent: ſi propinquos poſterosque ſuos ditiores reddidiſſent? ſi lapides prægrandes ſepeliuiſſent ſecum, eundem illi vſum, quem aurum, argentum, gemmæ illic defoſſæ habuiſſent. M. Si inuidiæ cauſſa hoc egerunt, quod ſuis frui rebus alios noluerunt, in crimine meritò ponendi ſunt. Si ſolatii, quæro, quod ſolatium corpus inanimum ſentire poſſit ex metallo illo, quod nec videat, nec tangat, nec odoretur? Si idcirco illic opes ſuas abdiderunt, quod nuſquam tutius ſeruari poſſe viderentur: propterea quod magna ſemper fuit ſepulcrorum religio, & eam violare ſceleſtiſſimi facinoris crimen vſque hodie cenſetur, non reprehendo factum: inde cogente neceſſitate licebat promere quantum opus eſſet. Memorabile eſt, quod Ioſephus, & Egeſippus de Dauidis ſepulcro ſcriptum reliquerunt. G. Quid nam? M.

Hyr-

Digitized by Google

Hyrcanus Iudæorum princeps, cùm bello premeretur ab Antiocho, atque etiam arctè obſideretur, ſumptusq; deficerent, dicitur aperto Regis ſanctiſſimi monumento tria millia talentorum auri inde eruiſſe, id eſt, decies octies centena coronatorum millia: quem numerum à Salomone ibi repoſitum arbitrantur. G. Non abſimile vero: fuit enim Salomon ditiſſimus. M. Auaritiæ tamen cauſſa nullo modo faciendum eſt. Sceleratiores ſunt, qui homines ſecum mori cogunt, ne incomitati ad inferos proficiſcantur. De Sardanapalo ſcribit Diodorus, cùm deſperaſſet ſalutem, ne in hoſtium poteſtatem veniret, in regia pyram ingentem componi iuſſiſſe, & ſuper eam auri argentique vim maximam, omnemque veſtem regiam inieciſſe: vxores quoque, & eunuchos in medium pyræ incluſiſſe, atque ita ſeſe demum cũ his omnibus exuſſiſſe. Apud Indos quæ vxorum volebat videri ſtudioſiſſima & amantiſſima defuncti fuiſſe, cum eodem libens, & gaudens in rogum imponebatur. Qua de re Propertius. G. Hinc natas arbitror tam crudeles parentationes, cùm ad tumulos non pecudes ſolùm, ſed homines etiam iugularentur, quorum ſanguine manes illic placatum iri credebantur. M. Laudo Babylam martyrem, qui catenas, & compedes ſuas ſecum ſepeliri orauit. G. Quid eum mouit? M. Vt hîc iacenti mihi ſint ornamento, inquit. Pluris fecit catenas propter Chriſtum toleratas, & maiori ſibi apud Chriſtianos honori putauit fore, quàm ſi vniuerſum Midæ aurum, aut diuitias Crœſi ſecum in tumulo habuiſſet. G. Si poſſemus iudicem illum, qui ad ferendam de omnium temporum hominibus ſententiam cum poteſtate, & maieſtate multa venturus eſt, auro corrumpere, tum non abſurdè hunc morem tenerent opulenti. At ne Oratorem quidem vllum adhibere licebit: vnicuique pro ſe ipſo cauſſa erit dicenda. M. Si Chriſtianis virtutibus comitati ad tribunal hoc acceſſerimus, eæ cauſſam pro nobis orabunt. G. Et eam obtinebunt.

ANNOTATIONES.

SALTEM NVMMVM EI IN OS) *Græci quidam hoc factitaſſe memorantur. Dabant & placentam, quam nimirum latranti Cerbero obiicerent.* NVLLOS AMNES, NVLLAS ILLIC PALVDES) *Styx, Lethe paludes ſunt; Cocytus, Phlegeton, Acheron fluuij, de quibus conſulendus* Natalis *Comes, & alij qui poetarum fabulas perſecuti ſunt. Inferos antiquiſſimi illi, vt refert Macr. li. 1. in ſom. Scipionis, aliud eſſe negauerunt, quàm ipſa corpora, quibus incluſa animæ, carcerem fœdum tenebris, horridum ſordibus, & cruore patiuntur. Hoc animæ ſepulcrum, hoc Ditis concaua, hoc inferos vocauerunt. Lethen eſſe errorem animæ obliuiſcentis maieſtatem vitæ prioris, qua antè potita eſt quam in corpus truderetur. Phlegetontem ardores irarum & cupiditatum, Acherontem quidquid feciſſe dixiſſéue vſq; ad triſtitiam, humanæ varietatis more nos pœnitet, Cocytum, quidquid homines in luctum lacrymasq; compellit. Stygem, quidquid inter ſe humanos animos in gurgite mergit odorum. Lege ſi vacas, reliqua. Per Stygem autem ſoliti ſunt iurare dij, quod erat iuſiurandum haud violabile Ouid. 3. Metam.*

Digitized by Google

Quoq; magis credas ſtygii quoq; conſcia ſunto
Flumina torrentis: timor, & Deus ille deorum eſt.

AVARITIÆ TAMEN CAVSSA) *Nitocris Regione Babylonis ſupra portas vrbis celeberrimas, loco edito atq; conſpicuo ſepulcrum ſibi ædificauit, inſcripſitq;. Si cui Regum Babylonis poſt me futurorum pecunia defuerit, aperto ſepulcro ſumito quantum libuerit. Nemo tamen aperuit ante Darium, qui auaritia ſtimulante id auſus eſt: verùm nihil præter cadauer inuenit, cum hac ſcriptura. Niſi pecuniæ eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum ſepulcra non aperuiſſes. Herodotus lib. 1.* QUA DE RE PROPERTIVS) *Elegia lib. 12 lib. 3.*

Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos aurora ſuis rubra colorat equis.
Namq; vbi mortifero iacta eſt fax vltima lecto,
Vxorem fuſis ſtat pia turba comis.
Et certamen habent leti quæ viua ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent
Imponuntq; ſuis ora peruſta viris.

Quas item res in vita defunctus dilexerat ſeu animatas, ſeu inanimas, eas eodem rogo ſimul cum cadauere cremabant. In quem ſe etiam ipſi homines doloris impatientes nonnunquam coniiciebant. Lege Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & in eundem Tiraquellum. HOMINES ETIAM IVGVLARENTVR) *In funere & ſepultura fortium præſertim, vt Æneas lib. 11. in funere Pallantis captos de Rutulis adoleſcentes. Apud Homerum item Iliad. 22. In Hecuba Euripidis Achilli mactatur Polyxena à Pyrrho.* VNICVIQVE PRO IPSO) *Cic. 1. Tuſcul. Fortaſſe etiam inexorabiles iudices Minos, & Rhadamantus, apud quos nec te L. Craſſus defendet, nec M. Antonius: nec, quoniam apud Græcos iudices res agetur, poteris adhibere Demoſthenem. Tibi ipſi pro te erit maxima corona cauſſa dicenda.*

PROGYMNASMA
QVINTVM ET SEXAGESIMVM.

Epitaphia, ſculpturæ, pyramides, columellæ, cruces ad ſepulcra.

FLORVS, EVSTORGIVS, SERVANDVS.

FLORVS. Quid tu labris ſemihiantibus cantas Euſtorgi, idque tam preſſè, vt hinc verba cantus tui exaudire non detur? E. Verſiculos, ſi ſcire vultis, cantabam mecum. S. Veteri tuo more. Sed qui tandem ſunt iſti verſus? E. Qui? graues, nec inelegantes. F. Illud exploratum eſt nobis, te nihil delectare, quod ingenioſum, nitidum, rotundum, & abſolutum non ſit. Quod ergo carmen modulabare? auemus enim guſta-

guſtare illam grauitatem & elegantiam, ſi tu non inuideas. E. Erat epitaphium quoddam hexaſtichon. S In quem? E. Heu, inuitus, nec ſine acri doloris morſu dicam. In M. Antonium Muretum, noſtræ ætatis eloquentium facilè principem; qui Romæ relictis rebus mortalibus ad exoptatam immortalitatem diſceſſit, omneſque manſuetiorum literarum cultores mœſtiſſimo orbitatis luctu impleuit. Et quamuis ſexagenarius, tamen mihi quoque, vt Plinio iuniori, *videtur acerba ſemper, & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui debiti corporis gaudiis quaſi in diem viuunt, viuendi cauſſas quotidie finiunt. Qui verò poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, vt quæ ſemper inchoatum aliquod abrumpat.* F. Quid ais? Noſter Muretus crudelibus occubat vmbris? O nuncium illætabilem. S. Vnde cognouiſti? E. Franciſcus Bencius, qui cum multis iam annis omnes mihi ſunt amicitiæ neceſſitudines, cuiuſque in me nec pauca, & ſuauiſſimi ſtudii plena conſtãt officia, Mureti quondam auditor, ab eoque mirum in modum dilectus, per literas ſuper hac re certiorem me fecit: ſimulque orationem quam in eius funere pronunciaſſet, æneis formis deſcriptam, cum effigie, ſubiecto ad baſin epitaphio miſit. F. Ille ipſe hoc tu magiſtrum ſuum compoſuit, niſi aberrat coniectura. E. Non, ſed Iulius Roſcius, poeta minimè malus. S. Imaginem oſtendes, cùm ad te domum venerimus: nunc verſiculorum fac nos participes, quorum tenemur deſiderio. E. Explebo cupiditatem veſtram. F. Attendimus. E.

Hîc Marci caros cineres Roma inclyta ſeruat,
Quos patria optaſſet Gallia habere ſinu.
Stat colle hortorum tumulus, ſtat proximus aſtris,
Qua propius puro contigit illi animo.
Tu ſacros latices lacrumans aſperge viator,
Et dic: heu lingua hîc fulmina fracta iacent.

S. Quid ſi te remunerarer quàm ſimillimo munere? E. Facias, licet: etenim talium munerum quàm ſim appetens, tu non potes neſcire. S. Non inſuaue mihi viſum eſt, quod nudiuſtertius in farragine quadam poematiorum offendi, in Lydium infantem.

Luderet in viridi dum ceſpite Lydius infans
Propter aquam, ah pietas, morſus ab angue cadit.
Infelix mater natum complexa iacentem
Occidit: angue puer, victa dolore parens.

F. Ne me huiuſmodi bonorum prorſus pauperrimum exiſtimare poſſitis, afferam ego quoque epitaphium, ſed breuiſſimum iuxta ac vulgatiſſimum. E. Audiamus. F.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope. Cecini paſcua, rura, duces.

E. Hoc Regis poetarum eſt, cuius ipſemet auctor. Cultiſſimum ſanè, & torno factum, nec paucas res complectens. Docet vbi natus, vbi mortuus, vbi conditus, quam artem exercuerit, quot monumenta, & quæ reliquerit: nullum verbum ibi non neceſſarium. Ipſæ χάριτες non pangant

 ali-

aliquid χαριέστερον. S. Occurrit aliud? F. Vel ſexcenta. E. Quidnam? F. Ex veteribus ac recentibus poetis collegi tumulorum libros. Atque vt ad imitandum mihi, & amicis paterent, in locos communes deſcripſi. S. Quo pacto? F. Non memini ordinis, quem tenui: tamen ſcio hos eſſe locos. In Eruditos, & rurſum, in Philoſophos, in Poetas, in Oratores, in Medicos, in Principes, Reges, Imperatores, in Duces, in milites, in varios artifices, in viros bonos, in pueros, in adoleſcentes, in mulieres maritas, in principes fœminas, in virgines. Etiam in animalia: nam & in hæc luſerunt feſtiua ingenia ſcribendis epitaphiis, è quibus multùm me permulcet illud Martialis in formicam.

Dum Phaëtontæa formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

E. Perutilem tibi cœteriſque laborem ſuſcepiſti. Mos peruetus bene de Repub. meritis referre gratias, exaratis in eorum monumentis ſeu ſoluta, ſeu ligata oratione epitaphiis: ſic enim omnes inſcriptiones, ſeu epigrammata ſepulcralia vocauerim, etiamſi titulos tantùm, officiaque mortuorum, ætatis annos, menſem & diem obitus teneant. In cippis, ſeu tumulis militum anni quoque militiæ notabantur, & gradus quem in cohorte, aut legione obtinuiſſent. S. Gloria illis tribuenda eſt, qui modeſtè cupiunt ſuum nomen, genus, conditionem cognoſci à poſteris: idque magis vt eorum precibus adiuuentur, quàm vt valdè celebrentur, & per ora hominum volutentur. Sine virtute vera laus nulla eſt: cum qua vixiſſe ſolida laus & ſufficiens, etiamſi nulla præterea commendatio acceſſerit. Quod ergo ne in ethnicis quidem probatur, quomodo in *Chriſtianis* toleraretur? F. Quorſum hoc? S. Adducit Næuii poetæ epitaphium Gellius, quod ſibimet ille conſcripſerat ante diem ſuum, & faſtus ac ſuperbiæ Campanæ plenũ affirmat. E. Recita, ſi meminiſti. S. Memini.

Immortales mortales flere ſi foret fas,
Flerent Diuæ Camœnæ Næuium poetam:
Itaq; poſtquam Orcino eſt traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ loquier lingua latina.

Parum certè modeſtum etiam Plauti: modeſtiſſimum verò Pacuuii. F. Vt in aliis aliàs, ſic in hoc abuſus irrepſit. Cùm enim antiquitus viui demortuis huiuſmodi elogia ob virtutem, & doctrinam impertirent, adulatio poetarumque leuitas fecit, vt quibuſcunque placuiſſet, etiam nullis ad Rempub. collatis officiis, nec vllo ornamento inſignibus tribuerentur. Quin eò res euaſit, vt parum honeſta etiam, parumque pudica iſtis in epitaphiis afferrentur. S. Sic eſt, vti memoras. Nam quidam in his ſuas libidines, ſceleraque poſteritati prodere non erubuerunt. Vt Sardanapalus ille Aſſyriorum rex, deliciis vltra modum effœminatus, incidi iuſſit in buſto.

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exſaturata libido
Hauſit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid

Digitized by Google

Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bouis, non in Regis ſepulcro inſcriberes? Tales extant tumuli meretricum nobilium: quanquam ita ſunt ſcripti plerique, vt illarum nequitiæ magis vituperentur, quàm formæ illecebræque laudentur.

E. Mihi videntur pro epitaphiis fuiſſe ſculptura, & picta inſtrumenta quædam ſuper tumulis, quibus defunctorum artes, conditionéſue ſignificarentur, verbi gratia, nauis, ſeu remi indicabant nautam, rete piſcatorem, malleus fabrum, mola molitorem, ſecuris lignatorem, dolium ſeu calix potatorem, aratrum agricolam, aquilæ & leones viros fortes, magnoſque duces. De ſepulchro Miſeni tibicinis ita eſt in ſexto apud Maronem,

Et pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaq; arma viro, remumq; tubamq;
Monte ſub aërio.

F. Num hoc in liberalibus quoque diſciplinis obſeruatum credis? E. Ita coniicio, & de Archimede Syracuſano excellenti aſtrologo teſtimonium graue M. Tullii afferre poſſum. S. Arrigimur ad audiendum. E. V. Tuſc. *Cuius ego Quæſtor ignoratum à Syracuſanis, cum eſſe omninò negarent, ſeptum vndique, & veſtitum vepribus & dumetis indagaui ſepulcrum. Tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumento eſſe inſcriptos acceperam: qui declarabant in ſummo ſepulcro ſphæram eſſe poſitam cum cylindro: ego autem cùm omnia colluſtrarem oculis (eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulcrorum) animaduerti columellam non multum è dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura & cylindri.* Meo quidem iudicio cylindrus ad Geometricā, ſphæra ad ſyderum ſcientiam indicandam pertinet: quarum vtraque Archimedes excelluit. F. Eadem eſt noſtra opinio. E. Notum eſt item, boues, vrſos, aquilas ſuper fortium virorum tumulis expreſſas. Arma quoque, & inſignia defunctorum ſaxis parietum, & columnis adiungebant. S. Quid de obeliſcis, pyramidibus, ſtatuis, columnis? E. Pyramides Regum Ægyptiorum inuentum eſſe, ſub quibus conderentur. Cæterùm & has, & alia quæ nominaſti, locum in ſepulcris illuſtriū virorū habuiſſe. Apud maiores, inquit Seruius, nobiles aut ſub montibus, aut in montibus ſepeliebantur: vnde natū eſt, vt ſupra cadauera aut pyramides fierent, aut ingētes collocarētur columnæ. Alibi putat ideo columnas mortuis nobilibus ſuperponi ſolitas, vt eorum culmen oſtenderetur. Scoti iis qui in pugna cecidiſſent prægrandes obeliſcos ſtatuebant, & tot cuique militi, quot hoſtes interfeciſſet. Hodie cruces ligneas, quibuſdam locis æneas defigere in ſepulcris mos eſt. F. Cur hoc? E. Vt intelligatur, ſepultum ad crucifixi curam & prouidentiam pertinere, eiuſque nomine ac potentia rediuiuum ad illud ſeuerum tribunal ſiſtendum fore. Pro corollario addam, fugiendos eſſe nimios ſepulcrorum ſumptus, quo in genere Ægyptii peccauerunt. Studioſius enim hi, & ſumptuoſius monumenta conſtruebant, quàm domicilia: quòd dicerent, falli eos, & errare, qui operosè ædificarent domos, in quibus parum diu victuri eſſent: ſepulcra autem, quibus in ſempiternum, aut

Digitized by Google

certè in longinquum tempus requieſcendum foret, non impenſius curarent. De hac moderatione etiam Plato ſapientiſſimus aliquid dicendum ſibi credidit.

ANNOTATIONES.

PARVM CERTE MODESTVM ETIAM PLAVTI) *Plauti apud Gellium lib. 1. cap. 24 hoc eſt.*

Poſtquam eſt mortem aptus Plautus, comœdia luget,
Scena eſt deſerta: hinc luſus, riſuſq́ iocuſq́
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.

Pacuuii.

Adoleſcens, tametſi properas hoc te ſaxum rogat
Vti ſe aſpicias: deinde quod ſcriptum eſt legas.
Heic ſunt poëta Marci Pacuuei ſita
Oſſa. Hoc volebam neſcius ne eſſes, vale.

Poſſum & aliorum poëtarum adducere epitaphia, quæ ſibimet fecerunt, veterum ac recentium ſed nolim citra cauſſam videri longior. Apponam adhuc Senecæ philoſophi, qui à ſacris Muſarum non penitus abhorruit, & ponam idcircò, quia moderationis venuſtatiſq́ plenum eſt, & in eo rerum humanarum contemptio, pectusq́ philoſophicum elucet.

Cura, labor, meritum, ſumpti pro munere honores,
Ite, alias poſthac ſollicitate animas.
Me procul à vobis Deus euocat, ilicet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra vale.
Corpus auara tamen ſollemnibus accipe ſaxis,
Namque animum cælo reddimus, oſſa tibi.

VT SARDANAPALVS ILLE) *Reprehendit hoc epitaphium, & ab Ariſtotele reprehenſum memorat in 5. Tuſcul. M. Tullius. In 2. de finibus idem Corporis autem voluptas ſi etiam præterita delectat, non intelligo cur Ariſtoteles Sardanapali epigramma tantoperè derideat: in quo ille Rex Syriæ gloriatur, ſe omnes ſecum libidinum voluptates abſtuliſſe. Quod enim ne viuus quidem, inquit, diutius ſentire poterat, quàm dum fruebatur, quo modo id potuit mortuo permanere? Vide inſuper Athenæum lib. 12 Victor. lib. 25. cap. 17.* CRVCES LIGNEAS) *Ramulos myrti imponebant ſepulcris Græci & ita quaſi inferias faciebant. Plura Victor. lib. 16. cap. 2.* NIMIOS SEPVLCRORVM SVMPTVS) *Etiam Chriſtiani veterum luxum imitantur nonnunquam, & cùm Reges ac Principes non ſint, regiè tamen ſepeliri volunt. De Ægyptiis regibus, quorum fuit portentoſa in ſepulcris magnificentia; Diodorus lib. 1. cap 4. Magnis impenſis Licinius tonſor ſibi ſepulcrum conſtruxerat, quod nemo non moleſtè ferebat, hominem ignobilem tam ſumptuosè tumulatum. Proinde ſcripſit poëta quidem ita tus:*

Marmo-

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus eſſe deos?

ALIQVID DICENDVM SIBI) *Plato breuitatem amauit in epitaphio, & ſepulcra fieri magnis impendiis vetuit. Cuius ſententiam ita retulit in extremo 2. de Leg. Cicer. Extrui autem vetat ſepulcrum altius, quàm quod quinque diebus homines quinque abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui, inciſam quatuor heroicis verſibus, quos longos appellat Ennius. Sanxit & Solon, ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo. Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas imponi, nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi qui publicè ad eam rem conſtitutus eſſet, dici licebat. Cic. eod. lib.*

PROGYMNASMA
SEXTVM ET SEXAGESIMVM.
Inferiæ, ludi funebres, bene precari mortuis.
MARTIANVS, SIGEFRIDVS.

MARTIANVS. Cùm totam Æneidem, tum præcipuè ſex priores & fructu, & voluptate mirabili euoluere ſoleo, in quibus Odyſſeæ imaginem cerno: & tam ſuauibus eſt permiſta affectibus oratio, vt interdum pro συμπαθείᾳ vix à lacrymis me abſtineam. Quàm flebilia ſunt illa, quæ in tertio de Polydoro minimo natorum Priami à Polymeſtore auariſſimo per ſummum ſcelus interempto, non longè ab initio commemorantur? Ex illis autem verſibus, qui continenter ſuccedunt, rationem quandam ſacrorum ſepulcralium didici.

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, ſtant manibus aræ
Cæruleis mæſta vittis, atraq; cupreſſo,
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras, animamq; ſepulcro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

S. Licet eadem diſcere etiam ex quinto, vbi parentalia facit Anchiſæ Æneas. Et ſolemne antiquis fuit, epulas etiam inferre monumentis, ac paſcere mortuos: quin & ſuperſtites ibi epulabantur: vnde ferales cœnæ, ſilicernia, funerum fercula apud auctores. Quem morem ſuſtulit Chriſtianiſmus: niſi quod hanc conſuetudinem apud quoſdam alia penſari putant docti nonnulli: vt nempe iuſtis ſolutis, domum inuitentur cognati & amici, ibique opiparum conuiuium inſtruatur. M. Non abſurdũ ſit exiſtimare, has eſſe moris illius veteris quaſdã reliquias. Ex eodem quinto Æneidos cognoſcimus item de ludis funebribus, quos

Digitized by Google

quos varios Æneas ad tumulum patris committit. S. Sumpſit poëta locum ex Homero, apud quem ludos cèlebrat Achilles Patroclo amico ſuo, fiebatque hoc more apud Græcos, à quibus ad Romanos promanauit. De iſtis ludis in rerum Romanarum auctoribus leges cùm voluntas feret. Cæterùm valedicere mortuis, eoſque ſalutare etiam mos tenebat: ſic enim ad Pallantem Euandri filium Æneas.

Salue æternum mihi maxime Palla,
Æternumq́ue vale.

At ad Anchiſen reuerſus ex Africa in Siciliam.

Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres, animaq́ue vmbraq́ue paterna.

Et apud Catullum.

Atque in perpetuum frater aue, atque vale.

Non enim decet nos amicitiam poſt mortem charorum abiicere. Dum viuit, hominem noueris: vbi mortuus eſt, quieſcas, ait in Truculento parum honeſta fœmina. Verum iſtuc liceat lucrum voluptatemq́ue ſectantibus: nos quidem, quos ſuperſtites, ad paucos tantum dies peregrè abeuntes, cum bonis precátionibus, & ominibus dimittebamus, blandiſſimiſque ſalutationibus redeuntes recipiebamus, eos iam adeò longam viam ingredientes negligere, nec ad eorum oſſa cineresque quidquam amicum & humanum effari non conuenit: quaſi non illorum quos in vita diliximus, ſed alienorum prorſus ſint exuuiæ. M. Cùm hunc morem non damno, tum Chriſtianum maximè laudo. S. Quem illum? M. Vbi audiuimus aliquem vita ceſſiſſe, ita precamur: *Requieſcat in pace.* Quæ voces nonnunquam in ſepulcrorum monumentis inciſæ reperiuntur. Item: *Requiem æternam dona ei Domine,* quæ ſunt initium ſacrorum funebrium. S. Pia precatio. Nam in hac vita quamdiu *verſamur,* dies noctéſque militamus, nec vnquam ab hoſtibus dantur induciæ. Quid ergo rectius Chriſtiano militi, quam æternam, & beatiſſimam requiem optemus? M. Cenſen' prodeſſe mortuo, cùm quis tumulum prætergrediens, cum ſuſpirio aut gemitu memor eſt defuncti, animo ad Deum conuerſo? S. Equidem ita cenſeo. Nam lacrymæ, pia vota, gemitus, quid ſunt niſi tacitæ preces animi? ſine quibus parum valent, quæ ore precantes pronunciamus Et Deus, qui receſſus & latebras animorum omnes contuetur, pluris æſtimat clamorem mentis, quàm vocis. M Nihil certius. Solebant antiqui mortuis leuem terram, leuem lapidem ſepulcri optare, ne cineres & oſſa premerentur: perinde vt ſi reſtaret ſenſus aliquis. S. Habes in promptu exempla? M. Habeo ex poëtis, è quorum carminibus cùm alias, tum ſepulcrales antiquitates maximam partem perdiſcimus. S. Credo iſtuc facillimè. Sed recita verſus aliquot. M.

Iuuenalis.

Dii maiorum vmbris tenuem, & ſine pondere terram.

Ouidius.

Et patris Anchiſæ molliter oſſa cubent.

Idem

Digitized by Google

Idem in mortem Tibulli.

Oſſa quieta precor tuta requieſcite in vrna,
Et ſit humus cineri non oneroſa pio.

Martialis.

Sit tibi terra leuis, mulier digniſſima vita.

Tibullus contrarium precatur vetulæ.

Infelix vrgeat oſſa lapis.

Græci, ἐλαφρά σοι κεῖσθαι γῆ.

In veteribus monumentis frequens legebatur hæc inſcriptio. S. T. T. L. ſit tibi terra leuis.

ANNOTATIONES.

INFERIÆ) *Inferiarum nomen inde manauit, quòd mortuorum ſepulcris inferri ſolerent. Virg. 3. Æneid. Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte. Χοαὶ à Græcis vocantur, à fundendo. Fundebant lac, mel, aquam, vinum, oliuas: flores etiam ſpargebant. Turneb. lib. 4. cap. 22. qui in hanc rem Æſchyli quoque verſus affert.* A POLYMESTORE AVARISSIMO) *Lege prologum Hecubæ apud Euripidem, in quo vmbra Polydori, & cauſam quare à patre Priamo ad hoſpitem illum miſſus, & quare ab eodem iugulatus ſit.* VALEDICERE MORTVIS) *Dimittendorum manium hæc erat olim formula. Poſt peracta tumuli ſolemnia dicebatur: ſalue & vale.* QVOS VARIOS COMMITTIT) *In funeribus clarorum virorum etiam decurſiones militares fiebant: milites enim ſuis inſtructi armis, & tanquam in procinctu, gradu militari, & exercitatione quadam ludicra decurrebant. Tacitus. Princeps ipſe cum legionibus decurrit. Sueton. in Claud. c. 1. Cæterùm exercitus ei tumulum honorarium excitauit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret. Id Virgilius in funere Pallantis imitatus eſt 11. Æneid. Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos. Sed laues orbes agere, circumque in ſiniſtram decurrere primùm ſolebant: deinde vt expiarent contagionem funeris, in dextram decurrebant. Papinius lib. 6. Thebaid. luſtratque ex more ſiniſtro Orbe rogum. Deinde ſubiicit.*

hic luctus abolere, nouique
Funeris auſpicium, vates, quanquàm omnia ſentit
Vera, iubet dextro gyro, & vibrantibus armis,
Hac redeunt.

Hæc Turneb. lib. 5. cap. 8.

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA SEPTIMVM ET SEXAGESIMVM.

Oſsium humanorum ſalutaris contemplatio.

MYSTAGOGVS, ADOLESCENS.

MYSTAGOGVS. Poſteaquam, fili, huius cœmeterii ſepta intrauimus, ſculpturas, icones, monumenta viſimus, inſcriptiones, & epitaphia nonnulla perlegimus, ſuper tumulo matris tuæ, integerrimæ atque grauiſſimæ fœminæ in genua ſubſidentes, Deo pro eius anima ab expiatoriis inferorum cruciatibus liberanda comprecationem fudimus, & lapidem aqua luſtrali irrorauimus, accedamus nunc ad illud, quod propter ædiculam conſpicitur σκελετοφυλάκιον: ſic enim occurrit mihi in præſentia vt appellarem cuſtodiam illam, qua eruta ac refoſſa ſepulcris, cute carnibusque nudata prorſus, & aceruatim congeſta mortuorum oſſa ſeruantur. Oſſorium ſiue oſſuaria, genere muliebri forſitan non malè appelletur. A. Quid ibi facturi Pater? M. Id nempe, cuius cauſſa à maioribus noſtris Chriſti militiam profeſſis hominibus excogitata eſt iſta oſſium aſſeruatio. A. Equidem non ignorans ſum, quamobrem refodi ſoleant oſſa conſumptis cadaueribus: nimirum, vt aliis quoque humo tegendis ſit locus. Nam ſi cuique perpetuò ſuum ſibi ſepulchrum relinqueretur, quod ſpatium, quæ vaſtitas loci funerandis, in ampliſſima præſertim ciuitate, vno ſæculo, ne dicam plurimis ſufficeret? M. Cremarentur proinde ignibus oſſa: quandoquidem nihil niſi oſſa ſunt, cineresque in profluentem diſſiparentur. A. Cur id non fiat, Pater, in ordinem autem redigantur, vt hic ſint tibiæ, ibi crania, illic ſpinæ dorſi, & minora oſſium, puto in cauſſa eſſe reuerentiam & honorem, quo proſequimur lumine caſſos, à quibus illa ſupremo qui mundo illuxerit die receptum iri, ſacrarum litterarum nobis perſuaſit auctoritas. Et quemadmodum oſſa ipſi noſtra indigne haberi nollemus: ſic eos quoque nolle ſtatuimus, qui ante nos ad huius vitæ metas terminumque pertigerunt. M. Prudenter fili, & probabilem veramque rationem producis: veriorem tamen omiſiſti. A. Ex ore tuo illam accipere percupio, ſi me docere non grauaberis. M. Haud grauabor, mi adoleſcens: tu modò attende dictis animum, & te ipſo cura vt melior euadas. A. Curabo, & Deus ſecundabit mea conſilia. M. Speculum quoddam ſalutiferum hoc loco nobis adhuc in vita manentibus proponitur: in quo cum noſmetipſos probe fuerimus contemplati, cogitemus non aliud eſſe quàm ſumus: viliſſimum puluerem, & oſſa arida: atque idcirco ex animis omnem faſtum ſuperbiamque funditus excludamus, prauiſſimas peccandi conſuetudines de-

feramus, præteritas maculas eluamus, moreſque noſtros in futurum ad diuinorum præceptorum ſanctitatem accommodare atque dirigere contendamus. Nihil vtique ad vitam piè Chriſtianeque inſtituendam æque conducit, vt aſſidua mortis commentatio. Memorare, inquit, nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. A. Explica mihi iſtuc paulo latius, ſi placet. M. Etiam, explicabo, & præteribo iudicium, ſupplicia infera, & gaudia illa cœleſtia, quoniam ad inſtitutum non faciunt: de ſola morte agam tecum. A. Id exſpecto. M. Interfuiſti aliquando, cùm quis iam euicta, & proſtrata natura, defectuſque viribus ſpiritum reddere cogeretur? A. Interfui aliquoties. M. Non tu ibi iacentem miſeranda ſpecie moriturum, & iam iamque relictis rebus mundanis omnibus quantumcunque charis, in alia quædam incognita loca migraturum, iudiciſque incorruptiſſimi ac ſeueriſſimi de ſe ſententiam immutabilem auditurum miſeratus es? A. Immo. M. Nonne cogitaſti: en qui paucos ante dies ſanus, robuſtus, hilaris, animoſus, vt nunc horum nihil eſt? vt totum corpus decolor, pedes frigidi, frons, vt buxus pallida, membra omnia gelidiſſima, capillus decidit, labia liuent, oculi hebetantur, totus vultus immutatur, ceſſant venarum pulſus, forma & decus omne perit, mors per artus ſerpit, ſudor letalis prorumpit: vno verbo, diſturbatur domicilium, & anima exturbatur? A. Cogitaui hæc. M. Si tum, quando iſta cogitabas, quiſpiam propoſuiſſet tibi forma liberali, & ætate florenti mulierem, núm ad rem voluptatis? vina & condimentis apparatiſſimas epulas, num ad ebrietatem & intemperantiam? ſi pecuniam, num ad auaritiam? ſi honores maximos, num ad ſuperbiam, & ambitionem? ſi quamcunq; malam cuiuſcunque generis oblectationem, num ad eam perfruendam valde fuiſſes incitatus? A. nihil prorſus, ô Pater. M. Si tum quiſpiam grauius te læſiſſet, túne illum occidiſſes? A. Nec digito attigiſſem. M. Si inimicus abs te veniam petiſſet; tu illi veniam negaſſes? A. Ignouiſſem libentiſſimè. M. Nec ira igitur, nec odium apud te valuiſſet. Idem intellige de inuidia, ſacrilegio, obtrectatione, cæteris ſceleribus, quorum nullum tibi ex illa morientis contemplatione ſic affecto perpetrare libuiſſet. Sed quare non libuiſſet? A. Noli quærere, neſcio: hoc tantum ſcio, non libuiſſet: immo non libuit, nec mihi, nec cuiquam eorum qui affuerunt. M. Quæ itaque vidimus, quæque fieri ſolere ſcimus morienti, ea ante oculos nobis ponamus, & de iis multum ac ſedulò cogitemus, ita peccatis temperabimus. At enim nulla res tam vehementer mortis nos admonet: nulla diſceſſum ab his rebus caducis æque in mentem redigit, vt oſſium illorum aridiſſimorum conſideratio. A. Sic mihi videtur, & hinc te domi tuæ in Muſæo caluariam vitro incluſam tenere opinor, vt quam frequentiſſimè illam reſpiciens, mortalem te eſſe recordere. M. Facio ego iſtuc, fili, non tamen primus facio: ſed piorum virorū ſollemne imitor. En tibi caluariā iſtam: caret pelle, caret capillamēto, caret etiam carnibus, caret dignitate omni. O quā deforme & horribile aſpectu caput? vide vt naſus extremus deciderit, vt foramē pateat fœdiſſimū, vt oculorū loco ſint duæ cauernæ profundæ admodum, vt os ringatur, vt dentes partim amiſerit, partim

quos

quos retinuit paucos oſtentet. Heu vbi nunc coloris mira ſuauitas? vbi labella purpurea? vbi decora & nigra ſupercilia? vbi demum oculi ludibundi, ſtellarum inſtar fulgentiſſimi? vbi frons explicatiſſima & ſereniſſima? nuſquam video auricomos crines, non apparent cincinnuli, non inaures: nihil hic niſi nudum, & informe os ſpectandũ obiicitur. A. Tua oratio non paruam mihi commotionem dat, plena neruorum vtiq;, plena oſſium, quamuis de oſſibus. M. Quæramus porrò in hac congerie candidiſſima brachia, manus molliculas, ſucciplenum, & eburneum corpuſculum, membra cætera quàm venuſtiſſima & compoſitiſſima, vnde ſibi mortales plurimum plaudere conſueuerunt: nihil horum reperiemus. Dicite oſſa, dicite cuius eſtis? nam nos quidem hîc diuitem à paupere, nobilem ab ignobili, clarum ab obſcuro, eruditum ab indocto internoſcere non poſſumus. Quis pater, quis filius, quæ vxor, quis maritus, quis frater, quæ ſoror? ante mortem longè diſpar conditio: in morte, & poſt mortem omnium æqua ſors, nullum diſcrimen. Quamuis in ſepulcris argenteis nonnulli putreſcant, tamen illorum oſſa iſtis nec meliora, nec elegantiora conſpiciuntur. Cadauera certè potentium, quæque luxuria diſtenta fuerint, aliquanto intolerabiliorem exhalare fœtorem aiunt, quàm inopum. A. Iam dudum ſordet mihi voluptas, ſordent opes, ſordent omnia.

O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane?

Sed nolo te remorari. M. Prodeant è tumulis, qui oſtro & auro veſtiebantur: qui torquibus, annulis, gemmis onuſti incedebant: qui è poculis gemmatis vini florem hauriebant: qui inuehebantur curribus inauratis: quos ſatellitum cateruæ ſtipabant: qui centum viginti prouinciis imperitabant: qui cum Ioue diuiſum habebant imperium. Veniant in medium ſeptem illi ſapientes: veniant Philoſophi, Oratores, Poëtæ, Mathematici: veniant Reges, Imperatores, & Monarchæ; veniant etiam Epiſcopi, Cardinales, & Pontifices Maximi: veniant nobiliſſimæ & decantatiſſimæ fœminæ. Quid ab iſtis oſſibus different? aut quid illis nunc opulenta forma, luxus, nobilitas, maieſtas, amplitudo, eruditio prodeſt? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Opera illorum ſecuta ſunt illos, præterea nihil. Quàm ſingularis, & eximia pulchritudo fuit Abſalonis? Quàm incomparabilis venuſtas illius fœminæ, propter quam Græcia Barbariæ eſt lento colliſa duello, & quæ de forma omnibus gentibus eſt notiſſima? Attamen hi puluis, & oſſa facti ſunt. Quantæ vires Sampſonis? quantæ Herculis? & hi conuerſi ſunt in cineres: non enim aſſentimur poëtarum figmentis, quibus ad Deos abiiſſe Hercules traditur: ad inferos potius deſcendiſſe hunc Deum, & Iouis hunc filium credimus. Sapientiã Salomonis admirabantur omnes mortales, & Plato fuit totius Græciæ vir ſapientiſſimus: vterq; ſub terra poſitus computruit. Quid eloquentius Cicerone? Quid Demoſthene? perierũt ambo, ſolutiq; ſunt in puluerẽ. Pompeius, qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſquã cum inimico concertauit: plura bella geſſit, quã cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alii concupiuerunt:

Digitized by Google

Cæſar qui domuit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, vterque clariſſimus & fortunatiſſimus Imperator, mortis effugere morſum non potuit. Quid Aſuerus, quid Nabuchodonoſor de ſua potentia? Quid Nero, quid Heliogabalus de ſuo luxu retinuerunt? Nihil magnifaciendum, præter amorem ergá Deum, in quo ſolo ſunt omnia, & ſine quo nihil ſunt omnia, quia nihil proſunt. A. Nunquam ſortis humanæ abiectionem humilitatemque tam claré, vt modo te diſſerente perſpexi: & poſthac diem illum, quo ex iſto diuerſorio exeundum erit, crebrius mihi ſubiiciam: quando nemini, quamuis adoleſcenti exploratum eſt, ſe ad veſperum eſſe victurum. M. Salutaris cogitatio. Non imparatum ſi te mors offenderit, ipſa tibi ad lætitiam ſempiternam ianua erit. Sic autem inueniet, ſi eam quotidie venturam cogitaueris. Nec ſolet eſſe formidabilis illa, niſi iis qui obliti ſalutis ſuæ, obliti rerum cæleſtium, totique corporum voluptatibus, & fluxis naturis immerſi, tanquam pecudes inertem vitam traducunt: de abitu è vita nec audire, nec loqui, nec cogitare ſuſtinent: qui in hoc exilio tanquam in patria ſecuri, metuque futurorum ſoluti viuunt. Væ igitur illis, qui hîc habent conſolationem ſuam: væ illis qui nunc rident, quoniam plorabunt, & vlulabũt miſerrimè O nimium dura, ô ferrea pectora, quæ nec morientium aſpectus, nec quotidiana funera, nec ſepulchrorũ oſſiũq; ſpectacula ad timorem mortis, vitæq; emendationem excitare poſſunt. Qui oſſa vti marmora, ſepulcra vti foſſas, & tumulos vti quoſdam terræ tumores, morienteſq; non alio ſenſu, quàm ſi eſſent beſtiæ, ipſi autem dii & immortales, intuentur. Vellē porrò Principes, & qui honores magnos gerunt, imitarentur Imperatores Conſtantinopolitanos, de quibus narratur, quo die primùm in ſolium Auguſtorum aſcendebant, purpura & corona inſignes, accedere ſolitum fabrum cæmentarium cum lapidibus variorum generum, ita dicentem: *Imperator, elige de his ſaxis, vnde velis tibi ſepulcrum fieri.* Qui autem Eccleſiaſticis magiſtratibus funguntur, vtinam Ioannem, qui ἐλεήμων Eleemoſynarius eſt cognominatus, fuitque Alexandrinus Patriarcha. Splendidum ſepulcrum inchoari iuſſit, imperfectumq; relinqui. Diebus autem præcipua religione inſignibus, cum ornatu pontificio coram præſente populo in throno atq; templo conſideret, eſſetq; ſummæ venerationi, accedere ad ſe certum miniſtrum, qui ſibi hæc verba loqueretur. *Tuum ſepulchrum, Epiſcope, nondum eſt perfectum: iube perfici, quoniam neq; diem ſcis, neq; horam. A.* Exempla iſta lectiſſima dum memor mei fuero, non obliuiſcar.

ANNOTATIONES.

OSSIVM) *Oſſa ſunt corporis ſolidamenta. In his enim poſitio omnis, roburque ſubſiſtit. Oſſa autem ab vſto dicta, propterea quòd cremarentur ab antiquis, ſiue, vt alij putant, ab ore, quod ibi pateant. Nam vbiq; cute viſceribuſq; obtecta celãtur. Iſid. li.* 11. *c.* 1. *Oſſiculatim, vt ſimulatim. Nonius.*

PROPTER ÆDICVLAM) *Non modo cauſſa, verùm & alia ſignificatio ineſt in hac particula, eadem ſcilicet, qua prope, iuxta apud Cicer pro Sex. Roſ. Duo filij propter patrem cubantes. In Bruto. In pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus, Contra Rull. Fluuius Eurotas, qui propter Lacedæmonem fluit. Lucret lib. 2.*

Cùm tamen inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ.

Virgil. Georg. 3.

Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam.

PROPTER QVAM GRÆCIA) *Iſocrates in Encomio Helenæ, Homerus 3. Iliad. vbi illa in turrim aſcendit, vnde hoſtium exercitum Priamus & proceres ſpectabant, Antenorem, ni fallor, dicentem facit, non eſſe indignum, pro tali forma tantum bellum geri. Stultus Antenor, quis non videt? Stultus etiam Priamus. Quid ni verò ſtultus etiam Propertius? cuius illa ſunt lib. 2. eleg. 3.*

Nec ſemper nobiſcum humana cubilia viſes,
Poſt Helenam hæc terris forma ſecunda redit.
Hac ego non mirer flagret ſi noſtra iuuentus,
Pulchrius hac fuerat Troia perire tibi.

MORTIS EFFVGERE MORSVM) *Vnde mors dicta ſit Grammatici viderint. Infantium quidem eſſe acerbam, iuuenum immaturam, ſenum naturâ, ſeu naturalem dicit Iſid. lib. 11.*

MISCELLA PROGYMNASMATA.

PROGYMNASMA OCTAVVM ET SEXAGESIMVM.

Gnomica, ſeu Philoſophorum ſapienter dicta.

ARTHEMIVS, ELEAZARVS.

ARTHEMIVS. Ecquid peruolutaſti aliquando, Eleazare, Diogenem Laertium, legiſtique philoſophorum vitas, doctrinæ cuiuſque capita, ſeu dogmata, & apophthegmata? E. Peruolutaui, legique ad finem inde vſque à principio: & alias vt vſus poſtulauit, hîc, illic locos parteſque legi. A. Qualis tibi viſus ſcriptor ille? E. Vt prætereаm in quibus aut leuiter perſtrictum, aut grauiter reprehenſum memini à doctoribus, narrationes texit confuſiſſimas, permiſcetq; omnia, nullum cuſtodit ordinem, multa paſſim dicit loco tam alieno, quàm ſuo. Nunc de vita & mo-

& moribus eorum agit: mox de libris & dogmatis. Rurſum de vita particulam infercit: ſtatim neſcio quid apophthegmatum, aut aliquid de libris & opinionibus. Atque vbi tu putares iam finem eſſe, ibi aut pertexitur inchoata, aut incipit noua narratio: & poſtquam ſcripſit de obitu, denuò tanquam de viuis diſſerit: vt videatur ab inferis excitare mortuos. Hiſtoria eſt, cui nec caput, nec pedes. Quare ſi velis membra totius narrationis, & ſummam quandam ſeriemque mandare memoriæ, non plus agas, quàm ſi aut apros iaculo veneris in medio mari, aut piſceris in aere. Fruſta quædam licebit retinere, quæ ſi coniungas, non magis vnam reddant formam, quàm in monſtro Horatiano caput muliebre, ceruix equina, variæ plumæ, cauda piſcis. A. Nihil abs te diſſentio: diſtinctius ac diſtributius res tam illuſtres perſcribi conueniebat. De ipſis porrò vitis quid iudicas? E. Quod video placuiſſe doctiſſimis quibuſdam viris. A. Hoc ipſum eſt quod ſcire geſtio. E. Melius ac verius appellari & poſſe, & debere vitas philoſophorum, quàm philoſophicas: pleroſque enim longè nimium àbeſſe à dignitate, ſanctitate, & diſciplina philoſophiæ: cùm in iis cernamus imprudentiam, arrogãtiam, adulationem, mentiendi audaciam, amorem pecuniæ, iocos ſcurriles, cauilla & ſcommata, conſectationes deniq; indignarum eruditis hominibus voluptatum. A. Hoc nimirum eſt, quod in Tuſculanis conqueritur M. Tullius. Cùm enim dixiſſet philoſophiam mederi animis, inanes ſolicitudines detrahere, cupiditatibus liberare, pellere timores, continuò addit; Sed hæc eius vis non idem poteſt apud omnes: tum valet multum, cũ eſt idoneam complexa naturam. Et interiectis aliquot verſibus. Hæc eadem num cenſes apud eos ipſos valere, niſi admodum paucos, à quibus inuenta, diſputata, conſcripta ſunt? Quotus enim quiſque philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? Qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Audi iam quemadmodum ſua præcepta obſeruent. Videre licet alios, inquit, tanta leuitate & iactatione, vt iis fuerit non didiciſſe melius. Alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos: vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur eſſe turpiſſimum. Hæc omnia in philoſophos Laertianos bene multos quadrauerint. Cæterum vt hæc ita ſint, ſicuti reuera ſunt, nihilominus factorum dictorumque laudabilium, verè philoſophicorum & ſapientiũ magna meſſis in eo libro. E Haud inficior. Nam Socratis, qui princeps à rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis philoſophiam auocauit, & ad vitam communem adduxit, vt de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret, quique philoſophiæ parens audit, viri ſine controuerſia virtutis & ſapientiæ gloria præſtantiſſimi, quàm præclarum, & ad memoriam inſigne illud eſt? *Mirari ſe aiebat, cur hi, qui lapidea ſigna ſculperent, ſumma ope niterentur, vt lapis homini redderetur quàm ſimillimus: ſe ipſos curare negligerent, ne ſimiles lapidibus & viderentur, & eſſent.* A. Hoc in lapidibus poſitũ, transferri poteſt in omnes res

alias, in quibus per varios artifices hominis figura exprimitur, in ære, ferro, plumbo, auro, argento, gemmis, ligno. Quocirca artifices permulti hoc eodem dicto admonentur, vt ne ipſi velint eſſe ſimiles metallis & lignis cælatis, ſculptis, pictis, cùm iis artificio ſuo quodammodo vitam, & præſtantiam humanam impertiri conentur. E. Delectauit etiam me, quod reſpondit Æſchini. Etenim cùm ille dixiſſet, pauper ſum, meipſum tibi do, ſubiecit Socrates. An verò tu non aduertis, quàm magnam rem mihi tradas? Certè magna res ipſe homo, nec vlla in terris maior. Omnia reliqua cum homine comparata vilia & abiecta ſunt: omnia homini parent ac ſeruiunt: eius ſiquidem gratia procreata ſunt, vt ipſe pareat ac ſeruiat vni Deo, cuius cauſa eſt conditus. Eundem cùm inopia premeretur, Socrates admonuit, vti à ſemetipſo vſuras exigeret, ſibi ſubducendo cibum. Perſæpe à nobis ipſis poſſemus auxilium adipiſci: ſed neſcimus quonam modo: ſapientes ſciunt, quos longiſſimo interuallo ſequimur, & ad ſenſus omnia referimus. A. Magiſtrum diſcipulus ſtatim comitetur, Socratem Plato: ille ſublimis apex philoſophorum & columen, quem Cicero quaſi quendam deum philoſophorũ pronunciat, qui cygnæos cantus edit: tenes enim memoria, vt opinor, quid ſomniârit Socrates. E. Ego verò. A. Huic diſplicebat ſomnus immodicus: quo etiam ſcripſit in legibus: dormiens nemo vllius pretii eſt. E. Somno ſeſe irrigantes ac paſcentes vſque in multam diem, ne vigilantes quidem alicuius pretii cenſuerim. A. Veritatem dicebat ſuauiorem auditu omnibus quæ dicerentur. Huius cognitionem Lactantius quoque ſuauiſſimum animi cibum vocauit. Seruo peccâti: iam vapulaſſes, inquit, niſi iratus eſſem. At noſtri ſerui ideo vapulant, quia irati ſumus, etiamſi merito irati non ſimus. E. Et hunc magiſtrum diſcipulus Ariſtoteles excipiat: cui cùm daretur probro, quòd flagitioſo tuliſſet opem, reſpondit: non mores miſeratus ſum, ſed hominem. A. Perquam ſimile, quod cùm ſtipem improbo dediſſet, addidit: non homini dedi, ſed humanitati. Græcè melius: οὐ τῷ ἀνθρώπῳ (φησὶν) ἔδωκα, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ. *Glorianti, quod magnæ vrbis ciuis eſſet: noli ait, hoc attendere: ſed an dignus ſis magna illuſtrique patria, hoc vide. Homines pleroſque ita parcos eſſe, ac ſi ſemper victuri ſint: alios ita prodigos, ac ſi cõtinuò morituri. Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces eſſe. Pulchritudinem plus quàm epiſtolas omnes valere ad commendationem.* In Theophraſto, qui Ariſtoteli fuit, quod ipſe Platoni, & quod Plato Socrati, hæc duo tantum notaui. Illi qui in conuiuio tacebat dixit: ſiquidem imperitus es, prudenter facis: ſi autem peritus, imprudenter. Nos, cùm viuere incipimus, tunc emori. Atque hi tres velut patres atque coryphæi philoſophorum habentur. Nunc tibi ex Ariſtippo quædam. Recreatus ſum legens id, quod gloriantem quendam, quòd multa legiſſet, pulchrè tetigit, ac nos docuit, quomodo in literis cum fructu & honore verſaremur. *Non qui plurimum comedunt, & exercentur, melius valent, quàm qui ſumunt neceſſaria: ita non qui plura, ſed qui vtilia legerint, ſtudioſi numerandi ſunt & eruditi.* E. Papæ, quàm pauci hoc norunt, qui vnam ſtudendi

laudem

Digitized by Google

laudem arbitrantur eſſe multa, ſeu potius multos legere? Tales, quoniam vbique ſunt, nuſquam ſunt. Et cùm in vnoquoq; rerum genere quod optimum eſt, penes paucos inueniatur, illi hoc ipſum in multitudine quærunt: homines eo ipſo otio, quod ſtultiſſimè conterunt, indigniſſimi. Quid noſtra, quæſo, intereſt, quid quiſque ſcribat? Non ideo dico, quod ſolos antiquos admirer, noſtros & ſæculorum proximorum omnes vilipendam: quid enim hoc inſipientius? Sed quod, cùm non omnibus antiquis plurimum, tum recentiorum non ita multis multum tribuendum exiſtimem: nec recuſo, quin quantum de hoc iudicio meo detrahitur, tantum de ingenii mei opinione, ſi qua eſt, detrahatur. A. Dicis idem pæne quod epiſt. quadam Plinius. Sum ex iis qui mirer antiquos: non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effœta natura, vt nihil iam laudabile pariat. His omiſſis, in incœpto pergamus. Habes aliud Ariſtippi? A. Immo. Iactabat ſe quiſpiam de natandi peritia: huic, non erubeſcis de iis gloriari, quæ delphinum ſunt propria? Egregia laus ſcilicet, & homine digna, bene natare. E. Moneor alterius reſponſi: quod cum hoc prorſus conſentit. Gloria ſe efferebat alius, quod multum biberet, nec tamen inebriaretur. Tum Ariſtippus, hoc etiam mulus facit. Recordare Xenocratis: cuius ſine dubio admirabilis conſtantia, qua Phrynæ & Laidi profligatæ pudicitiæ mulieribus reſtitit: quiq; ſua morum integritate ita ſe probauit Athenienſibus, vt ei ſoli iniurato crederent. Huius Xenocratis inquam, illud mihi placebat, quòd cupienti ludum ſuum obire cuidam, qui neq; muſica, neque geometria, neq; aſtronomia, inſtructus erat: abi, inquit, anſis enim philoſophiæ, & adminiculis cares. A. Quàm ille hodie paucos haberet auditores? Quid Arceſilai reſponſum, nónne tibi viſum eſt commodum etiam hac ætate ad retundendos hæreticos? E. Quod? meminiſſe deſii. A. Percontanti cur ex diſcipulis aliis plerique ad ſectam Epicuream tranſirent, ex Epicureis verò nullus ſe ad cæteras conferret: quia ex viris, inquit, quidam Galli fiunt, ex Gallis viri nunquam. E. Appoſitiſſimè, & vrbaniſſimè, & ſapientiſſimè. Iuuenes debent domi parentes in itinere obuios, in ſolitudine ſeipſos reuereri. A. Cuius hoc? E. Demetrii Phalerei: cuius etiam iſtuc. Quantum in bello ferrum, tantum in Repub. valere eloquentiam. Bionis autem: magnum eſſe malum, non poſſe ferre malum. Facilem ad inferos viam: clauſis enim oculis illuc iri. Tantum prudentiam differre à cæteris virtutibus, quantum viſus à cæteris ſenſibus. A. Diogenem Cynicum legens, quoties admiratus ſum? Sunt in ea vita lepida, ſunt item ſeria & grauia, exemplaque tolerantiæ, contemptus rerum humanarum, continentiæ, magnanimitatis permulta. Sed facta omittamus, dicta aliquot recenſeamus, quibus meliores & doctiores euadere poſſimus. E. Vtinam qui tractant literas, hos fines ſibi proponerent. *A. Grammaticos admirabatur, qui Vlyſſis mala requirerent, ſua ignorarent.* Muſicos item, *qui lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Manus ad amicos non complicatis digitis extendendas. Interrogatus vbi in Græcia viros vidiſ-*

ſet bonos? Viros quidem, ait, nuſquam: Lacedæmone vidi pueros. E. Geminum huic, quòd Lacedæmone Athenas reuertens, cùm interrogaretur quò & vnde: à viris, inquit, ad mulieres. A. *Clamabat, heus heus homines. Cùm plurimi conueniſſent, baculo eos abigens, homines, inquit, non purgamenta vocaui. E balneis exiens interrogabatur, num multi homines lauarent, negauit: num turba multa? confeſſus eſt.* E. Præteriiſti quod meo iudicio vel in fronte collocandum erat, & quod me vehementer ad virtutem incitauit cùm legerem. A. Iam præcipió quid ſit illud, & modò eram dicturus: ſed relinquam tibi. E. Quando cætera retuliſti, etiam hoc refer: ita libenter audiam quaſi antea ignorauerim. A. *Cùm illi diceretur, ſenex iam es, quieſce à laboribus. Quid enim, ait, ſi in ſtadio currerem, ad finem oporteret me curſum remittere, & non magis intendere?* E. Dictum verè aureum: nunquam quieſcendum antequam ad terminum peruenias. Id eſt: quamdiu viuas, virtuti danda opera: ac tum etiam aliquantò ſtudioſius, cùm præmium eſt vicinius. A. Quam ob rem? obſecro. E. Quoniam cùm præmii conſideratio & deſiderium ad laborem nos excitârit, quando adhuc diſtabat à nobis longius, nonne magis excitabit, cùm minus diſtabit? vehementius enim appetetur: ob quem appetitum labor dulceſcet amplius: vt iam non ſolùm præmii, ſed etiam laboris ipſius tam ſuauis cauſſa laborare, & quidem contentius laborare delectet. A. Non inſulsè probauiſti quod volebam. De Zenone promamus aliquid. E. Idcirco nobis datas duas aures, linguam vnam, vt plura audiamus, loquamur pauca. Hinc etiam adoleſcenti loquaciori: aures tuæ, inquit, in linguam defluxere. A. De Antiſthene. E. *Neceſſitate vrgente præſtat in coruos quàm in adulatores incidere. Illi mortuos, iſti viuentes deuorant. Vt rubigo ferrũ, ita inuidia conſumit inuidos. Cùm à malis laudaretur, miſer, inquit, metuo ne quid mali cõmiſerim. Quæ diſciplina eſſet magis neceſſaria, rogatus, reſpondit: mala dediſcere.* A. At ego putabam bona diſcere. E. Non fallitur Antiſthenes. Neceſſarium eſt nos bonos eſſe: ſed magis, non eſſe malos. Et poteſt quidem hoc ſine illo fieri: non autem illud ſine hoc. A. Sapienter quoque Anacharſis. Mirari ſe quomodo apud Græcos certarent artifices, & iudicarent, qui artifices non eſſet. E Quàm ſæpe fit iſtud? De carminibus iudicant non poetæ: de orationibus non oratores: de ſtudiis indocti. Quis dicebat ebrios dupliciter puniendos, ſi deliquiſſent, vt cauerent temulentiam? A. Pittacus. E. A quo profectum eſt illud? *quod facere inſtituis, noli prædicare: nam ſi non potueris deinde facere, rideberis.* A. Ab eodem. E. reſponde mihi ex eodem, ſi non exciderunt, ad hæc. *Quid maximè gratum?* A. *Tempus.* E. *Quid maximè obſcurum?* A. *futurorum euentus.* E. *Quid maximè fidele?* A. *terra* E. *Quid maximè infidum?* A. *mare.* Vis tibi par referam? E. Age refer. A. Similes quæſtiones mihi ex Thalete ſoluas. E. Si meminero. A. Non plus deſidero. *Quid eſt antiquiſſimum?* E. *deus.* A. *quid pulcherrimum?* E. *mundus.* A. *Quid maximum?* E. *locus.* A *Quid velociſſimum?* E. Mens. A. *Quid fortiſſimum?* E. *neceſſitas.* A. *Quid ſapientiſſimum?* E. *tempus.* A. *Quid difficillimum?* E. *ſe ipſum noſſe.* A. Adhuc, quid difficillimum?

mum?

Digitized by Google

mum? E. Vidiſſe tyrannum ſenem. A. Ita eſt prorſus: vnde Chilò felicem aiebat tyrannum, cui ſine ſanguine contigiſſet mori. E.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

A. Quid idem Chilo dicebat difficile? A. Arcana reticere, otium bene diſpenſare, iniurias tolerare. A. Tam multa & minuta te memoriter? E. Tu hoc in me, ego idem in te. Magno emam huiuſcemodi ſermones tinctos humanitatis & doctrinæ notis, ſi venales ſint: ac ſemper malim cum libris viuis (quos doctos homines appellitare conſueui) quàm cum mortuis hominibus in libris mutis colloqui. A. Vellem hoc in theatro audiri.

ANNOTATIONES.

GNOMICA) *Licebit hæc etiam philoſophorum apophthegmata appellare, quomodo nos principio dialogi appellauimus. Eſt autem apophthegma ſententioſè & breuiter dictum, ſeu breuis & ſcita ſententia, non ſolùm oratorum, ducum, legatorum, imperatorum, illuſtrinm deniq; virorum, vt ſomniat Eraſmus, ſed cuiuslibet, etiam obſcuri. Apophthegmaticus, qui eſt ingenio prompto ad enuntiandas huiuſcemodi ſententias, ſiue qui gaudet apophthegmatis. Quæ ſi loco & tempore, parcè ac ſobriè in ſermonibus interiiciuntur, aut ſcriptis etiã illigantur, mirificè tenent animos.* CVI NEC CAPVT NEC PEDES) *Nec principium aptum, nec finis. Confuſio & ordinis perturbatio hoc ſermone indicatur: quæ res hiſtoriæ maximè repugnat, in qua debent omnia plana eſſe & dilucida: at vbi nullus ordo, ibi obſcuritas. Sic apud Plaut. Capt cùm Tyndarus Ariſtophontem Hegioni abſurda, perturbata, indiſtincta, non cohærentia, more furentium dicturum affirmare vellet,*

nugas ludificabitur,
Garriet quod neq; pes vnquam, neq; caput compareat.
Ornamenta abſunt: Aiacem, hunc cùm vides, ipſum vides.

INDIGNARVM ERVDITIS HOMINIBVS) *In impuram belluarum intemperantiam ſe abiicere, & auidè haurire eas voluptates, quæ guſtatu & tactione potiſſimùm capiuntur, nec hominis eſt, nedum ſapientis, qui longè liquidioribus & maioribus oblectamentis continenter fruitur, quàm poſſint eſſe hæc corporea, quibus finitimum eſt faſtidium, vt alia cum iis coniuncta incommoda prætermittam. Nec inſcienter Mineruam artium præſidem* ἀμήτορα, *& virginem finxit antiquitas. Gloriatur etiam* M. *Tull. initio* 2. *de* Off. *cùm dominatu vnius omnia tenerentur, neq; eſſet vſquam conſilio, aut auctoritati locus: ſocios deniq; tuendæ Reipub. ſummos viros amiſiſſet, nec ſe dediſſe angoribus, quibus eſſet confectus, niſi his reſtitiſſet, nec indignis homine docto voluptatibus.* QVID SOMNIAVERIT SOCRATES) *Fouere ſe gremio cygnum pullum, qui paulatim plumeſcens ſublimè euolaret, cantuſq; dulciſſimos ederet. Cùm poſtridie Ariſto puerum Platonem adduceret, eumq; Socrati in diſciplinam traderet, dixit diſcipulus Socrates:*

Digitized by Google

hunc ipſum fore cygnum illum, de quo ſomnium ſibi fuiſſet oblatum. Laert. in Plat. & Pauſan. in Atticis, SVAVIOREM AVDITV OMNIBVS) *Niſi cùm noſtra nobis vitia demonſtrantur & obiiciuntur, tum profectò veritate ad audiendum nihil odioſius: verba omnia ſunt lapides, & cerebrum nobis excutiunt.* SI AVTEM PERITVS, IMPRVDENTER) *Silentium ſuum in conuiuio ita excuſabat Iſocrates. De quibus ego loqui poſſim illi neſciunt: quæ illi ſciunt, ego neſcio. Et cur detur crimini, aſſiduo in literis occupato, ſi de rebus nouis, quæ ex Hiſpania, Gallia, India & terrarum angulis afferuntur, ipſe loqui neſciat? Nec certè alienus eſt ab hilaritate conuiuiorum etiam eruditus ſermo, ſicut alias docuimus.* QVANTVM VISVS A CÆTERIS SENSIBVS) *Quomodo & cur prudentia inter quatuor virtutes quæ cardinales vſurpantur, primo loco conſtituatur, ſecundo fortitudo, tertio temperantia, quarto iuſtitia, eruditè oſtendit Philo li. 1. Allegoriarum legis. In quo etiam hoc: ſicut metallorum optimum & probatiſſimum eſt aurum: ita inter animæ virtutes prudentia habetur probatiſſima.* EX THALETE) *Thales primus vocatus eſt ſapiens, primus animos immortales aſſeruit, primus aſtrologiæ ſecreta rimatus eſt. Laërt. Huiuſmodi autem quæſtiones non paucas adducit Plutarchus in conuiuio.*

PROGYMNASMA
NONVM ET SEXAGESIMVM.
Quatuor philoſophorum familiæ.

QVoties philoſophiam omnium laudandarum artium parentem & procreatricem, rerumque humanarum atq; cæleſtium explicatricem & magiſtram ante oculos mihi propono, eius per omnes huius vniuerſitatis partes, per ſupera, media, infima, per vitam priuatorum, per domos, ciuitates, imperia commeantis immenſam claritatem diuinamq; ſolertiã conſidero, toties optimo iure lætandum illis exiſtimo, quibus cõceſſum eſt, eam quaſi domum deducere, eius caſtiſſimis amplexibus foueri, ſapientiſſimis ſuauiſſimiſq; collocutionibus deliniri. Hanc deorum inuentum nominat Cicero: & ea nullum maius donum ab iiſdem datum eſſe hominibus, neq; datum iri Plato ſcripſit. Barbari eam ſtudioſè coluerunt quidem, apud Perſas Magi, Babylonios Chaldæi, Ægyptios ſacerdotes, ac Prophetæ, Gallos Druidæ, Indos Gymnoſophiſtæ: ſed vix quandam ex ea particulam deguſtarunt, & in eiuſdem penetralia magis introſpexerunt, quàm introiuerunt. Pauca omnino philoſophiæ myſteria cognouerunt, & hæc ipſa multis turbulentis, pernicioſis corrupta & inquinata erroribus ad poſteritatem propagauerunt. Græcorum natio ingenio, ſtudio, & otio abundans, eius ſe compotem fecit, eam in gymnaſiis collocauit, ſuiſq; diſputationibus & libris, quibus bibliothecæ completæ ſunt, ita illuſtrauit, vt non alij quondam quam Græci ſapientes numerarentur. Cæterùm

Digitized by Google

verùm vbi ex diſſenſionibus & controuerſiis, ex dogmatum ſententiarumq́; varietatibus ſectæ paulatim & familiæ complures proſeminatæ ſunt, & alij hunc, alij alium ducem ac præceptorem ſequendum audiendumq́; putauerũt, nec tamen omnes verum, quod ſimplex & vnum eſt, indagando comprehendere potuerunt, non mediocriter imminui philoſophiæ exiſtimatio, & obſcurari claritas cœpta eſt: cùm magiſtra fieret inſipientiæ, à qua ſola petebatur cognitio veritatis. Atq; vt reliquas familias, ſiue illæ ab vrbibus, vt Megarenſium, Cyrenaicorum: ſiue à turpitudine & maledicentia, vt Cynicorum: ſiue à doctrina quam tradebant, vt Phyſicorum, Ethnicorum: ſiue aliunde nomen obtinuerunt miſſas faciamus in præſentia: quatuor inſigniores omni ætate ſunt habitæ, Epicureorum, Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum. In quarum mentionem cùm nuperrime Fuluius noſter, ad quem viſendum veneramus, incidiſſet, expoſuit nobis perutilem & eruditam ſcholam Mutiani de optimo genere philoſophandi; quam habuiſſet ille rogatus à ſe & Caleno patruele ſuo, qui cum Fuluio aduenerat, & intima ſe cum Mutiano familiaritate deuinxerat. Eius diſputationis capita, nobilioresq́; ſententias memoria cuſtodiui, quas hoc loco ita reddam, vt ipſos loquentes inducam, ac proinde velut à præſentibus ſermo miſceatur. Veniunt ergo adoleſcentes duo ad Mutianum vt dixi, hominem in philoſophia perfectum, ipſi ardenti quodam ſtudio ad philoſophandum concitati De valetudine, deq́; omni vita ſtatu, vt amicis eſt in more, percunctantur: ab eo in bibliothecam adducuntur: cùm aliarum artium, tum philoſophici libri græci latiniq́; permulti oſtenduntur: conſidetur, incipit Fuluius.

FVLVIVS, MVTIANVS, CALENVS.

FVLVIVS. Etiamſi me clam eſſet, Mutiane, te quanquam ſenio feſſum, philoſophiæ quàm deditiſſimum eſſe, tua tamen philoſophica iſta adeò electa & diues ſupellex dubitationem mihi omnem eximeret. Solent quippe, quibus bellum cordi eſt, armis ſeſe quamuis multis inſtructos oſtendere: & qui agricultura delectantur, ruſtica inſtrumenta conquirere: & alii in artibus ſuis ſimiliter. Sic inter literatos, qui ad poetica, aut oratoria adiunxerunt animos: qui iuriſprudentiam, qui medicinam, qui mathematicas diſciplinas vehementius concupiêrunt, eius generis librorum multitudinem commercantur. Proinde tu quoque vt philoſophiæ cupidiſſimus, Ariſtoteles, Platones, Alexandros, Auerroas, & mille præterea cùm veteres tum recentes tibi parauiſti, quos helluareris. M. Cur fatear inuitus, mi Fului, quod non ſolùm nulli ignominiæ, ſed etiam magnæ gloriæ mihi futurum ſi dubitem, homo non ſim? Quid enim philoſophia, hoc eſt, ſtudio ſapientiæ præſtantius? aut qua demum ſcientia mortales ad Deum propius accedimus? in quo ipſo nihil vtiq; eſt ſapientia maius atq; diuinius. C. Quia tu plurimum temporis in ambulandis iſtis philoſophicis itineribus cõſumpſiſti, & proceſſus maximos omnium qui quidem hæc tractarũt aſſenſu effeciſti, vtrumq; noſtrum (vt pro Fuluio etiã pollicear) nouo tibi vinculo aſtringes, ſi, quoniam incenſa ad philoſophandum cupiditate rapi-

Digitized by Google

mur, & adhuc hæremus in ipſo limine, docere non grauaberis, quam philoſophiæ rationem ex quatuor illis notiſſimis, Epicureorum nimirum, Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum inprimis amplectare, & nobis excolendam arbitrere. M. Ego verò, Calene, quoniam ita vultis, & me rogatis, non tergiuerſabor, & quid ſentiam breuius tamen quàm res patitur, ſed aptè, & ad id quod requiritis, latè ſatis exponam. F. Nihil hoc neq; gratius nobis fore ſtatuito, neque vtilius. M. Quia philoſophia in duas eſt diſtributa partes, quarum vna de vita & moribus, ſeu de bonis rebus & malis, de expetendis fugiendiſque præcipit: altera in obſcuritate naturæ, & rerum occultarum contemplatione potiſſimùm occupatur, commemorabo quæ cùm hîc, tum illic ſingulorum præcipua dogmata, quæ philoſophandi diſciplina fuerit: vnde vos, etiam non moniti, quorum inſtituta præcellant animaduertetis. C. Iſte abs te conceptus atq; propoſitus ordo arridet.

EPICVREI.

M. Epicurei doctis deſpicatui, & exploſi ſemper fuerunt: quo vno ſatis indicatur, eorum decreta neque præclarum quidquam habere, neque ſanum. Diſcipuli & ſectatores doctorem ſuum tantopere venerati ſunt, tantumque ſuſpexerunt, vt eius effigiem non in tabulis duntaxat, ſed in poculis quoque, & annulis exprimendam locarent: & illum vidiſſe verum, animos hominum erroribus grauiſſimis liberauiſſe, quæque ad beatæ vitæ inſtitutionem pertinerent omnia tradidiſſe, impudenter affirmarent. Eius natalem in annos ſingulos, atque in ſingulos menſes viceſimum diem, quod teſtamento ipſe iuſſerat, celebrabant: contemptiſque cæteris, hunc tanquam Deum prædicare non *ceſſabant*: nempe vt architectum felicitatis, inuentorē q; veritatis æternitate donarent immortalium teſtificatione titulorum. Lucretius quidem in exorſu libri tertii verſibus ornatiſſimis atq; optimis, quanquā re ipſa ſtultis, quos, vt Lactantius, nunquam ſine riſu legere poſſum. Non n. (inquit idem Lactantius) de Socrate & Platone hoc ſaltem dixit, qui velut reges habētur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit. Itaq; poeta inaniſſimus leonis laudibus murem nō ornauit, ſed obruit & obtriuit. Tanta fuit Epicurei iſtius, tamq; inſolens arrogantia, vt cùm magno eſſet in timore, ne quid ab aliis didiciſſe putaretur, omnes philoſophos maledictis & contumeliis oneraret, & in ſcriptis ſuis à nemine ſe diſciplinā accepiſſe gloriaretur. Bene hunc Cleomedes talpa cæciorem appellans, cum Therſite Homerico, homine deterrimo, turpiſſimo, audaciſſimo, loquaciſſimo, ſuperbiſſimo comparat: & quod ille ſe cū Pythagora, Heraclito, Socrate numeret, principemq; inter eos locum poſtulet, non aliud facere ait, quàm ſi ſacrilegi inter Sacerdotes ſacrorūq; principes locum ſibi vendicare conentur. F. Quæſo, antequam demonſtres qualis in philoſophia de natura & moribus Epicurus cum ſuo grege fuerit, doce, cur dialecticam philoſophiæ tertiam partem non conſtituas (nam in propoſitione tua illius haud meminiſti) & quantum in dialecti-

Digitized by Google

cis,orationiſq; facultate eidem monſtro tribuere debeamus. M. Scio Stoicos,Platonicos,& Ciceronem non vno tantùm in loco tripartitam philoſophiam conſtituiſſe: verùm nunc communi opinione inhærere malo.Et nihilominus,quia dialectica ſinguli vſi ſunt, præter Epicureos, dicam etiam poſterius de hac. Etenim Epicurus, cùm philoſophiam trifariam partitus eſſet, in Canonicam, Phyſicam,Ethicam, Dialecticam repudiauit Suſtulit definitiones, nihil de diuidendo ac partiendo præſcripſit:non quomodo efficeretur concludereturque ratio; non qua via captioſa ſoluerentur,ambigua diſtinguerentur tradidit. Orationis cultum & ornamenta neglexit, & ad perſuadendum ſufficere dixit, perſpicuè loqui.Quare libros illorum qui eius ſectam ſectabantur, niſi ipſi inter ſe,nullos legebat. Nulla enim arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis vulgari ſermone diſputabant: nihil definiebant, nihil partiebantur,nihil apta interrogatione concludebant.C. Satis noſcimus indoctos & rudes fuiſſe earum artium,quas qui tenent, eruditi appellantur. Iam quantus Phyſicus fuerit iſte Neoclis filius audire ſtudemus. M. Rerum iudicia ponebat in ſenſibus, quos nunquam falli contendebat Si quid erroris obiiceretur in videndo,audiendo,guſtando, &c.eum errorem ex opinione,non ex ſenſibus exiſtere. Si ſemel in vita mentitus ſit ſenſus, nulli vnquam fidem habendam: ſublatum eſſe veri falſique iudicium.Solem lunam & ſtellas ea eſſe magnitudine, qua conſpicerentur à nobis,aut non multò vel maiore,vel minore. Totam naturam rerum duobus conſtare corporibus, & inani, eoq; immenſo & infinito, in quo nec ſummum,nec medium, nec infimum ſit: quod nec natum, nec interiturum ſit.In hoc inani ſeu vacuo corpuſcula quædam indiuidua,(atomi Græcis)huc & illuc ferri, fortuitiſque concurſionibus inter ſe cohæreſcentia omnia efficere Mundos innumerabiles in hoc infinito ex atomis temerè oriri quotidie ac interire, ſiue ſimiles ſint mundi, ſiue non ſint.Hoc loco Arnobii prudens reprehenſio commodùm occurrit. Qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt, ſed fruſtis quibuſdam temerè cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos mihi habere non videntur. Cuiuſuis corporis minimas eſſe partes aſſerit, nempe eiuſmodi, quibus nullæ queant eſſe minores: ad quas cùm deuentum ſit diuiſioni locus amplius non ſit. Peripatetici omne corpus in partes infinitas ſecari poſſe volunt, neque vllas adeò paruas eſſe, vt non poſſint minores fieri. C. Placet ergo his, ſi recte interpretamur, infinitum nihil eſſe re, & vſu ſeu functione, & vt vulgò loquuntur, actu, ſed τῇ δυνάμει, poteſtate. M. Rectè intelligis. F. Quoniam atomorum paulò ante meminiſti,quo Epicuream opinionem melius percipiamus, enoda nobis iſtam vocem. Credunt enim plerique ab Epicuro &philoſophis atomos nominari ramenta ſeu puluiſculos illos,quos in radiis ſolis videmus volitare,quaſi ex tali materia res omnes coagmentatæ conſiſterent. M. Abſurde. Intelligi debent certa quædam corpuſcula, quæ ſub aſpectum non cadunt,ſimplicia, indiuidua ſeu inſecabilia, ex quibus omnis re-

rum

rum natura componatur, & in quæ reſoluatur. Hac ratione, vt è rerum ex atomis iam compoſitarum ſummo corpore, ſeu extremitate, aut ſuperficie quaſi detergeantur ac defluant, poſteaque in inani paſſim moueantur ac volitent, tandemque aſſiduo motu adhæſiones conſequantur, atque ita rurſum corpora resque aliæ procreentur, qualia cæteri dicunt eſſe ignem, aerem, terram, aquam. Cicero ea deſcribens, ait eſſe corpora indiuidua, corpuſcula leuia, alia aſpera, alia rotunda, alia hamata, vncinata, partim angulata, curuata quædam, & quaſi adunca. Lucretius nunc corpuſcula, nunc elementa, nunc principia, nunc corpora prima, nunc ſemina rerum, nunc corpora cæca vocat. C. De animorum immortalitate quid ſentiunt? Num eos manere poſt mortem, an morte ipſa interire? M. Interire, Calene, delerique funditus: ac proinde mortem nihil ad nos pertinere, quod ſine ſenſu ſit id, quod diſſoluitur. Scripſit quidem de natura Epicurus libros ſeptem & triginta, ſed tamen in phyſicis totus plumbeus eſt, totus alienus, pleraque omnia auertit à Democrito, quædam adiiciens, quædam mutans, & ea ipſa mutãdo deprauans. F. De diis piè philoſophatus eſt forſitan? M. Piè? impiè, & vt nihil poſſit obtuſius, atque inſcitius. Eſſe quidem eos (ſiquidem in omnium animis eorum notionem ab ipſa natura impreſſam videbat, quam ſine doctrina anticipationem, ſeu anteceptam animo rei quandam informationem πρόληψιν primus nominauit) & propter præſtantem excellentemque naturam ab hominibus venerandos. Sed nec bene meritis capi, nec gratia flecti, nec iraſci, nec res mortalium reſpicere, prouidentiamque planè nullam eſſe. Quam ſententiam impiam Lucretius lib. I. carminibus ſuis incluſit. C. Quæſo vberius ex Cicerone de iſtis, quas Græci προλήψεις nominant. M. Obſeruaui dictas ab eodem inchoatas intelligentias, quæ in animis imprimuntur, ſine quibus nec intelligi quidquam, nec ſciri poteſt. Ipſum autem hominem, inquit 1. de leg. eadem natura non ſolùm celeritate mentis ornauit, ſed etiam ſenſus, tanquam ſatellites attribuit: & rerum plurimarum obſcuras, nec ſatis apertas intelligentias inchoauit, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ. In Topicis, quam Græci ἔννοιαν & πρόληψιν, ipſe notionem vocans, ait eſſe inſitam, & antè perceptam cuiuſque formæ cognitionem, enodationis indigentem. Ex quo patet quid ſibi velit quod eodem libro ait, definitionem adhiberi, quæ quaſi inuolutum euoluit id, de quo quæritur. Et 3. Off. Explica atque excute intelligentiam tuam, vt videas, quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio boni viri. Rurſum. Si quis voluerit animi ſui complicatam notionem euoluere. Vocantur item communes, & adumbratæ intelligentiæ. C. Satis de hoc. Ad propoſitum reuertamur. F. Non vidit ergò illa bellua, quod nemo ſapiens ignorauit? Quis enim non credidit, dominos ac moderatores mundi eſſe deos? Omnia quæ gererentur, eorum iudicio ac numine geri? eorum benignitatem hominum generi conſulere: eos qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones colat intueri, piorumq; & impiorum habere rationem? Itáne eſt? in deorum opinione ille tam turpiter lapſus

pſus eſt ? Quæ huius cauſa tam ſtolidæ ſapientiæ ? M. Animaduertebat ille bonorum vitam rebus aduerſis atque incommodis, vt paupertati, laboribus, fortunarum amiſſioni, exiliis plerumque propoſitam eſſe: contra improbos clareſcere honoribus, potentiam adipiſci, impunè flagitia conſciſcere, mortem inexorabilem, ſine diſcrimine in quemuis ruere, & alios lucis vſuram reddere infantes, alios ſenes, alios in media ætate emori. In bello æquè nauum vt ignauum letho dari, homines religioſos, & diis colendis inprimis addictos intolerabilioribus malis obſideri, & obrui, quàm eorundem contemptores & ſacrilegos, qui etiam ſæpe felices & beati viuerent. Cùm hæc & ſimilia perpenderet Epicurus, velut rei indignitate, & iniquitate commotus, prouidentiam è medio ſuſtulit, & pro ſuo hoc decreto pertinaciter propugnauit. In tractatione autem morali ita ſe geſſit, vt virtutem omnem profligauerit. Vltimum enim bonum in voluptate duxit, ſummum malum in dolore. Potéſtne talis eſſe fortis? potéſtne temperans? omnia metiri voluptate & dolore: ad hæc duo referre quæ fugiamus, quæque ſequamur, & nihil inter illa intercedere, quam habet rationem? C. Quid ſi ille in honeſta, ingenua, animorum denique voluptate boni ſummam poſuit? M. Garriebant quidem diſcipuli ita magiſtrum ſenſiſſe, vt ne erubeſcerent. Verùm ille de impura voluptate corporis ac ſenſuum eſt locutus. Sic enim ait. Nec equidem habeo quòd intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur: detrahens eas etiam, quæ auditu & cantibus: detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiũtur oculis ſuaues motiones. Et alibi teſtatur ſe præter illud bonum, quod cibo aut potione, & aurium delectatione, & obſcœna voluptate capiatur, nullum aliud intelligere. F. O bestiæ vocem, non hominis: trans mundi fines cum iſtis philoſophis: immo cum iſtis magis & veneficis. De Academicis proximum eſt caput.

ACADEMICI.

M. A loco hoc illis nomen factum conſtat. Nam Ecademia nemus erat Athenis in ſuburbano, in quo Ecademus heros ſcholam ædificârat. Horatius ad Florum.

Scilicet vt poſſem curuo dinoſcere rectum,
Atq; inter ſyluas Ecademi quærere verum.

Poſtea mutatione primæ literæ Academia appellata eſt: ex qua velut officina innumeri oratores, poetæ, philoſophi prodierunt: eoque nomine Principum ſumptibus publicè ædificatæ ſcholæ vſque hodie ſignantur. Fuit ſecta Academicorum duplex, veterum & nouorum. Laertius antiquam, médiam, & nouam nominat: & veteris quidem principem Platonem, mediæ Arceſilaum, nouæ Lacydem. Sextus Empiricius Plutarchi ſororis filius, ſcriptor acutiſſimus, lib. 1. Pyrrhoniarum Hypotypoſeωn quinque Academicorum genera numerat, omneſque à Scepticorum placitis aliena ſentire docet. Age verò, repudiatis reliquis, de veteribus ac nouis, quoniam ea diuiſio vulgatior ac notior eſt, diſputemus.

Digitized by Google

temus. De antiquioribus igitur ita accepimus, eos cum veteribus Peripateticis rebus congruentes, verbis nonnihil diſcrepuiſſe. Reliquerat Plato diſcipulos duos, ſtudio & doctrina inclytos, Xenocratem & Ariſtotelem. Qui cum hoc erant, iis ab euentu Peripateticos nominari cõtigit: quia inambulantes in Lyceo diſputarent: qui Platonis inſtituto in Academia cœtus & ſermones habebant (quorum duces Speuſippus & Xenocrates) eos ex loci vocabulo nuncuparunt. Vtriuſque ſectæ eadem rerum bonarum malarumque diſtributio. Ac ciuilem quidem ſcientiam grauiſſimè, copioſiſſimeq; pertractarunt: vnde πολιτικοὶ à Græcis. De iuſtitia, fortitudine, amicitia, temperantia, de gerenda Repub. multa diuinitùs literis commendarunt. In his Academicis & Peripateticis veteribus numerantur à Cicerone Plato, Ariſtoteles, Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor: de quibus coniunctim ſic prædicat idem in 5. de finibus. *Ex eorum enim ſcriptis & inſtitutis omnis doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis ſermo elegans ſumi poteſt: tum varietas eſt tanta artium, vt nemo ſine eo inſtrumento ad rem vllam illuſtriorem ſatis ornatus poſſit accedere. Ab his oratores, ab his Imperatores ac Rerumpublicarũ principes extiterũt. Vt ad minora veniã, mathematici, poetæ, muſici, medici deniq; ex hac, tanquam ex omnium artium officina, profecti ſunt.* Deinceps ad nouam Academiam tranſeamus, in qua Euander, Lacydes, Hegeſias, Carneades, & Clitomachus, atq; ipſe etiam Arceſilas ſiue Arceſilaus floruerunt. Horum fuit ἀκαταληψία: negabant enim quidquam ſciri comprehendique: vſque adeò, vt negarent quenquam intelligentia poſſe conſequi, ſolem eſſe. Carneades ne illud quidem, quod eſt omnium euidentiſſimum, concedebat eſſe credendum: magnitudine vni cuipiam æqualia, etiam inter ſe eſſe æqualia. Hinc de omni quæſtione propoſita in vtramq; partem argumentis pugnabant, diſcipuliſq; permittebant, vtrum vellent eligere. Aduerſabantur omnibus, & communes opiniones aliqua ratione oppugnantes, in aliorũ decreta inuadebant, ac ruinas edebant, aſſenſum in omni re cohibebant, quod ἐπέχειν dicebant. Sed planiſſimè more horum philoſophorũ explicat in 2. off. M. Tullius hiſce verbis. *Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, ſatiſne conſtanter facere videamur, qui cùm percipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officij perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat vnquam quod ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mẽs, vel quæ vita potius, non modò diſputandi, ſed etiam viuendi ratione ſublata? Nos autem, vt cæteri, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, contrà, alia improbabilia eſſe dicimus. Quid eſt igitur quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi: quæ contrà, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimum: Contra autem omnia diſputantur à noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſet, niſi ex vtraque parte cauſarum eſſet facta contentio.* C. Nec diſertius, nec planius rationem huius ſectæ explicare potuiſſet. Dixit hac de re breuiter etiã 1. de nat. deor.

non

non longè ab initio. Non enim ſumus ii, qui omnibus veris falſa quædam adiuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, vt in iis nulla inſit certa iudicandi, & aſſentiendi nota. M Horum itaque ſeu in phyſicis, ſeu in moribus ſolemne & vnicum pæne placitum fuit, nihil poſſe percipi. Quod ita ipſis arriſit, vt vltimum bonorum, & ſummum ſapientis munus eſſe dicerent, obſiſtere viſis, & aſſenſiones firmè ſuſtinere. Qui vniuerſam philoſophiam videntur ſuſtuliſſe. Quos cùm alii, tum Firmianus lib. 2. diuinarum inſtit. & Auguſt. libris tribus eruditè confutàrunt. Ad eos plenius cognoſcendos libros Academ. quæſt. Ciceronis legite. F. Non valde ſtudemus eos cognoſcere, qui nos nihil ſcire doceāt. Stoici in philoſophia nomen habent illuſtriſſimum, & in dialecticis quoque commendantur vehementer.

STOICI.

M. Hi à principe & parente ſuo primùm Zenonii, poſtmodum à porticu in qua docebat Zeno, Stoici cognominati ſunt. Is apud Athenienſes tanto erat in nomine, vt vrbis claues apud eum deponerent, corona aurea, & ſtatua ærea donarent. Ergô hi, Stoici inquam, philoſophum tribus partibus definierunt, diſſerendi ratione, naturæ ſcientia, vita & moribus, cum animali eam conferentes, Oſſibus ac neruis ſimilem aiebant eſſe Logicen, carnibus Ethicen, animæ phyſicen. Cæterùm cùm Logica bifariam ſecetur, in inuentionem ac iudicium, quàrum illa ab Ariſtotele τοπικὴ, hæc ἀναλυτικὴ, ab aliis κριτικὴ dicitur, dimiſſa priore, in poſteriore ſolum elaborauerunt, omnesq; vias & modos explicandorum argumentorum ſolertiſſimè tradiderunt, quam dialecticen nominârunt, quod deinde totius artis nomen vt fieret, conſuetudo fecit. Itaq; in 2. dial. ad Q. F. Cicero, in hac arte, inquit, nullũ eſt præceptũ quomodo verum inueniatur, ſed tantùm eſt, quomodo iudicetur. Et rurſum 4. de finibus. Cumq; duæ ſint artes, quibus perfectè ratio & oratio cõpleatur, vna inueniendi, altera diſſerendi: hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregiè tradiderunt, hi ne attigerunt quidẽ. Nã è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerentur, veſtri (Catonem Stoicum alloquitur) ne ſuſpicati quidem ſunt: ſuperiores (Peripatetici) artificio & via tradiderunt. Idem in Topicis affirmat. Verùm dialectica iſtorum, vt nimis contentioſa & ſophiſtica, non vſquequaque probabatur. Præterea genus ſermonis afferebant non liquidum, non fuſum ac profluens: ſed exile, aridum, conciſum, minutum, ſpinoſum, contortulis quibuſdam concluſiunculis, & interrogatiunculis, velut laqueis, aduerſarium irretientes. In Phyſicis haud multum elaborabant. Deos (& quidem vt oportuit) mundum adminiſtrare, ac rebus humanis conſulere ſtatuerunt. Mundum eſſe animal, ratione regi, & ſapientem: alioqui ex ſe non poſſe animantem rationis compotem procreare. Omnia conſtare ex quatuor elementis. Extra mundum immenſum quoddam patere vacuum. Diu ſuperfuturos animos poſtquam è corpore exceſſerunt, non ſemper. Ethica horum philoſophia horrida eſt, humanæque naturæ into-

Digitized by Google

intolerabilis. Ἀπάθειαν ſeu affectuum vacuitatem introducunt: quæ ſi vlla eſt, hominum ſanctiſſimorum, deoque ſimillimorum eſt. Solos ſapientes aſſerunt eſſe: ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi egentiſſimi, diuites: ſi ſeruiant, reges: contra, omnes qui ſapientes non ſunt, deformes, egentes, exules, miſeros & inſanos. Omnia peccata æqualia: vt ſi gallum gallinaceum occidere peccatum ſit, non maius ſit, aut minus, quàm patrem interficere. Nullam virtutem alia maiorem eſſe. Sapientem nihil opinari. Solum bonum honeſtum: ſolum honeſtum bonum: ſolum turpe malum Cætera indifferentia, & ex his alia προηγμένα producta, promota, præpoſita ſeu pręcipua, quæ habent aliquid cur expetantur, vt eſt ſanitas, vt ſunt diuitiæ: alia ἀποπροηγμένα reiecta, remota, vt eſt paupertas, morbus & ſimilia. Quo loco non tam re, quàm verbo à Peripateticis diſſentiunt. Iſti enim hæc bona, illi aliis nominibus idem declarantibus vocauerunt. Docuerunt iidem humanas carnes, non alienorum modo, verum etiam propinquorum atq; parentum comedendas. Sex. Empiricus lib. 6. contra Mathematicos, & lib. 3. Pyrrhoniarum hypotypoſ. nonnulla obſcœniſſima eorundem dogmata recenſet: quæ quò minus producam, pudore prohibeor. Sectam hanc explorabitis abſolutius, ſi libros M. Tullii in manus ſumpſeritis, ſtoica doctrina & ſententiis refertiſſimos. Legite præſertim de officiis, de finibus tertium & quartum, Tuſculanas, de nat. deor. paradoxa. Voluite etiam commentarium, qui Plutarcho tribuitur de placitis philoſophorum, & de Stoicis contrarietatibus. Laertii Zenonem & Chryſippum, & ſeueriſſimum illum Senecam. F. Cur ipſum Plutarchum omittis? M. Non perinde durus & auſterus ille, *& tamen* Stoicus. C. Adhuc nullos deſcripſiſti philoſophos, ſub quorum *ſignis militare* cuperemus. Niſi Peripateticam diſciplinam nobis *dilaudaueris*, recurremus è ſtadio, in quo currere iam cœperamus. M. Aut hoc philoſophiæ genus amplectendum, aut nullum.

PERIPATETICI.

F. Vnde Peripateticorum nomen? M. Ab inambulando, vt antea diximus. C. Quare? M. Ariſtoteles huius familiæ conditor & princeps in Lyceo philoſophiam, & reliquas leuiorem artium diſciplinas inambulans diſcipulis ſuis tradere ſolitus eſt. Quam illi conſuetudinem à magiſtro acceptam retinuerunt. Cenſent quidam id prius feciſſe Platonem: illud ambiguum non habetur, Ariſtotelem Peripateticorum ducem ac principem iam inde ab initio ſemper eſſe iudicatum. Horum philoſophia ſola tam graui nomine digna mihi videtur. Epicurei diu eſt quòd exſibilati, memoria propemodum ceſſerunt. Academici nouam docent ignorantiam. Stoici in moribus docendis potiſſimùm enituerunt: eniteſcere quidem certè voluerunt: reliquas partes imperfectas ac mutilas reliquerunt. Et exigunt à nobis ea quæ finguntur, & optantur, non quæ aut cernuntur in vita, aut fieri poſſunt. Præcepta illorum immitia, immania, rigida, ferrea. Opiniones & ſententiæ nulli niſi ipſis probabiles: immò aliis falſæ, ipſis certiſſimæ. Peripatetici

diſcuſ-

Digitized by Google

diſcuſſis inſcitiæ tenebris, humano generi clariſſimum lumen veritatis intulerunt. Nam cùm tota propemodum philoſophia fabularum integumentis ab antiquis eſſet occultata, & tanquam ab aſpectu imperitæ multitudinis remota (ſcilicet ne res admirabiles temerè in vulgus enuntiarentur, & à quouis perceptæ paulatim contemnerentur hi ſpretis eiuſmodi inuolucris, operoſiſque figmentis, rem ipſam ſimplici oratione verbiſque propriis præclarè nobis pandere inſtituerunt, ac ſine fabulis vniuerſæ naturæ rationem, viuendique diſciplinam elegantiſſimis explicatam literis propoſuerunt. Caret ergo figmentis fabularum Ariſtoteles, cum ſatis fabuloſus ſit adhuc magiſter eius Plato. Quo pacto Peripateticos collaudarit Tullius, ſuprà audiſtis. Hos eoſdem oratori adeundos ac ſequendos, in 3. ad Q. F. L. Craſſus præcepit. Eius philoſophiæ forma, vt propius ad rem accedamus, triplex eſt (placet enim imitari Stoicos, & propter præſtantiam Peripateticæ huius ſectæ declarandam, logicam in philoſophiæ partibus tertiam numerare, quamuis ipſimet partem eſſe nolint, ſed ὄργανον ſeu inſtrumentum, & quaſi manum philoſophiæ, quam in agentem, & cōtemplantem diſtribuerunt.) Vna diſſerendi leges complectitur, quæ ab ipſis primùm Logicæ nomen tulit: altera naturæ arcana ſcrutatur: tertia actiones atque mores conformat. Prima rurſus in inuentionem & iudicium diuiditur. Ariſtoteles vtriuſque princeps fuit, & vtramque copioſiſſimè ac ſubtiliſſimè libris non paucis eſt perſecutus. Inuentionem ſeu τοπικὴν 8. libris Topicorum, vno categoriarum, vno de interpretatione. κριτικὴν duobus de ſyllogiſmo, totidem de demonſtratione, in 2. ad Q. F. & 4. de finibus idem confirmatur. In 5. autem ſcriptum eſt ita. Ab Ariſtoteleque principe de ſingulis rebus in vtramque partem dicendi exercitatio eſt inſtituta, vt non contra omnia ſemper, ſicut Arceſilaus, diceret, & tamen vt in omnibus rebus quidquid ex vtraq; parte dici poſſet, expromeret. Atque vtinam Ariſtotelis de dialecticis rebus volumina, quæ Laertius adeò multa recenſet, ab iniuria temporum vindicata non periiſſent: proculdubio illam veri falſique diſceptatricem ac iudicem inſigniter deſcriptam haberemus. Qua verò diligentia Peripatetici noſtri præſtiterint in natura cognoſcenda, labor eſt effari. Cœlum, maria, terras cum animis peragraſſent, abditiſſimaſque rerum cauſſas inueſtigaſſent, nihilque prætermiſiſſent, quod non, quantum hominibus fas eſt, perſpexiſſent ac penetraſſent, omnia ſplendidiſſimis ingeniorum ſuorum luminibus illuſtrata cum humano genere communicauerunt. Nolo hîc multam operam ſumere, vt eos cum cæteris per capita contendam: illud generatim à me dictum eſto, Democriticos (qui phyſicorum cognomentum immeritiſſimo obtinuerunt) inanitatem & atomos illas, mundoſque infinitos ſtatuentes: alios de rerum primordiis, de loco, de animorum noſtrorum natura & poteſtate abſurdiſſimè philoſophantes, nihil præter ſomnia mera venditaſſe, ac deliramenta effutiuiſſe. Quàm multa Ariſtoteles de animantium ortu, victu, figura? quam præclara Theophraſtus de ſtirpibus, atque iis rebus, quæ è terra gignuntur? quarum illi antiqui ſuis diſputationibus ſcriptiſque nihil ferme attinge-

 bant,

bant, aut ſummis, vt aiunt, digitis. Cumque de rebus tam variis, & à communi popularis intelligentiæ modulo ſemotis diuinitùs loquerentur, plurima non probabili modò argumentatione, verùm etiam neceſſaria mathematicorum ratione concluſerunt. Quid ego de illa tertia parte memorem? aut quos tandem hic cum illis componam? nullos profectò, nullos. Etenim cùm huius partis triplex forma ſit, quarum prima ad priuatam vitam: altera ad rei familiaris ac domeſticæ adminiſtrationem: tertia ad gerendam Rempub. refertur, omnium harum præcepta erudi tiſſimè ab illis, luculentiſſimè, ornatiſſimè, conſcripta extant. Hi 3. bonorum genera conſtituerunt, eaque ad perficiendam beatitudinem, fruſtra Stoicis obluctantibus, neceſſaria eſſe demonſtrarunt. Iidem perturbationum mediocritatem ponentes, easque vtiliter à natura inditas conſtanter pronuntiantes, de ſingulis prope acutè ſapienterque ſcripſerunt. Diſputauerunt illi grauiſſimè de honeſtis ac turpibus, de commodis & incommodis, de iucundis & moleſtis. Docuerunt quid rei familiari conduceret, quid non conduceret: qua ratione diuitiæ pararentur: quomodo rectè gubernarentur domus, familia bene inſtitueretur: quales rogandæ leges in ciuitate: quomodo pace belloque viuendum: quo pacto tutandæ vrbes, defendendi fines, conſeruanda vectigalia. Quidquid autem de Peripateticis aſſeruimus, hoc de illorum anteſignano inprimis & ante omnia intelligere debemus. Hunc veritatis philoſophum appellare cum Platone audemus, & audebimus: quo nemo doctior: nemo humanarum rerum peritior, acutior, diligentior: nemo in rebus tum inueniendis, tum diiudicandis acrior. Nobiliſſima & excellentiſſima ingenia illa ætas effudit: veruntamen ex omnibus, quotquot poſt hominum memoriam ob ſapientiæ literarumque ſtudium memoriam ſui diuturnam effecerunt, neminem reperias, qui non ſit Ariſtotele minor, quanquam aliis non paucis maior: ſummus eſt in omni ſcientia, & immenſæ ſubtilitatis vir, ingenio immortali, atque cæleſti: de quo dubites, cognitione rerum innumerabilium, an ſcriptorum copia, an loquendi ſuauitate clariorem putes. Nec ſanè præter meritum dæmonii, hoc eſt, admirandi atque diuini cognomen eſt aſſecutus: naturalium quippe rerum ſcientiam incredibili ſtudio excoluit: quæ res mundo eo, qui ſub luna eſt, fermè continentur: quas regiones antiqui à dæmonibus, id eſt diis, ſeu geniis habitari opinabantur. Hunc vobis vnicè commendo: cum hoc, vt Cicero cum Platone ſuo errare malo, quàm cum cæteris vera ſentire. Is ſe profeciſſe in philoſophia ſciat, cui Ariſtoteles valdè placuerit. Ipſemet Cicero ſummus admirator & prædicator Platonis, huic tamen adeò non parum tribuit, vt hæc de eo variis locis ſcripſerit. *Ariſtoteles abundãtia quadam ingenij præſtabat, vt mihi quidem videtur. Flumen orationis aureum fundens. Meo iudicio in philoſophia propè ſingularis. Quo profectò nihil acutius, nihil politius. Princeps Peripateticorum. Quem excepto Platone, haud ſcio an rectè dixerim principem philoſophorum. Vir ſummo ingenio, ſcientia, copia. Longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio & diligentia. Singulari vir ingenio, & pane diuino.* F. Abunde laudatur, qui ſic & à tali viro prædicatur. At-

tur. Atqui perobſcurus eſt, & difficilis admodum ad intelligendum. M Si libuiſſet, ita perſpicuè ſcribere omnia potuiſſet, vt ea vel mediocria ingenia caperent. Sed cum inſtitutum priſcorum philoſophorum nihil non fabulis inuoluentium contemneret, nec ſua tamen à quouis, profano etiam, & cerdone intelligi velle, aliam quandam celandi rationem complexus eſt. Vſus eſt ille quidem oratione ſimplici: verbiſque propriis: ſed philoſophiam ſuam artificiosè inuoluit & obſcurauit. Nihilominus eius diſciplina & floruit, & florebit ſemper: nec defuerunt, nec deerunt præclara ingenia, quæ ad eius libros percipiendos exponendosq́; omnem induſtriam ſuam contulerunt, & collatura ſint. F. Ariſtotelem igitur, eiuſque philoſophiam anteponēdam reliquis omnino cenſes. M. Quidni cenſeam? & parricidium prope admittere arbitror, qui eam vituperat. Plato ſit χρειστανώτερος, Ariſtoteles φιλοσοφώτερος: de quorum duorum diſcriminibus, & conuenientia libri feruntur, & vbi opportunum fuerit, ex me audietis. C. Gaudemus iſto promiſſo: & cùm ad te redierimus in hoc quaſi Tuſculanum tuum, ſeu in hanc Academiam tuam, iſtuc ipſum, quod humaniſſimè promittis exigemus, atque in hoc amalthæo tuo horas plures iucundiſſimorum, doctiſſimorumque ſermonum communicatione conteremus. M Ita, vt optatis, eueniat.

ANNOTATIONES.

PHILOSOPHORVM FAMILIÆ) *Sic vocat Cicero. De his autem duabus vocibus, familia & natio, vide quæ afferat Vict. lib. 9. cap. 21. In hoc dialogo ſparſim tradita à Cicerone de his quatuor ſectis ſtudiosè collegimus, & quantùm potuimus diſtinctiſſimè tradidimus.* PHILOSOPHIAM OMNIVM LAVDANDARVM) *Sic de philoſophia Tullius noſter, 1. de Oratore, & aliis mille locis alia de eadem perhonorifica. Quod ad nomen attinet: nec quidquam eſt aliud philoſophia, inquit 1. Off. ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ. Item 1. de leg. ſapientia, à cuius amore græco verbo philoſophia nomen inuenit. Eius nominis primus auctor Pythagoras, qui ſe primum philoſophum appellauit, ante cuius ætatem, omnes qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſapientes & habebantur & nominabantur. Tuſcul. 5. vbi præclara ſimilitudine Leonti Phliaſiorum tyranno idem Pythagoras declaraſſe dicitur, quid inter philoſophos, & reliquos homines intereſſet. Extat longiuſcula philoſophiæ commendatio ibidem. Senec. epiſt. 89. quid inter philoſophiam & ſapientiam interſit, quo pacto à diuerſis definita & diſtributa ſit, docet.* BARBARI EAM STVDIOSE) *Laert. procemio, à barbaris ortam philoſophiam, & quo nomine apud quosq́; barbaros philoſophi dicti ſint indicat. Indorum philoſophis ideo Gymnoſophiſtis additum nomen, quod nudi incederent, de quorum tolerantia Cic. Tuſcul. 5. Quæ barbaria India vaſtior, aut agreſtior? In eâ tamen gente primum ij, qui ſapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucaſi niues, hyemalemq́; vim perferunt ſine dolore, cumq́; ad flammam ſe applicauerunt, ſine gemitu a[illegible]runtur. Iidem à literatis etiam Brachmanes vocantur.* NEC TAMEN

OMNES VERVM) *Veritas vna eſt, & ſimplex, opiniones multæ. Poſſunt omnes illæ aberrare à vero, plus vna non poteſt verum attingere. Optimè Firmianus lib. 3. c. 1. Neque enim nunc reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupientiſſimam fecit: ſed id arguo, id reuinco, quod honeſtam illorum, & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus: quia neq; quid eſſet verum ipſum, ſciebant: neq; quomodo, aut vbi aut qua mente quærendum. Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt, ipſi ſe in plagas, & errores maximos induxerunt. Non malè cum his B. Baſilij ſententiam coniunxerimus. Homil. 1. in Hex. De rerum natura multa Græci philoſophi, ſed nulla apud eos ratio, nulla ſententia fixa, ſtabilis, immobilis permanſit, poſteriore ſemper antecedētem eijciente: vt abſq; vllo negotio opiniones illorum poſſimus coërcere, cum ipſi mutua diſſenſione ad ſubuertendum ſe ipſos, ſufficiant. Quin etiam Cic. 1. de nat. deor. Quorum (philoſophorum) opiniones cùm tam variæ ſint, tamq; inter ſe diſſidentes: alterum fieri profectò poteſt, vt earum nulla, alterum certè non poteſt, vt plus vna vera ſit.* IN DVAS EST DISTRIBVTA PARTES) *Perfectio animi eſt philoſophia, cuius duæ ſunt partes, mens & voluntas. Naturalis rerum cognitionem afferens, intelligentiam alit. Moralis explicanda virtute voluntatem ad actionum honeſtatem inſtituit, eamq; habitibus pulcherrimis velut condecorat & exornat. Hæc, opinor, cauſſa fuit, cur duabus partibus philoſophia diſtingueretur.* CVM THERSITE HOMERICO) *Ita & corpore & animo vitioſum hunc deſcribit, & tam lepidè profectò deſcribit Homerus 2. Iliad. vt riſum lector ægrè teneat: præſertim cùm, niſi conticeſcat, & obloqui deſinat, detracto ſubligaculo virgis eum ſe eximiè tacturum, Vlyſſes comminatur. Strabus erat, altero pede claudus, humeris in pectus contractis, capite acuto, raro capillo, deformiſſimus denique, proteruus, loquax, ſeditioſus, & in ſumma apud Achillem & Vlyſſem offenſa atq; odio: quod apertè ſignificat, fuiſſe hominem nequam: nam boni bonos odiſſe non ſolent.* MVNDOS INNVMERABILES) *Sic Democritus, ex cuius ſcilicet fontibus ſuos hortulos Epicurus irrigauit, & quem paucis mutatis ſecutus eſt. Hoc dogma cum ad aures Alexandri Magni rumor pertuliſſet, ingemuiſſe fertur innumerabiles nimirum mundos ſibi vincendos reſtare, cùm necdum vnicum perfectè ſub imperium coegiſſet. Tam immenſa fuit iſtius hominis ad imperandum cupiditas. Veruntamen illi mundi Democriti tam firmis propugnaculis, & excelſis mœnibus ac turribus non erant, vt ſubigi eos multis militum copiis, & diuturnis obſidionibus opus eſſet. Poterat eos omnes Regi donare Democritus eorundem faber atque molitor.* TOTVS PLVMBEVS EST) *Plumbi verbum ad hebetudinem, ſtuporem, ruditatem, inſcitiam, tarditatem, futilitatem, ineptiam declarandam adhibetur. Cic. 1. Tuſc. Niſi planè in phyſicis plumbei ſumus. Hinc etiam plumbeus pugio apud eundem 4. de finib. Et plumbeo gladio iugulare, eſt leui, frigido, ac futili argumento conuincere. Cicero, cùm dicit ad Attic. epiſt. 13. lib. 1. ſed ductus odio (Hortenſius) properauit rem deducere in iudicium, cùm illum (Clodium) plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret: intelligit quouis iudicio condemnatum iri. Diogenes Adoleſcentem egregiè*

formoſum.

Digitized by Google

ſormoſum, pudendum quippiam dicentem audiens: ex eburnea vagina, inquit, plumbeum educis gladium. QVAS GRÆCI προλήψεις) *Has ita explicat Scalig. poët. libro tertio, capite primo. Nobiſcum ſimul naſcuntur cognitiones quædam, quæ omnibus æquè eædem, ab omnibus æquè probantur. Cuiuſmodi ſunt propoſitiones illæ, quæ ſunt quaſi principia quædam contemplationum, quarum è numero ea, quæ cum ipſo ſenſu coniunctum intellectum, & tanquam vnum efficiunt, qualis: de quacunque re alterum verè dici poteſt. Eſt: non eſt. Et illa. Omne totum eſt maius ſua parte.* PROVIDENTIAM E MEDIO) *Qui nullos eſſe deos affirmare auſi ſunt, & qui, num eſſent, dubitarunt, hos certiſſimum eſt negaſſe prouidentiam Epicurus deos re ſuſtulit, oratione reliquit: nam rerum procuratione eos ſpoliauit, ac prorſus otioſos fecit, ne vita eorum beatiſſima, vlla cogitatione aut labore turbaretur, & ne animi eorundem vitiis hominum atque ſceleribus offenſi, in iram ſeſe effunderent, quod diuina maieſtate indignum eſſet.* VIRTVTEM OMNEM PROFLIGAVERIT) *Quo pacto hoc efficiatur, perſpicuè docet M. Tullius 1. Off. Sunt nonnullæ diſciplinæ, quæ propoſitis bonorum & malorum finibus officium omne peruertunt &c.* GARRIEBANT QVIDEM EIVS DISCIPVLI) *Inducit 1. de finib. Cicero Torquatum Epicuri ſententiam enucleantem, & ad animum illam voluptatem referentem, quam libro ſecundo refellit planiſſimè. Huc quadrant, quæ ſcripta legimus 1. de nat. deor. his verbis. Quorum tandem bonorum? voluptatum Credo: nempe ad corpus pertinentium: nullam enim nouiſtis, niſi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum, quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille teſtatur, ſe, ne intelligere quidem vllum bonum, quod ſit ſeiunctum à delicatis & obſcœnis voluptatibus: quas quidem non erubeſcens perſequitur omnes nominatim.* TEMERITATEM, QVÆ A SAPIENTIA) *Sic eſt. de nat. deorum, cùm affirmaſſet prudenter Academicos à rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe, addit. Quid eſt enim temeritate fœdius? aut quid tam temerarium, tamq; indignum ſapientis grauitate atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine vlla dubitatione defendere?* CVM ANIMALI EAM CONFERENTES) *Ouo etiam comparabant: ſuperficiem ſeu corticem ſtatuebant Logicen, album Ethicen, vitellum Phyſicen, quia de rebus abſtruſis agit. Item agro frugifero: ac ſepi quidem Logicam, fructui Ethicam, humo & arboribus Phyſicam. Ciuitati denique muris ſeu mœnibus validis circumdatæ, & conuenienter dignitati adminiſtratæ, Laërt. in Zenone.* VT NIMIS CONTENTIOSA, ET SOPHISTICA) *Dialecticam Stoicorum inutilem eſſe oratori confirmat Antonius 2. de Orat. maximè propter genus ſermonis, quod afferunt non liquidum, non fuſum, ac profluens, ſed exile, aridum, conciſum, ac minutum. Hæc autem noſtra oratio multitudinis eſt auribus accommodanda, ad delectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur.* SOLOS SAPIENTES) *Huiuſmodi ſententiæ quia ſunt admirabiles, contraq; opinionem omnium, ab ipſis etiam Stoicis παράδοξα appellantur. Collegimus ali-*

quot exempli cauſſa. Eſt & ſchema παράδοξον, cùm aliquid præter exſpectationem auditoris profertur. VTILITER A NATVRA INDITAS) *Quis ad agendum accedat, niſi prius moueatur afficiaturq́? Monent & excitant nos affectus, & ſi vehementiores fuerint, etiam impellunt: in quibus moderandis ſuum munus ratio exercet, & ea quaſi prima virtutis elementa ſunt. Cùm autem, vt præclarè Cic. in Off. ſit omni generi animantium à natura tributum, vt ſe, vitam, corpusq́ tueatur, declinetq́ ea, quæ nocitura videantur, timere nos oportet quæ videantur nocitura & appetere, quæ profutura iudicemus. Inde manant item amor & odium: nam vtilia amamus, incommoda & moleſta odimus. Quod ſi nihil timeretur, quis cautioni ac diligentiæ locus? ſi nihil doleremus, vbi placabilitas, & miſericordia? Si nullum laudis & gloriæ deſiderium, vbi in virtute & rectè factis concertatio? Amor patriæ, & libertatis integros exercitus ad mortem miſit. Ob eundem tyranni è medio ſublati. Propter amorem diſcendi vltimas terras quidam peragrarunt. Nulli ſuſciperentur labores nobiles & eximij: nihil quiſquam moliretur ſingulare, niſi illum ſtimuli gloriæ, & fames quædam famæ eò adigerent.* ANTEPONENDAM RELIQVIS OMNIBVS) *Qui propter nonnulla à ſacris Chriſtianis abhorrentia in Ariſtoteleis libris inuenta vel eius lectione abſtinent, vel philoſophia Chriſtianis interdicendum ſentiunt, nihil prorſus ſentiunt. Qui contrà eius philoſophi ingenium, & doctrinæ copiam tantoperè admirantur, vt niſi quod ille dixerit, aut niſi cum eius inſtitutionibus concordet, nihil verè ingenioſeq́ dictum, ac propterea reiiciendum opinentur, ſuperiores illos ſtoliditate vincunt. Qui verò in eius viri litteris cognoſcendis cum iudicio ſalutari verſantur, vt pauca cum noſtræ religionis ſanctitate pugnantia reiiciant, reliqua innumera, quæ ad vſum vitæ neceſſaria, & ad ſcientiam pulcherrima ſunt, approbent atque retineant, hi demum ſapiunt.* IN HOC AMALTHÆO TVO) *Amalthiam & amalthæum appellauit Cicer. gymnaſium Attici, à multitudine librorum. Capra ſiquidem Amalthæa, quæ Iouem aluit, fabuloſis poëtarum carminibus decantata, altero cornu ambroſiam, altero nectar copioſè fudiſſe dicitur. Vel à copia igitur, vel à ſuauitate librorum, quibus paſceret animum vt cibo ſapidiſſimo, vel ab vtroque nomen ſeu gymnaſio, ſeu bibliotheca impoſuit Atticus.*

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM.

Mores gentium.

ARSATIVS, PAPIAS, MAMERTINVS.

ARSATIVS. Animaduerti ſæpenumero, quemadmodum iiſdem coloribus res diſcrepantes pinguntur, ita eaſdem ſententias, eademque facta bellè vſurpari, & valere non parum in rebus, quamquam diſſimilibus:

ꝑmilibus: quique tum illas, tum iſta aliò ſcitè transferre, & appoſitè accommodare queunt, eos ingenio iudicioque mactos videri. Quantum mutatus ab illo, exclamat Æneas de Hectore, quem per ſomnium videt concretos ſanguine crines, & vulnera gerentem plurima: qualis certè haud erat, cùm cæſo Patroclo Achilleis indutus ſpoliis, aut cùm ab inflammatis Græcorum nauibus lætabundus ad ſuos ſe reciperet. Iſtuc in vna quadam re dictum, ad quàm multas atque varias adhibere liceat (quia ſcilicet hominum mutationes innumerabiles ſunt,) iuxta mecum perſpicitis. Sic Enniana illa, de via comiter monſtranda errantibus: de alieno lumine ab noſtro accendendo: & quod tertio loco ponit, *nihilominus ipſi lucet, cùm ei accenderit*, vel M. Tullio iudice in aliis quoque rebus peridoneum habebunt vſum. Nam ſi fient in aliis, etiam dicentur in aliis. Vna ex re, inquit, ſatis præcipitur, vt quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: non prohibere aqua profluente: pati ab igne ignem capere: conſilium fidele deliberanti dare: quæ ſunt iis vtilia, qui accipiunt, danti non moleſta. P. At verò Plautinus ille Euclio, Quòd quiſpiam ignem quærat, extingui volo: ne videlicet quippiam cauſſæ ſit, cur alienus quiſpiam in ædes intromittatur: quia theſauro timet. Perge porrò vt occœpiſti. A. Dubitat Hecuba apud Euripidem, num captiua ipſa Agamemnoni ſupplicet de Polydoro filio vindicando, quem fractis Teucrorum opibus victricia ſecutus arma Polymeſtor Rex amicus, vt videbatur, Græcorum, ſuæ fidei creditum à Priamo, occiderat. Tandem ſic ait, τολμᾶν ἀνάγκη κἂν τύχω, κἂν μὴ τύχω. Neceſſe eſt audere, ſiue impetrem, ſiue non impetrem. Hoc millies in mille negotiis valebit ſimiliter. Atque vt ad facta progrediamur, eodem modo legem, ſeu morem Perſarum humaniſſimum ad ſuos, quos edebat libros conuertit, lectoresq; vti eum aduerſus ſcripta ſua vellent obſeruare rogauit, vir noſtræ memoriæ vnicum prope veteris illius eloquentiæ exemplar. M. Quæ tandem iſta lex, & quomodo ea ille vir, quem tacitum abs te ſuſpicione attingo, in rem ſuam vſus eſt? A. Vtrumque eloquar. Erat apud Perſas id conſtitutum, vt cùm aliquis argueretur, in iudicio, peccaſſe in leges, quamuis culpa adeò eſſet manifeſta, vt tegi, aut excuſari non poſſet, non tamen ſtatim condemnaretur: ſed prius in omnem illius vitam anteactam curioſiùs inquireretur, & quæ rectè, quæ ſecus feciſſet compararentur. Si turpia vincebant numero, condemnabatur: ſi honeſtis præponderabantur, abſoluebatur. Vult igitur libros ſuos à nobis, cùm legerimus, ſi qua in eis peccata inuenerimus, non illicò reiici: ſed conſiderari prius, ecquid τῶν ἐσφαλμένων, ἢ τῶν κατωρθωμένων maior ſit numerus. Si erratorum, quin condemnetur, non recuſat. P. Optimè vtrumque. Vt namq; imbecillitatis humanæ non eſt, nihil vnquam offendere: & ille numerandus eſt bonus, qui ſæpius conſeruat officium: ſic cùm ingeniorum ea ſit conditio, vt interdum caligent, fallanturq; etiam in apertis, ſcriptorum illi ſunt probādi, in quibus plura reperias quæ commendes, quàm quæ vituperes. M. Huic affirmationi nimium quantum aſſentior, & Horatianos verſiculos, de condonandis pec-

tarum erratis ad omne genus ſcriptorum refero. Sunt autem hi in epiſtola ad Piſones,

Verùm vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quos aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

P. Itaque vt ad Perſas reuertamur, ſapienter fecerunt, illá lege ferenda; & alioqui in eorum moribus præclara & laudabilia multa reperio.

Perſarum mores.

Etenim quæcunque apud eos factu erant indecora, ne dictu quidem honeſta cenſebantur. Mentiri ducebant in turpiſſimis. Sacrificantes vetabantur ſibi priuatim bona à diis petere: ſed omnibus communiter, & regi potiſſimùm. Diem nullum lætioribus gaudiis, & apparatioribus epulis quàm natalem quiſque ſuum exigebant. Et ad illam ſollemnem lautitiam, quibus res amplior, maiores pecudes: quibus paupercula, minores mactabant. Nec vomere, nec lotium facere quopiam aſpiciente honeſtum ponebatur. Ex occurſu ſcires, num pares ſibi eſſent. Loco ſalutationis mutuis ſeſe oſculis impertiebantur. Qui altero nobilitate multò eſſet inferior, nobiliorem incuruato corpore toto venerabatur. Secundùm militarem fortitudinem πολυτεκνίαν, multorúmue liberorum procreationem commendabant. Proinde qui pater audiret à multis, in annos ſingulos muneribus à lege honorabatur. Filios ab anno ætatis quinto vſque ad viceſimum in tribus curabant inſtitui, inequitando, in ſagittis mittendis, in veritate proloquenda. Credebant (vt noſcatis, quantæ illis execrationi fuerit parricidium, quod etiam ſapientiſſimus *Solon* neminem deſignaturum putauit, vt in Roſciana dixit Cic. atque *ideo de* puniendis parricidis legē nullam ſanxit) patrem ſuum, aut matrem nullum vnquam interfeciſſe: ſi qui interfeciſſent, eos, ſi eorum origo vſq; à ſtirpe exquireretur, neceſſariò aut ſuppoſititios, aut ſpurios deprehenſum iri. Nec enim fieri poſſe ducebant, eò immanitatis quemquam prodire, & vſque adeò à ſe vim omnem humanitatis repellere, vt hac luce eos indigniſſimè priuaret, propter quos ipſe hanc ſuauiſſimam lucem aſpiceret. A. Illi hoc cenſuerint, illi crediderint: nos & factum eſſe, & ſæpius futurum eſſe nihil ambigimus. Nullum, nullum tam horribile, tam præter naturam ſcelus eſt, quo ſeſe ad extremam progreſſa magnitudinem humana improbitas obſtringere vereatur. P. Diſpoſitio equorum cum totidem equitibus in ſingulorum dierum itinera, quos neque niues, neque imbres, neque vlla turbulenta tempeſtas à curſu impediebat, quorumque primus mandata quæ acceperat, tradebat ſecundo, ſecundus tertio, & ſic deinceps, Perſarum excogitatum eſt. A. Percenſita hactenus laudem merentur. P. Eſt ita, & quæ ſubiungam, eorum partim media ſunt, partim reprehenſioni affinia. M. Reprehendendum ſine controuerſia, quod in vino de rebus non leuiſſimis conſultabant. Poſtridie in iiſdem ædibus decretum pridie factum expendebant. Si etiam ſiccis placuiſſet, quod temulenti ac madidi probauerant, exſequebantur: ſin

autem,

Digitized by Google

autem, omittebant. De quibuſcunque porrò deliberaſſent ſobrii, ea demum ad examen & diſquiſitionem ebrii reuocabant. Quis hoc laudauerit? P. Neque hoc, Mamertine, neque illud, quòd cum virginibus multa matrimonia copulabant, & complures pellices alebant. Solem, lunam, tellurem, ignem, aquam, ventos inter numina colebant: nullúmque ſacrificium ſine mago pro legitimo æſtimabant. In reb. omnibus ſibimet præ vniuerſis mortalib. præſtantiam tribuebant: quos ita bonos iudicabant, & ita honore dignabantur, vt quiſque eorum regioni eſſet vicinior. Remotiſſimos aſſeuerabant eſſe deterrimos. In flumina, & veſicam ſoluere, & inſpuere, & manus lauatum demittere propter ingentem animis offuſam religionem nequaquam voluiſſent. Cadauera ceris circumlita humo iniecta contegebant. Magi ſuis ipſi manib. extra hominem quoduis genus animantis, & canem iugulabant Quod ſi formicam, ſerpentem, reptile aut volatile occidiſſent, palmarium ſe perpetraſſe gloriabantur. A. Miror, Papia, cur non potius de Ægyptiorum moribus diſſerueris, quorum regionem ſcribit Herodotus pluribus abundare miraculis, quàm cæteras. P. Si perinde de Ægyptiis, vt de Perſis incidiſſet occaſio, æquè libēter de illis memoraſſem: quod ne iam quidem intempeſtiuum ac ſerum opinor. M. Sit hæc altera expoſitio: ſpero te non eſſe nobis negaturum vel tertiam. P. Etiámne tertiam? Præcipit animus iſtam tertiam, de Scythis videlicet. M. Profectò de his ipſis, & eam ex iiſdem fontibus deriuabis, vnde iſtas deriuaſti. P. Videbitur.

Ægyptiorum mores.

Inſtituta & iura Ægyptiorum magnam partem cæterorum mortalium iuribus inſtitutiſque pugnantia fuerunt. Negotiabantur, cauponabātur, mercaturam faciebant fœminæ, viri ſedentes domi lanificio operabantur: & hi capitibus, illæ humeris ferebant onera, ſacerdotioque penitus excludebantur. Filii, ſi nollent, parentes alere non cogebantur. Qui demortuum propinquitate attingebant, in luctu capillum, & barbam demittebant. Huic genti mos farinam aqua maceratam pedibus ſubigere, viros binis, mulieres vnica veſte cooperiri: ductus literarum ſiniſtrorſum formare, & alias habere ſacras, alias populares. Veſtitus illis lineus, quem lauabant creberrimè. Sacerdotibus conſuetudo totum corpus radere tertio quoq; die: nempe ne pediculi, aliæue ſordes hærerent in corporibus diuinorum miniſtrorum, quo nihil putabant indignius. Fabas vulgò non ſerebant, nec eſitabant: ſacerdotes ne aſpiciebant quidem: qui gregatim cuique deorum, non ſigillatim initiabantur, & iis mortuis filii ſufficiebantur. Quare nullius animalis caput guſtarint, in cauſſa eſt, quod victimarum capitibus mala omnia ſolerent imprecari. Nec piſcem edebant, niſi vel ad ſolem areſactū, vel ſale conditū. Fœminam bouem, vtpote ſacram Iſidi, non immolabant: cuius ſimulacrum cornutum faciebant, propter eius metamorphoſin nimirum, quam ex Græcis deſcribit Ouid. in cuius item gratiam religioſiſſimè omnium vaccam colebant: ſuem vt lutulentam, & ſpurcam belluam execrantes: quam ſi quis prætereundo forte

Digitized by Google

attigiſſet, vt primùm poterat, flumini ſe veſtitus, vt erat maculæ eluendæ immergebat. Ex eo ſubulci templorum aditu arcebantur, & cùm alios non inuenirent, compellebantur ſuas ipſi inter ſe filias locare, & ducere. A. In libro Moyſis, qui eſt de mundi origine, ſcriptum memini Ægyptios deteſtari ſolitos opiliones: cuius deteſtationis cauſam valde velim cognoſcere. M. Et ego velim. P. Et ego non nolim: ſed interim ignoremus, quid refert? Sues quamuis odiſſent, tamen Lunæ & Libero cùm eas mactaſſent, carnibus illis veſcebantur. Capitale fuit Ibin, aut accipitrem intereміſſe. Fele mortua, domeſtici omnes ſupercilia ſola eradebant: cane extincto totum corpus & caput. Qui frumentiferam plagam habitarent, menſibus ſingulis triduo deiectionibus moliendis, & vomitionibus ſe purgabant, arbitrabanturque è cibis exoriri omnes inualetudines. Vinum illis ex hordeo factitium. In conuiuiis locupletiorum corporis humani & mortui ſpecies, è ligno fabre ſculpta, locelloque impoſita circumferebatur, duos circiter cubitos longa, oſtendebaturque ſingulis conuiuis, cum hoc ſermone. Hoc intuens bibe, & delectare, talis poſt mortem futurus. Quam ego inuitationem ad voluptatem, non admonitionem neſcio quam ad meditationem mortis fuiſſe arbitror. M. Audiui tamen quoſdam concionatores huc detorquere morem iſtum. A. At ego quoties audiui illud Platonicum, Philoſophia eſt meditatio mortis, de morte iſta corporis dictum audaciſſimè affirmari? in quo riſum vix poteſt tenere, cui philoſophia nota eſt. Aliam mortem vir diuinus intellexit; quam haud ſcio rectiúsne vitam appellemus. Tum enim viuit maximè, & viget animus noſter cùm ſe à corpore plurimùm ſeuocauit, & nihil habet amplius cũ perturbationibus commercii. Hoc ſapiens ille vocabat mortuum eſſe, de quo in 1. Tuſcul. legendus eſt Cicero. P. Probè. Cùm obuiam fierent, minores natu qui eſſent, ſenioribus via decedebant, ac prætereuntibus aſſurgebant. Genu tenus demiſſa manu ſe venerabantur, cùm ſibi occurriſſent. Singularum corporis partium certi apud eos medici. Inter ditiores ac nobiliores, cùm aliquis in fata conceſſiſſet, familiæ illius mulieres caput ſibi vultumque luto fœdabant. Deinde nodo fluentes veſtium ſinus collectæ, & nudæ vbera, per vrbem ſeſe plangentes vagabantur. Etiam viri ſuccincti, & oberrantes ſeſe diuerberabant. Tum cadauer ad ſepeliendum deferebant: deferentibus buſtuarii exemplaria mortuorum lignea, & pictura ad veri imitationem ornata monſtrabant: interrogantes ad cuius normam ſua vellent effingi. Verboſius de Ægyptiorum moribus Herodotus: ſed parum credibilia multa. A. Non enim fruſtra dixit M. Tullius, innumerabiles eſſe apud eum fabulas: & tamen hiſtoriæ patrem nominat. In 2 autem de Orat. ſic eum prædicat. Namque & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſſis nihil omnino verſatũ eſſe accepimus. Atqui tanta eſt eloquentia, vt me quidem, quantum ego græcè ſcripta intelligere poſſum, magnopere delectet. M. Illam primam hiſtoriæ legem, vt nihil falſum, quotumquemque hiſtoricum cuſtodiſſe autumabimus? quis (de Græcis præſertim) non mentitur? niſi mentitur ille ipſe, cuius eſt hoc: & quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria. Porrò ipſum

Digitized by Google

pſum Ciceronem ſæpe miratus ſum: qui, cùm à Luceio res ſuas memoriæ commendari peteret, hanc legem negligere iuſſit, & amori pluſculum, quàm concederet veritas, largiri. Adeóne vir clariſſimus parum ſibi gloriæ adepturus videbatur, niſi ad aliena mendacia confugiſſet? P. Condonandum hoc illi ingenio: gloriæ, vt de ſe ipſe in eadem epiſtola confitetur, plus quàm ſatis eſſet, auido. Commemoratio poſteritatis ad ſpem immortalitatis bonum virum rapiebat. De Ægyptiis longè plura, quam Herodotus, affert Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. 1. leges ſanè eorum tam egregias, vt nihil iudicem lectione dignius A. Produc aliquas, ac teſtibus proba, quod aſſeris. P. Non ſumus in iudicio: de Ægypto in Scythiam cõmigremus: & cauetote, ne quid de antiquitate Ægyptiorum, ne fortè vos miſeris modis malè accipiant. M. Non me fugit inter haſce duas gentes diuturna de vetuſtate generis digladiatio, de qua ex Trogo Iuſtinus, vti etiam inter Athenienſes & Argiuos, inter Phrygas & Ægyptios, quod in Atticis relatum eſt à Pauſania: ſed ea nihil ad inſtitutum. P. Quæ memini de Scytharum moribus, breuiter ediſſeram. Grauis eſt apud me voluntas veſtra, & dat mihi animos attentio iſta mirifica. M. Audin' Arſaci? A. Quid ni? Sed hoc agamus.

Scytharum mores.

P. Nulli apud eos agrorum termini, atque inde finium regundorum nulla lis: neque enim agricolationem nouerunt. Paſtoritiam agitare vitam abſque domibus, vagarique ſyluis, & incultis ſolitudinibus, vxoreſque & filios circumuehere in plauſtris, quæ intecta corio contra cæleſtes iniurias pro domiciliis erant, res illis barbaris periucunda: apud quos iuſtitia non legibus, ſed naturà colebatur. Nulla auri argentique cupido. Furtum deteſtabile facinus. Victitant lacte & melle, ferarum & murium pellibus ſe conueſtiunt. Quam eſſet genus intractabile bello, ſenſerunt Vexoris Ægypti Rex, Darius, Cyrus, Alexander. Captiuorum bibere ſanguinem, cæſorum in acie capita amputare, eaque regi offerre, tam illis iucundum, quàm quod iucundiſſimum. Qui ita feciſſent, partem prædæ capiebant. Suaue etiam, detractis hoſtium pellibus veſtire pharetras, conficere fræna, caluarias in pocula vertere. Cuiuſque gubernator prouinciæ in ſingulos annos ſemel vinum miſcet: quod illis ſolis datur bibere, qui hoſtes ſuos peremerint. Varius vaticinandi mos, de quo Herodotus li. 4. Religioſiſſimum iuſiurandum per regis ſolium: qui ſi quos capite damnauit, eorum quoque filios mares trucidat. In fœderibus faciundis hunc tenent ritum. In capaciſſimam, & fictilem pateram vinum infundunt, quod humani corporis ſanguine, quem vtraque pars ſponte vulneratis ferro membris ſuppeditat, permiſcent. Mox acinaces, ſagittas, ſecurim, & gladium intingunt, & diriſſimis ſeſe execrationibus deuouent. Tandem vinum deguſtant. Plurimis vtuntur, & ſuperſtitioſiſſimis cæremoniis in regum ſepultura. Alios luce & vita orbatos, proximi quique in plauſtris compoſitos ad amicos circumuectant, qui ſinguli cadauer comitantes epulo excipiunt. Sic priuati homines ad dies quadraginta ante humationẽ

circum-

Digitized by Google

circumaguntur. Hæc mihi de tribus gentibus antiquiſſimis dicta ſunto. A. Quod tu, Papia, huius tui laboris præmium à nobis optas? P. Ego præmium? Libero vos iſta cura. Sanè, ſi poſſem meritò à vobis præmium petere, id eſt, ſi rem præmio dignam præſtitiſſem, Thaletis præmium mihi dari vellem. Veruntamen ne ſic quidem vellem, quia ſcilicet non poſſem, vt ille, primum me harum rerum auctorem gloriari, quas nunc à me audiſtis, quaſque etiam antea melius quam ego tenebatis. M. De Thalete fac nos ſcire quid egerit. A. Amabo, mi Papia, narra quod nos vides ignorare. P. Imò quod oblitos puto. Thales Mileſius præſtanti vir ingenio, qui ſe in aſtrologia contriuit, & in ea multùm excelluit, cùm reperiſſet, quam rationem haberet magnitudo ſolis ad eius circuli ſeu ambitus magnitudinem, quem annua luſtratione ſol ipſe deſcribit, & quînam id ſubtilitate Geometrica demonſtraretur, id inuentum cum homine quodam Prienenſi, talium rerum curioſo, ac diuite communicauit. Is cùm acumen philoſophi, tum inuenti elegantiam admiratus, præmium pro arbitrio à ſe petere iuſſit. Ego verò, inquit Thales, aliam mercedem te nullam poſco, niſi hanc, vt nunquam tibi huius inuentionis gloriam arroges: ſed ſi quando alios ſcire volueris, me illius primum auctorem extitiſſe perpetuò confitearis. A. Meretur memoriam hiſtoriola. Nihilominus remunerabor te quamuis nolentem. P. Eia, etiam nolentem? Quid ergo accipiam? A. Vt tu, ſic ego de barbaris gentibus aliqua nuper mihi lecta referam, & quæ te nondũ legiſſe ſuſpicor. P. Quæ illæ gentes obſecro? A. Recentiores, Turcæ, Moſcouitæ (vt quidem hodie nominantur) Iaponenſes & Sinenſes. P. Age Arſaci, munera nec ſperno. A. De Turcis prius. M. Ah, non audiemus, Papia, tam multa conſilio & rationi conſentanea in Turcarum Moſcorumque moribus, vt in Perſarum & Ægyptiorum. A. At certè in Iaponiorum, & Sinenſium, præ quibus Turcæ ſunt belluæ, & Moſci agreſtes planè ac barbari, quamuis Chriſtiani.

Turcarum mores.

Templa apud Turcas nec anguſta, & ſumptuoſè ædificata viſuntur, Meſchit appellant. Imaginibus vacua, alba tectorio inducto. In pleriſque lingua patria hæc verba parieti inſcripta leguntur. *Non eſt Deus niſi vnus, Mahomet autem Propheta eius.* Aut iſta. *Creator vnus, & Propheta æquales.* Aut hoc. *Non eſt fortis ſicut deus.* Lampades ibi frequentiſſ. Solum primò ſtorea, deinde tapeto conſtratum. Propter ædem præcelſa turris: in cuius ſpeculam ſacerdos aſcendens, ingenti vociferatione, digitis aures obturans plebem ad vota fundenda inuitat. Clamat autem: *Deus verus vnus.* Antequam in templum pedem ponãt, ad fontem manus, pedes, & velanda corporis expiationis ergò abluunt, & tertium capita irrorantes dicunt: *gloria deo meo.* Mulieres loco à viris diſcernuntur: non ſæpe templum ineunt: dum preces faciunt, ſine intermiſſione corpus motitant: adeoque contente clamant, vt nonnunquam viribus defectæ collabantur. Viri caput non aperiunt: primoribus tamen digitis pileos honoris habendi attingunt, ingeniculantur, & terræ ſæpius dant oſcula. Sacerdos circiter

duas

Digitized by Google

duas horas concionatur. Secundùm concionem pueri duo ſuggeſtum cõſcendentes, quaſdam preculas cantillant. Poſtea ſacerdos ſummiſſè, agitando corpus, cum populo canit *la Illah Illelah*, vnus tantum deus, idque ad horæ dimidium. Cæterum cantus iſti & conciones ſtatis duntaxat temporibus habentur. Anniuerſarium ieiunium ſuſcipiunt ad menſem, & vnã præterea hebdomadem: etſi mutant menſes. Sic expletis annis duodecim, annum integrum cum hebdomadibus duodecim decimarum nomine deo offerunt. Sic autem tolerant inediam, vt nihil prorſus guſtent, donec Heſperus procedat. P. Hem iſtuc mitti oportet Lutheranos, vt vel à barbaris diſcant à cibis abſtinentiam, qui à nobis nolunt diſcere. M. Sed Lutherani hanc ſuperſtitionem vocant. P. Vocant illi quidem, & hoc nomine omnes ſanctitates repudiant: omnia illis ſuperſtitiones ſunt, & tota antiquitas præ illis delirauit. O tempora. A. Septimo aut octauo anno pueris maſculis præputium reſecatur, ex eo Muſulmanni, id eſt, circumciſi nominantur. Mox vt materno vtero prodierunt, nomina iis fiunt. Poſt conuiuium triduanum circumciſus magna pompa in balneũ deducitur: exeunti à conuiuis munera præbentur, veſtes carbaſinæ, ſcyphi argentei, pecuniæ, equi. Mulieres donant induſia, ſudariola, & alia textilia. Qui de Chriſtianis ſuopte nutu circuncidi ſe ſuſtinent, ii per vrbis regiones cum honore plauſuque, & tympani ſtrepitu ducuntur, coluntur que muneribus, & tributorum immunitate donantur. Sacerdotibus ſatis eſt, ſi Alcoranum, & Muſſapham norint legere: quem qui ex Arabico in Turcicum interpretatus fuerit, is peritiſſimus ritè haberi ſolet. Schedam ſi fortè inuenerint, in qua deſcriptum quippiam de Alcorano, aut nomen dei, tollunt humo, aut vbi inuenerint: deinde iterum iterumque exoſculantur, & tandem in rimam aliquam parietis condunt, eamque obſtruunt. M. Nos legibus noſtris ſanctiſſimis tantum honoris vnquam haberemus? A. Multis rebus in ſuo genere barbari Chriſtianis meliores, id eſt, diligentiores, religioſiores, iuſtiores, temperantiores, patientiores ſunt. Etiam ludos aperire dicuntur, in quibus pueri aſtronomicis & poëticis ſtudiis operentur. Indotatas ducunt vxores: nec quidquam ornamenti gerit ſponſa, quod non redimat à ſoceris. Diuortii cauſſa duplex, morum improbitas, & ſterilitas. Votiuas peregrinationes obeunt Mecham, vbi ſepulchrũ eſt Mahometi, & Medinũ, vbi deceſſit. Xenodochia ſunt Regũ teſtamento cõſtructa, & vectigalib. annuis inſtructa, vbi pauperib. & peregrinis victus & hoſpitiũ. Victimæ eorũ fermè votiuæ ſunt: vouẽt a. vota in morbo, aut periculis. Verũ eæ victimæ non inceduntur. Caput, pellis, pedes, quarta pars carniũ ſacerdoti datur, altera pauperibus, tertia, vicinis: reliqua obtinet victimarius. Defunctorum marium corpora mares, fœminarum fœminæ curant. Cadauer lauant, linteiſque mundis inuolutum extra vrbem efferunt cum cereis, & ſacerdotum cantu. Satraparum, ac principum nullus prouinciam, aut vrbem poſſidet iure hæreditario: nec niſi afflicta valetudo, cuiquam militiæ vacationem impetrat. Nemo dum imperatori loquitur, oculos in eius vultum intendere audet. Dum Veredarius aliquò mittitur, quoſcun-

que

Digitized by Google

que in via equos repererit, ſuis defatigatis poteſt ſufficere. Literæ cum reuerentia & oſculo accipiuntur : mandataque celerrimè conficiuntur. Prouinciæ ita traduntur Præfectis, vt earum penſionibus certus militum numerus bello paceque alatur. Quare, ſicut in Eccleſiaſticis opibus, niſi totæ amittantur prouinciæ, ſemper ſunt qui alantur milites, quique in demortuorum locum ſuccedant. Milites famis, ſitis, frigoris tolerantiſſimi, & alioqui modico vilique cibo victitantes. Milites raptores ſupplicio vindicantur. Cùm de victoria nuntius affertur, in omnem ſe lætitiam vrbes effundunt: quam ſub primam facem auſpicantur: funalibus, cereis vbique diſpoſitis, & accenſis, ædes, & viæ quà Imperator ingreſſurus eſt aulæis conſternuntur. Venationibus Turcæ impendiò delectantur, nec vlla eis tam aſpera ſunt loca, quæ feris indagandis capiendiſque non penetrent. Si aprum ceperint, Chriſtianis comedendum donant: porcina enim eſt apud eos in vetitis. Mercaturam ſtudioſius exercent. Homicidas & fures morte puniunt. Adulter in cuſtodiam traditus elapſis aliquot menſiqus pecunia redimitur: mulier mœcha aſinæ impoſita vicatim circumducitur, flagriſque cæditur, & lapidibus petitur, bubulis inteſtinis ad collum appenſis. Ædes pleræque lateritiæ, tecta diſpluuia: in Aſia minore plane in modum tabulati, paulùm tamen propter aquarum defluxum decliuia. Cultus eorum è lana, lino, ſerico, ſatis lautus. Diuitum mulieres faciem obuelatæ ingrediuntur, nunquam in publico apparent. Varius ciborum condiendorum modus. Piſcibus mirè abſtinent. Nulla diuerſoria, ſed in plateis cibaria venduntur. Potus è ſaccharo, aut mulſa. Item decoctum ex vua paſſa, addita aqua roſacea, & pauxillo mellis. Cibum capturi ſtoreas humi extendunt: deinde tapetia, aut puluinaria inſternunt, atque ita inſident. Tenuiores nudo pauimento diſcumbunt. Menſa è corio, explicatur, & contrahitur, vt marſupium : pedibus decuſſatim complicatis ſedent. Preces ante epulas concipiunt, feſtinatoque & ſilentio edunt. Atque hæc de Turcis. M. Si percenſere velles, quibus illi modis Chriſtianos captiuos affligent, quàm feri in eos, & crudeles ſint, magna tibi copia naſceretur ad percenſendum. A. Magna Mamertine, & commiſerationis pleniſſima. Nec quidquam aliud captiuorum illorum vita, quàm quotidiana mors eſt. P. Non ſua virtus, ſed ignauia noſtra Turcam tot regnis auxit. Nos Athenienſes & fuimus, & ſumus: ille Philippus. Veriſſimè igitur quod illis, hoc nobis Demoſthenes aliquis exprobret. νῦν δὲ τὸ μὲν παρὸν ἀεὶ προϊέμενοι, τὰ δὲ μέλλοντα αὐτόματα οἰόμενοι σχήσειν καλῶς, ηὐξήσαμεν, ὦ ἄνδρες χριστιανοί, τὸν Τοῦρκον ἡμεῖς. καὶ κατεστήσαμεν τηλικοῦτον, ἡλίκος οὐδεὶς πω βασιλεὺς γέγονε, Nunc autem dum quæ inſtant ſemper negligimus, & futura per ſe, ſine opera noſtra bene habitura confidimus, ô Chriſtiani, & Turcæ imperium amplificauimus, & tantam ei potentiam dedimus, quãta adhuc regum nullus fuit. Cohibeamus tamen querimoniam, & de Moſcis te porrò, id quod promiſiſti, diſſerentem audiamus. A. Etiam hoc nomen diſſoluam vobis. A Mamertino nihilne petimus? P. Reponendum eſt tibi aliquid, Mamertine, & quidem huius generis, in quo vtriuſque noſtrũ verſata eſt oratio. Non hinc abibis, niſi nos quarundam gentium mores

docue-

Digitized by Google

docueris. M Libri vos melius vel docuerunt, vel docebunt. A. Atqui non quoſuis libros legendi tempus datur. Et tu hodie nobis non liber, ſed libellus eris hac quidem in re: tamen libellus loquens. M. Percommodè factum eſt à me, quod heſterna noctè apud ſcriptorem planè recentem, & adhuc viuentem, eumque prudentem, & imprimis diſertum gentis vnius mores non ſine iucundo ſenſu legi, & vt ſolemus proxima quæque meminiſſe firmiter, omnia pæne retineo. A. Gaudemus tuo facto & tua memoria. Sed quæ illa gens? M. Audietis.

Moſcorum mores.

A. Quæ munera, quantumcunque pretioſa legati ad externos Principes miſſi reportant, ea Rex ſeu Dux Moſcorum in ſuum ærarium reponit, alias ſe illis res repenſurum promittens. De omnium, ſeu Eccleſiaſticorum', ſeu ciuilium hominum vita & facultatibus omne arbitrium penes Principem eſt, à cuius ſententia conſiliariorum nullus diſſentire audet. Vulgò dictitant, Principis voluntatem eandem eſſe dei voluntatem: ob id etiam clauigerum, & cubicularium dei vocant, diuinique nutus interpretem, & cæleſtium decretorum executorem credunt. Si pro captiuo rogetur, aut in re graui, reſpondet, *cùm deus iuſſerit*. Interrogati Moſci de re incerta, *deus ſcit*, inquiunt, *& magnus Princeps*. Et is Pontif. Max. tantū Doctorem appellat. Cùm ad Imperat. Romanum dat literas, nomen ſuum præponit. Græcos ritus ſequuntur Moſci, vt Rhuteni omnes; & Metropolitanos à Patriarcha Conſtantinopolitano accipiunt, qui carnibus perpetuò abſtinent, vt etiam Epiſcopi & Archiepiſcopi. Furti aut ebrietatis, aut aliûs criminis comperti ſacerdotes, ciuili magiſtratui pœnas perſoluunt. In templis ſingulis vnicum altare, & in dies ſingulos vnicum ſacrificium faciendum putant. Sacerdotes omnes geſtant ſcipiones, quibus ingredientes nituntur. Monachi carnibus nunquam veſcuntur. Si quis muſicum inſtrumentum habuerit, punitur ſeuerius. Mitras nigras & rotundas ferunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates. Nouogardienſes albam bicornem, vt noſtri. Veſtes quotidianæ Epiſcoporum reſpondent monachorum veſtibus. Interdum ſericeis induuntur, geſtantque pallium nigrum, quod à pectore vtrinque inſignitur liciis albis tribus, inſtar riuulorum obliquorum, quæ ſignificant ex corde, & ore illorum riuulos doctrinæ fidei, & exemplorum bonorum manare. Puer natus, ter totus in ſacrum fontem immergitur. Aqua ſingulis infantibus luſtrandis conſecratur, & peracta luſtratione extra templum effunditur. Semper in templo abluuntur infantes. Compatres ſiue ſponſores, quoties præeunte ſacerdote vicem infantis diabolo bellum indicunt, in terram expuunt. Euangeliorum volumen non niſi locis honeſtis, vt rem ſacram reponunt, neque attingunt, niſi prius cruce ſe ſignauerint, & aperto inclinatoque capite honorem habuerint: poſt maximè venerabundi in manus ſumunt. Dies feſtos nobiliores epulis, potationibus, & cultu inſigni veſtium traducunt: vulgus, & ſeruitia plerunque, opus faciunt, dicuntque feriari dominorum eſſe. Plebi mulſo ac ceruiſia interdicitur: diebus

ſacra-

ſacratioribus, vt Natalis Domini, Paſcha, Pentecoſte & aliis permittitur: quibus diebus non tam ſacrorum, & diuini cultus, quam potus gratia vacant ab operis: & nonnunquam ita intemperantiſſimis perpotationibus indulgent, vt etiam crepent. Quadrageſima eorum ſeptem conſtat hebdomadibus. Earum prima lactariis vtuntur, ſequentibus etiam piſcibus abſtinent. Quod Principem credere aut opinari vident, id rectum & ſequendum ſtatuunt. Probroſum eſt adoleſcenti puellam vxorem petere: pater virginis iuuenem de filia ducenda compellat. In dotem dantur plerunque equi, veſtes, pecora, ſerui & ſimilia. Tertiam vxorem ducere, niſi graui de cauſſa, eorum moribus nefas habetur. Quartum coniugium eſſe Chriſtianum non putant. Mulieres in ædibus perpetuò manſitant, velut in libera cuſtodia, lana ac tela facienda tempus ſuum transmittentes: nec ſatis pudica cenſetur, quam externorum oculi contigerint. Nihil agunt præterea: omnia quippe opera niſi in pauperiorum domibus, ſeruis relinquuntur. Quidquid mulierum manibus interficitur animalium, ab eo, vt impuro, abhorrent. Raro in templa, rarius ad amicorum colloquia, niſi admodum ſenes admittuntur. Qui à domino inuito diſcedit, alium dominum non inuenit. Gens ſeruili ingenio, minis & verberibus potius, quàm laudibus ducitur. Conqueruntur ſerui, ſi à dominis non egregiè verberantur, quaſi diſpliceant illis. Contra, ſignum amoris bona & crebra verbera interpretantur. Admirabile eſt, quod de Germano quodam fabro legi: qui cùm Moſcquiæ (ea eſt ſedes Principis) vxorem duxiſſet, illa aliquando blandè maritum affata, quid eſſe dicam, inquit, marite mi, quod me non amas? Tum faber. Ego verò amo te vxor mea, & quidem multum. Subiicit mulier, ego *iſtius* amoris nulla adhuc indicia video. Ille, quænam indicia requiris? *Nunquam* me pulſaſti, ait illa. Mihi profectò, reſpondet faber, hæc *amoris indicia* non videbantur. Sed tamen quia tibi aliter videtur, fiet quod optas. Non multò poſt vxorem diriſſimè verberauit, narrauitque homini nobili Germano, qui per id tempus pro Maximiliano I. legationem apud Principem obibat, ſe de cætero longe ardentiorem in ſe tam bene contuſæ coniugis amorem ſenſiſſe. Cùm morituri vt plurimum certos ſeruos manumittant, illi tamen mox ſuam libertatem aliis dominis pretii dulcedine addicunt. Qui equitant, flagello maiorem partem, non calcaribus vtuntur. Hoſtem primo impetu acerrimè inuadunt, ſtatimque langueſcunt: vt ſi dicerent, aut vos fugite, aut nos fugiemus. Vrbes magis diuturnitate obſidionis, fame, proditione, quàm armis ad deditionem cogunt. Moſci in fuga comprehenſi, nec ſe defendunt, nec veniam precantur. Qua in re longè à Tartaris & Turcis differunt. Nam illi ex equo deiecti, armis omnibus exuti, grauiſſimè inſuper ſauciati, manibus, pedibus, dentibus, & quamdiu, & quacunque ratione poſſunt, vſque ad ſupremum halitum ſeſe tuentur. Hi dum nullam effugiendi ſpem vident, ſuppliciter veniam petunt, abiectiſque armis, manus iunctas in vincula vltro porrigunt, & vitam hoc modo cum ſeruitute ſe impetraturos confidunt. In multitudine quàm robore militum plus ſpei ponunt, feliciuſque eminus, quam

comi-

Digitized by Google

cominus prælianiur. Quocirca hoſtem à tergo adoriri præcipuè conantur. Non ventrem, ſed femora cingunt, quo magis venter propendeat. Vnius nobilis teſtimonium multorum ignobilium teſtimoniis antefertur. Coloni ſex dies laborant domino, ſeptimo ſibi. Nobilis quantumuis pauper, inhoneſtum ducit ſibi, manu & arte victum quæritare. Turpe autem non exiſtimat, fructuum putamina, peponum præſertim, allii, cæparum humo leuare atque deuorare. Veſtibula ædium ampla & alta ſunt, fores habitaculorum adeò humiles, vt ingredientibus ſe inclinare neceſſe ſit. In domibus ſingulis, conclauibusque ſingulis imagines cernes ſanctorum, aut pictas, aut opere fuſili. Cùm ſe mutuò adeunt, ſtatim caput nudant, & oculis imaginem requirunt. Ea viſa, ter crucis ſigno ſe ſignant, capitaque ſubmittentes dicunt: *Domine miſerere.* Deinde ſalutant patremfamiliàs his verbis: *Deus det ſanitatem.* Pauperioribus & ignotis perdifficilis eſt aditus, etiam ad nobiles infimi ordinis: qui ferè perpetuò intra domum ſe tenent, quò ità auctoritatem ſuam tueantur. Nobiles paulò locupletiores, ad quartam aut quintam domum non vadunt, niſi equo ſubſequente. Domini intra ædes ſemper ſedent: raro aut nunquam inambulando quidquam negotii tractant. Vſura patet latè, quam etſi cum ſcelere coniunctam eſſe confiteantur, tamen nemo propemodum inuenitur, qui pecuniam ſuam fœnore grandi non occupet. Quintam partem exigunt, de centum, viginti. De Moſcis ne plura afferam, temporis breuitas me impedit, & Mamertini audiendi deſiderium. P. Mira ſanè expoſuiſti nobis, & quæ à teſte oculato videntur literis prodita. A. Fuit verò oculatus teſtis, apud quem iſta legi. M. At non meus, quamquam ab iis hauſit omnia, qui ipſimet ea viderant. A. Incipiam nunc commemorare, quæ magna me admiratione affecerunt de Iaponiis.

Iaponiorum mores.

Elegantiore corporum habitu, & ſtatura proceriore mirùm quàm ſibi placeant. Sunt viuaces plerique, & pollent viribus. Famem, ſitim, æſtum, frigora, vigilias, & labores tolerantiſſimè ferunt. Vt primùm naſcuntur, vel adulta hyeme ad profluentem lauandi apportantur. Storeis in modum culcitræ tumentibus pauimenta conſternunt, illic ſomnum capiunt, ſuppoſito ceruicibus lapide vel tigillo, & cibum capiunt genibus nixi, cruribus inſidentes. Conuiuandi ac propinandi multas habent leges, cum ritibus exquiſitis. Vſum vitis ignorant: oriza exprimunt vinū. Sed ipſi quoque ante omnia delectantur hauſtibus aquæ pænè feruentis, idque tum æſtate, tum hyeme. Mira dignitas nudis gladiorum laminis certorum opificum, vti nonnullæ aureorum circiter quinq; millium æſtimentur. Ob crebros terræ motus ligneis plerique vtuntur ædibus, elegantia atque arte viſendis. Magnifica extruunt templa, & ſacerdotum vtriuſque ſexus ampla, ac ſumptuoſa cœnobia. Sermo vnus, & communis omnium: ſed ita varius, & multiplex, vt plures videantur. Vniuſcuiuſque enim rei ac notionis plura ſunt vocabula, quorum alia contemptus, alia honoris

cauſa: alia apud Principes, alia apud plebem: alia viri, alia fœminæ vſurpant. Adhæc aliter loquuntur, ac ſcribunt: & in ipſa ſcriptione aliter epiſtolas, aliter volumina libroſque conficiunt. Armis deditiſſima gens, quæ ſunt, præter ferream fiſtulam, arcum & ſagittas, gladius incuruus & pugio (queis à duodecimo ætatis anno præcinguntur) tam egregia chalybis temperatura, vt ferrum noſtrum acie propemodum illæſa diffindat. Haſtis egregiè vtuntur, quæ noſtras & leuitate, & longitudine ſuperant. Calceis crepidiſue, ſine obſtragulo, ſandaliorum inſtar, vtuntur. Flabella gerunt, tum ad velandam faciem, tum ad auram colligendam, auro ſericoque intertexta. Sub vmbella ferè proceres, alioquin aperto capite, in ſole pariter ac pluuia vterque ſexus incedit. E coloribus feſtum habent nigrum, & puniceum: albus in luctu eſt. Credi vix poteſt, quantum plurimis in rebus victus eorum cultuſque à noſtro abhorreat. Noſtros ſuffitus minimè ferunt, condimenta noſtra aſpernantur. In nigritia ipſa dentium decorem ponunt: quocirca atro quodam eos pigmento inficiunt. Equum nos à læua, illi à dextra aſcendunt. Inter ſalutandum nos caput: illi perleui crepidarum vel ſandaliorum excuſſu pedes aperiunt. Aduenienti amico nos aſſurgimus: illi ſubſidunt. Nobis gemmę, illis ferrea, vel fuſilia vaſa in honore ſunt. In curationibus nos dulcia, & bene cocta: illi ſalſa & acria, & cruda ægrotis apponunt: nos pullos, & altilia: illi piſces & conchylia. Pharmacis nos ferme olidis & amaris: illi perquam ſuauibus, & odoratis vtuntur. Nos crebrò ſanguinem, illi nunquam eliciunt. Acuta, ſagax, & bene à natura informas gens eſt, iudicio, docilitate, memoria omnibus nationibus antecellit. Paupertas nulli probro eſt: vix etiam in multis agnoſcitur, adeò accuratè familiarem diſpenſant rem, & pro ſua tenuitate concinni, ac nitentes incedunt. Maledicta, furta, impiam temerè iurandi conſuetudinem, aleam auerſantur. Famæ gloriæque auidiſſimi, dignitatis retinentiſſimi æquè ſummi atque infimi ſunt. Ne dictum quidem paullò aſperius ferunt. Reuertuntur inter ſe, præcipuè nobiles, certantque officiis, & honore verborum. Ipſi rerum viliſſimarum artifices, quique ſe in diem locant, comiter appellandi, ſi eorum vti velis induſtria, alioqui irritantur, ſpretoque lucello cœptum opus abiiciunt. Conſtantiam atque decorum ita cuſtodiunt vulgò, vt vel ab imminente ruina, ſenſim ac ſine trepidatione vlla recedant: cauentque diligenter, ne quid abiectum, aut timidum, vel in dictis, vel in factis appareat. Intemperantiam linguæ maximo animo minimè dignam putant. Ac proinde vociferationes, & iurgia, neque inter populares in publico, neque domi inter maritum vxoremque, parentes ac liberos, herum ac famulos audiuntur. Etiam inter ipſas noxiorum pœnas conuitia remouentur, & verborum acerbitas. Aſperis aduerſiſque in rebus incredibilem animi æquitatem præſtant, & quidquid euenit, ſine gemitu excipiunt. Hæc quædam ſumma eſt bonorum, quibus excellunt Iaponii, cùm interim multa etiam apud eos haud probes: nec mirum: non enim Chriſtiani ſunt, & multi tamen cœpti ſunt fieri, qui ab illis vitiis paternis ſe remouent. Nunc de Sinenſibus.

Sinen-

Digitized by Google

Sinenſium mores.

Sinenſes ſunt longis crinibus, quos accuratè comptos, & in verticem coactos illaqueant, & oblongum ex argento clauum in laqueum inſerunt. Primarii ac diuites, quique militiam exercent, verſicolore ſerico: plebei ac pauperes, lino, ſeu goſſipio tegunt corpora. Caput operiunt præcelſo ac rotundo pileo, è tenuiſſimis virgulis atro filo prætextis. Caligas induunt affabre factas, & elegantes cothurnos, aut calceos bombycino obſtragulo perpolitos. Per æſtatem ad reliqua remedia caloribus leniendis illud etiam accedit. Subterraneos idoneo loco effodiunt ſpecus: inde conceptam auram, intenſiorem aut remiſſiorem, prout libuerit, per omnes ædium partes admirabili machinatione diſpenſant. Magnus apud nobiles matronas honos pudicitiæ. Raro viſuntur, nec in publicum prodeunt, niſi geſtatoria ſella, prætentis ex omni parte velis, & occultæ ſpeculationis cauſſa reticulatis ex ebore feneſtellis ad latera appoſitis. Succollant ſerui, magna vndique ſtipante familia. Deprehenſum adulterium æquè viri ac fœminæ capite luitur. Ad nuptias dotem non viro fœmina, ſed vir fœminæ defert. Principium anni à Martii menſis nouilunio auſpicantur. Eum diem publica hilaritate, natalem quiſque ſuum priuata gratulatione concelebrant. Munera ſibi, & ſportulas inuicem mittunt. Apparatiſſimis dein epulis, noctu præſertim, exquiſitiſſimi interponuntur ludi. Comœdias ac tragœdias exhibent ſumptuoſas, vel fabulis in præſens à poeta confictis, vel actionibus è vetere hiſtoria expetitis. Petauriſtæ, aretalogi, præſtigiatores, mimi non deſunt. Parietes fornicesque viridi fronde, micantibus roſis, & pretioſo periſtromate veſtiuntur. Fragrant odoramentis ac floribus viæ, accenſis funalibus, ac laternis arbores, pergulæ, feneſtræ collucent: neruorum pulſu, tibiarum vocumque concentu omnia perſonant. Cùm ſagina omnis generis, ferina æquè ac domeſtica, & piſcibus, oſtreiſque, & cunctis fermè illecebris, & condimentis abundent, ſuilla tamen præcipuè caro ſummorum pariter, & infimorum expetitur menſis: neque ex alio vllo animali copioſior ganea. Cibos digitis attrectare (vt ſunt vulgò munditiarum diligentiſſimi) ruſticitatis putant. Bracteatis paxillis, vel argenteis aureiſve fuſcinulis, conciſa minutatim fruſta in os inſerunt. Exiguis poculis crebro hauſtu ſitim ſedant: magno cum honore verborum ſibi mutuò propinant. Miro interim ſilentio atq; ordine lances ab atrienſibus inferuntur, & in ſingula fercula inſtrumentum omne mutatur. Salutandi ritus inter plebeios eiuſmodi: læuam in pugnum compreſſam obtegunt dextera. Ambas dein pectori ſæpius admouent, & ſimul accommodato ad geſtum ſermone demonſtrant, amicum ſibi hærere in medullis. At primores brachiis arcuatim extenſis, ac digitis vtriuſque manus implexis, identidem ſeſe ad terram vſque demittunt: certantque verborum officiis inter ſe, vter poſterior, alterius honoris cauſſa quieſcat. Ænea tormenta conflare, literas imaginesque ſubiectis prelo typis excudere, vetuſtiſſimo in vſu apud Sinas eſſe compertum eſt. Verſus ad imum ab ſummo ſcribendo perducunt. Literis vtuntur vel-

ut hieroglyphicis. Eæ ſingulæ ſingulis nominibus ſeruiunt, atque etiam integris interdum ſenſibus. Præter ſuum cuiuſque nationis ac prouinciæ certus inſuper, & communis eruditorum eſt ſermo, latinæ apud nos linguæ reſpondet, vulgò Mandarinum appellant. Hoc aulici, ſcribæ, iuriſconſulti, iudices, magiſtratus vtuntur: huic impenſa cura dant operam. Manci, vel aliqua parte corporis debiles, vel morbo impliciti grauiore, quàm vt ſibi parare victum vllo modo poſſint, cognatis affinibúsve alendi attribuuntur à magiſtratu. Luminibus capti, ſi premat egeſtas, priſtino ac molæ: manci, aut quoquo modo mutili, dum ſuppetunt vires, aliis alii miniſteriis affiguntur. Nullus inertiæ vel ignauiæ locus eſt. Pretia rerum non moneta numinísve: ſed (ne locus adulterio pateat) conciſi maximè argenti pondere metiuntur: atque in idipſum forfices, & habilem trutinam ligneolæ thecæ incluſam in ſinu circumferunt. Fœneratores, vt pote reipub. noxii, cùm aliis pœnis, tum pecunia multantur, in fœnore deprehenſi. Suarum quiſque mercium inſtitor, deſcriptum indicem, pharmacopolæ etiam ſingulorum ſimplicium ſpecimen ipſum coguntur pro tabernæ foribus habere propoſitum. Ea ſæpe ab ædilibus inſpiciuntur: neque componendi miſcendíve, niſi præſens neceſſitas vrgeat, neque compoſita diutius aſſeruandi cuiquam omnino ius eſt. Nauigiorum fluuialium incredibilis copia. Quippe in iis magna pars hominum cum coniugibus & liberis degunt: è quibus alii vecturam exercent: alii pro cauponibus & inſtitoribus in perpetua ſtatione ſunt: nec ſolùm in cibos, verumetiam in cultum ac veſtitum, ipſaſque delicias habent cuncta venalia: vt in ipſo itinere, ac fluuiis vrbana commoda, & copiam non requiras. Gymnaſia cum egregiis doctoribus fermè oppidatim amplè & *copioſè ſuſtentat* Rex. In ea gymnaſia è ludo literario primiſque rudimentis pueri, & adoleſcentes leguntur. Studiorum præfecti quos ceſſatores, vel tardos animaduerterint, obiurgant primùm: dein plagis afficiunt: & ad extremum ignominia notatos expellunt. Cæteros pro cuiuſq; profectu ac diligentia tollunt laudibus. Adhæc regii cenſores tertio quoque anno gymnaſia publicè recognoſcunt. Demortuo Regi è filiis maximus natu: ſin deſint liberi (quod in tanta vxorum turba perrarum eſt) proximus è regia ſtirpe ſuccedit. Cæteri ne quis eorum cauſſa tumultus exiſtat, remotis inde palatiis inſtar oppidorum, incredibili magnificentia, regio cultu apparatuque, in libera cuſtodia detinentur: propoſita capitis pœna, ſi extra eos fines iniuſſu pedem extulerint. De adminiſtratione politica, & re bellica plurima dici poſſent. Sed nolim nimium cupidus videri ea recenſendi, quæ iam nuper edita ſunt in lucem, & patent omnibus. P. Duæ iſtæ gentes admirabiles mihi viſæ, & Europæis comparandæ, multis etiam præferendæ. Etiámne illa, de qua tu, Mamertine, verba es facturus? M. Non ſanè, eſt autem vna de Peruanis, prouinciam ſanctæ Crucis Hiſpani vocant. A. Qualiſcunque ſit, agedum in medium, quæ legiſti.

Mores Peruanorum in prouincia ſanctæ Crucis.

M. Diſtat à Suquiſachenſi, & Potoſina vrbibus, id eſt, à fine Peruani regni, non

Digitized by Google

non procul: cingitur Orientem verſus prouinciis latiſſimis, vbi homines crudelitatis infandæ: regio ipſa æqua & plana: polum Auſtralem conſpicit ad gradus prope duodeuiginti: & quamuis torreatur caloribus, interim afflatur vento, ſic frigido, vt afficiat corpora. Bona incolæ ſunt omnes, & integra valetudine: vita longiſſima: quam multi ad centeſimum vſque annum: nonnulli ad decimum prætcrea extendunt: venatui indulgent: ſolum goſſipii ferax, infæcundum frumenti vinique: abundat maicio, & oryza, communi cibo, frumentum enim, & vinum à Peruano regno accerſitur, longa difficilique vectura: ſed præſertim vinum, per abrupta ſcilicet viarum, & ardua montium: vt vnus plerunque cadus centenis aureis æſtimetur. Ferarum genera ad S. Crucis, diuerſa ab Hiſpanienſibus permulta. In iis Struthiocameli: quorum in nidis quadragena, qui quagena oua reperiuntur, tantæ amplitudinis, vt in vnius diei victum ſatis ſint hominibus trecentis: nec deſunt viperæ, & peſtiferæ ſerpentes. Scriptum proximè de Sonalis, quæ ſuum ipſarum aduentum tinnitu indicant, vt ne obſint imprudentibus: huc addendum, quod ſunt hebeti oculorum viſu, cis tertiam vlnam: natura prouidente, vt quo virus illis nocentius, eò minorem habeant facultatem ad nocendum. Flumina plurima & auctu pluuialium imbrium latè ſtagnantia, vt vtram in partem fluant, non facilè dignoſcas. Vrbs ipſa in accliui colle, ex quo & vniuerſæ prouinciæ nomen ſanctæ Crucis in monte. Alluitur riuulo ab initio Quadrageſimæ ad diem vſque dominicæ Aſcenſionis piſculento. Mites ſunt incolæ naturà, nec inhumani: cæterùm ſi irritentur, intractabiles. Itatini finitimi feroces, cæteros mortalium habent contemptui, ſolos Hiſpanos in pretio, à quibus ſe iactant oriundos: gens acceptarum iniuriarum appriimè tenax, vt neſciant obliuiſci. Mulier quædam grauiſſimo affecta morbo, cùm eſſet morti proxima, dolere vehementer cœpit, & conqueri: nec lacrymis parcere. Sciſcitanti hero cauſſam fletus (is erat Hiſpanus) quia, inquit, ante hos annos viginti à te colaphum accepi, cùm eſſemus ad Paraguaos: eius iniuriæ dolor adimit mihi vitam. Adeò verum eſt, quod vulgò iactatur. Qui facit iniuriam, ſcribere in aquam: qui accipit, in aëre. Veſtium nullus vſus: fœminæ tantum foliis aut corticibus arborum aduelant corpus: vbi traditæ ſunt nuptui, minor cura tegumenti: cùm tamen Hiſpanorum oppida adeuntur, ſumitur amictus, in egreſſu deponendus. Vbi ſæuit frigus, quod fit plerunque flante Auſtro, domi ſe cotinent, totos dies iuxta focum, atque ignem agentes: exeuntes titionem geſtant manibus, eumque identidem applicant ad ſtomachum, flatu ſubinde vim eius reuocantes, ne obtorpeat. Comam non nutriunt, ſed diuerſo tonſu ſe à ceteris Peruanis diſtinguunt. Sinciput alii, alii occipitium, quidam dexteram partem capitis, quidam ſiniſtram acutis conchis, ad eum modum, quo nos nouaculis, abradunt. Sunt etiam qui circumtonſo capite longiores capillos relinquunt in vertice, eumque morem, longa ſæculorum ſerie, à viro quodam, cui Paicumæ nomen, prædicant accepiſſe: eum beatũ Thomam Hiſpani arbitrantur, à quo Indorum illud nomen non valde abhorret: & perhibent Paraguais

guais euangelium annuntiaſſe: quin etiam quodam in lapide, ſi velis credere, pedum ipſius veſtigia monſtrantur. Cataclyſmum agnoſcunt. Multæ ſingulis vxores, octo, decem, plures, quot quiſque poteſt alere. neptis auo nubit. Sunt & apud illos, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & quæ dirimunt contractum: ſunt etiam, quæ, iniuſtum licet, contractum non ſoluunt. Sancta coniunctionis vincula, & affinitatis. A ſatu concepto, dum edatur in lucem, ſecubant vir & vxor: carneque & piſcibus abſtinent, ſollemni ieiunio. Vbi mulier peperit, ſi quidem marem, auus ſuperſtes, aut alius quiuis genere proximus, nomen imponit: arcum & ſagittas offert: ſi fœminam, auia filo quodam alligat ſuras, non ſine cærimonia: pater interea per dies aliquot in lecto quieſcit: vbi ſurrexit, religio eſt animal ferire, vel leui ictu: quod is ad infantem pertineat: comeſſe quodlibet dentatum, etiam piſcem: ad vxorem accedere, donec puer primis plantis veſtigia inſiſtat. Vt puella exceſſit annum, parentes virum deſtinant (is eſt proximus à cognationis gradu ſecundo) ad illum adeunt, arcum, ſagittas, ligonem afferunt ſymbola ſponſalia: ſi accipiuntur, extemplò gener oppigneratus abducitur domum, vt procuret rem familiarem ſocerorum, donec puella nubilis fiat. Quod ſi adoleſcentulus petere occupet, fert ſe ad ſoceros cum faſce lignorum: ſi placet ſponſus, vterque admittitur. Nulla apud illos Deorum ſimulacra: dæmonem ſolum venerantur, ei primitias offerunt frugum meſſiſque, in venatu, piſcatuque, (quod ſtudium apud illos homines præcipuum) ei ſe addicunt totos, deuouentque: non tam ſpe boni adipiſcendi, quàm mali arcendi cupidine. Namque & eorum corporibus aſſiduè nocet. Sed id inter eos, qui Varai, id eſt, bellicoſi appellantur, frequentiſſimum. Certis anni diebus lymphata mente in ſyluas aguntur, vaſtamque ſolitudinem, & inconcinnis ſaltibus, vocibusq; inconditis Candire inclamantes (de illo abſurdam neſcio quam texunt fabulam, iam inde ab eluuione orbis terrarum) per præruptos ſcopulos, denſaque arbuſta, per ardentes etiam prunas, & mortiferas ſerpentes incedunt, ſine vlla noxa. Funerum ingens ſuperſtitio. Vt mulier viro tradita eſt, funebrem tunicam ſibi atque illi perpolitè texit, in qua cadauera inſuenda. Vbi deſperata eſt ægroti valetudo, propinqui plurimum arenæ congerunt, in qua deponatur ſemimortuum corpus: eum exiſtimant lectum eſſe quàm molliſſimum: & aliquot ante mortem diebus moribundo adſunt, viuenti, & videnti ſepulcrum effodiunt: dein cadauer rubro nigroque illinunt, horrendum in modum: diuerſis plumis exornant: arcum, & ſagittas, reliquaque arma apponunt, quibus olim vſus in bello: nonnihil etiam cibi & potionis: cadum ex maicio in ſimilitudinem vini corrupto: anatem præterea, & gallinam; & poſt vltimam conclamationem admonent, vt feſtinet fugam, dum ſuppetit commeatus. Coniunctiſſimus quiſque attonſo capite luctum oſtentat. Octauo poſt die à præcone indicuntur exſequiæ: & conueniunt frequentes. Sed pridie eius diei, vt habeatur hic mortuo honos, ſeſe vino ingurgitant. Poſt annum inſtauratur funus eodem ritu, & repetitur ornatus comptusque capitis toto anno neglectus. Va-

ctus. Varai non adeò ſuperſtitioſi, nec tamen funerum negligentes. Vt quis mortuus eſt, qui ſunt ex eodem genere, ad parietem ſolúmve alliduntcaput, corpus etiam ex alto præcipites agunt, quaſi quærentes mortem per ſpeciem mœſtitiæ. Mira diebus feſtis crudelitas. Si quem in prælio ceperunt, eum per illos dies nigro purpureóque colore depictum, adornatum plumis, repletum mero, quo lætior contemnat mortem, alligant arbori: is vel ab ebrietate, vel à deſperatione animo ſumpto (neque enim ſe redimi vlla ratione pateretur) contumeliis iaciendis in circumſtantes, probriſque fœdiſſimis, inſtigat vltro ad cædem. Tum teſtulis coniectis in faciem carnificis, exprobrans virium infirmitatem, adeò incendit hominem, vt vix tandem ligneum pugionem, duratum olim ad ignem, terque quaterque magna vi adigens in caput, medium diffindat: accurrunt ſtatim mulieres, & (quod horreant aures) recentes à morte artus, & adhuc tepidos auidè deuorant, laniatu infando. Noctu iter faciebat Hiſpanus cum indigena, viarum & ſermonum perito: ad radices montis audit non procul duos verba facientes: quærit de comite qui ſint: Indus, inquit ille, cum dæmone colloquitur. Tum curioſitate humani ingenii, cùm acceſſiſſent propiùs ſuſpenſo veſtigio, Indus ſolus repertus: & interrogatus vbinam eſſet alter, qui loquebatùr, diffugiſſe reſpondit ad eorum aduentum: tum orauit, vt apud ſe quieſcerent illam noctem. Domus erat longa pedibus centum, & latè patens, vt aliæ in illo tractu, nullis diſtincta contignationibus, aut cubiculis: nullum in ea inſtrumentum, aut ſupellex, præter pharetram, & arcum, ac rete penſile pro lecto, cui hiberno tempore ſubſternunt prunas, ad rigorem frigorum molliendum. Cognouit Hiſpanus huc ſæpe dæmonem ſe afferre: ergo cum clanculum in pariete IESVS NAZARENVS carbone ſcripſiſſet, audiuit iratum diabolum attuliſſe mortem domino, dein amplius eam domum ingredi non eſſe auſum. Varai habitant in locis proceritate arborum opaciſſimis: earum pleræque feraces fructuum, Peruano regno, nedum Europæ ignotorum. Poma ſunt infra magnitudinem pyri, nigra extrinſecus, intrinſecus alba: naſcuntur in ipſo trunco arboris, non ſub foliis: ita denſa, vt corticem operiant. Inter Varaos nullum honoris diſcrimen aut dignitatis: ſed ipſos inter ſe æquales eſſe iudicant: finitimis ſuperiores: quos etiam bello captos, opere exercent, eoſque contemnunt. Scytharum more nullam habent ciuitatem: domos facilè mutant, & ſupellectilem: & ſi hæc illis omnino curta, aut, præter arcum, & ſagittas, grandeſque cucurbitas, quas minutis quibuſdam vtenſilibus ſtipant, potius nulla. Plures vxores habere decorum eſt: à reliquis abſtinent. Filiorum exortum parentes trimeſtri ieiunio excipiunt, certaque ciborum abſtinentia: trimi pueri, aut quadrimi depelluntur à lacte, tum eos ad omne crudelitatis genus exercent: bello captos illis permittunt ſagittis petendos: qui certo ictu expoſitum interfecerit, laude & præmio, inſuper etiam interfecti cognomine honoratur. Hi luſus infantium: hæc iuuenum æmulatio: quin & viri ipſi in magno nominum ambitu ſunt, pro numero ſcilicet occiſorum in bello. E crudelitate enim ac cæde genti nobi-

Digitized by Google

litas: ad eamque excitari ſe volunt impoſitis nominibus canum, tigridum, aliarumque ferarum animantium. Lunam naſcentem ingenti clamore, totiuſque corporis iactatione venerantur. Nulli dii. Nullæ deorum imagines. Nulla formula, aut conſuetudo iuriſiurandi. Religio nulla. Septem genera dæmonum, & nomina agnoſcunt: eos vt colant, malorum, quæ ab ipſis inferuntur, mortis etiam timor facit. Sunt tamen ſuperſtitionibus maximè dediti. Ineuntibus bellum ſi ſagittæ deciderint, ſi lectorum penſilium funes rumpantur, pro omine habetur: venefici inſpectas ſagittas reiiciunt, probantue: infelices illæ, &, ſi retineantur, hæſuræ in corpore retinentis: hæ certæ, & nunquam fruſtra mittendæ. Cæterùm cùm ſe luna curuare cœperit in cornua, vt colliment, brachia: vt celerius currant, ſuras & femora pluriſariam incidunt: mox puluere è combuſtis corporibus ferarum rapacium, aut velocium aſpergunt: eodem modo mulieres brachia, faciem, crura, quæ poſtea cuiuſdam arboris ſucco (cæruleus eſt, atque omnino indelebilis) ornatus cauſſa perfundunt. Sed hæc eorum conſuetudo affligendi punctiunculis corpora communis eſt, non ſecus atque apud nos flagellis verberandi. Hac formidine pueri coercentur: pueri, inquam, nam in adoleſcentes, aut natu grandiores nulla animaduerſio. Furti crimen apud eos ex omni memoria ignotum: & ideò magis vitatur, quàm ſi vetitum eſſet. Nihil venale: ſi quis veſte, aut re alia careat, donatur ab his, qui abundant. Mortuorum corpora contingere nefas: eos tamen lacrymis & lamentatione proſequuntur: Mulieres continuantes diem ac noctem eiulando ieiunæ cadaueri adſunt, tunduntque parietem capite, & pauimentum crebra corporis volutatione verrunt. Mitius viri ſe gerunt, oſtendunt defuncti ſagittas, arcum, & clauam (claua enim magni ponderis in præliis Varai vtuntur) non ſine eius laudum, & rerum præclare geſtarum commemoratione. Totos dies octo peraguntur hæc triſtitiæ imitamenta: noctes interea ducuntur inſomnes, aut à ſomno reditur ad vociferationem, & luctum. Quibus autem lacrymis & conclamationibus proſequuntur funera, iiſdem etiam excipiunt carorum aduentum: vt iam noſtri ab effuſa illa comploratione, vel deceſſiſſe aliquem cognoſcant, vel acceſſiſſe. Atque hæc de moribus Varaorum, qui nunc paulatim, Deo annuente, mitigari, & ad humanitatem traduci cœpere: & apparent in eis aliqua veſtigia bonitatis. Repertus vnus, qui in illa plures vxores habendi licentia vitam caſtam, & cælibem duxerat iam annum quinquageſimum: interrogatus, vllóſne ſtimulos ſenſiſſet, ignéſve libidinis: plurimos reſpondit, & acerrimos: ſed omnes illos quòd admoneretur animus, vni Deo, cui placeret caſtimonia, morem gerendum eſſe, ſuperatos: is nunc ablutus baptiſmo, in ſuſcepto vitæ propoſito libentius perſeuerat. Hæc erant, quæ cupiebatis, & ego debebam. A. Fuerunt ſanè iucunda. Quod reliquum eſt, ſuadeo, vt cognoſcendis gentium moribus maiorem demus operam: habet enim iſta res vtilitates non modicas, nec paucas, quantum ego videre animo poſſum.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

QVæ de Perſis, Ægyptiis, Scythis diximus, ab Herodoto, & Iuſtino deprompſimus: poteramus etiam à Diodoro. De rebus Turcarum elegimus aliqua è libello Bartholomæi Georgieuizij Peregrini Hieroſolymitani. De Muſcouiticis quæ afferimus, tradidit Sigiſmundus Baro, qui binis legationibus ad Baſilium Magnum Ducem miſſus à Maximiliano I. functus eſt, & diu in Ruſſia commoratus, omnia diligenter explorauit. Mores Iaponiorum, & Sinenſium verbis Petri Ioannis Maffæi retulimus è libris hiſtoriarum Indicarum 6. & 12. De Peruanis iſtu, & plura ad nos Patres noſtri, qui illis in locis rei Chriſtianæ dant operam. Dictio eſt Franciſci Bencij, quem tibi ex orationibus & verſibus Ingolſtadij recuſis notum eſſe arbitror. QVOD QVISPIAM IGNEM QVÆRAT) *Hunc locum Plauti ex Aulularia, qui in vulgatis libris deprauatè legitur, & correxit, & ſimilibus ex eodem poëta prolatis explicauit Commentariis in Catullum Muretus, in epig. ad Furium.* FINIVM REGVNDORVM) *Ad agros, non ad ædificia vrbana pertinens loquendi genus. Regere vetuſto ſignificatu eſt, diſcernere, diſcriminare. Tibull. Qui regeret certis finibus arua lapis. Ergo finium regundorum, eſt finium ſtatuendorum, diſcernendorum, &c.* NOS ATHENIENSES) *Ex Euſtathio docemur viros Athenis natos dici ſolitos* ἀθηναίους *Athenienſes: mulieres autem* ἀττικάς: *vt virum fortem* ἀνδρεῖον, *fœminam* ἀνδρικήν. *Hinc Glycerium apud Terentium rectè vocatur ciuis Attica, non Athenienſis.*

PROGYMNASMA

PRIMVM ET SEPTVAGESIMVM.

Sacrum florilegium.

Id eſt, Chriſtiana, Catholica, ſeu Eccleſiaſtica, Monaſtica bono numero aut latinè ex barbaris, aut latinius, ornatius, copioſius expreſſa.

CARLESIVS, IANVARIVS.

CARLESIVS. Omnimodis, Ianuari, vehementerque probo, quod te ſolere inaudiui iam pridem, & paulò ante, quàm tu ſalutationis officiique cauſſa pedem huc inferres, ex ore Donatelli, tui an mei? quando tibi non concedo, vt eum plus ames, quàm ego, fidelius cognoui, quodque acerrimum tuum in colenda latinitate ſtudium manifeſtè prodit: vt cùm legis ſcriptores, quos Græci patres τοὺς ἔξω, externos ſeu extraneos, non Chriſtianos videlicet appellant, haud oſcitanter incurioſeque obſerues, ſi qua inde verborum mundicies ac lepos, ſi quæ loquendi

formæ rebus Reipub. noſtræ melius, hoc eſt, vt ego interpretor, purius, magis propriè, planius, decentius, vberius etiam eloquendis ſumi percommode poſſint. Quam operam maiore vtique cura & ſedulitate adhibere conſueſti in Chriſtianis tum veteribus nonnullis, tum recentiorib. multis: qui quidem ad notitiam rerum orationis limatæ ac perpolitæ laudem adiungendam ſibi putauerunt. Etenim ſi in ciuilib. ac profanis vetuſta nouis, electa triuialibus, nitidiora ſordidioribus anteponimus, cauemusq; ne in barbarorum ſemilatinorumq; turbam conijciamur, cur tandem iſto honore ſacra & diuina impertiri fugiamus: nempe vt ſententiarum dignitati auctoritatique, ſermonis (quanta nimirum poteſt) quaſi pulchritudo reſpondeat? Deteruntur, obfuſcantur, languent, frigent, iacent, quæ, cùm per ſe illuſtria, magna & mirabilia ſunt, oratione agreſti, horrida, inquinata & immunda denique efferuntur. Quæ dico, non ita velim intelligi, ac ſi voces omnes, ſermonem totum quo noſtri vtuntur mutari, & ad Ciceronis priſcorumque illorum perpendiculum omnia exigi poſtulem: cuius enim hoc foret ſtultitiæ, vel inſaniæ potius? Pleraque impropria admodum, inſulſiora, ac velut deformiora, magiſque ab ignoratione, quam à neceſſitate inuecta, melioribus inter loquendum ſcribendumque emendari poſſe autumauerim. I. Equidem facio, Carleſi, quod dicis, idque adeo ſemota ſegnitie, vt mihi indices quoque ad vſum priuatum confecerim. Et volupe eſt, hunc potiſſimum ſermonem nobis incidiſſe: aſſentiorque tibi in eo maximoperè quod ais, res noſtrates & poſſe, & debere, niſi cauſſa aliqua vetet, verbis lectioribus explicari. Illud præterea neutiquam inficiandum cenſeo, de materiæ ſplendore, & nobilitate multum detrahere ſermonis informe, illotum, incomptum, & tanquam ſcabie fœda reſperſum genus. Verum enimuero, in ſacris videndum eſt (iam enim ciuilia dimittimus) quatenus, & quando id fiat. Nec enim omnia eodem ordine, aut ſemper habere ius ſit. Quædam fortaſſe nunquam cõmutauerim: quædam non ſæpe: quædam quoties videbitur: toties autem videbitur, quoties aut congrediendum, aut quippiam conſcribendum erit. C. Si teneo ſenſum tuum, nec fallit coniectura, non diceres trias pro trinitate, ſacrum pneuma aut flamen pro Spiritu ſancto (quãquam poëtis, qui metri legibus compulſi, in verbis licentiam ſibi permittunt, & alioqui ſuos idiotiſmos ſequuntur, per quos ab vſitata ratione loquendi, vt debent, recedunt, talia prohibere non ſolemus) aut legatus Chriſti pro Apoſtolo, aut Veſtalis pro ſacrata virgine, quod tamen quibuſdam ineptis gemmeum viſum eſt: qui, miror cur non etiam ſacerdotes noſtros popas vocent, quò eos rerum Romanarum tanto ſcientiores crederemus. I. Ego vt ad iſtorum exemplum malè ſaperem? ſubſtomachor, cùm in huiuſcemodi an ſuperſtitiones, an deliramenta legendo incurro. C Rarius porrò, & loco, Patres purpurati pro Cardinalibus, vates pro Prophetis, teſtes pro Martyribus, vetus aut nouum inſtrumentum pro Teſtamento. I. Sanè. C. At nunquam non, in diuos referre, pro Canonizare, templum pro eccleſia, ſacerdotium pro præbenda, aut beneficio. Nam vel inſcientiam, vel latinitatis contemptionem, vel hæc ambo iun-

ctim progeneraſſe nobis tot vocabula aliena, monſtroſa, lutulenta certum eſt: quod ſimiliter de locutionibus accipiatur. I. Bene iudicas de iudicio meo. Sunt enim mutationes quædam odioſæ, etiam doctis, & ſermonum vtriuſque linguæ non ignaris: aliæ non ita multis gratæ: nonnullæ offendunt neminem: quandoquidem propriè rem, clare & feſtiuè declarant. Cæterum ſemper in vſu vocum iſtarum, & loquendi generum, quæ latinitatis & ornatus deſiderio in ſcriptura aut ſermone à nobis adhibentur, idque egregiis ac piis auctoribus viam præeuntibus, non cuiuſuis de populo, ſed prudentium eruditorumque placido hærendum: quorum arbitrium, & exiſtimatio valere debet, & plus æquûm quam iniquûm poſſe oratio. C. Permirum eſt, cùm artifex nullus alterius artis hominem corrigere, aut reprehendere audeat, nec ſutorem cocus, nec piſtorem lanius: atque vt ad liberales diſciplinas veniam, non dialecticus aſtronomum, non rhetorem muſicus, de ſermone tamen omnes iudicare, & velut rogati ſententiam dicere volunt, etiam qui ſine ſolœciſmis nihil fermè loquuntur. I. Sic profectò: latiſſimè fuſam, & infinitatem quandam complectentem linguæ ſcientiam etiam elingues ſibi arrogant: quibus Propertius occinat illud ſuum: Vnuſquiſque ſua nouerit ire via. Sed tolerandum, quod mutari nequit: hi ſunt iam mori mores. Non præteribo adhuc animaduerſionem neceſſariam, quæ niſi adſit, pro laude riſum merebimur. C. Quæ illa? I. Non ita intexenda ſunt omnia in oratione, vt poſita cernuntur in iſtis indicibus, ſed conſiderandum, ecquid hoc verbum, hoc genus loquendi, pro barbaro, nulla mutatione, in hac ſententia, hoc articulo vſurpandum ſit. Et quædam niſi cum ſcribimus non adhibebimus: quæ item ſi nuda ponantur, nimis comparata, & pueriliſ oſtentationis plena videbuntur: quoniam eorum vis & vſus niſi in contextu orationis apparere & exerceri non poteſt. Verùm iſtuc magis præcipiendum pueris quàm grandioribus videatur, & tu quid velim, per te intelligis. C. Etiam. Tuum indicem illum cùm ad me redieris tecum apportabis. I. Fecero. Nunc aliò nobis ſermo conuertatur.

INDEX.

A.

ABbas) Cœnobiarcha, Monachorum Præfectus, antiſtes, pater: hoc enim vox Syra Abbas ſonat, Græcis ἀρχιμανδρίτης. Budæo in Forenſibus Hetæriarchus, quaſi princeps ſodalitatis.

Abſoluere ab excommunicatione) Eccleſiæ communioni reſtituere. Vinculo Eccleſię ſoluere.

Abſolutus ab hæreſi) Expiatus ab hæreſi.

Abbatiſſa) Antiſtita ſacrarum virginum. Aſcetriarum præfecta. Veſtalium antiquiſſima dicebatur Maxima. Eadem fortaſſe præerat. Sic nos aliquando venuſtè Maximã appellabimus, quę deo dicatarũ virginum collegiũ moderatur. Dixi aliquando, quoniã res eſt iudicii, de quo

Digitized by Google

quo nihil poſſumus præcipere:&vereor,ne tyrones quāplurimis ex hoc Indice petitis abutantur.Malè & ridiculè ſic loqueris ex abrupto: mea ſoror eſt Maxima. Rectè a.,ſi ſermo ſit de illis conſecratis virginibus, & incidat in eodem ſermone mentio Abbatiſſæ,illam Maximam ſine adiuncto nominabis.Rectè item ſi dicas: ſoror mea, in illo monaſterio creata eſt Maxima. Atq; vt illæ puellæ ſunt & dicuntur monachæ, ſic earum rectrix dicetur monacharum mater.

Acceptio perſonarum) Diſcrimen hominum,perſonarum.Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Non reſpicit perſonam Deus. Inter homines nullum facit diſcrimen Deus.

A creatione mundi) Ab vltima mundi origine. Ab orbe condito. Poſt hominum memoriam.Poſt homines natos.

Adam vetus,ſeu caro) Inferiores animæ vires,cupiditates,libidines.

Ad pedes Apoſtolorum) Priuatis opibus in commune collatis. Quidquid habebant, ad pedes Antiſtitis abiecerunt, vt proprium cuiquam nihil eſſet.Nihil ſibi reſeruantes,in commune omnia collocabant.

Aduentus Domini) Dies ſacri Dominico aduentui. Hebdomades quæ anniuerſariam Chriſti naſcentis memoriam præcurrunt. Quo tempore exſpectatio virginei partus celebratur.

Aduerſitates,tribulationes) Res incommodæ,& aſperæ, graues, afflictæ,duræ,turbidæ.Caſus aduerſi, calamitates,tempora:hoc n.poſtremo.M.Tullius caſus iniquos appellare conſueuit,vt lib.1.epi.9. Scripſi verſibus tres libros de temporibus meis. Ibid. Habui non temporum meorum ſolùm rationem, ſed etiā naturæ.Et epi.6.lib.4. Seruius tamē tuus omnibus officiis quæ illi tempori tribui poterunt. Pro lege Manil. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui.

Ædificare) Vt cùm dicimus, hoc non ædificat, eſt paruæ ædificationis,&c. Bono,malo exemplo eſſe. Res aut homo boni,ſeu mali exempli.Res nouo&peſſimo exēplo acta.

Agnus Dei) Cereæ agni cæleſtis imagines,effigies. Agni è cera ritè cōſecrata ficti.Sacrata in cera effigies agni cæleſtis.Diuin⁹ agnus in cerea effigie.Sacri agni Dei imago.Sacra ſigillaria cerea diuini agni.

Altare portatile) Subductile, explicatile.Altare temporarium.

Anagoge) Genus interpretandi cum apertum orationis argumentum ad ſententias interiores ſanctioreſq; traducitur.

Angeli) Beatę mētes.*Mētes illę cę*leſtes, & ab omni cōcretione mortali ſegregatæ.Cæleſtes animi.Mētes beatæ,corporib. ſemper vacantes. Quæ ſunt ab omni admiſtione corporum puræ atque ſinceræ.

Anno Domini) Anno poſt Chriſtum natum,Chriſti nati.Anno à ſalute humano generi reſtituta,recuperata. Anno à puerpera Virgine,à partu virginis.

Antipendium) Pallium quo altare prætexitur. Sacra veſtis ad ornatum altaris.

Apoſtatare à fide) Ad hæreticorū caſtra transfugere.Sacra Chriſti deſerere.

Apoſtata & apoſtatare à religione) Deſertor religionis,Fœdifragus monachus,trāsfuga, cucullū abiicere.

Appa-

Apparere, apparitio) N. imago ſecundum quietē mihi obuerſata eſt.

Aqua benedicta) Aqua luſtralis, piacularis, ſacra. Vas ipſum græcè περιρραντήριον, vt ipſum quoque aſpergillum.

Arma paſſionis) Chriſti ſuppliciorum imitamenta. Chriſti cruciamētorum inſignia Sacra monumenta redemptionis noſtræ.

Articuli fidei) capita fidei.

Aſſiſtere alicui in agone) Confirmare aliquem in ſupremo vitæ tēpore, quo anima diſceptat. Succurrere cuipiam in extremo certamine. Adiuti firmatiq; morientes, illa præcipuè hora, quæ de annis omnibus ſententiam fert. In ſupremis firmare quempiam.

Aſſumptio Mariæ) Qui dies diuæ Dei genitricis aſſumptionī ſacratus eſt. Vide, *Dies aſſumptionis.*

Audire miſſam) Intereſſe rei diuinæ, ſacræ, diuino ſacrificio. Rem diuinā obire. Miſſa a Græcis Patribus λειτουργία, ἱερουργία, μυσταγωγία, προσφορά, θυσία, τελετή. Quarum vocum explanationem require à Stephano. Duranto de ritibus Eccleſiæ, li. 1. c. 1. Quod noſter. Ite miſſa eſt, apud antiquos dicebant, λαοῖς ἄφεσις.

Aue Maria) Angelica ſalutatio.

Auſteritas vitæ) Victus cultuſque imprimis horridus & aſper.

B.

Bacchanalia) Hilaria vocant nōnulli, Liberalia, Dionyſia. Quibus diebus bacchatur hominum effrænata licentia. Lupercalia. Illud anni tempus, quo proni eſſe in licentiā, & fluere in luxum homines ſolent. Dies quibus bacchatur impunita licentia. Quibus proni homines in laſciuiam, & in luxuriam fluentes.

Baptizare, baptiſmus, baptizatus) Salutare lauacrum. Sacro baptiſmate ablui. Salutari ablutus aqua. Sacroſancto Chriſtianorum ritu abluere. Baptiſmate inficere. Sacro rore tinctus. Sacroſācto æternæ ſalutis fonte ablutus, tinctus, initiatus. Sacram ab eo ablutionem accepit. Sancto ablutionis ſacramento initiare. Sacro lauacro tingi. Qua hora pueris ſacra aqua ad ſalutem inficiendis opera impenditur. Tingi aqua luſtrali.

Baptiſterium) Dionyſius τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας matrem adoptionis, Zonoras κολυμβήθραν, Ambroſ. Damaſ. alii fontem ſacrum, regenerationis ſacrarium vocitant.

Baptiſmi dies) Luſtricus dies. Ad baptiſmum quoque pertinent, luſtrare & luſtrator.

Benedicere, benedictio) Bene precari. Fauſta cū prece dimiſſi ſunt à Pōtifice. Sancta benedictione afficere. Solemni precatione quempiam luſtrare. Crucis vexillū, quod ſolemni precatione conſecrat Pont. Max.

Beneficium) Sacerdotium.

Bene viuere) Purè & caſtè vitam colere.

Blaſphemia, blaſphemare) Atroces voces, quales multæ à nefariis hominib. in deum ac dei prouidentiam iactantur. Verborum impietas. Diuinum numen verbo violare. Sceleſta lingua deū violare. Impia verba in deum profundere, iacere.

Bona opera, & bona opera facere) Virtutum officiis fungi. Virtutum officia præſtare. Piæ, ſanctæ actiones. Actiones cum pietate ſuſceptę, præclaræ. Virtutis exercitatio. Vſurpatio piorum munerum.

Bonæ conſcientiæ homo) Homo rectus. Homo extra culpam viuens.

Bonæ, felicis memoriæ, recordationis)

Digitized by Google

nis) cui mortuo bene ſit. Cui Deus mortuo benefaciat.

Breuiarium) Codex precum horariarũ. Non tamen malè breuiarium, quam vocem ſuo loco explicauimus in annotationibus.

C.

Cælum, cæleſtes) Cæleſtes domus, concilium cæleſtium, ſuperæ ſedes, ad illas oras, vbi placidiſſima quies, & vita ſempiterna vigent.

Cærimonia) ritus Eccleſiaſtici.

Calendarium) Faſti, Diarium.

Calend. nouum ſeruare) Anni obſeruationem ad præſcriptum noui Calend. dirigere.

Canonicatus) Sacerdotium, Pinguis canonicatus, opulentum ſacerdotium.

Canonizare) In diuos referre. Ad ſanctorum numerum, ordinem adſcribere. Cæleſtes honores alicui decernere.

Cantare vigilias mortuorum) Funebri pſalmodia alicui parentare. Funeralia.

Cantus figuratus) Symphonia.

Capitulum) Canonicorum ſenatus, Collegium.

Capitium, cappa) Cucullus, non cuculla.

Caro) Vide Adam vetus, & Concupiſcentiæ.

Carnisprivium) Vide Bacchanalia.

Cardinales) Patres purpurati. Eccleſiæ ſummum conſilium. Summum orbis Chriſtiani conſilium. Supremus Eccleſiæ ſenatus. Cardinalinm collegium.

Caſula, cappa) Sacræ veſtes. Veſtitus ſacerdotis. Ornatus ſacrificantis.

Caſus conſcientiæ tractare) Explicare quæſtiones de morib. ad Chriſtianam vitam, conſcientiamq; moderandã. Officia hominis Chriſtiani tradere. Res ad Chriſtianum officium pertinentes. Suſcipere doctrinã perutilem, quid ſit officium hominis Chriſtiani. Explicare cõtrouerſias, quæ ad conſcientiam pertinẽt. Quę docentur de finibus bonorum & malorum in re Chriſtiana.

Catechiſm⁹ & catechizare) Scholæ catechiſmi. Catechiſtica diſciplina. Lex Chriſtiana. Chriſtianis præceptis pueritiam inſtituere. Expolire, excolere catechiſmo pueros, plebem, rudes. Chriſtianę diſciplinæ elementa. Initiamẽta Chriſtiana. Inſtituere ſcholas doctrinę Chriſtianę Imbuere Chriſtianis rudimẽtis. Erudire fidei noſtrę myſteriis. Fidei Chriſtianæ pceptiones. Chriſtiana catecheſi populũ formare. Chriſtianæ fidei dogmata. Chriſtiauæ doctrinæ rudimentis inſtituere pueros. Inſtituere pueritiam in præceptionibus Chriſtianis. Initia Chriſtianæ legis exponere.

Catholicũ fieri) Catholica dogmata amplecti. Cum catholica religione recõciliari. Se ad catholica myſteria conuertere. Vide, *Conuerti ab hæreſi.*

Celebrare, & miſſam celebrare) Sacrificare, ſacrificium, ſacra, rẽ diuinam facere, conficere, peragere, ſacris operari. Sacra perpetrare. Cæleſtem hoſtiam immolare. Res diuina apparatiſſima pompa confecta. Solemnia miſſarum inire.

Cella monachorum) Cubiculum.

Chorus in templo, ſeu monaſterio) Odeum à cantu. Veruntamẽ licebit contentũ dicere, vt arbitror, de cõtinente: & quoniam chorus multitudinẽ & coronam conuenientium certo loco tẽpli ad canendũ ſignificat, eadem voce exprimere locum.

Chri-

Chriſtiana religio, ſeu Eccleſia) Chriſtiana Reſpub Res Chriſtiana. Chriſti inſtituta.

Chriſtiani, non chriſtiani) Qui Chriſti diſciplinam profitentur. Chriſtianorum ſacris imbuti. Qui falſas religiones colunt.

Chriſtianum facere, ſeu fieri) Ad Chriſtum adiungere. Chriſto nomē dare. Chriſtiana ſacra ſuſcipere. Chriſtianis ſacris imbui. Chriſtianā diſciplinam complecti. Chriſtianæ militiæ adſcribi. Ad ſanam religionem à Brachmanarū fabulis, & impura ſuperſtitione traducti. Reiecto idolorum cultu ad Chriſtianam Eccleſiam ſe aggregarunt.

Chriſtus redemit) Hominum mētes expiauit. Patris numen humano generi infēſum placauit, aditumq; nobis in cœlum patefecit. Seruile iugum à ceruicibus noſtris deiecit.

Clericum fieri) Clericū profiteri.

Coadiutor Epiſcopi, Abbatis, &c.) Epiſcopus, Abbas deſignatus.

Coadiutor, ſeu conuerſus) Adminiſter rei domeſticæ. Qui domeſtico opere exercetur. Rei familiaris adiutor. Ad domeſtica miniſteria adſcriptus Adiutor operum.

Cœna Domini) Dies ſacer cœnæ Domini.

Cōmendare Deo aliquid in oratione) Conſulto per preces ac ſacrificia domino. Conſulto ſuppliciter deo.

Communicare, communio) Ad ſacrā ſynaxim, menſam accedere. Sacro munitus viatico, de moriente. Panem cœleſtem accipere. Cæleſte epulum. Cæleſti pane refici. Sacroſancto Chriſti corpore paſci. Cæleſti exceptus conuiuio. Elutis animi ſordib. diuinum conuiuiū celebraro. Pabulo cæleſti refecti. Percipere ſacroſancta myſteria.

Communicare cum aliquo) Communione iungi.

Concionari, concionatores) De rebus diuinis ad populum dicere. Oratores Euangelici. Euangelii præcones, nuntii. Euangelia explicare. Qui ſunt populo à concionibus, Eccleſiaſten agere.

Concupiſcentia) Libidines, cupiditates. Indomitæ animi cupiditates. Effrænatæ libidines. Turbulentæ, & concitatæ animi permotiones.

Confeſſarius) A confeſſionib. Qui ſibi confitenti aures dederat. Suæ conſcientię iudicē. Miſſi qui delicta confitentib. aures commodarent. Quo ad ſacras cōfeſſiones vtebātur.

Confeſſio, confiteri) Eluere animos peccatorum ſordibus. Confeſſionis ſacramento perpurgare animum. Patefacere cōſcientiæ labes ac vulnera. Expiare peccatorū ſordes. Per purgatus ſalutari confeſſione peccatorum commiſſorū. Vitæ noxas confeſſione delere. Peſtilentiæ virus euomere. Obire confeſſionis ſacrū myſterium. Crimina ſua apud ſacerdotem accuſare, exponere. Conſcientiæ maculas pœnitentię ſacramēto eluere. Sacerdoti ſe ritu Catholico aperire. Peccata confeſſione deponere. Cōfeſſione ſordes conſciētiæ abſtergere, maculas abolere.

Confiteri generaliter, confeſſio generalis) Expiare ſuperioris vitæ noxas. Confeſſio omnis anteactæ vitę. Omnium annorum confeſſione expiati. Aperire omnia peccata, quæ vel à pueritia meminerimus. Totius vitæ flagitia ſacra confeſſione expiare. Repetita confeſſione omniū à pueritia peccatorum. Expoſuere omnes ſacerdoti, quid quiſque dolendum egiſſet in vita. Confeſſio vniuerſæ vitæ. Repetita confeſſio, vel

ex eo tempore, quo iudicium facere poterant. Confiteri de peccatis tota vita admiſſis. Animi labes quas in omni vita collegeris expiare. Totius vitæ maculas confeſſione eluere. Non reticentibus qua in re per omnem vitam deliquiſſent. Vt alterius quaſi ordirentur vitæ initium, veteris planè omnis crimina ſacerdotibus aperiendo repetiuerunt. Annorum omnium culpas exponere. De criminibus vel ab ipſa pueritia confiteri. Abſoluti noxiis, quas vel à pueritia contraxerant. Retroactam vitam confeſſione detegere, aperire.

Contritio) Dolor ex flagitiorum recordatione ſuſceptus.

Controuerſia) Dogmata quæ in controuerſiam vocantur.

Conuerti, conuertere ab hæreſi) Ad Eccleſiã reduci. Poſita contumacia ſuauiſſimo Eccleſiæ iugo ceruices ſuas ſubiicere. E ſumma caligine ac tenebris in lucem catholicæ veritatis eruti. Ad ſinũ catholicæ Eccleſiæ redire. Reſpexerunt fidem catholicam Reſtitui, redditi catholicæ religioni. Ad Eccleſiæ, ſeu Pontificis Max. auctoritatem redire. Cum ſancta Romana Eccleſia in gratiam reſtituere aliquem. Eccleſiæ reconliari. Deduci de prauis opinionibus, Ereptus error deprauatæ religionis hominib. Eiicere, eiurare hæreſim. Haurire orthodoxam doctrinam. Reddere ſe Eccleſiæ. Peruerſarum opinionum venenum, virus eiicere. Abiurata hæreſi ſe cum Eccleſia catholica coniungere. Religionẽ Catholicã reſpexere viginti. Eiicere ſe à prauis opinionib. de religione. E ſeditioſis ſectis extulêre ſe nõnulli. E falſarum opinionũ ſalo transferre ſe in catholicam cymbam. Ad cœtũ rectè ſentientium redire. Ad imperium Romanæ Eccleſiæ ſe reuocare. Repudiare falſarum commenta opinionum. Romanæ Eccleſiæ manus dare. Excutere prauas opiniones. Eiecerunt peſtem, quam in animo habebant. Perfugæ ad Eccleſiam Catholicam reducti.

Conuerti, conuertere ab improbitate) E corruptis moribus ad emendatiorem vitam traducti. Ad bonã frugem reducti, redire. E peccatorũ, ſcelerum gurgite extrahere quempiam. Ab improba peccandi conſuetudine ſe reuocare.

Conuerti à paganiſmo) Qui reiectis tenebris vanarum ſuperſtitionũ, luce diuinitùs immiſſa ad Chriſtianã religione ſe applicant. Simulacrorũ cultu abiecto, vnius Chriſti cultui ſe cõſecrare. Ad ſanctũ Chriſti cultum redigi. Chriſtianis ſe ſacris addicere. Vide *Chriſtianũ fieri.*

Corporalis theca) Sacrorum linteolorum thecæ.

Creator) Vis diuina rerum omniũ effectrix.

Crucifixus, crucifigere) Signum pendentis Ieſu. Simulacrum Chriſti domini in cruce exſpirantis. In crucem actus, ſublatus, cruci affixus. In crucem tollere. Supplicio crucis affectus. Cruce affectus.

S. Crux) Lignum in quo ſalus noſtra ingemiſcente rerum natura pependit.

Cum, ſeu inſuper pelliceo) Linteati, linteis induti tunicis, albati, lintea veſtis.

Cum, ſeu in caſula) Cum veſte ornatuque ſacrificantium.

D.

Damnare) Sempiternis ſuppliciis mactare. In æternas miſerias & tenebras deiicere.

Dare

Digitized by Google

Dare eleemoſynam) Stipem cõferre in egentes, mendicos. Benigè facere.

Dare pœnitentiam) Piaculum imponere.

David præfigurauit Christum) Moribus & factis venturum Chriſtum multis in rebus repræſentauit.

Dedicatio) Religionibus conſecratum, dedicatum templum. Sollemnia ac iuſta conſecrationis.

Degradatus, degradare) Exauctoratus. Sacerdotii dignitate cum ignominia ſpoliatus. Exaugurare, Presbyterio abdicare.

Deuotus) Religioni deditus, religioſus, caſtus, pius, ſanctus.

Deuotum eſſe alicui ſancto) Præcipuo quodam cultu D. Petrum venerari. In S. Pauli maximè cliẽtelam fidemque confugere. In fidem ac patrocinium D. Magdalenæ ſe conferre. Religione magna S. Catharinæ tenebatur. Ioanni Baptiſtæ gens illa eximio cultu, ac præcipua religione deſeruit.

Diabolus) Hoſtis humani generis. Vafer humani generis inimicus.

Dies annunciationis) Dies cæleſti ad Virginem nuntio ſacer.

Dies aſſumptionis) Dies aſſumptæ in cælum genetrici ſacer. Quo die aſſumptionis Mariæ anniuerſaria gratulatio celebratur. Quo die aſſumptæ in cælum Virginis memoria recolitur. Commemoratio Virginis in cælum aſcendentis.

Dies S. Catharinæ) Quotidie Catharinam Martyrem Chriſtiana veneratur Eccleſia. Dies D. Catharinæ feſtus, ſacer. Qua luce S. Catharinæ ſacra natalitia celebrantur.

Dies cinerum) Cineralia. Ex lib. Q. Corradi de ſerm. lat. copiam diſces quo pacto alios dies religioni dicatos, ad veterem formulam nomines. Laurentalia, Paulilia, Fabianæ, Antonianæ feriæ. Octodialia, qui octo dies ſunt attributi Diuis quibuſdam auguſtioris religionis cauſſa. Octauas vocant.

Dies corporis Chriſti) Dies quo auguſtiſſimo ritu Euchariſtiæ anniuerſarium ſacrum colimus.

Diſciplinas facere) Pœnæ nomine ſe acerrimè verberare. Voluntariam de ſe pœnam verberibus ſumere. Corpus voluntaria verberatione coërcere. Se flagellis cædere. Se voluntario cruciatu conciderunt flagris. Verberibus in ſuum corpus animaduertere. Flagris ſe multare. Ad domandũ corpus verberum adhibere diſciplinam. Supplicium nõ leue de ſe voluntaria diuerberatione ſumpſerunt. Acerbiſſimis flagris caſtigare corpus.

Diſpenſare cum aliquo) Canonis, ſeu legis gratiã facere alicui.

Diſpenſare in voto) Voti religione ſoluere.

Domuncula ſacramenti) Sanctuarium auguſtiſſimo Chriſti corpori cuſtodiendo, Euchariſtiæ aſſeruandæ. Præcelſum Euchariſtiæ pegma. Hunc eundem locum in quem areula Euchariſtiæ includitur, veteres appellarunt παστοφόριον, quæ vox thalamum ſonat. Bene plane, cum

ibi reponatur Ieſus, qui eſt Eccleſiæ, animarumque noſtrarum ſponſus.

E.

Eccleſia Catholica) Catholicorum caſtra.

Eccleſia primitiua) Eccleſia oriens enaſcens, Chriſtianorum tũ primum adoleſcens Eccleſia.

Eccleſia Romana] Princeps & magiſtra orbis terrarum Eccleſia.

Eleemosyna, ex eleemosyna, eleemosynã petere, dare] Ex collaticia, collectitia pecunia. Stipem q̃ritare, colligere, corrogare, conquirere, precariò cogere, panem præbere mendiculis. Oſtiatim victum petere.

Eleuatio in Miſſa, eleuare] Cum extolleret ſacerdos cæleſtem hoſtiam, populo venerandam.

Epiphania feſtum] Regalia.

Epiſcopum aut pontificem fieri] Ad pontificatum aſcendere. Delatam Eccleſiæ Romanæ accepit adminiſtrationem.

Eremus] Inculta ſolitudo.

Ethnici] Qui nullam Chriſtianæ religionis diſciplinam acceperunt. Quos deus vera ſui cognitione non afflauit. Veteres, quorum animi denſiſſimis errorum tenebris inuoluti, ea quæ nobis diuinitus affulſit, veritatis luce caruerunt.

Examinare conſcientiam] Sua dicta, facta per diem diligentiſſimè recognoſcere. Rationem docebat, qua ſe quiſque excuteret. Conſcientiã excutere. In ſeipſũ quotidie diligenter inquirere. Explorare latebras conſcientiæ, & diurna facta ad Chriſtianæ religionis rationem exquirere. Quotidiana perſcrutatione intimos animorum receſſus inſpicere. Traditus eſt modus, quo quiſq; totum diem ſecum ſcrutetur, factaque & dicta omnia noctu remetiatur. Quotidiano examine cõſcientiam explorare.

Excommunicare, excommunicati, excommunicatus] A piorum ſocietate, & communione ſecludi. Ab Eccleſiæ communione repelli. Extra Eccleſiæ ſepta eiectus. Communione ſecludere, multare, remouere. Anathemate percellere, iugulare. Cõmunione depulſus, ſpoliatus, ſecretus, ſemotus. Communionem alicui interdicere, aliquem communione deiicere. Anathema dicere N. Abdicatus, abdicare aliquem. A corpore Eccleſiæ ſegregare. Dirum, graue anathema in eum contorſit. A ſacris amouit. Sacro anathemate perſequi. Nominatim diro in eum carmine compoſito, pœnis inferorum deuotus. Communione piorum eiectus. Anathema alicui affirmare. Diri, deteſtati, abominati, ſacri, pro excommunicatis.

Exercitia ſpiritualia, & ſacra exercitia] Exercitationib. ſacris, piis excoli, expoliri. Diuinarũ rerũ cõmentationes. Commentationibus ſpiritualibus exerceri.

Extremum iudicium] Quo die in vitam genus humanum reuocabitur, & pro ſe quiſq; apud diuinũ tribunal cauſſã dicet. Dies ille nouiſſimus, quo vniuerſum genus humanum ad vitã reuocabitur, & Chriſtus de cælo ad iudicia

Digitized by Google

dicia exercenda deſcendet. Quo omnium ſæculorum mortui reuiuiſcent. Ille dies de omnib: annis noſtris ſententiam laturus.

Extremam vnctionem ſuſcipere] Sacro perungi oleo. Extremo delibutus oleo, ad luctandum cum aduerſario.

F.

Facere crucem] Signum crucis digito in fronte pingere, effingere, exprimere.

Facere pœnitentiam] Labem aliquo piaculo diluere. Voluntarias pœnas vltro ſuſcipere. Præteritæ vitæ peccata quàm acerrimè vindicare. In ſuum corpus ſæuire, & debita vitæ licentius actæ ſupplicia à ſemetipſo exigere.

Facere primitias] Sacerdotii primitias diuinæ maieſtati libare. Primas diuinæ maieſtati hoſtias immolare. Sacrificandi facere initium.

Feſtum inſtituere] Sylueſter diem inuentæ crucis feſtũ Chriſtianis eſſe ſolenni poſthac cærimonia ſtatuit. Sollenne tanto miraculo, quod nunc quoq; ſeruatur, inſtituit.

Feſtum] Fabianæ, Antonianæ, Paulinæ, &c. feriæ.

Figura] Vmbræ & imagines. Rerum futurarum imago, adumbratio. Præfigurauit, adũbrauit.

Fomes peccati] In ipſa conceptione contrahimus labem, & procliuitatem incredibilem ad peccandum, quæ ad omnia ſcelera, & flagitia impellit.

Fundatores religionum] Qui monaſtico ordini leges dederũt, ac rigidæ vitæ diſciplinam deſcripſerunt Parentes, conditores, auctores religionum.

G.

Geneſis] Quidam appellant hunc librum, hiſtoriam mundi περιφραστικῶς. Hiſtoria eſt certè. Item ſacrarum originum.

Gentiles] Tenebris gentilitatis oppreſſi.

Grana benedicta] Piaculares globuli, orbiculi.

Guardianus] Cuſtos cœnobii, Pater monachorum.

H.

Hæreticus, hæreſis, hæreticum fieri] Homo peſtiferis opinionib: corruptus. Hæreſium peſtilentia fœdatus, inquinatus, Peſtifera labe prauarum opinionum corruptus. Hæretica labe pollutus, contaminatus. Prauarum religionum virus. Malè de Eccleſia ſentiens. Hæreſeos labe infectus. Secernere ſe ab Eccleſiæ catholicæ corpore. Lutherum, Caluinum profiteri. Aberrare à regula & præſcriptione Catholicæ fidei.

Hebdomada ſancta] Hebdomas maior, magna.

Horæ] Preces horariæ. Preces primæ, tertiæ, veſpertinæ, matutinæ, nocturnæ.

Hoſpitale infirmorum] Noſocomium. Valetudinariũ publicũ.

Hoſpitale peregrinorum, pauperum] Xenodochium.

Humilitas, humiliter, humilis] Modeſtia, modeſtè, ſummiſſè. Deſpicientia ſui inſignis fuit D. Franciſcus.

Hausarme Leuth) Qui cum propter paupertatem aliena indigeant miſericordia, ingenuo pudore à quærendo deterrentur. Quibus fame potior eſt pudor. Pauperes verecundi. Quos inopia domo egredi prohibet.

I.

Ieiunare, ieiunium) Inedia ſe macerare, inediam tolerare, perferre. Cibo abſtinere. Ieiunia inire. Inedia corpus affligere. Ciborum ſtatis temporibus abſtinentia.

Incantatus) Maleficis artib. carminibusque deuinctus.

Indulgentia) Condonationes. Indulgentiæ plenariæ iubilæi, expiationes publicæ.

Infernus) Æterni cruciatus. Vbi impij ſecluſi à concilio cæleſtiũ, in perpetuis miſeriis verſabuntur.

Ingredi in religionem, religio) Mancipare ſe cœnobiis. Inter Franciſcanos admitti, aſciſci. Addicere ſe religioni. Adſcribi in Societatẽ Ieſu. Adſcitus, adſcriptus in familiam, ordinem Benedictinorum. In commilitiũ noſtrum adſcripti. Vt in religioſorum familiis humanarum rerum cura ſoluti deo liberius operẽtur. Ad Chriſti vexilla confugere. Concludere, includere ſe in cœnobia. Deo ſe deuouere in religione. In religioſam ſe dicare familiam. Religionis arctiſſimo ſe ſacramento obligare. Monaſticæ vitæ ſe addicere. Religioſorum inſtituta profiteri. Chriſtianæ militiæ, Capucinorum ordini nomen dare. Chriſtiana philoſophia. Dicatæ deo familiæ. In monachum tonſus eſt. Ad religioſorum ordinem appellere animum. Religioſorum vitam inire. Religioſorum caſtra ſequi. In cœnobium ſe cauſſa religionis conferre.

In honorem annunciationis, natiuitatis B. Mariæ dicatum) B. Mariæ ſalutatæ ab angelo, naſcenti &c. dicatum.

Inquiſitor, inquirere) Hæreticarum cauſſarum quæſitor. Sacri quæſitores. Quæſtionem fidei in aliquem exercere. Sacra Quæſitorum tribunalia. Qui cauſſarum ad fidem ſpectantium quæſtionibus præſunt. Præſes Inquiſitionis, Sacrarum quæſtionum Præſes.

Inuocare B. Virginem) Beatam Dei matrem intenta ſupplicatione propitiare.

L

Lacticinia) Lactaria.

Legere horas) Recitare preces horarias. Pſallere.

Liberare ab obedientia ſubiectos) Sacramenti quo ſe illi obligauerant, religione exſoluit.

Liberum arbitrium) Libera hominis voluntas.

Litania) Religioſa ſupplicatio, diuinæ ſupplicationes. Modulatum litaniarum carmen, quibus ſanctorum ſuffragationes expoſcimus.

M.

Mala conſcientia) Impedita ſcelere conſcientia.

Maledictus) Exſecratione deuinctus.

Manna)

Manna) Roſcidum illud pabulum è cœlo ſereno atq; puro demiſſum.

Martyrizari) Sacra Martyrij corona donari. Pro Chriſti confeſſione ſupplicio ſe deuouere. Glorioſo martyrio donatus, affectus eſt. Martyrium de Timotheo ſumptum eſt. Sacrum ſæuiente Nerone martyrium pertulerunt.

Mediator) Deprecator.

Meditari, meditationes) In contemplatione ſuperarum rerum atque cœleſtium exercere animum. Piæ commentationes.

Meretrices conuerſa) A meretricio abductæ. E libidinis cœno emerſæ. Ad vitæ honeſtatem traduci. Mulierculæ è cœno turpitudinis extractæ. Ad amorem pudicitiæ reuocari. Mulieres præmortui pudoris vitam turpem cum honeſta mutarunt. Fœminæ quarum fama notabatur, ad frugem conuerſæ. E turpi corporis quæſtu abſtractæ. Mulieres proſtituti corporis ad bonam mentem reductæ. A flagitioſa conſuetudine remotæ mulierculæ. Meretricium deſerere. Eiicere ſe è vago concubitu. Deſierunt ſeruire multorũ amoribus. Turpi vitæ multam ſalutem dixerũt. A turpi quæſtu ad pudorem & ſanctimoniam ſe reuocarunt. Ad pudorem deſerta nequitia, in qua diu habitauerunt, conuerſæ.

Miracula, & miracula facere) Signorum editio. Mirandis operibus editis, & ſupra hominis conditionem in vita nobilitatus. Res ſupra naturæ, vim & ordinem effectæ.

Miſſam audire) Vide *Audire Miſſam*.

Monachi Franciſcani, Dominicani) Collegium ſodalium D. Franciſci, Dominici. Familia ſacra D. Franciſci. E diſciplina S. Franciſci homines. Qui D. Franciſci inſtituta profitentur.

Monachum fieri) Vide *Ingredi religionem*.

Moniales, monialem fieri) Virgines Chriſto conſecratæ, deo addictæ. Perpetuæ religioni & caſtitati ſe conſecrare. Virginitatis ſponſione ſe obligare. Cœnobiis virginum ſe deuouit. Sacrarum virginum collegium. Deo ſe in religioſarum familiis dedicare. Virginitatem ſuam in perpetuum domino conſecrare.

Mortale peccatum) Capitale crimen, facinus mortiferum, lethalis noxæ piaculo obſtrictus, lethale peccatum, crimen. Peſtiferæ maculæ animorum.

Mortificare, mortificatio) In ſemetipſum durum ac ſeuerum exiſtere. Acriter ſibimet imperare. Salutare odium ſui. Abſtrahere ſe à corpore, & cupiditatibus imperare. Aſperitas vitæ. Voluntaria corporis afflictatio. Animum frangere.

Mundi vanitates, & res temporales) Rerum fluxarũ blandimenta. Voluptatum illecebræ. Res fugaces, perituræ, caducæ, inanes, mortales. Ea quæ apud cæcos mortales prima putantur.

N.

Natiuitas Domini) Natales Chriſti feriæ. Natalia ſimpliciter, & natalitia. Sollemne natalitium. Theophania Nazianzeno.

Digitized by Google

Natiuitas Ioan. Baptiſtæ] In eum ipſum diem Ioannis Baptiſtæ ſollemnia incidunt; cuius fęlicem lætumque humano generi exortum, è cæleſtis oraculi promiſſo totus pæne orbis terrarum exquiſitis ludis, & anniuerſaria gratulatione concelebrat.

Nouitius, nouitiatus] Tyro, candidatus alicuius religioſæ familiæ. Qui nomen dederunt in Benedictinos. Tyrocinium. Qui è nouitiorum diſciplina vitam fingunt.

O.

Obedientiã deferre ſummo Pont.] Clementi VIII. vti Eccleſiæ vniuerſæ paſtori, & ſummo in terris dei vicario, paratam ad omne obſequium voluntatem ac ſtudium, nomine N. ſollemni cum adoratione ac pedum oſculo detulit.

Orare] Deo preces adhibere. In diuinas precationes ſe effundere. Precationes inire.

Oratio mẽtalis] Tacita precatio.

Ordines ſuſcipere] Sacris initiari. Per omnes ordinum gradus ad apicem ſacerdotii euecti. Sacerdotio, diaconatu inaugurari.

Originale peccatum] Natiua labes. Inſitum naturæ crimen. Peccati inhærentis contagio.

P.

Palmarum dies] Oſchophoria, ramalia, verbenalia, palmaria.

Paraſceue ſeu dies Veneris ſanctus] Dies quo ſe ꝑ nobis Chriſtus in cruce tradidit. Soteria. Dies dicatus redempto orbi. Sollemnes tum fortè agebantur feriæ, quibus cæleſtes iras in omne genus humanum intentas, olim ſuo potiſſimum capite Chriſtus excepit.

Parochus, parochia, parochiales] Antiſtes ſacrorum, Curiones maximi, Curatos barbari nominant. Curia, Curiales. Qua voce nonnulli appellant famulos ac miniſtros Principum, ineptè: ſicut & curiam, quam latini vel aulam, vel regiam.

Paſſio Domini] Acerbiſſima nex, mors, cruciatus, tormenta. Aſperi cruciatus Chriſti. Acerbiſſima Chriſti mors pro humano genere obita. Recitata hiſtoria Chriſti domini patientis. Sermo de Domini exceſſu publicè habitus eſt.

Patina in Miſſa] Pollubrum. Cum binis guttis malluuium.

Patrinum fieri] E ſacro fonte ſuſcipere. Patrinos aliqui vocant ſuſceptores, alii compatres. Tertullianus ſponſores, Auguſtinus fideiuſſores, fidei doctores, nempe illi, quem ſuſcipiunt. Dionyſ. ἀνάδοχος.

Peccare] Flagitia & impuritates ſuſcipere.

Peccare venialiter & venialia] Noxarum ſordes aliquas contrahere. Minora piacula. Minimæ noxæ, & leuiora peccata, quæ magis crebra & quotidiana ſunt.

Pentecoſte] Diei quinquageſimi celebritas, quam græco nomine Pentecoſten vocant.

Peregrinationes, peregrinari ad loca pia] Votiuæ peregrinationes. Religionis cauſſa aliquò proficiſci

ciſci, adire. Sacras peregrinationes obire.

Perſecutiones) Vexationes Chriſtianorum acerbè exercuit. Sæuiſſimas in Chriſtianos quæſtiones exercuit.

Pœnitentia, pœnitentiam facere) Quæ ad incommoda, & macerationem corporis pertinent. Rebus duris numini propitiando operam dare.

Prædeſtinatio) Præſenſio atq; præſcriptio diuina.

Prædicantes) Magiſtelli, & ranunculi in popinis clamitantes, quos Prædicantes vocant.

Præſumptio) Præceps confidentia.

Proceſſio) Pompa ſollemnis, ſacra. Publica ſupplicatio. Sollemnes ducere pompas. Cum magnâ clericorum & ciuium pompa duceretur ad templum maximũ, ad ædem principem huius ciuitatis.

Propheta, prophetia, prophetare) Sancti vates. Prophetico ſpiritu clari. Vaticinij laude florentes. Vaticinia. Vaticinationes. Prædictiones. Spiritum prophetiæ habere. Latinius, diuino afflatum ſpiritu multa vaticinari. Oracula canere. Diuino afflatus numine vaticinium protulit.

Proponere caſum) Proponere ſpeciem facti communiter excutiendam.

Pſalmi) Diuina Dauidis carmina. Hymni ſãctiſſimi Dauidis.

Puellæ in periculo) Quarum pudicitia fluctuabat, locatæ in portu. Virginibus conſultum, quarum pudicitia inopia periclitabatur.

Purificatio) Expiatio, luſtratio.

Q.

Quadrageſima) Cineralium tẽpus. Ieiunia cineralia. Quadragintadialia, Dies pœnitentiæ dicti. Quadraginta dies verni ieiunij. Tempus ſeu dies maioris ieiunij. Ieiunium quadrageſimũm dierum. Maximum ieiunium. Hebdomades quæ anniuerſariam Chriſti morientis; reuiuiſcentiſque memoriam præcurrunt. Quadraginta dies ſollemnis ieiunij.

Quæ nec oculus vidit) In cæleſti & ſempiterna domo dei talia bona nos manent, vt ea neque aſpectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neque vlla cogitatione queant adumbrari.

Quos prædeſtinauit) Quos ex infinita mortalium multitudine ſelegit, quò vitam puram, & caſtam agentes in terris, poſtea beati æuo ſempiterno fruerentur in cœlo.

R.

Raptus] Alienatus à ſenſibus.

Redemptor] Vindex & parens noſtræ libertatis.

Refectorium] Cœnatio, triclinium.

Reformare, reformatio] Eliſis ſtirpibus prauarum conſuetudinum, quæ caput tollebant, effecerunt, vt oppidò magna ſibi ad Chriſtianæ vitæ ſtatum ſubſidia pararent. Inſtaurare diſciplinam cœnobiorum. Legibus labentem monachorum diſciplinam coërcuit. Laudabiliorem vitæ rationem inſtituerunt. Cleri diſciplinam corrigere eſt aggreſ-

Digitized by Google

aggreſſus. Reſtituta diſciplina lapſa. S. Benedicti diſciplinam prope intermortuam excitauit. Ad arctiorem diſciplinam erudire. Ad rem eccleſiaſticam inſpiciendam & ordinandam.

Religio) Vide *Ingredi religionem*.

Renuntiare mundo) Nuntium rebus humanis remittere. Rebus mortalibus valere iuſſis. Vide *Ingredi religionem*, *Monachum fieri*.

Requiem, requiem legere) Sacrũ funebre. Piaculare ſacrum facere. Iuſtis ſolemni Chriſtianorum ritu peractis.

Reſurrectio Chriſti) Chriſti reditus ad vitam. Dies anniuerſarius domini reuiuiſcentis.

Reſurrectio hominum, reſurgere) In vitam redire, reuocari. Reditus, reuocatio ad vitam.

Res temporales) Vide *Mundi vanitates*.

Rogationum dies) Robigalia, ambarualia, amburbalia. Sed videndum, vt in præfatione monuimus, quando & quomodo his & ſimilibus vtamur: habendumque ante oculos prouerbium: οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πᾶσιν. Nec omnia, nec omnino, nec vbique, nec apud omnes.

S.

Sacramenta frequentare) Sacra myſteria in templo obire.

Sacra ſcriptura) Sanctæ, diuinæ litteræ, diuini libri, diuinarum legum, diuinorum librorum, ſacrorum ſcriptorum monumenta. Venuſte Lactant. De qua (mũdi fabrica) in arcanis ſanctæ religionis litteris traditur. Poſſumus interdum nominare cæleſtia ſcripta, cæleſtem doctrinam: non ita tamen, vt dicamus, cæleſtis doctrina eſt difficilis ad intelligentiam. Quidam Theologus Pariſienſis, cuius extant commẽtarij in cæleſtia ſcripta, & ſimilia. Res eſt iudicij, quod præcipi non poteſt.

Sacrificium deo ſpiritus contribu'atus) Animus fractus, atque propter criminis admiſſi conſcientiam iuſto mœrore deiectus deo pro hoſtia eſt.

Sacriſtanus, ſacriſta, ſacriſtia) Æditaus. Sacrarium, veſtiarium. In eo reponitur ſacra ſupellex, ſacer ornatus, ſacrum inſtrumentum.

Scandalum, ſcandalizari) Offenſio, offendi. Vide *Ædificare*.

Schiſmatici) Chriſtiani quidẽ, ſed à Pontif. Max. auctoritate diſiuncti.

Scrupulus, ſcrupuloſus) Obſtrictus religione. Anxiferis ſcrupulorum aculeis malè accipiebatur. Magnis conficior ſollicitudinum aculeis ſcrupuliſque ex recordatione vitæ prioris, nullamque animo prorſus ægro & ſaucio quietem capio. Amariſſima ſuperſtitione ſuperiorum annorum delicta, occupatum animum torquebant. Suſpiciones, ægritudines, pauores, metus, fluctus æſtuſque ſollicitudinum. Conſcientiæ ſtimuli. Infælix ſui calumniandi miſeria ac pœna. *Habuit ſcrupulum hoc faciendi*) Impetũ retardabat ſuſcipio latẽtis in tã ſpecioſa cogitatione piaculi. *Non ſcrupuloſus*) Solutus religione animus. *Scrupulũ ſoluere*) Multorũ q religione

gione obſtricti tenebantur exſoluta conſcientia.

Senſus literalis) Hiſtoricus. Explanandi ratio hiſtorica. Genus interpretandi hiſtoricum. Quod ab apertiore orationis argumento non recedit. Inhærens ſententię ſacrorum librorum explanatio.

Simonia) Sacrorum nundinatio. Sacrilegus mercatus ſacerdotiorum.

Somnus peccatorum) Lethalis animi veternus.

Suffraganeus) Chorepiſcopus. Sic enim in Concilio Antiocheno dicuntur Vicarij Epiſcoporum, qui erant ipſimet Epiſcopi conſecrati, & alios initiare poterant. Vocari etiam poſſunt ab eodem officio Initiatores.

Suſpendere ab officio, ſeu deponere) Sacerdotio exuere. Officium epiſcopi ei abrogauit. Patriarchali honore priuauit. Depelli ab officio ſacerdotis. Sacerdotali officio ſpoliare.

T.

Talentum) Egregia animi bona, & quaſi talenta.

Templum cathedrale) Templū maximum, princeps, ſummum. Ædes primaria.

Teſtamentum vetus) Priſcæ legis inſtituta.

Tonſuram accipere) Sacra tonſione affici.

Tribulationes) Vide, *Aduerſitates*.

V.

Veſpera) Veſpertinæ preces.

Vigilia S. Thomæ) Peruigilium S. Thomæ, aut alterius diui.

In vigilia annuntiationis) Silentio noctis eius, cui dies feſtus angelicæ ſalutationis illuxit.

Viſitatio) Ad res componendas. Ad ordinanda monaſteria.

Vouere, caſtitatem vouere] Voto ſe deuincire, obſtringere. Suum corpus perpetua ſponſione voti Deo conſecrare. Seruaturam ſe pudorem perpetuum voto obſtrinxit. Suā Deo caſtitatem voto dedicare.

COROLLARII loco attexam verba ſiue ſermonē quendam ex hiſtoria Indica Ioan. Petri Maffeij, in quo multa huius generis, quod nos quærimus. Vnius æterni trinique Dei prouidentiam: vniuerſitatis huiuſce molitionem ex nihilo; primi hominis crimen in poſteros homines lethali contagione transfuſum: neceſſitatem ſatisfactionis infinitæ, quam præter deum præſtare cum poſſet nemo: deus ipſe redimendi generis humani gratia factus homo, volens prudenſque pro ſua immenſa bonitate ſubierit: ad hunc humanæ ſalutis auctorem, quotquot ſeſe per fidem & imitationem & charitatē adiunxerint; hiſce omnibus inenarrabilia quædam & ſempiterna eſſe in cælo præmia conſtituta: qui ſecus, hiſce in tartaro itē exquiſitiſſima in omnem æternitatem parata ſupplicia: ad vtram quiſque pertineat claſſem, extremo voluentium ſæculorum die, cum animæ vita functæ rurſum corpora induerint, deum ipſum iudicem in celeberrimo ſuperûm inferûmque conuentu lata ſententia planum eſſe facturum.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

QVamquam de hoc indice nonnulla varijs locis per dialogorum meorum volumina illigauerim, tamen ratus ſum è re ſtudioſorum fore, ſi omnia huius generis vnam in ſeriē vno in loco, plurimis accumulata proponerentur. Quibus cautè conſideratéq; vtendum moneo. Quod enim cum modo, loco, tempore aptè atq; opportunè adhibitum feſtiuitatem, & elegantiam habere potuiſſet, id ineptè vſurpatum cachinnos etiam mouebit. Pro Angelis (tametſi hoc magis non latinum, quàm barbarum eſt) oſtendimus dici beatas mentes. Dicat ergo puer aliquis, aut annis fortaſſe adoleſcens, iudicio planè puer, pictorem pinxiſſe beatas mentes. Aut, ad Mariam virginem ſæpius veniſſe beatas mentes. Nonne ridebis? Omnia ſunt iudicij, quod legendis auctoribus aliquantum iam tritum, & expolitum eſſe conuenit. Quocirca pleraq; ſic attuli, quemadmodum in ipſis auctoribus ſuis legeram: nec generibus, caſibus, temporibus, partibus orationis variatis: imo etiam ipſam locutionis ſuppeditaui, vnde quiſq; ſibi quod vellet, & poſſet, conficeret, & ſæpiſſime cum phraſi aut verbo nitidioribus ipſum eorum vſum demonſtraui, quo iam ea ſic adduxi, vt quomodo vtendum ſit, nemo hærere poſſit. Licebit latinæ linguæ cupidis ad exemplum noſtrum vel proprios ſibi indices corradere, vel hunc ipſum quem damus augere, & ſibi ad arbitratum accommodare. Qua in re Q. Manius Corradus, lib. de copia lat. ſerm. permultum eis proderit. Quæ nos collegimus, ea bonam partem Franciſco Bencio debentur, cuius elegantiſſima ſcripta inter noſtros homines cum voluptate leguntur. Nunc in ea quæ præfari διαλογικοῖς neceſſariò debuimus antequam Indicem afferremus, pauca annotationum loco dicamus. TVI, AN MEI?) *In re parum certa veteres huiuſmodi loquendi genus vſurpabant. Cic. ad Att. lib. 1. epiſt. 3. Ex quodam rumore an ex litteris tuis ad alios miſſis? lib. 2. Is dicitur vidiſſe an euntem, an iam in Aſia? In Bruto. Quam orationem in Origines ſuas retulit paucis antequam mortuus eſt an diebus, an menſibus? Simile illud, Proximus Pompeio ſedebam, intellexi hominem moueri, vtrum Craſſum inire eam gratiam, quam ipſe prætermiſiſſet, an eſſe tantas res noſtras, &c. & vt hoc dicis cauſſa addatur quidam hæc, ſine interrogationis nota ſolent ſcribere.* QVOS GRÆCI PATRES *τοὺς ἔξω.) Et τοὺς ἔξωθεν. Sic οἱ ἔξωθεν λόγοι ſunt illis ſtudia profana, non ſacra, diſciplinæ ſæculares, ad ſacras litteras non ſpectantes.* DETERVNTVR, OBFVSCANTVR) *Horat. Ode. 6. lib. 3. vocat culpa ingenij deterere. Sic Ode. 3. lib. 3. ad Muſam ſuam in extremo.*

deſine peruicax
Referre ſermones deorum, &
Magna modis tenuare paruis.

SERMONEM TOTVM, QVO NOSTRI) *Hoc omnium minimè faciendum in ſententijs, quæ de ſacris biblijs adducuntur. In quo vir quidam*

dam eloquens, ſed non ſatis tamen prudens, per ſaſe errauit. TESTES PRO MARTYRIBVS) *Martyres Græca lingua (inquit Iſid. lib.8. ca. 11.) latinè teſtes dicuntur, vnde & teſtimonia græcè martyria nuncupantur. Teſtes autem ideo vocati ſunt, quia propter teſtimonium Chriſti paſſiones ſuſtinuerunt, & vſq; ad mortem pro veritate certauerunt. Quia verò non teſtes (quod latinè vtiq; poſſumus) ſed græcè martyres appellamus, familiarius Eccleſiæ auribus hoc græcum verbum ſonat, ſicut multa græca nomina, quibus pro latinis vtimur.*

PROGYMNASMA ALTERVM ET SEPTVAGESIMVM.

Supplicia ſanctorum Martyrum.

TROPHIMVS, GENVTIVS.

TROPHIMVS. Alexandrum illum Philippi Macedonis, adhuc agentem pueritiam, proditum ſcriptis eſt, quoties audiret de nuntiantibus, vrbem aliquam patris auſpicio expugnatam, imperioque Macedonico adiunctam, toties lacrymis excidentibus triſticulum factum: cauſſam interrogatum, ita reſponſitaſſe. Quia pater meus nihil mihi reliquum facit: ipſe ſubigit & vincit omnia. Profluebat iſta vox ab excelſiſſima indole, atque ab animo altiſſimo, qui laudes regias in difficilibus arduiſq; rebus, quàm in laborioſè periculoſeque gerendis potius, quàm in ampliſſimi, & opulentiſſimi poſſeſſione regni cum imbelli otio ſitas eſſe duceret; nec tam verè ac propriè nuncupari ſe regem poſſe arbitraretur, qui plurimis ciuitatibus iura & leges daret, quàm qui plurimas debellaret, armorumque ſuorum virtuti ac fælicitati cedere cogeret. Nos Chriſtianæ diſciplinæ præceptis eruditi, cùm de maiorum noſtrorum magna cum pietate ſuſceptis ac frequentatis actionibus cognoſcimus, veluti ſues tubam audientes nihil commouemur: ne dum vt illacrymemus, illoſque occaſionem nobis exercendæ ſanctimoniæ, & materiam gloriæ præripuiſſe indignemur. Quod ipſum tamen ſi faceremus, haud ex officio, opinor, faceremus. Quanquam enim in inſtitutis partibuſque Chriſtianæ vitæ præclarum nihil eſt, in quo eos flagrantior diuini numinis charitas non exercuerit, vt præoccupaſſe omnia videantur: nihilominus non eſt illarum rerum eadem quæ vrbium populorumque conditio. Hi ſemel, aut ſi fidem prodiderint, iterum vel deditione, vel certatione ſub poteſtatem victoris ſuccedunt: vitæ puriter, & cum ſingularibus exemplis habendæ ſtudium nullius eſt peculiare: quoniam

niam virtus ſeu ſolis huius lumina, & quæ ducuntur reſpirabtur: que animæ, communis & expoſita eſt vniuerſis, nec vſura deperitur. G. Neque fictis, neque pictis, neque ſcriptis, neque dictis priſcorum Chriſtianorum laudibus plus mouemur, quàm illa corui ſalutatione motus eſt Auguſtus Imp. Ut enim ille ſalutanti ſe volucri reſpondit: eiuſcemodi ſalutatorum ſatis domi habeo: ſic nos non quidèm verbo, at re ipſa ad hæc reſpondemus: ſæpe iſta mihi ficta, picta, viſa, ſcripta, lecta, dicta, audita ſunt. Quò fit, vt omnis opera in nobis ad innocentiam, & ſanctitatem inducendis inutiliter ſumatur. T. Veruntamen minus horreſcimus, cum cogitamus, aut à puellis in perpetuum deo voti ſponſione intercedente ſeruatam pudicitiam: aut à viris conſtantiſſimè perlatas tot res aſperrimas, cùm recordamur eorum victum tenuiſſimum, cultum incultum prorſus atque horridum, longam inediam, diuerberationes voluntarias, peruigilationes, chameunias, aliaque generis eiuſdem, quibus corpora ſua cruciabiliter accipiebant: his, inquam, non adeo percellimur, nec ad eorum vel recordationem, vel commemorationem contremiſcimus, etſi ea complecti, & imitatione perſequi nolumus: Martyrum pœnas & cuiuſque modi cruciamenta ea verò, Deum immortalem, vt corde intimo extimeſcimus? vt, ne tam peſtiferum malum vnquam nos attingat optamus? In acie quidem aduerſum pectus in hoſtem ferre, mandata ab eo vulnera excipere, & purpureas animas vomere poſſumus: propter Chriſtum grauius nihil pati poſſumus: vel leuiter iniurioſum in iudicium vocamus: verborum contumeliam *colapho*, colaphum cruenta plaga, plagam morte penſamus. G. *O ſemiuiros.* O verè Phrygiæ, neque enim Phryges, exclamat Virgilius. Et hoc etiam negatum nobis eſt, vt vel mulieres nominemur, qui virorum nomen amiſimus: quando tantæ fœminarum cateruæ duriſſimos Chriſti cauſſa cruciatus exhauſerunt, ſeſeque in necem acerbiſſimam obtulerunt. Bartholomæus vir fuit, qui pellem ſibi viuo detrahendam præbuit. Andreas fuit, qui crucem etiam ſalutauit, & amplexatus eſt, nec de ea deponi ſuſtinuit. Stephanus fuit, qui lapidatus oppetijt. Laurentius fuit, qui prunas irriſit, & tyrannum ad carnes ſuas deguſtandas ſumma vocis libertate inuitauit. T. Si nominatim inſigniores duntaxat percenſere Martyres, quamque infanda & multiplicia perpeſſi ſint, commemorare inſtituemus, ante dies hic, quàm ſermo finietur. G. Age, ſummatim quàm varia, quàmq; multa, quàm denique atrocia in eos tyranni ſupplicia expenderint, quibus ordo Martyrum conſtat, qualeſcunque illi vel ſtatu, vel ſexu, vel conditione, vel ætate fuerint. T. Eia ſummatim: tamen & ita grandeſcet, & in rebus maximis omniumque auditione digniſſimis exultabit oratio. G. A veteribus illis tyrannis, quos hiſtoriæ loquuntur, nullum puto cuiquam adhibitum tormenti genus, quod non item à Neronibus, Traianis, Hadrianis, Diocletianis in Chriſtianorum corpora colla-

tum

tum ſit: etſi non pauca genera iidem experiri & exhaurire debuerũt, quæ vel Buſyridi in mentem nunquam veniſſent: tam inexſaturabili odio in Chriſtum Imperatores amentiſſimi perbacchabantur. Hinc Tertullianus nouas perſequentium Eccleſiam tormentorum molitiones, belliſſimè ingenia pœnarum appellauit. T. Gladio deſectis ceruicibus innumerabiles ad mortem dati, quos perdiu nulla, quamuis acerbiſſimorum cruciamentorum vis vel ad mutandam ſententiam adigere, vel extorto ſpiritu ad mortuos aggregare potuerat. Quàm multi proſcriptis, ereptis ac direptis facultatibus exilio ſunt affecti? In teterrimis autem carceribus pudore, fame, frigore quot millia conſumpta? Quæ loca homicidis, furibus, ſacrilegis comparata erant, inſontibus adeò complebantur, vt iam ſontes ac malefici quò truderentur non haberent. Nec vnus Laurentius ſuper crate ferrea aſſatus inuenitur: nec ſolus Thomas confoſſus: nec ſolus Iacobus Alphæi præcipitio interemptus. G. Certè non ſoli. Quot in cruce ſuffixi? quot fuſtibus ad mortem contuſi? quot ſagittis confixi? ſerris per medium corpus diſſecti, arenis terráue obruti, aquis, puteis, mari, fluminibus, ſtagnis, ſummerſi, compreſſis laqueo faucibus eliſi, in fruſta dilaniati, cùm vel duabus admotis quadrigis, in curtus earum diſtenti illigarentur: deinde in diuerſum iter equi concitati, lacerum in vtroque curru corpus, quà inhæſerant vinculis membra portarent: vel reflexis arborum ramis alligati, deinde ijs pro natura ſua cum impetu diffuſis diſtractiſque, ipſi vnà diſtraherentur. T. Aliis intra vngues adactæ ſubulæ: alij ſuper teſtulas nudo corpore volutati: alii plumbo, cera, ſebo, ac pice ferventi perfuſi, alii beſtiis obiecti, leopardis, vrſis, tauris, leonibus: multi hæc omnia ſimul, & alia inſuper fidentiſſimè paſſi. Sunt quibus eruti oculi, quibus prætruncatæ manus, cum naribus præciſæ aures, ferro candenti aduſta membra, flagris, pectinibus, & nouaculis lacerata cutis. G. Coniecti plures in oleum bulliens, adipem, reſinam, picem vt excoquerentur. Excuſſi plurimis dentes, exſectæ linguæ, fœminis etiam mammæ auulſæ. Lego confracta crura, detruncata brachia, poplites ſucciſos, admotas ad membra faces, cataſtas, eculeos, cippos. T. Mugire multos in tauro Phalaridis oportuit: multos ſuper prunas nudatis pedibus, aut in crepidis clauatis ambulare. Caudis equorum alligati quidam, pedibus per ſtrata viarum reſupini tracti ſunt: quidam toſti in ſartagine: pars fumo præfocati: pars veneno ſublati: pars denique particulatim diſſecti, auibuſque & canibus ad deuorandum proiecti. G. Quis talia fando temperet à gemitibus? O qui deſignare iſtiuſmodi carnificia in naturæ ſocios potuiſtis, vbi mentes habuiſtis?

Quænam vos genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare conceptos ſpumantibus expuit vndis?
Quæ ſyrtis, quæ ſcylla vorax, quæ vaſta charybdis?

T. Quàm

T. Quàm etiam hoc vel ipſa morte triſtius, quòd filij in conſpectu parentum, parentes ante filiorum oculos, coniuges ante ora coniugum crudeliſſimè excarnificati & occiſi? Sic alterum in alterius mactatos ſanguine cùm cernerent, acrior ſæpe dolor æſtuabat in animo, quàm qui per membra ſentiebatur. Felicitas illa, quæ ſeptem ante ſe filios morientes vidit, ſepties ante mortem ſuam mortua eſt. Poterimuſne alias adhuc cruciatuum ſpecies reperire? G. Poterimus, ſi Euſebium & veteris Eccleſiæ hiſtoricos legamus. Vno pede, aut brachio ſuſpendi, quàm graue ſupplicium? ademptis veſtibus cum intima tunica melle perunctum in ardentiſſimo ſole muſcis & culicibus exponi quàm intolerabile? Suffixi ſunt quidam palis, quidam obtriti ponderibus, quidam, immò verò permulti, flammis incenſi. Quantus autem virginibus, & quàm erubeſcendus cruciatus, per ora hominum nullo tectas velamine circumduci, & in lupanar ad turpiſſimè patiendum compingi? Vt blandum, vt dirum ſimul tormentum adoleſcentibus caſtitatis, & fidei expugnatrices immiſſæ mulieres? Si imbecillitatem humanæ naturæ ſpectemus, difficillimum fuit aduerſus Sirenarum iſtarum cantus blandiſſimos obſurdeſcere. Et quis quæſo pœnarum omnia genera percenſebit? T.

Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum, quàm multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Iupiter horridus Auſtris
Torquet aquoſam hyemem, & cælo caua nubila rumpit.

Secures feriendo obtuſæ, carnifices torquendo ac trucidando defatigati, mutuis operis traditis alter ad alterum ſubleuandum ſucceſſerunt. Interim ſupra modum & opinionem, alacritatem, animique propenſionem obſtupeſcendam in Chriſtianis intueri licuit. Simul enim ſententia in priores pronunciata eſſet, alij aliunde ad tribunal iudicis accurrebant, ſeſeque Chriſtianos confitebantur, genus omne tormenti pro nihilo putantes, & ſine conſternatione, quæ vellent, proloquentes, & cum gaudio ad mortem feſtinantes. Sed vt initiò dicebamus, ignauia noſtra huiuſcemodi exemplis conſtantiæ & fortitudinis in cruciatibus Chriſti cauſſa ſuſtinendis nihil mouetur. G. O præfractos, & à vera pietate remotos homines.

ANNOTATIONES.

SVPPLICIA SANCTORVM) *De diſparibus ſupplicijs, quæ ad ſanctos martyres peruertendos excogitata ſunt, dedita opera Niceph. lib. 7. cap.* *Euſeb. lib. 8. & ſeq.* MARTYRVM) *Naſcente adhuc Eccleſia, martyrum*

nominabantur, qui in confeſſione diuinitatis Ieſu Chriſti vſque ad necem perſeuerantiſſime manſiſſent. Confeſſores, qui vel in carcere, vel in quæſtionibus Chriſtum citra mortem conſtanter confeſſi eſſent, parati vitam amittere. Qui etiam aliquando martyres dicebantur, & Tertulliano deſignati martyres. ILLA CORVI SALVTATIONE) *Scribit Macr. lib. 1. Saturnal. cap. 4. Auguſtum Cæſarem cum Actiaca victoria, reuertentem, coruum ſe ſalutantem,* Aue Cæſar, victor, imperator, *viginti millibus nummûm emiſſe. Similiter pſittacum & picam, à quibus erat ſalutatus, emi iuſſiſſe. Exemplum ſutorem pauperem ſollicitauit, vt coruum inſtitueret ad parem ſalutationem: qui impendio exhauſtus, ſæpe ad auem non reſpondentem dicere ſolebat: opera & impenſa perijt. Ad quod Cæſar cùm id ab ipſo coruo audiret, riſit: emiq́ auem iuſſit, quanti nullam adhuc emerat.* CVM VEL DVABVS ADMOTIS) *Mutuati ſumus huius deſcriptionem ſupplicij à Tito Liuio, qui lib. 1. iiſdem verbis diſtractionem Metij Fufetij complexus eſt.* FELICITAS ILLA QVÆ SEPTEM) *In hanc diuinam matrem eiuſq́ filios olim, rogatus, hymnum antiquorum hymnographorum exempla mihi proponens, id eſt, pietatem magis, quàm elegantiam, eccleſiaſtico more, ſpectans compoſui, & hoc loco in gratiam pij lectoris appoſui, cui potiſſimùm totum hoc progymnaſma ſcriptum eſt.*

IN SANCTAM FELICITATEM ET SEPTEM FILIOS MARTYRES, HYMNVS.

Regis æterni meritos honores
Nos decet claris reſonare linguis,
Nomen inuictum gerimus per orbem
Quotquot ab ipſo.

Qui ſuis dextram famulis potentem
Porrigens contra genus omne lethi
Reddit audentes, ſuperiſq́ tandem
Sedibus infert.

Teſtis albatum per amœna cæli
Agmen incedens, manibusq́ ramos
Proſpera geſtans monumenta pugnæ,
Dulce canendo.

Teſtis & ſeptem comitata natis
Mater, exemplum, decus atq́ matrum

Cui

Cui chorus noſter celebrat libenter
Annua feſta.
Te beat multùm generoſa proles,
Dum fidem Chriſti intrepidè fatetur:
Teq́; adhortante horribilem tyrannum
Morte triumphat.
Haud ſecus victrix tibi palma creſcit,
Enſe ſacratum feriente collum,
O pium germen, ſoboles beata,
O pia mater.
Laus Deo Patri, genitoq́; ſemper,
Et tibi amborum Paraclete amori,
Vnicum verè, tamen haud ſub vno
Nomine numen.

PROGYMNASMA TERTIVM ET SEPTVAGESIMVM.

Sales.

SYLVANVS, ESAIAS, CINCINNATVS.

SYLVANVS. Catullianum illud de neſcio quo: eſt *enim leporum* Diſertus pater ac facetiarum, in Sedulium noſtrum *aptiſſimè* cadit ac veriſſimè: ſiquidem nihil eo vrbanius, nec in iocando acutius, elegantius, ac feſtiuius. Id quomodo antea multones in congreſſibus, in ſympoſiis de amicis noſtris alii, ſic vos ambo nec infrequenter, & præterita nocte præſertim, cùm apud eundem cœnauimus, re experiundo diſcere, opinor, potuiſtis. Ita multa, ita varia pro occaſione, non ſecus atque de repoſito aliquo theſauro in medium expromebat, totum vt conuiuium hilaritate mirifica, riſuq́; liberali redundaret. E. Illum virum, Syluane, Gratiæ finxerunt, lepores Attici educarunt: aliter dici non poteſt. Sed ama me, non libenter inde domum redij, tibique diſceſſum vrgenti paulùm ſuccenſui. S. Iam propemodum nox humida cælo præcipitabat, & de ſomno ineundo cadentia ſidera nos admonebant. C. Ego quoque talibus cupediarúmne, an ſermonum epulis? & ſæpe, & compluſculas horas non inuitus accubuerim. Nam illud Ciceronianum ex epiſtola quadam in me tranſmuto: ego autem, inquit, (exiſtimes quod lubet) mirificè capior facetijs, maximè noſtratibus. At tibi quoque, Syluane, non deſit, quod crebro perſpeximus, promptum & extemporaneum ad iocationes ingenium. Quod ſi Eſaiæ à Gratiis videtur fictus Sedu-

lius.

Digitized by Google

lius, quia tam iucundi & iocoſi ſermonis eſt, & ſale facetiiſque politiſſimis omnibus anteſtare reperitur; an non in labris tuis Pitho ipſa Venusque ſeſſitare meritò dicantur, qui ab eius feſtiuitate tam prope abes, vt haud ſciam, an quiſquam propius? S. Hem, cicadæ apem, elephanto culicem, pegaſo teſtudinem, roſæ anemonen confers. Non prope, procul ab illo abſum, millibus trecentis. Vos potius non caretis ea, quam (audeamus imitari vel Ciceronem, & rebus ſimilitudine nouata imponere vocabula) aut facetudinem, aut facetiem nominare poterimus. Certè illa, quæ ſuperioribus diebus perpaucis tanquam ab alio dicta narrabas, Eſaia; cum reuera tu excogitauiſſes, multum mihi delectationis dederunt. E. Abſtulit ea mihi obliuio, dilapſa ſunt è memoriola mea. S. mihi verò non abſtulit. C. Quia facilè talium ſoles meminiſſe; accipe hoc etiam hujus quem laudas ſodalis noſtri Eſaiæ. Interrogabatur me audiente à quodam de impuris illorum gregibus, qui impiarum de religione opinionum commenta ſectantur, quid ſibi vellent Papicolæ (hoc enim nomine criminoſiſſimè nos appellitant) tot cereis per templa, claro iam lumine, & die protecto accendendis, & circumgeſtandis: ſolem vtique lucis parentem & auctorem ſufficere. Reſpondit. Nos ideo hoc facimus, vt calices, pelues, vrceos, cæteraque inſtrumenta, vaſa aurea, & argentea, quæ nobis ſacrilegia veſtra rapuerunt, quæritemus. S. Ha, ha, tetigiſti contrà ſatellitem diaboli: nec potuit quidquam vt minus exſpectatum, ita magis ſalſum iaci. C. Sit ergo hoc, vt eſt, ſalſum & aculeatum: at iſtuc lepidum, quod afferetur. Quidam meorum affinium natus die, diuis omnibus dicato, Kalendis Nouembribus ſcilicet, appellatusque Chriſtophorus, rogabatur, quid ita hoc potiſſimum nomen tali die in lucem productus accepiſſet? Reſponſum reddidit: quoniam pater meus, cùm tam innumerabilem cœleſtium turbam intueretur, & ei in oculos propter eximiam, ſupraque omnes toto vertice eminentem proceritatem S. Chriſtophorus primus incurreret, ab eo mihi nomen faciendum cenſuit. S. Bellè & improuiſò. Sunt autem improuiſa, nec meditata, in facetiis gratiora quia magis ingenium arguunt. E. Perfaceti ſunt, qui contorta in ſe dicta, cum ſale retorquent. Vt ille gratas inter menſas. C. Quid dixit? da Tityre nobis. E. Cùm alij conuiuæ oſſa, deſecta, & abraſa prius diligenter caruncula ſub menſam deiicerent (quod pro venuſto haberi apud quaſdam gentes audio) fuit qui in quadra aceruatim retineret. Cæteri ſtudentes ſe facetos videri, tu inquiunt, canes imitaris, qui tantum oſſium habes ante te. Immo, excipit ille, vos canes imitamini: omnia ſiquidem oſſa deuoraſtis, quod illi ſolent: ego morem hominum ſequor, qui carnes comedi, oſſa reliqui, vt cernitis. S. Hoc eſt quodammodò eadem menſura, qua acceperis, remetiri. Sed attendite oro, dum quiddam feſtiuum narro de vino theologico. In vrbe quadam Galliæ perantiqua & nobili meraciſſimum validiſſimumque

Digitized by Google

mumque vini genus vinum theologicum vocant. Huius cauſſam nominis, ſeu prouerbij huius rationem interrogatus quidam, audite quàm vrbanè expediuerit. A Jureconſultis, inquit, ſacerdotia, decanatus, archidiaconatus hoc ſæculo incubantur, Theologis præter curionatus ſeu parœcias nihil relinquitur. Et quia de Paſtoribus Chriſtianorum ſcriptum eſt: peccata populi comedetis, ad confectionem cibi adeò parum ſtomacho obſequentis & duri, opus eſſe vino quam efficaciſſimo quis non intelligat? E. Quàm cupio pitiſſare de hoc vino, ſi id tantoperè concoctionem adiuuat? ſum enim, quod noſtis, κακοςόμαχος. Retulit mihi aliquando frater meus dictum cuiuſdam Mathematici, non quidem illud argutum, ſed tamen, vt aiebat, multo riſu exceptum, quia ad ludificandum erat perappoſitum. C. Forſitan nos quoque in riſum erumpemus: itera quæſumus. E. Romæ in gymnaſio ſcholis publicis docebat excellens Mathematicus: ad quem audiendum viri quoq; honorati ac nobiles ventitabant. Explicauerat horologiorum, ſeu ſolariorum quæſtiones, & ad finem illarum diſputationum addiderat, omnia tum demum valere, veraque inueniri, ſi ſol luceret. Et ſubiecerat. Quid ergo ſi intra nubes latuerit? quid tum iſtis ſolariis facietis? Omnes auditores nouum prorſus, & ſingularem aliquem modum, quo ſolaria iſta etiam non micante ſole vſum haberent, propter ſummam viri opinionem attentiſſimè expectabant. Poſtquam conticuit eouſque, dum altum ſilentium eſt conſecutum, ita fatus eſt: patientiam adhibere oportebit. S. Ha, ha, ha. En, quæ obuia ſunt, & quæ vſurpamus quotidie propemodum, vt aliquando ſermonem condiunt, & habent ſuam Venerem? C. Habent certè, & in iſto genere cuiuſdam fatui dictum repoſuerim, quod adiuncta rerum fecerunt prudens, & acutum: cùm alioqui plebeium ſit, & rem ipſam communis ſenſus approbet. S. Olitores interdũ opportuna loquuntur: ſed etiam fatui, hoc eſt, quod mirabile numerari poſſit. Nihil quippe tam remotum à ſtultitia, quàm prudentia. Verum hæc παρέργως. Dic, Cincinnate, quod exorſus es. C. Fatuus ſub armis videns exercitum procedentem via militari, quærebat à viatore quid hoc eſſet? Audiuit in bellum iri. Rurſus, quid fit in bello? reſpondit viator. Tun' hoc ignoras? Exuruntur, & vaſtantur ciuitates, fruges in agris corrumpuntur, homines interficiuntur. Ille, quam ob cauſſam hæc omnia? Vt compoſitiones de pace fiant. At quanto ſatius erat, ſubiecit fatuus, prius pacem componere, quàm adeò grauia mala patrarentur, & tantæ clades acciperentur? E. Perbene Germani, Kinder vnd Narren ſagen die Warheit. Quis ſapiens quidquam enuntiaſſet aut verius, aut ſapientius? Iam quia profectum eſt à fatuo, aliquid fatuitatis putatur habere, quod ſecus eſt: nam rectè præſtat ſapientem omnia prius, quàm armis experiri, vt dixit ille politiſſimi oris, & emendatiſſimæ dictionis comicus. Nulla ſalus bello,

pacem

pacem te poſcimus omnes, ait ille inter latinos poëtas non tantùm heros, ſed etiam herus. Age verò, prome ſi quid præterea de ridiculis clauſum contines in pectore. C. Ludis anniuerſariis & publicis præmium ponebatur etiam illi, qui mendacium abſurdiſſimum, fideique longè omnium alieniſſimùm commentatus eſſet. Cum ergo quidam de concertantibus diceret, ſe vidiſſe pulicem incubantem globo turris excelſiſſimæ, vrbis illius ad quam ludi committebantur: eius ſe oculum mox ſagitta ex arcu appetiuiſſe, & eieciſſe: hunc oculum decidiſſe, ſuoque caſu ad octoginta hominum millia obtriuiſſe: alii deinceps aut æqualia, aut maiora proferebant, aſtantibuſque cachinnos excutiebant. Venitur ad extremum. Is ita palmam tulit, vt neceſſariò tulerit, nec potuerit non ferre, quomodocunque tandem, & quantumcunque ſe alii mutuò ſuperaſſent. Quid igitur ille? hoc tantùm. Omnia quæ iſti antagoniſtæ mei dixerunt, ſunt veriſſima: & ego omnium auritus atque oculatus teſtis ſum. Obſtupuerunt pręſentes tam inopinato, & incomparabili mendacio. S. Libet opinari huius reſponſum non præmeditatum fuiſſe: quippe qui ſe vltimum fore non præuiderat. Sanè perlepidum eſt, nec ſine ingenio. Ruſticani hominis filius ex Academia domum reverſus, & à patre de ſcientia ſæpe tentatus, ſemper reſpondebat, declarandæ ſuæ doctrinæ tempus nondum adeſſe. Accubuit aliquando cum parentibus: poſita patri oua aſſa tria. Ibi tunc filius: nunc ego pater quid didicerim oſtendam tibi, & probabo hic eſſe oua quinque. Quomodo? Quia vbi tria ſunt, etiam duo ſunt: tria autem & duo conficiunt quinque. Ergo quamuis hic tria tantùm cernantur oua, ſunt tamen quinque. Tum pater. Bene eſt fili, laudo acumen tuum. Ego itaque ex iſtis quinque ouis comedam duo, vnum dabo matri, cætera duo, quæ non apparent, licebit ipſe comedas: quinque enim hîc oua eſſe docuiſti. E. Hoc eſt enim Care Carizare. Recordor quemadmodum illudenti mendico Rex illuſerit. C. Eia memora dum. E. A rege Galliarum in itinere mendicus quidam vafer ſtipem flagitabat. Rex ſtaterem dari iuſſit. Inæqualiter mecum partiris frater, ait mendiculus; majore enim ſpecula alebatur, vt qui ab regè petiſſet. Quînam? egone frater tuus? Sic precamur, occurrit mendicus: Pater noſter qui es in cœlis. Cùm ergo habeamus communem parentem, ſequitur nos eſſe fratres. Miratus ſecum enthymema Rex, vade, inquit, & ſi ab vnoquoque fratrum tuorum tantum acceperis, ſcito opes tuas meis longè maiores futuras. S. Sic ars deluditur arte, cantant ex diſtichis Catonianis pueri: quorum auctorem ferunt Auſonium. Ad ſupplicium capitis luendum educebatur homo hæreticus: hunc dum, vti mos tenet, eiuſdem religionis Præco ad mortem æqua mente perferendam per viam cohortatur, iniicit hoc etiam, voce ſuaui, & vultu hilari. Bonum habeto animum, mi frater, ſub horam vndecimam in paradiſum cœleſtem per-

Digitized by Google

uenies. Tum capitalis ille: ego verò ſi vel tertia promeridiana eò peruenirem, ſatis citò me veniſſe arbitrarer. C. Ha ha ha. Poſt annos mille ſatis citò. O Hæreſiarchæ, qui omnia diuina & humana iura nefario ſcelere polluiſtis, quàm falsò mortalibus miſeris cœlum ſpopondiſtis? Recordaris, Syluane, quid nobis nuper Antonius de homine emotæ mentis narrauerit? S. Recordor, & Eſaiæ repetam. E. Bene facis. S. Filium, valetudine mentis laborantem, pater in conclaue compegerat, ex quo per feneſtram in forum proſpectus. Videt forte adoleſcentem prætereuntem, geſtantemque ſuper dextra accipitrem. Aduocat hominem, percunctatur quid ſibi velit cum tam ingenti volucre, & quanam in re vtatur. In venationibus, ait, minorum auium, & leporum. Sæpiusne præda potiris? Rarò. Magnóne ſtetit? magno, duobus coronatis. Quo cibo eam alis? auiculis, delicatiſque carnibus, quas precio non paruo emere ſoleo. Tum mente captus exclamat: fuge fuge quàm celerrimè. Etenim me qui paululum inſanio pater meus idcirco in hunc carcerem condidit: ſi te offenderit, maiore pœna accipiet: grauius enim tu inſanis. E. Vt nonnunquam vim ſuam humana ratio ceu lumen ibi oſtendit, ubi nulla habitare creditur? Verè inſaniunt, qui in res non neceſſarias, & nihili pecuniam coniiciunt, magnam præſertim. In homonymia, eſt quando iocus latet. Mulier virum aſotum criminis in iudicio poſtulabat: meam, inquiens mihi paupertatē abſumit (reculā ſuam, quam dotis nomine ad virum attuliſſet, ſic appellabat.) Falſum loqueris, reſpōdit maritus: non enim ego tibi paupertatem tuam abſumo, *ſed amplifico*. S. Egregia verò: & nimio plus rhetorica amplific*atio*. *Eſt & in* illo ambiguum, quod allaturus ſum. Propter ſurrepta ſex ſeptem electa poma dominus ſeruum domo pepulerat. Miſerati hominem ſerui reliqui, herum adeunt, rogant, eiectum reuocet, quia culpa leuis. Propter ſex poma, inquiunt, miſerum exegiſti. At ille. Num neſcitis Adamum propter vnicum pomum exactum? E. Ha ha, argumentum à minorum cōparatione, & ſtatus qualitatis. Suppeditat aliud? S. Immò. Iuuenis viſo ſene incuruo in arcus ſimilitudinem (eſt enim curua ſenectus) quanti arcum iſtum vendis? Suſcepit ſeniculus: nil opus eſt tibi pecuniam diſperdere. Si ad annos meos vita te perduxerit, ipſa natura arcum tibi ſimilem gratis paratura eſt. Plura quidem ego in præſens non memini. C. Satis fuerit nos iſtorum memoriam cuſtodire. E. Suauem vtique, nec inutilem eſſe iocum & ſalem, non in cauſis modò, atque in dicendo, verùm etiam extra cauſſas, in ſermonum noſtrorum viciſſitudine, & in omni vita denique, cuilibet prudenti creditu facillimum eſt. Salis autem faceriarumq; doctrinam tradi vix poſſe, quoniam ex natura ſint propriæ, docet 2. de Orat. M. Tullius, Vbi duo conſtituuntur ridiculorum ſeu iocorum genera: quorum alterum in perpetuitate ſermonis cernitur, & cauillatio dicitur: alterum in celeritate atque dicto ponitur, & eſt peracutum, &

breue,

Digitized by Google

breue, dicacitaſque nominatur. In eodem libro prudenter monemur, vt cum locus, & quaſi regio ridiculi ſit turpitudo quædam, & deformitas, quæque deſignant turpitudinem aliquam nõ turpiter, quę rurſum partim in animo, partim in corpore, partim in externis rebus collocata ſunt, ne rideamus, neve iocemur in ea, quæ vel odium magnum, vel miſericordiam maximam merentur: id eſt, ne laceſſamus facetiis inſignitè improbos: ne vehementer miſeros & calamitoſos: facinoroſi quippe vinculis, carcere, ferro, igni, non ridiculariis perſequendi ſunt: miſeros autem illudi nolumus, niſi ſi ſe fortè iactent. Additur etiam hoc præceptum, ne ſimus vrbani in eos, qui diliguntur. De vitanda ſcurrilitate nihilominus ibidem præcipitur: quod faciemus, ſi rationem hominum, rerum, temporum habuerimus: ſi non quotieſcunque potuerit aliquid facetè dici, ac lepidè, ſtatim effundemus: ſed rarius, & poſtulante cauſſa aliqua. Nam ſcurrarum eſt totos dies, & ſine cauſſa iocari. Præterea etiam, quæ perridiculè, & ſalſiſſimè dici poſſunt, interdum continenda ſunt, ne à grauitate diſcedatur. Poſtremo ſciendum, non omnia ridicula eſſe in facetiis: nec omnia faceta in ridiculis. Quod quia vulgus ignorat, & ridiculos quoſque facetos vocat: & niſi dicto pariatur riſus, facetè dictum non putat. Eſt autem, vt rectè Tullius, tenuiſſimus fructus ingenii riſus; multò maior, & optabilior, laus & admiratio: quam, qui ſunt verè faceti, & vrbani, ſæpiſſimè conſequuntur. Eidem placent, & probabiliora iudicantur, quæ laceſſiti, ac prouocati dicimus, quàm quæ priores. Nam & ingenii celeritas major eſt quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Videmur enim quieturi fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti. S. Quàm tu multa, Eſaia, paucis conſtrinxiſti? Sed ſalis quidem, ſeu ſalium nomen vnde manarit, apertum eſt: facetiæ à verbo facio dicuntur. Cuius verbi cum apud Latinos creberrimus maximeque varius eſſet vſus, dixerunt illi etiam facere verba, facere verſus, orationem, iocos. Verùm qui in comitiis, in conſultationibus, in ſenatu, in concionibus cum grauitate & copia id facerent, facundos, & virtutem eam, ſeu habitum facundiam nominarunt, ab oratione nimirum facienda. Qui in circulis, congreſſionibus, conuiuiis communibuſque ſermonibus, & conſuetudinibus ad animorum iucunditatem recreationemq; cum quadam moderatione & lepore id facerent, eos facetos, dicta ipſa facetias appellarunt: habitum nullo nomine affecerunt; quem quidem, vt initio dixi, imitatione facetudinem, vt manſuetudinem, & facetiem, vt auaritiem, amaritiem, & facecitatem (quod tamen duriuſculum eſt) vt caſtitatem, pietatem vocabimus. C. Non exiſtimabam ſanè tam erudito exitu concluſum iri, quos alternis lepores commemorauimus.

ANNOTATIONES.

GRATIÆ FINXERUNT) *Gratias, quas Græci ἀπὸ τῆς χαρᾶς à lætitia χάριτας, tres eſſe inter plurimos conuenit, de nominibus diſſenſio eſt. Heſiod. Theogon. Pindarus Olymp. Plutarchus commentario: Cum Principibus maximè philoſopho diſputandum, Aglaiam, Euphroſynam, Thaliam nominant. Finguntur comites Veneris, & præditæ omnibus elegantiis, & decentiſſimæ. Ex quo commune earum vocabulum ad omnia iucunda, venuſta, lepida, amabilia, decora tranſlatum eſt, cùm in rebus, tum in verbis. Illud non cuiuis notum eſt, Venerem non tantùm amoribus præeſſe exiſtimatam: ſed etiam commendationi, conciliationiq; hominum, vt faciliùs aliquid impetrarent ab aliquo, & in aliorum amicitiam influerent, & gratiam emererentur. Seneca lib. 2. de benef. cap. 28. Ille non eſt mihi par virtutibus, nec officiis: ſed habuit ſuam Venerem. Hoc eſt, ei fauit Venus, quæ gratiam ei quandam commodauit, qua placuit, facileq; beneficium conſecutus eſt. Horat. epiſt. 6. lib. 1. Et bene nummatum decorat Suadela Venusq;. Sunt enim hæ duarum nomina dearum, quæ nullo negotio homines, quibus fauent, ſuis muneribus beneuolentiæ & amicitiæ aliorum tradunt. Hæc à Turneb. lib. 9. c. 30.* NON DEFIT) *Verbum priſcum defit pro deeſt. Terent. Eunuch. Nihil cùm eſt, nihil defit tamen. Hecyra. Nihil apud me tibi defieri patior. Virg. Lac mihi non æſtate nouum, non frigore defit. Propert. Et nullo vacuus tempore defit amor.* CICADÆ APEM, ELEPHANTO CULICEM) *Omnia iſta adagia ad inæqualitatem, & diſſimilitudinem ſpectant: at non eodem modo, ſeu non ad eandem. Cicada & apis magnitudine differunt: multò magis elephas & culex. Sed cicada inſuper vocalis eſt, apis pœne muta. Pegaſus celerrimus, ſeu volaticus, teſtudo tardiſſima. Roſa odorem efflat ſuauiſſimum, anemone autem genus papaueris per agros paſſim naſcens: cui flos roſam ſpecie cùm imitetur, non tamen bene olet.* CLARO IAM LUMINE) *Claro & adulto iam die. Sic Catull. de nupt. Pelei & Thetid. extremis verſibus, loquens, de diſceſſu deorum è terris, propter humana flagitia, quæ amplius intueri non poſſent.*

Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Quod alius poëta dixit, aperta in luce videri. SACERDOTIA) *Sacerdotium eſt ipſa dignitas, qua ornatus eſt is, qui ſacerdos vſurpatur. Hinc inire ſacerdotium, ſeu inaugurari, initiari ſacerdotio. Sed is quoque inire ſacerdotium venuſtè dicetur, qui prima ſua ſacra conficit. Barbari, ſacere primitias. Eſt item prouentus, vectigal, penſio ſeu merces quam ſacerdos capit: beneficia, præbendas ſolent vocare, quibus in mores illota & inquinata modis omnibus latinitas. Loquendi genera erunt: ſacerdotium alicui dare, conferre, ſacerdotium conſequi, in ſacerdotium*

venit,

venire, ſacerdotium habere, occupare. SEV SOLARIORVM) *Multiplicem notionem huius verbi, ſolarium adduci Vict. 21. c. 13. Turneb. lib. 18. cap. 2. & lib. 20. cap. 20.* CVM CARE CARIZARE) *cum ruſtico agere ruſticè, cum impudente audacter, cum inepto ineptè. Simile, vulpinari cum vulpe, cum aſtutis ſcilicet agere aſtutè.* IN HOMONYMIA) ὁμώνυμα, & συνώνυμα, *quæ dialecticis noſtris æquiuoca, & uniuoca dicuntur, ex ipſa vocabulorum græcorum vi magis propriè in res, quàm in voces conueniunt. Habere enim idem commune nomen, quod illa græca ſignificant, ſine dubio de rebus intelligitur. Verum de his nominibus lege Petri Fonſeca dialect. Inſtit. lib. 1. c. 19. 20. 21. 22.* VIRVM ASOTVM) *Decoctores, inquit Bud. in Pand. dicti ſunt id fermè genus hominum, qui aſoti verbo græco, id eſt, luxu, & ganeæ ſtudio perditi, & latinè nequam, verbo ſignificantiſſimo, eorumq́; vitium aſotia, & nequitia: quam Gellius luxum & popinationem interpretatur. Cic. 2 de finibus. Nolim enim mihi fingere aſotos, qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur, crudiq́; poſtridie ſe rurſus ingurgitent, & quæ ſequuntur. Locus Gellij eſt lib. 7. cap. 11.*

PROGYMNASMA QVARTVM ET SEPTVAGESIMVM.

Priſci ritus.

EVLAMPIVS, SPINELLVS.

EVLAMPIVS. Dum in iſtoc quamuis opulento regno tuo, Spinelle, inter Muſæa organa, libros, inquam, & libraria confidentes variis collocutionibus tempus fallimus, inceſſit quiddam menti, quo de opinionem ante ſciſcitabor tuam, quàm hinc me digreſſum pedes domum reportent. S. Ita vt facias, equidem rogo, mi Eulampi. E. Quod Plinius II. vbi auunculi ſui tot eximia ingenij opera, & laborioſiſſimam ſtudiorum ſedulitatem (qua cum noſtra, qui otium omne quod datur, literis tranſmittimus, nauitas ſi componatur, deſidia meriſſima, altiſſimuſque ſomnus iure videatur) per epiſtolam ad poſteros euulgat, eundem teſtatur nihil legere conſuetũ, quod non excerperet, quid tu de hoc ſollemni ſentiendum autumas? S. Egóne? dicam; nec docendi, ſed obſequendi cauſſa dicam. Vir animi ſtrenuiſſimi, & exempli rariſſimi compendiariam ſibi, & proximã viam excogitauit, qua ad ſummas eruditionum facultates, atque copias & graderetur ipſe, & eaſdẽ ad vſum fructum

Digitized by Google

publicum in aſpectum lucemque proderet. De libris aliis ab illo confectis vt nihil loquar, Hiſtoria naturalis, quæ ſola ſuorum fratrum, immo enimuerò communem & vltimam antiquorum monumentorum calamitatem effugere potuit, hiſce inſtituta originibus, iiſdem aucta profecit incrementis. Quando enim ille viginti millia rerum dignarum cura, & lectione voluminum prope infinitorum, ſex & triginta libris incluſiſſet, ſi non è tot ſcriptoribus (quorum vocabula voluminibus etiam ſingulis partitione facta præſcripſit, quæ nunc in aditu, vna ſerie poſt argumenta capitum leguntur) locos præcipuos adnotaſſet, & tanquam ſummarum ſummas collegiſſet? Quod quidem iudicio, non temerè: ordine, non promiſcuè atque confuſè eum feciſſe ſuſpicari libet. Quomodo præterea, quid quiſque, qua diſtributione, quid proprium, quid alienum, aut in medio poſitũ, quid electum, ac reconditũ, quid peruulgatum ac populare afferret, diuturna cuſtodire memoria, (qua vna re propemodum doctrinarũ poſſeſſio continetur) ſine hoc certiſſimo opportuniſſimoque ſubſidio potuiſſet? Quæ tanquam breuiaria, paruaſque epitomas, quoties vellet (volebat autẽ ſæpiſſimè) opera non difficili percurrebat. E. Amplector reſponſum, ſentioque Pliniũ ſectatores habuiſſe; quanquam id ſcriptis de nullo extat, quod legerim: nec dubitem hodie quoque reperiri, quibus dicere conceſſum ſit: inque tuis nunc Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis. S. Reperiuntur, Eulampi; & in eorum numero ducas licet hunc ſodalem tuum, hunc συμφιλολόγον tuum. E. Teipſum? ſalue ô Plinicola, & gaude ſolidiſſimum gaudium: germanam incedis per ſemitam. ὀλύμπια δαίματ᾽ ἔχοντες cœptis *allabantur*. Quàm pridem autem ad iſtuc bonum facinus es aggreſſus, aut quam ob rem abs te celatus ſum? S. Amplius ſunt quini menſes, cùm huius à me inſtituti ſuſcepta eſt aggreſſio: & prius de ſegetibus meis, quàm ſe in ſpicas induerint, vt quantis meſſibus me beaturæ ſint, dubitare iam nequeam, haud libenter fabulor: nec enim fœlicibus conſiliis etiam fœlices rerum exitus perpetuò reſpõdent. En tibi Excerptorum exordia, ex ipſo, de quo ſermo nobis, Plinio, ex Platone, ex ethicis & politicis Ariſtotelis, ex Plutarcho. M. Tullio, Seneca, Quintiliano. E. Tantum è vetuſtis? S. E recentioribus inſuper. Item obſeruata ex Budæo, Rhodigino, Turnebo. Etiam è recentiſſimis, & adhuc ſpiritum è cœlo ducentibus. E. Quibus tandem iſtis? Ego enim hoc æuo noſtro video neminem, qui librorum editionibus memoriam nominis ſui conſecrare occœperit. Deſeruerunt terras, ereptique rebus humanis in cœlũ abierunt, quibus ſtabãt res Humanitatis, Mureti, Sigonii, Mauritii, Victorii, Turnebi. S. Tu neminem? E. Profectò. S. Non igitur teipſum noſti. E. Quidum? S. Quia præceptũ hoc: noſce teipſum, hanc habet vim, vt non ſolùm mala vitia, verum etiã bona virtuteſq; noſtras nouerimus. E. O cœlites, quæ hic portẽta ſomnias? Quæ tu bona in me perſpexiſti? amabo mi Spinelle.

S. Inge-

S. Ingenium animi celerrimum, & inprimis dulce ac feſtiuum, eruditionem multam ac priſcam, & Veneres latinitatis, quas tu omnes omnibus ſcriptoribus ad ſponſam tuam, ceu Pandoram aliquam exornandam, fauentibus & adiuuantibus Mercurio, illaque Muſarum procreatice Mnemoſyne feliciter ſurripuiſti. E. Dii voſtram fidem, hic adoleſcens vt multa de me mentitur? vt mihi hodie falſas laudes affingit? S. Nec veras detraho, nec falſas affingo, vera dico. In variis lectionibus tuis, quem nuper adeò commentarium mihi legendum obtuliſti, de ritibus antiquis, quam breuiſſimè datum eſt, συγγεγραμμένον hoc excerpſi: quæque abs te ſparſim poſita patent, ſub vnum veluti iugum deuinxi. E. Te huc inſaniæ deuolutum? A me petit nummum mutuum, ipſe theſauris, & congeſtis vndique ſaccis indormit. Manum vix cohibeo, quin te obtorto collo rapiam in iudicium. Cur quæſo nugas meas ſic exoſcularis? S. Faciamus eſſe nugas, vt tu vis: an Plinius tantummodo bonis lectitandis ſeſe dabat? Ille verò etiam non bonis & idipſum quod in malis occurrebat, bonum excerpebat. E. Si mali, certe nihil aliud, quam mali. Quomodo ergo in malis bona? S. Pergin' argutarier? Certum eſt, non eſſe ex vlla parte bonum, quod eſt ex omni parte malum: vt ille apud piſtorem Sarſinatem recordare quàm lepidè affirmat. Si is eſt, eum oportet eſſe. Fac etiam te memorem, quid Plinius II. prolatæ abs te ſententiæ de excerptis ſtatim ſubiungat. Dicere etiam ſolebat (Plinius auunculus) nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet. Potui ergo è tuo commentario vel malo profeciſſe: quanto tandem plus ex optimo atque doctiſſimo? Obmutuit, cenſen' poſſe vllum verbum proloqui? E. At iam rumpo vocem. S. Perbreuis eſt, non libellus, ſed libellulus, chartis tribus. Verùm, vt tuus ille Veronenſis, ad cuius venam te fingis, & eam bellè effingis, exclamat: doctis, Iupiter, & laborioſis. Legam, vbi voluero, interloquar: tu quin idem facias, nihil impedio. Fortaſſe tua te imago magis delectabit expreſſa in annulo, quàm in tabula. E. Fieri poterit, itaque auſculto.

S. I. Athenis virgines Panathenaicis Mineruæ peplum contexebant, in eoque præclara, & fortia heroum facta exprimebant, Eurip. ſcholiaſt. in Hecuba. Ariſtoph. in Equitibus, & interpres eius in Auibus. II. Supplicaturi manibus præferebant corollam, vel oleaginam, vel lauream, ſeu oliuæ ramum. Scholiaſt. Eurip. in Oreſt. & Andromach. III. Cùm fiebant ſupplices, mentum tangebant ſeu barbam eius cui ſupplicabant: item dexteram, aut genua. Aliquando ſimul omnia. Eurip. Hecuba, Oreſte, Medea Plin. lib. 11. c. 45. Homer. Iliad. ω. IV. Olim qui ab oraculo conſulto redibant, coronati redibant, & ab omnibus domeſticis genibus flexis excipiebantur: tanta erat eorum veneratio. Interpres Euripid. Hippolyto. V. Sponſæ his, qui ſponſum cognatione attingebant, tempore nuptiarum veſtes donabant Euſtach. Odyſſ. ζ. VI. In magna indignatione ſemur feriebant. Homerus Iliad.

Digitized by Google

π. Odyſſ. υ. VII. Mater ſponſi, ſponſæ in nuptiis tædam ardentem præferebat. Scholiaſt. Eurip. in Phœniſſ. Eurip. Iphig. Aulid. Interpres Apollonij. Cælius libr. 28. cap. 15. VIII. Venatores ſolebant partem prædæ vel caput, vel pedem affigere clauo in aliqua arbore, in honorem Dianæ. Interpres Ariſtophan. Pluto. IX. Qui ſe aliquem iure putabant occidiſſe gladium ſublatum ſoli, argumentum iuſtæ cædis oſtentabant. Scholiaſt. Euripid. Oreſt. Cædes autem non ſponte perpetratæ, exilio expiabatur voluntario, & annuo, maximè cognatorum. Scholiaſtes Iliadis o. Euripidis Scholiaſtes. Hippolyto. X. Conuiuæ diſcumbentes iam, antequam cibi inferrentur, vaſa & alia quæ eſſent in ædibus, ipſamque domum laudabant. Interpres Ariſtophan. in Veſp. Athenæus libr. 4. XI. Ornatus cauſſa in ſummis ſceptris aues, in regum verò aquila exprimebatur. Interpres Ariſtophanis in Auibus. E. Adhuc nihil ſe offert, quod in his excerptis collectaneiſque tuis reprehendam: quandoquidem excerpta ſunt, & epitome quædam eſt, in qua, ſi quis longiorem cuiuſque rei explanationem, compluribus ad fidem faciendam teſtimoniis inſtructam deſideret, ſapere non videatur. S. Accedit hoc item ad me omni calumnia eximendum, quod ad meum palatum, ad vſum meum hæc per ſaltum tuum floriferum libaui. Alius iudicio ſuo obſequatur, &, ſi volet, totum librum tuum, aut certè capita tota ad verbum deſcribat: quod quidem quàm ſit à Pliniana conſuetudine, quam ego imitari cupio, alienum, ipſe vides. Spero autem te in cæteris quoque ritibus, qui multi ſequuntur, colligendis, diligentiam iudiciumque meum probaturum. Omnes certè non collegi, quia non æquè me delectabant. E. Progredere ſis in recitando. Quid ego rerum tuarum vnquam improbaui? S. XII. Diuites in menſes ſingulos Hecatæ parabant epulas, quibus pauperes veſcebantur. Interp. Ariſtophanis Pluto. Prouerb. Cœna Hecates. XIII. Apud Tibarenos mulieres vbi peperiſſent, maritos in lecto collocabant, accurateque tractabant. Apollonij interpres lib. 2. Cælius lib. 18. cap. 30. XIV. Heroes galeam geſtabant triplici cono inſignem, & ita ab aliis diſcernebantur. Interpres Euripidis Oreſte. Homerus, & interpres Iliadis τ. Virg. libr. 7. ad finem. XV. Conuiuatori ſchedula exhibebatur; qua, quæ eſſent apparata ad conuiuium, notabantur, vt ſciret, quodnam obſonium cocus eſſet illaturus. Athen. libr. 2. cap. 7. XVI. Reges in bellum profecturi, ante ſacra operabantur. Euripidis Scholiaſtes in Oreſte. XVII. Receptum fuit in nuptiis, vt puer aliquis coronatus ſpinis, & quernis glandibus ſportulam panibus repletam circumferret, ac diceret ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. Effugi malum, inueni melius. Zenod. in prouerb. XVIII. Apud Athenienſes in more poſitum fuit, quoſdam viles & contemptos alere publicè, quos immolarent tempore peſtilentiæ, aut famis, pro rep. illiſque tanquam publicis victimis expiarent placarentque ſuperos. Hos appellabant φαρμάκους, καὶ καθάρματα. Interpres Ariſtophanis Equitibus. Cælius

Lib. 6.

libr. 6. capit. 12. XIX. *In nuptiis cum rem diuinam facerent, victimæ felleximentes, poſt aram id abiiciebant: ſignificantes, bilem & iram à coniugali thoro prorſus remouendam eſſe. Cælius libr. 28. capit. 21.* XX. *Conſu uerant Lacones ꝗ ſtare in bello veſtes purpureas: vt nota ſanguinis vulneratorum coloris cognatione tegerentur, & alij minus terrerent ur. Euſtachius Odyſſea ξ.* XXI. *Mos belli indicendi fuit, haſta proiecta in hoſtium agros. Homerus* βατραχ. *Iuſtinus libr.* 11. *Liuius libr.* 1. XXII. *Cornua victimarum inaurabantur. Homerus. Odyſſea γ. Iliados κ. Maro libr. 1. Georg. & libr. 9. Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum. Ouidius libr. 7. & 10. & 15. Macrobius libr. 3. capit. 5. Alexand. Neapo itanus libr. 3 capit. 12.* XXIII. *Solebant Athenienſes adoleſcentes ſuos, cum ad pubertatem perueniſſent, artificiis ſtatim deſtinare, hoc modo. Proponebantur omnis generis inſtrumenta, quibus cum adhibiti eſſent adoleſcentes, ad quod quiſque accommodare ſe, & quaſi oblectari viſus, eius artificio quaſi natura aptiori adhibebatur. Baſil. epiſtola ad Eudoxum Rhetorem.* Quanquam ritus non paucos prætereo, Eulampi, attamen tam multos recenſebo, vt quis exiſtimare poſſit, quia ex tuo volumine eos decerpſi, te illo nihil aliud pæne fuiſſe complexum. Cum contra alia innumera ſtudiis humanioribus ornandis, & augendis perutilia abs te per tot libros explicata cernantur: quos vt iuris communis facere ne diutius cunctere, neue tibi illud de nono anno Horatianum ſimpliciter obſeruandum putes, te vehementer oratum volo. Equidem mihi videor rationibus meis iſto labore multùm commodaſſe. E. Et illis quoque, Spinelle, commodabis, quos tecum animaduerſa iſta participare volueris. S. Tu ſi iſtuc me hortaris, currentem incitas. E. Hortor profectò: nam tibi & aliis cecini, ſi tamen cecini, id eſt, ſi omnes ita vt tu comprobauerint. Quanquam non intelligo, cur quis eiuſmodi in obſeruanda antiquitate ſedulitatem, & narrationem vetuſtatis breuem atque ſimplicem reprehenſione magis quam laude proſequatur. S. Ita eſt. E. Vna de cauſa nollem tua hæc in plurium manus venire. S. Quanam. E. Vt ne mea minus veniant. S. Cur iſtud, quæſo, vereris? E. Cur? ſequuntur enim nonnulli auidius epitomas, libros ipſos & fontes negligunt: quo tamen fine ac ſcopo epitomæ non conſcribuntur. Non enim quemadmodum in itineribus, qui breuiori vadit, longiore non indiget, & citius ad deſtinatum locum peruenit: ita in ſcientiis, qui libellos de hac aut illa legit, iam totum cognouit: ſed facilius cognoſcet, ſi, antequàm ad eas accedat, fuerit his ſummarum velut ſummis initiatus; & vt viam longam bene ambulet, breuem prius oportet ambulaſſe. S. Apta ſimilitudine epitomarum vtilitatem finemque declaraſti. At ego minimè hoc tibi euenturum, ſed famem potius librorum tuorum voluendorum iniectum iri credo omnibus, qui hæc mea ex tuis legerint. Deo nos & noſtra tradamus. Hoc facere melius nihil poſſumus. Proſequar cætera.

XXIV.

XXIV. Cum Athenienſes ad obeundas conciones conuentuſque ſegniores eſſent, duo miniſtri publici, qui miniato funiculo populum cingerent, & eo modo cogerent ad concionem, mittebantur: & quicunque eo colore notatus deprehendebatur, multabatur. Interp. Ariſtoph. Acharnenſ. Quàm cuperem hodie quippiam ſimile fieri noſtris hominibus, qui cum ſe Catholicos nominari velint, diebus religioni conſecratis, in foro citius, quàm in templis inueniuntur: neque ſacrificio, neque concionibus interſunt. Aut ſi ſunt, ante finem ſe proripiunt, & circum ædem obambulant. Quare illis faciendum à Curionibus & Epiſcopis: quod ſuis feciſſe legitur Ioannes Alexandrinus, qui eleemoſynarius eſt cognominatus. E. Quid is obſecro fecit? S. Cum die feſto animaduerteret, re diuina nondum perfecta, pleroſque templo egredi, & inambulare foris, ipſe relicto altari, cum veſte ſacra ad eos egreſſus, ſe ambulantium cœtibus inſeruit, mirantibuſque dixit: vbi eſſent oues, ibi quoque paſtorem eſſe oportere. E. O factum bene. S. *XXV. In luctu grauiſſimo, & ingenti calamitate, capita cinere, ſeu puluere conſpergebant. Homerus Odyſſ. ω. & al. Iliad. 18. de Acchille. Euripid. in Supplicibus. Virgil. libr. 10. Canitiem immundo deformat puluere. XXVI. Nobilium & heroum mos fuit, progreſſuri in publicum, vt canes haberent comites. Pollux libr. 1, c. 4. Homer. Odyſſ. β. Virgil. libr. 8. de Euandro. XXVII. Sortiebantur veteres coniectis in galeam ſortibus. Homer. Iliad. ψ. Virgil. libr. 5. Sophocles in Aiace. XXVIII. Romani ciues in caſtris non virgis aut fuſtibus, ſed vitibus cædebantur. Tacit. libr. 1. Iuuenalis ſat. 8. & 14. Alex. ab Alex. libr. 1. cap. 20. Cælius lib. 4. cap. 20. XXIX. Peregrè mortui extra patriam cremabantur, eorumque cineres in vaſculis in patriam reportabantur. Iſæcius. XXX. Apud Syracuſanos nullo auro, aut pictis veſtibus mulieres ornabantur, neque textis purpureis: niſi ſi qua pro publico proſtibulo, & addicta Veneri, quæ & ipſa meretrix eſt, haberi vellet. Nec viro comere ſe aut laſciuè ornare permittebatur, niſi mœchus, aut cinœdus videri vellet. Euſtath. Iliad. τ. XXXI. Quicunque ſacra facturus erat, præfabatur, & quaſi bene ominata dicebat, εὐφημεῖτε, latinè, linguis fauete. Interp. Ariſtoph. XXXII. Conſuetudo Athenis fuit, alicuius capitalis flagitii reis concedere eligendæ pœnæ arbitrium. Cic. 2. de Orat. XXXIII. In omni publica priuataque lætitia receptum, ianuam ornari lauro & lucernis. Eiuſmodi autem lucernæ penſiles erant, ſuſpendebanturque catenulis, accenſæ ad ædium ſingularium ianuas, aut feneſtras. Nec ſolum ædibus, ſed arboribus quoque appendebantur hæ lucernæ: arboribus quidem ſacris & quibus vellent exhibitum cultum. Sed & ſacrificuli ac vates præferebant lucernam ac laurum: credo, vt auguſtiores ſe facerent ornatu illo feſto, & quaſi ſacro. Nec diſſimilis priſcorum vatum in Græcia mos, qui ignem præferebant. Confirmari, & latius hæc diſſeri poſſunt ex Iuuenalis ſat. 12. Senec. epiſt. 68. Tertull. in Apolog. & ad vxorem libr. 2. Apuleio lib. 4. Xiphilino in Nerone. XXXIV. In vſu frequen-*

Digitized by Google

frequenti fuit calida ad conuiuia, etiam apud Græcos: nec in vſu ſolum, ſed etiam in deliciis. Inde apud Plautum thermopolii mentio, cum hilarior inuitatio deſcribitur, aut ſolutior luxus: non enim aliud illi thermopolia, quam caupona, in quibus hæc calida veniret: calida pura puta: non potio, neſcio quæ dulcis & confecta. Fuit autem in deliciis mixta vino, quamuis alioqui & ſolitaria, & infuſa vino biberetur. Menſa initio ſtatim duplicem aliquam poni mos erat, calidam & frigidam. Iuuenal. Seneca de ira Dei libro primo, capite duodecimo, & libr. 2. cap. 25. Martialis. Ammianus libr. 28. XXXV. Tenuit mos temporibus Imperatorum vt liberti alii à ſtudiis, à voluptatibus, à libellis, ab epiſtolis, à memoria eſſent. Quæ omnia, ſic efferebant, Polybius à ſtudiis, Thallus à manu, &c. Lamprid. in Alexand. Herodian. libro quarto. Vopiſcus in Caro. XXXVI. Nouæ nuptæ lectus ſternebatur magnifico apparatu, quem Catullus deſcripſit, & Lucanus in 2. Is lectus in nuptiis ipſis genialis dicebatur: vel quia Genio & Iunoni ſacer, vel ominis cauſſa, à genendo. At poſt nuptias, idem mutato nomine plerunque Aduerſus, vel etiam Genialis. Cauſſa alterius nominis, quod hunc lectulum religioſè ſeruari mos fuit, & in atrio collocari ianuæ exaduerſum, ſcilicet coniugii monumentum, & quaſi pignus. Ab ea poſitura lectus aduerſus. Cuique autem matronæ ſuus hic lectus: & in nouo coniugio nouus. Hic lectus non tam ad vſum quàm ad religionem ſeruabatur: aut ſi ad vſum, non promiſcuum coniugum, ſed matronarum tantum, quæ in eo ſolitæ ſedere, & nere, texere, ſuere. Aſconius in Milon. Valerius apud Gellium, Cic. pro Cluent. XXXVII. Lanificium Romanis antiquis impenſa cura. Docent nuptiæ, in quibus ſponſæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat è lana: poſtes velati lana: omnia videlicet ſigna & indicia matronis opera futura. Lanam enim domi ſedulò exercebant, telam texebant, conficiebant veſtem. Et hæc omnia matronæ etiam primi ordinis. Sanè textrina, & quidquid ad perficiendam veſtem, olim muliebre opus. Eiuſmodi operas exercebant in primore parte ædium, id eſt, in atrio: ſcilicet ad teſtificandam diligentiam ſuam, ſiue ad exemplum. Sueton. Aug. cap. 73. & 63. Arnob. contra gentes libro ſecundo. Æmilius Probus præfat. XXXVIII. Vates & actores ſeu hiſtriones inter canendum agendumque lauri ramum manu tenebant. Apud Græcos quos hiſtriones, & ſaltatores præſertim manu geſtabant, baculi inflexi erant ſiue ad concinnitatem aliquam motus, ſiue ad geſticulandum. Nec è ligno ſolum illi baculi, ſed è ferro. Sueton. Nerone cap. 24. Apuleius apologia altera. XXXIX. Generis apud Romanos diſcrimen duplex, alii patricii, alij plebeij. Rurſum ex vtriſque alij nobiles, alij noui. Nobiles cenſebantur illi ſoli, quorum maiores magiſtratum ceperant, quique ius habebant imaginis ponendæ. Noui, quorum maiores vitam priuatam vixerant, & quibus imagines nullæ. Regum temporibus, & poſt refugium aliquot annis, penes ſolos patricios magiſtratus erant: ideo & nobilitas. Poſtea per contentiones Tribunitias, communicati cum

plebe

plebe honores, ſimulque nobilitas & imagines. Immo non raro ex eo plebeius quiſpiam nobilis ante patricium: vt Claudij, Marcelli, vt Decij, Flaminij, Luctatij, & quæ alia è plebe familia plena honorum. Non enim ex genere, ſed ex imaginum multitudine omnis nobilitas & imagines ex magiſtratu: non tamen quouis, ſed curuli. Quæſtura, Tribunatus, & qui alij inferiores honores, ius imaginis non dabant. Hæ imagines non aliud fuerunt, quàm expreſſa corporis effigies humerorum tenus, è cera, capitis ſcilicet atque vultus. Ob id poëta ceras appellans. Imagines autem iſtæ in atriis collocabantur ordine in ligneis thecis, ſiue, vt Plinius appellat, armariis, quæ diebus feſtis, aut lætioribus tantum aperiebantur, cui cura præfectus Atrienſis. His ſubſcripti tituli, ſiue indices honorum, & rerum in magiſtratu geſtarum. Vſus præcipuus, vt in funere nobilium ferrentur. Ratio ferendi in oblongis perticis erat, ſiue haſtis. vt fercula ſolent triumphorum. Si quis turpi & immani crimine damnatus eſſet, damnabatur etiam, & frangebatur eius imago, nec in exſequiis ferebatur. Liuius libr. 1. & 22. & alibi Plinius libr. 35. Ouidius 1. Amorum, Seneca, Valerius libr. 5. capit. 8. XL. *Oſculum adhibebant in cultu deorum tripliciter. Aut enim os iis venerabundi oſculabantur, aut manus, aut pedes. Cic. in Verrem, Lucretius, Apuleius. Sed quia verebantur plerunque deos ipſos ore profano ſuo tangere, eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim verenter ad os ſuum referebant, & ſuauiabantur. Plinius, Minutius Felix, Apuleius. Syris etiam & Orienti hic mos. Iob. capit. 31. Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Id eſt, ſi lunam, aut ſolem adoraui. 3. Reg. 19. Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum oſculans manum. Sæpius in Hebræorum phraſi deoſculatio eſt adoratio. Atque ego latinis ipſis hinc cenſeo formatum adorandi verbum: quia manus ad ora admouebant. Dabant etiam oſcula liminibus templorum, poſtibus, aris rebus in arctis, & crinibus paſſis fœminæ templa verrebant. Tibullus, Statius, Liu. libr. 3. & 26. Polybius, Apuleius libr. 5. Erant alia oſcula humana, eaque non tam amoris, quàm officii, & vrbani cuiuſdam cultus. Ea variè vſurpata, & in omni ferè corporis parte. Primum in facie, ibique os, genas, oculos ſuauiabantur: in itu, reditu, gratulatione, immo in ſalutatione, & quotidiano occurſu. Qui mos maximè inualuit ſub Auguſto. Secundo manus oſculabantur, ſed non tamen, niſi potentiorum. Is mos etiam libera Republic. quanquam rarus. Plutarchus in Catone Natus à blanditiis candidatorum, prenſantium, rogantium, & alienas manus oſculantium. Seneca epiſtol. 119. Increbuit ſtatim tota vrbe, immo orbe, idque in petitione, in gratiarum actione, gratulatione, atque omni officii aut demiſſionis nota. Plinius, Tacitus, Suetonius, Apuleius, Seneca. Quanquam, vt ex Arriano colligitur, viliores & ſerui propriè manus oſculabantur, quod poſterioris æui ſcriptores, ſua & peculiari phraſi dixerunt, ad manum accedere. Tertio denique genua oſculabantur, immo*

& pedes

Digitized by Google

& pedes. Ammianus, Capitolinus, Dio. non autem os admouebatur pedibus, ſed dextra: eaque deinceps ad os referebatur. Quamquam Caligula & Principes aliquot ſecuti, pedes reipſa oſculo ſibi affici tulerunt. XLI. *Romæ, etiam viua libertate conſuetudo, vt viros primates, & gratia aut dignitate conſpicuos, venientes in theatra, compoſito plauſu exciperent: iiſdem aſſurgerent. Vtrumque honoris habendi cauſſa, & promerendi fauoris. Contrà, eos qui infames, aut ingrati, ſibilo velut reiicerent ac ſegregarent. Hoc teſtimonium vniuerſi populi multum valere cenſebant in vtramque partem. Manſit ad Imperatores: ſed ita, vt hunc honorem, ſicut pleroſque alios, ſibi ferè ſeponerent, nec communicatum vellent cum reliquo ſenatu, non certè vulgo. Nam quin etiam ſub Imperatoribus quibuſdam applauſum & aſſurrectum, non nego: ſed ferè iis, qui aut ex domo, & gente Principali, aut interiori amicorum cohorte. Præter plauſum & aſſurrectionem etiam acclamatio fuit: antiquitus quidem in re ſubita, noua, triſti, læta, ſed poſtea tranſlata tota ad laudes, ſiue adulationes Principum, in eoſque effuſè exercita: nec vocibus ſolum ſingulis, ſed contextu quodam ad modulum & cantum, vt Domitiano, Domino & Dominæ Feliciter. Tacito. Tacite Auguſte dii te ſeruent. In Martiale de Titi ludis, populorum vox tamen vna eſt. Cum verus patriæ diceris eſſe pater. Et quoniam fauſta, & fauentia acclamationis verba, rem ipſam, tanquam ſuo, & peculiari verbo dixerunt, Fauere, & Fauorem Horat. Suet. Martialis, Vopiſcus, Lampridius, Capitolinus.* Hæc ego, vt tu optimè vnus, & ſolus intelligis, velut canis è Nilo bibens, & in tranſcurſu quodammodo. Quod tamen mihi, vt verum tibi narrem, perdifficile fuit. Mirabiliter quippe tua horum rituum ornatiſſima explicatione, accommodatiſſimis & plurimis nobilium ſcriptorum teſtimoniis refertiſſima capiebar, hærebamque multum in capitibus ſingulis, vbi aliquid vetuſtæ conſuetudinis inueniebam. Vtilis, vtilis eſt rituum iſta priſcorum intelligentia: cuius qui ſunt expertes, eos ſæpiſſimè hallucinari, dubitare, errare, plurima præterire in poëtis, hiſtoricis, oratoribus neceſſe eſt. E. Iſtud ipſum cum me non fugeret, libris meis paſſim inſerui, quæ cupidis literarum emolumento eſſe in hanc partem viderentur, & memet dum vnumquemque ritum diſtinctè, apertè, attextis ad confirmandum locis idoneis explicare conor, non parum profeciſſe confiteor. Quod ſi quid eſt, in quo tibi aut obſcurior, aut indiligentior appareo, peto abs te, ne mihi occultes: membranis enim intus adhuc poſitis emendare licebit: vox miſſa reuerti neſcit. S. Nihil equidem habeo, quod his duobus nominibus tibi obiiciam. Scito tamen etiam mihi in mentem nonnunquam veniſſe, quæ tuis non malè adiungerentur. Fit enim neſcio quo pacto, vt legentibus nobis ſimilitudine rerum ac ſententiarum, quas legimus, multa, quæ antea legebamus, occurrant. Sed tu, vt hactenus, aures mihi commoda, & ſi quid in ratione iſta mea diſplicuerit

tibi

tibi, me mone. Non te à me, ſed me abs te corrigi æquum eſt. Tu maior, tibi me eſt æquum parere Menalca. E. Dixi iam pridem quid ſentirem de labore iſtoc tuo. S. Haud multa reſtant. *XLII. Solebant qui vectores ad nauim inuitabant, aut ſcandentes eam excipiebant, dicere. Quod bene vertat, conſcende, ἔμβαινε τύχῃ ἀγαθῇ. XLIII. Sæpenumero legimus, expoſitos fuiſſe pueros in fabulis latinis, è palliatis ſumptis. Id facere ſolebant plerunque pueris in olla collocatis. Vnde & expoſitio χυτρισμὸς vocatur. Heſychius. χυτρισμὸς ἡ τῶν βρεφῶν ἐν ταῖς χύτραις ἔκθεσις. XLIV. Sono digiti, loco nutus, aut etiam vocis vtebantur, qui ſibi ſine cunctatione parituros præſto habebant, vt imperium maius, aut vlla vocis ſignificatione opus non eſſet. Itaque Cic. 3. Off. Si concrepuerit digitis, & digitorum percuſſionem, cùm videlicet inter ſe colliduntur, vt concrepent, dixit, pro eo quod facilè nulloque negotio obtinetur, XLV. In diis placandis, non ſolum limina oſculabantur, ſed & poſti caput allidebant, & ad ſacram aram, ſeu ſedem eius Dei, quem placare cupiebant, ſupplices repebant, non incedebant. Tibull. libr. 1. eleg. 2. XLVI. Latini populi ſtatim natos infantes ad flumen ferebant. Idem ſolebant Ligures. Item Lacones in Eurota ſolebant lauare editos infantes ſuos. XLVII. Mos fuit ducum exercitus, cum frangere volebant animos hoſtium, oſtendereque ſe penitus eos deſpicere in vrbe, quam obſidebant, prope ipſorum caſtra ludos quoſdam facere, & curſum equorum inſtituere, propoſito præmio illi qui viciſſet.* Ecce conatum meum. E. Et quidem laude dignum. Vellem autem alia excerpta tua videre: ſed id aliâs. S. Libet illud Terentii promere.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo, &
Id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam.

ANNOTATIONES.

PRISCI RITVS) *Hos ex Hartungo, Iuſto Lipſio, Turnebo, Victorio collegimus. Ex Hartungi capitibus octauis decuriarum quatuor, vſque ad ritum 33. Ex Electis Lipſii inde vſque ad 42. nempe ex libr. 1. cap. 3. 4. 12. 17. 28. 29. libr. 2. cap. 6. 10. Cæteros ex aduerſariis Turnebi, & variis lectionibus Victorii. Illius lib. 30. ca. 31. 28. lib. 29. cap. 30. lib. 23. cap. 6. huius, lib. 34. cap. 2. lib. 37. c. 17.* INTER MVSÆA ORGANA) *Muſarum nomine literas, & ſcientiam artium honeſtarum notari, quem tandem latet, quamuis in ludo adhuc elementario verſantem? Lucretius adiectiuum hoc ad poeticam ſuauitatem, & elegantiam, ex numeris videlicet verbiſque, & loquendi figuris, ſeu modis quibuſdam propriis exiſtentem ſignificandam adhibere gaudet. lib. 1. & initio 3.*

Deinde quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſæo contingens cuncta lepore.

Rurſum in 1.

voluit tibi ſuauiloquenti

Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo du ci contingere melle.

Lib.2.muſæa mele cantilenas muſicas appellat. Iam ὄργανον *eſt inſtrumentum. Literatorum inſtrumenta ſunt libri: ergo iiſdem organa. Sic Palladas lib.1. Anthol. propter paupertatem ſe libros ſuos venditurum affirmans,* ὄργανα μουσάων *vocat.* TOT EXIMIA INGENII OPERA) *Indicem & ordinem inuenies apud Plinium Se undum epiſt.5 lib.1.* HISTORIA NATVRALIS) *Hiſtoria, inquit in poëtica Scaliger, ſi capiatur pro expoſitione cuiuſcunq; rei, rectè inſcripſit libros ſuos Plinius Hiſtoriam naturalem, & hiſtoriam animalium Ariſtoteles, & plantarum Theophraſtus. Si pro narratione rerum geſtarum, non rectè. Ob hunc librum ita Muret. orat.13. volum.2. Illum verò promumcondum rerum omnium ſcitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artium, illum erudit onis Oceanum C. Plinium quis vnquam ſatis pro dignitate vel admirari, vel celebrare poterit? Qui nullum vnquam librum vidit, quem non l·gerit: nihil cognitu dignum legit, quod non exc rpſerit: nihil excerpſit, quod nō in litteras retulerit. Itaque vnum ipſius opus, quod de plurimis extat, naturalis hiſtoria, inſtar ingentis bibliothecæ videri poteſt.* SOLA SVORVM FRATRVM) *Ouid. eleg.1. lib.1. Triſt. alloquens librum, venuſtè alios domi in arculis latentes, fratres eius nominat. Carmina apponere iuuat.*

Cùm tamen in noſtrum fueris penetrale receptus,
Contigeriſq; tuam ſcrinia parua domum,
Aſpicies illic poſitos ex ordine fratres,
Quos ſtudium cunctos euigilauit idem.

COMMVNEM, ET VLTIMAM) *Vox, vltimum, vt extremum, eſt eodem intellectu, quo grauiſſimum, maximum, ſummum: cùm dicimus nempe, quempiam ad vltimam redactum miſeriam, inopiam,* ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες) *Frequenter ſic Homerus. Latinè vertas, cæleſtia templa co entes, cælicolæ, cæleſtes, dii ſuperi.* APVD PISTOREM SARSINATEM) *Plautus, teſte Feſto, initio Plotus audiebat à pedum planitia: ploti enim dicebantur ab Vmbris: qui eſſent pedibus planis: poſtea Plautus dici ſolitus eſt. Hinc etiam ſemiplotia calceamenta, quibus vtebãtur in venationibus, vt planius ſtarēt. Patriam habuit Sarſinam Vmbriæ oppidum, quod ipſemet in Moſtellaria videtur inſinuare. Quidam Farſinatem appellare malunt. Vixit, & in ſcena floruit, auctore Gellio, anno fermè XV. poſtquam bellum Punicum ſecundum geri cœptum fuerat. M. Varro ſcripſit eum omni pecunia in ſcenicis ornamentis conſumpta, ad ſummam inopiam deuolutum in vrbem rediiſſe atq; vt victus ſuppeditaret, operam ſuam piſtori addixiſſe, verſanda mola, quam truſatilem nominarunt. Gellius ait, hoc facere coactum pe d t i pecunia in mercatibus, quam ex operis ſcenicorum artificum ſibi quaſierat. Conſtat piſtori eum ſeruiſſe.* IAM RVMPO VOCEM) *Genus dicend petitum à Græcis* ῥῆξαι φωνήν, *de aliquo, qui cùm diu tacuerit, repente quippiam edit. Vtitur Virg.2. Æneid. Amplius ſuper hec & verboſius more ſuo Victor. lib.10. cap.8.* DOCTIS IVPITER, ET LABORIOSIS) *Admirantes*

Digitized by Google

rantes in hanc vocem erumpebant, quomodo Græci, ἡράκλεις. Catull.

Iam tum cùm auſus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iupiter & laborioſis.

Et alibi. Iupiter, vt terſti lumina ſæpe manu? MANIBVS PRÆFEREBANT COROLLAM) *Vide initium Iliad. vbi Chryſes ſacerdos ad naues accedit, ab Agamemnone, & Græcis filiam ſuppliciter ſibi reſtitui petens.* GLADIVM SVBLATVM SOLI) *Aliter de hoc more Victorius lib. 35. cap. 13. adducens Euripidis locum ex Oreſte, & præterea duos è Cicerone: vnum è Philipp. 2. de M. Bruto, alterum è Miloniana de Milone.* EFFVGI MALVM, INVENI MELIVS) *Dici ſolitum hemiſtichium græcum, quod hunc ſenſum continet: ſi quando proſperior fortuna quempiam amplexa eſſet. Natum è cæremonijs nuptialibus. Siquidem in nuptijs Athenis puer quiſpiam inducebatur vndique ſpineis frondibus, & quernis glandibus opertus, coronatuſque, cunas geſtans panibus impletas, qui dicebat,* ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. *Malum enim vocabat ſpinas & glandes, panes bonum: propterea quod ſteriles ſpinæ, & glandibus victitabant agreſtes illi priſci. Reperto frumentorum vſu, glandium eſus faſtidiri cœptus. Ex pluribus parœmiographus.*

PROGYMNASMA QVINTVM ET SEPTVAGESIMVM.

Formularum veterum ecloga.

PETILLIVS, FRONTINVS.

PETILLIVS. Formulis illis antiquis, quæ etiam actiones dicuntur, erantque certæ ſollemnium verborum conceptiones, iureconſultis auctoribus & architectis, quibus eadem in re populus Romanus vti ſolebat (vnde formularij Fabio, & Ciceroni cantores formularum) his dico formulis, quem vulgus hodie ſtylum appellat, quoties in aliquam aliquáſue incurro, haud leuiter delector, idque tribus de cauſſis. Primùm quia mihi aliquid vetuſti moris ſubijciunt: deinde quia odorem quaſi, & ſaporem ſanæ illius incorruptæque latinitatis retinent: poſtremò, quia mihi vſui eſſe poſſunt ad ſcriptorum nodos expediendos: in quibus nonnunquam implicatum hærere neceſſe eſt, quem cognitio iſta formalaria, ingenua profectò, & elegan-

legantium literarum ſtudio digniſſima fugit. Atque ego frequens optaui, dari mihi, quì cum de his agerem & quæ vellem, & quo modo. An tu igitur vis, Frontine: quando iiſdem in caſtris militamus, eodem ſtudiorum genere deuincti, inter nos iſta recolamus ac celebremus, & tanquam tabulas aliquot magni cuiuſdam naufragij colligamus? F. His etiam ego recreor, motus ijſdem rationibus, quibus tu adduceris, vt tantum inde percipias voluptatis. Eam autem, quarum adhuc inſidet in animo memoria: quæ defluxerunt, eas vnde recipiam, ſcio: & te idem ſcire haud neſcio. P. Seruemus eum ordinẽ, ſi placet, quo ſe elementa conſequuntur: & in quibus eſt aliquid tenebrarum, eas relinquamus. F. Age. tu i præ, ego ſecundum iuero. P. Vt ergo hinc potiſſimùm rem inchoemus. ABDICATIONIS formula talis apud Valerium extat lib. 5. cap. 8. *Cùm Silanum, filium meum, pecunias à ſocijs accepiſſe mihi probatum ſit, & repub. eum, & domo mea indignum iudico, protinuſq; è conſpectu meo abire iubeo.* ACTIONIS FVRTI ADIVTI. *Ope, conſilio tuo furtum factum eſſe aio.* Cicer. lib. 3. de nat. deor. ACTIONIS IN REM, SEV VINDICATIONIS. Cicero pro Muræna huiuſmodi formulam teſtatur fuiſſe. *Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt: eum ego ex iure meum eſſe aio. Inde ego te ex iure manum conſertum voco.* Hæc erant verba eius, qui vindicabat. A quo verò vindicatur, eius hæc erant verba. *Vnde tu me ex iure manum conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco.* Sed illud, manum, ſeu manus conſertum explanare libet. F. Mihi quoque explanationem audire tam libet, quàm quòd maximè. P. Olim in re præſenti, præſente Prætore, aduerſariis rem manu prehendentibus ex 12. tabulis iure vindicatio fiebat. Sed propagatis Italiæ finibus, latis iuriſdictionibus, negotiis occupati, proficiſci vindiciarum dicendarum cauſſa in longinquas res grauabatur. Quare tacito contra XII. inſtitutum eſt, vt litigantes non ex iure apud Prætorem manum confererent, ſed ex iure manum conſertum vocarent, id eſt alter alterum ex iure ad conſerendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret. Atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius, in vrbem ad Prætorem deferrẽt, & in ea gleba, tanquam in toto agro, vindicarent. Prodibo vlterius. ADDICTIONIS IN DIEM. *Ille fundus centum eſto tibi emptus: niſi ſi quis intra Kalendas Ianuarias proximas meliorem conditionem fecerit, ſeu attulerit, quò res à domino abeat.* Emptionis formula ſimile quiddam habebat. Solebat enim emptor in auctionibus, cùm ex præcone rei venalis pretium audierat, clarè pronuntiare, *emptum, niſi quis meliorem conditionem afferat.* ANNVLI AVREI IN CONCIONE DONANDI. *Quandoquidem tu in prælio, in bello, in re militari mihi nunquam defuiſti, omnibuſq; in periculis mecum verſatus es, ob haſce res hoc annulo aureo te dono.* ANTESTANDI. Componitur hoc verbum ab an, quod in compoſitione valet circum, & teſtari. Et

Digitized by Google

erat anteſtari, vnum aliquem ex ijs, qui adeſſent, prehenſa auricula teſtem ſumere cum his verbis, *lic t anteſtari?* ſi ille reſpondebat, *licet*, permittebatur ei, qui vadibus acceptis, quempiam in ius vocaſſet, manus inijcere, eumque in ius rapere. Quod ſi quis non anteſtatus, manu iniecta aduerſarium ſuum in ius raperet, iniuriarum actione tenebatur. Verba legis XII. tab. hæc videntur fuiſſe. *Si in ius vocat, ni it, anteſtatus manum inijcito, aurem anteſtati capito.* Anteſtatus dicebatur, qui adductus, aut inuentus erat, & teſtis factus. Etenim patiendi & agendi verbum eſt anteſtatus. ARROGATIONIS. De hac videndum caput Gell. 19. libro 6. Formula quidem talis fuit. *Velitis iubeatis Quirites, vti L. Valerius L. Titio tam iure legeq; filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matreq; familiâs eius natus eſſet: vtque ei vitæ neciſq; in eum poteſtas ſiet, vti patriendo filio eſt: hoc ita, vt dixi, ita vos Quirites rogo.* ASSERENDI IN LIBERTATEM. *Hunc ego hominem ex iure Quiritium liberali aſſero cauſſa manu.* Apud Terent. Adelph. Plautum Pœnulo. Curcul. F. Quid hic vult liberalis cauſſa? P. Judicium quod in ſe actionem continet libertatis. Fiebat autem, quod formula dicit, quoties quis liberum hominem iniuſta ſeruitute oppreſſum in libertatem vindicabat, id eſt, liberum eſſe decernebat: ſeu vt Liuius lib. 3. dabat vindicias ab ſeruitute ſecundum libertatem. Teſtatur porrò Turneb. lib. 27. cap. 15. in peruetuſto vocabulario bilingui Aſſertor exponi καρπιστής; Aſſertio καρπιστία. Chariſius quoque lib. 1. vindicias καρπιστίαν, exponit, ab iniectione prehenſioneque manus: quòd nimirum, qui aſſerebat vindicabatque, manu aſſerebat, manuque comprehendebat. Ad formulam BELLI JNDICENDI venio, quæ plures continentur: eam vbi addidero, te cæteras huius elementi proſequentē audiam. Veruntamen quoniam res tota grauiter & inſigniter à Liuio lib. 1. deſcripta eſt, & ego librum in manibus habeo, ecce tibi, legam locum ad verbum, ſi pateris. F. Liuianam facundiam amo: quare non eſt cur quæras an velim, quod tu vis. P. Cenſuit è dignitate ſua futurum Ancus Martius Romanorum Rex quartus, ſi, quemadmodum Numa, qui Romulum excepit, in pace religiones inſtituiſſet, ita ipſe bellicas cæremonias proderet: vt non modò gererentur, verum etiam indicerentur ritu aliquo, ius, quo res repetuntur, ab Æquicolis antiqua gente deſcripſit. Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen eſt) Audi Iupiter, inquit, audite fines (cuiuſcunque gentis ſunt nominat) audiat fas. Ego ſum publicus nuntius populi Romani, iuſte pieque legatus venio, verbiſque meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata: inde Iouem teſtem facit: ſi ego iniuſtè impieque illos homines, illaſque res dedier nuntio populi Romani mihi expoſco, tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. Hæc cùm fines ſupra ſcandit, hæc quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingreſſus, & quæ ſequuntur, nolo omnia legendo te remorari. F. CARMI-

NIS

NIS SEV CANTVS NVPTIALIS quæ formula fuerit dicam: nam aliæ mihi de litera B. non occurrunt hodie. Apud Romanos quidem ingeminabant *Talaſſio, Talaſſio*: ſed poſtea imitati Græcos, Hymenæum (quem deum nubentium præſidem credebant) lætiſſimis vocibus iterarunt. Huius moris exempla petemus ex Ariſtoph. in Auibus, ὑμὴν ὑμεναῖ᾽ ὦ ὑμήν. Theocrit. Epitaph. Adon. & nuptijs Helenæ. Lucretius lib. I.

non vt ſollemni more ſacrorum
Perfecto poſſet claro comitari Hymenæo.

Catull.

Hymen, ô hymenæe, hymen, ades ô hymenæe.

Item.

O Hymen, hymenæe, hymen, hymen, ô hymenæe.

Terentio Adelph. Verùm hoc mihi moræ eſt, tibicina, & hymenæũ qui cantent. Plaut. Caſ.

Age tibicen, dum illam educunt hùc nouam nuptam foras.
Suaui cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.
Io hymen, hymenæe, iô hymen.

CAVTIONIS DE DOLO MALO. *Vtine propter te fidémue tuam captus, fraudatuſúe ſim.* CESSIONIS IN IVRE. In iure ceſſio fit hoc modo. Apud magiſtratum populi Romani vel apud Prætorem, vel apud Præſidem prouinciæ, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat. *Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio.* Deinde poſteaquam hic vindicauerit: Prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet? quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit eum addicit, idque legis actio vocabatur. COMMEATVS. *Si quis veſtrum ſuos inuiſere vult, commeatum do: primo vere adſitis edico.* Hæc formula reperitur apud Liuium lib. 30. Et eſt commeatus tempus illud, quo miles ire & redire poteſt, quod ſpatium excedens, emanſoris, aut deſertoris loco habebatur. Hæc poteſtas niſi iuſtiſſimis de cauſſis non dabatur: expeditionis tempore, hoſtibus imminentibus nunquam: nec vnquam amplius 30. diebus. Dabatur porrò à Tribunis cohortium, aut à Præpoſitis militum, aut vicariis vel domeſticis eorum, vel à Principe. Nazianzenus γράμματα τῆς ἀφέσεως vocat, literas dimiſſorias. Præterea Bud. in Forenſ. ſic prouocatus, inquit, ob deſertam prouocationis executionem, è citatis & prouocatis eximitur, & vadimonio ſoluitur. Quod commeatum dare dicitur. Hinc commeatum petere, dare, accipere, impetrare, Commeatales milites, qui vnà commeatum accipiunt, vel qui in ſtipendij partem accipiunt alimenta ex commeatu, id eſt, ex alimento publico. CONLVCANDI LVCI. P. Prius quam formulam recites, verbum conlucare declara. F. Sic agam. Ab eodem fonte cadunt tria priſcorum verba, & ruſtica, collucare, ſublucare, interlucare. Collucare, eſt ſuccisis arboribus, locum luce implere, ſeu ramos lumini officientes decidere.

Sublucare eſt ramos earum ſupputare, & veluti ſubtus lucem immittere. Interlucare, eſt in arboribus frugiferis per interualla deputare ramos in denſitate ramorum, qui ſunt ſu; eruacui: vnde interlucatio, cui in vitibus ſimilis pampinatio. Luci ſacri erant incædui, dicati Syluano. Voluit Cato cap. 139. de re ruſt. modum docere, quo rectè atque extra piaculum cædi poſſent, cuius verba hæc ſunt. Luculum conlucare Romano more ſic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito. *Si Deus, ſi dea es, quorum illud ſacrum eſt, vti tibi ius ſiet porco piaculo facere, illiuſce ſacri coercendi ergô. Harumce rerum ergô, ſiue ego, ſiue quis iuſſu meo fecerit, vti id rectè factum ſiet. Eius rei ergô, te hoc porco piaculo immolando, bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi, domo, familiaq; meæ, liberiſq; meis. Harumce rerum ergô macti hoc porco piaculo immolando eſto.* CONTESTANDÆ LITIS. Conteſtari litem dicuntur duo aut plures aduerſarij, quod ordinato iudicio vtraque pars dicere ſolet, *Teſtes eſtote.* Ita Feſtus. Conteſtatio autem litis, eſt eius rei de qua controuerſia eſt, apud iudicem ex vtraque parte facta narratio teſtibus præſentibus. Hoc genere res in iudicium deducitur, & litis nomen accipit: nec enim lis eſt, antequã conteſtetur, ſed controuerſia. CRETIONIS IN HÆREDITATIBVS. Cretio, vt definiuit Vlpianus, eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, vtrum expediat ei hæreditatem adire nec ne: velut. *Titius hæres eſto, cernitoq; in diebus centum proximis, quibus ſcierit poteritq;: niſi ita creuerit, exhæres eſto.* Cernere, eſt verba cretionis dicere, ad hunc modum. Cùm me Mæuius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo, cernoque. P. Tangit hanc formulam cretionis priorem Craſſus apud Ciceronem 1. de Orat. pro conditionibus enim legendum eſt, cretionibus, & ita legunt viri quidam eruditiſſimi. Locus hic eſt. Tum Cotta. Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, vt omnino de his rebus Craſſe loquerere, aſſecuti ſumus: de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quæ percunctati erimus, explicaris, dimiſerimus. De his credo, rebus, inquit Craſſus, vt in cretionibus ſcribi ſolet, *quibus ſciã poteroq;.* F. Nunc dedicationis cuiuſdam, & deditionis formulas proferam. DEDICATIONIS. Cæninenſium rege obtruncato ſpoliatoque, Romulus ea ſpolia, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium aſcendit: ibique ea cùm ad quercum, paſtoribus ſacram, depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignauit templo Iouis fines, cognomenque addidit deo. *Iupiter Feretri,* inquit, *hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumq; iis regionibus, quas modo animo metatus ſum, dedico: ſedem opimis ſpolijs, quæ regibus ducibuſq; hoſtium caſis me auctorem ſequentes poſteri ferent.* Liuius lib. 1. DEDITIONIS A PATRE PATRATO. *Quandoquidem hice homines iniuſſu populi Rom. Quiritum fœdus ictum iri ſpoponderunt atq; ob eam rem noxam nocuerunt: ob eam rem, quò populus Romanus ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines vobis*

deda

dedo. Liuius lib.9. DEDITIONIS. Rex interrogauit: *Eſtiſne vos legati oratoreſq; miſſi à populo Collatino, vt vos populumq; Collatinum dederetis? Sumus. Eſtnè populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditiſne vos populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtenſilia, diuina humanaq; omnia in meam populiq; Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Liuius lib.1. P. Hoc loci in mentem venit de ſignis deditionis, quæ apud alias gẽtes alia fuiſſe certum eſt. F. Et in eandem rem mihi quædam ſubeunt animum. Tu prior edicito. P. Galli & Hiſpani brachia manuſque exarmatas, ſeu inermes tendebant. Qualis mos etiam ſeruatur apud Virgil.lib.1. vbi ita eſt. Oremus pacem, & dextras teneamus inermes. Romani clypeis capita ſubiiciebant, armaque tradebant. In acie Pharſalica victi Pompeiani, paſſis palmis proiecti ad terram flentes ſalutem à Cæſare victore petiuerunt. Proiectis armis, more militari ſalutationem facere, aliquãdo re deſperata, militibus ſaluti fuit. Græci iunctis ac velatis manibus; aut cum infulis & velamentis ſupplicabant. F. De velatis manibus quod ais, monet me ditionis Teleboarum, de qua ſic in Amphit. Plaut.

Poſtridie in caſtra ex vrbe ad nos veniunt flentes principes:
Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum,
Deduntq; ſe, diuina humanaq; omnia, vrbem & liberos
In ditionem atq; in arbitratum cuncti Thebano populo.

P. Quomodo explicas illud, velatis manibus? F. Manibus oliuæ ramos ferentes. Virgil.lib.11. Velati ramis oleæ veniamque rogantes. Vbi Seruius, non coronati, inquit, ramis oleæ (nec enim lugentes decebat) ſed inſtructi atque ornati. Item lib.7. Centum oratores auguſta ad mœnia regis, ire iubet, ramis velatos Palladis omnes. Indi cum pateris, vina libantes procedebant. Dexteris exertis, ſublatiſque manibus incedere Græcis & Perſis ſignum pacis ac deditionis erat. Barbaris quibuſdam ſollemne fuit capitibus corollas geſtare. Ægyptij veſte ſupplici ſumpta, prælatiſque ſacris omnibus pacem precabantur. Galli etiam magiſtratus cum pueris & fœminis mittebant hoſti obuiam. Apud Perſas item terram, & aquam offerre deditionis argumentum erat. Redeamus ad formulas recolendas. DEFERENDI NOMINIS. Cum in ius ventum eſſet, dicebat apud Prætorem accuſator reo. *Aio te Siculos ſpoliaſſe.* Si tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo: ſi negabatur, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio. Deuotionem vrbium & exercituum ex Macrobij lib.3.cap 9. recitarem, ſi probè tenerem: eſt enim longior. DEVOTIONIS DECII verba ex Liuij octauo tibi legam. Da librum. *Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouenſiles, dij indigetes, diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumq;, diuiq; Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroq;, vti populo Roman. Quiritium vim victoriamq; proſperetis: hoſteſq;*

populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteq́; afficiatis. Sicut ver-
bis nuncupaui, ita pro Repub. Quiritum, exercitu, legionibus, auxilijs po-
puli Roman. Quiritium legiones, auxiliaq́; hoſtium mecum dijs manibus,
Tellurią; deuoueo. Pretium fuerit, quippiam de hac deuotione in me-
dium afferre Bello latino P. Decius, & Manlius Torquatus Conſu-
les, dum caſtra ad Capuam habent, vocem noctu excipiunt incer-
tam, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum diis manibus,
Terræque matri deberi: addici autem victoriam illi parti populoq́;,
cuius exercitus Imperator legiones hoſtium, ſuperque eas ſe quo-
que deuouiſſet, Conuenit inter Coſſ. vt vtrius cornu in acie pri-
mùm laboraret, is ſeſe dijs manibus deuoueret. Prælio commiſſo
Decij cornu fluctuabat, qui ſeſe hoſteſque Latinos deuouit, M. Va-
lerio Pontifice verba ſollemnia præeunte. Poſt annos 45. filius mo-
re patris bello Etruſco idem fecit, de quo Liuius in 10. Florus lib. 1.
cap. 14 & 17. P. Idem bello aduerſus Pyrrhum Decius nepos præſti-
tit. Teſtem laudare licet Ciceronem cùm 1. Tuſcul. vbi hæc ſunt:
non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruſcis filius, etiam
cum Pyrrho nepos, ſe hoſtium telis obiecissent: tum in 2. de finibus.
Non eſſet Decium patrem imitatus quarto conſulatu filius, neque
porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens, conſul cecidiſſet in
prælio: ſeſeque è continenti tertiam victimam Reipub. præbuiſſet,
Iam Trib. pl. concionem hoc ſermone dimittebat. *Si vobis videtur,*
diſcedite Quirites. Popul⁹ à funere dimittebatur verbo *Ilicet*, id eſt: ire
licet. Pronuntiabatur autem à præfica ferialibus officiis perſolutis,
poſt lamenta & conclamationes ſcilicet. Sacris item finitis clamabat
ſacerdos ILICET, ſignificans, ſe, qui præſentes affuiſſent, miſſos fa-
cere. Alioqui vox hæc ſæpe vſurpatur re aliqua perfecta & tranſacta.
Plaut. Ciſtell. Ilicet: actum eſt. Terent. Eunuch. Actum eſt, ilicet,
Phorm. Hoc nihil eſt Phædria: ilicet. Quid conterimus operam fru-
ſtra? quin abeam? Vbi Donatus. Semper, ilicet, finem rei ſignificat.
Iudicium eodem verbo per præconem dimittebatur. Cùm vtraque
pars dixiſſet, Prætor ſeu præco pronuntiabat, DIXERVNT, vt ire-
tur in conſilium. Dimittendis manibus, cùm nimirum ab exſequijs
recederent, vſurpabant: *Vale & ſalue, nos te, quò natura permiſerit, ordi-*
ne cuncti ſequemur. De dimiſſionibus hactenus, DIVORTII. *Tuas*
res tibi habeto. Tuas res tibi agito. EVOCATIO DEORVM bis ver-
bis peragebatur, quæ retulit Macrob, lib. 3. cap. 9. *Si deus, ſi dea es, cui*
populus ciuitaſq; Carthaginenſis eſt in tutela, teq́; maximè ille, qui vrbis
huius, populiq; tutelam recepiſti, precor veneror q́;, veniamq́; à vobis peto,
vt vos populumq́; ciuitatemq́; Carthaginenſium deſeratis: loca, templa, ſa-
cra, vrbemq́; eorum relinquatis, abſq; his abeatis: eiq́; populo, ciuitatiq́;
metum, formidinem, obliuionem inijciatis: proditiq́; ad me Romam venia-
tis, noſtraq́; vrbis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior, probatiorq́; ſit, mihi
quoq;, populoq́; Rom militibuſq́; meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus intelliga-
muſq́.

Digitized by Google

muſq́. Si ita feceritis, voueo vobis templa ludoſq́ facturum. FIDEIVBENDI. *Centum quæ mihi Caius debet, eadem mihi dare ſpondes? ſpondeo. Stichum, aut decem fide tua iubes? iubeo. Quantum pecuniam credidero, fide tua eſſe iubes? iubeo. Si reus quadraginta non ſoluerit, fide tua eſſe iubes?* FIDVCIÆ formula hæc eſt: relata à Cic. in 3. Off. epiſt. 12. lib. 1. & in Top. *Vt inter bonos bene agier oportet.* FOEDERIS PERAGENDI legam tibi è Liuij lib. 1. Fecialis regem Tullum ita rogauit: *Iubéſne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire?* Iubente rege. *Sagmina, inquit, te rex poſco.* Rex ait, *puram tollito.* Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: poſtea regem ita rogauit. *Rex facíſne me regium nuntium popul. Roman. Quiritium? vaſa comiteſq́, meos?* Rex reſpondit: *Quod ſine fraude mea populiq́ Rom. Quiritum fiat, facio.* Dein Fecialis Patrempatratum facit, qui legibus fœderis recitatis: *Audi,* inquit, *Iupiter, audi paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus: vt illa pa'am prima poſtrema ex illis tabulis ceráue recitata ſunt ſine dolo malo, vtique ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt, illis legibus popul. Rom. prior non deficiet. Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo, tum Dieſpiter popul. Roman. ſic ferito, vt ego hunc porcum hîc die feriam: tantoq́ magis ferito, quanto magis potes polleſq́.* Quod vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. INTERCESSIONIS TRIBVNITIÆ vox erat. *Veto.* INTERDICTI, DE BONIS PRODIGI. *Quando tu bona paterna auitaq́ nequitia tua diſperdis, liberoſq́ tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ære commercioq́ interdico.* INTERROGATIONIS CENSORVM DE VXORE. Certum eſt, Cenſores cùm luſtrum conderent, vetere apud Romanos inſtituto cùmprimis rei vxoriæ curam habuiſſe. Et cùm propagatio ſobolis ad imperij vel dignitatem, vel æternitatem maximè pertineret, diligenter cauiſſe, ne quis ciuis Romanus cælebs, & ſine vxore eſſet. Solebant autem Cenſores aliique magiſtratus in iureiurando exigendo ſollemnia hæc verba præmittere. *Ex animi tui ſententia.* Id eſt, Reſponde ad id quod rogabo, ex animi tui ſententia, ita vti ſentis, néue me ſciens fallas. Ac deinde addebant. *Tu æquum habes? Tu vxor habes?* Hinc locus ille 2. de orat. in facetiis, vbi Porcius Naſica Cenſori interroganti de vxore reſpondens introducitur, malè interpunctus, & obſcurus, quomodo interpungendus atque intelligendus ſit cognoſcitur. Eſt autem corruptus etiam apud Gellium lib. 4. cap. 20. IVRISIVRANDI à P. SCIPIONE CONCEPTI. *Ex mei animi ſententia iuro, vt ego Rempub. non deſeram, neq́ alium ciuem Romanum deſerere patiar: ſi ſciens fallo, tum me Iupiter opt. max. domum, familiam, remq́ meam peſſimo letho afficiat.* F. Mira lectu, valdeque ſcitu vtilia de vario ac multiplici iureiurando apud diuerſas gentes ſcripſit Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 10. Idem de iureiurando militari ſic lib. 1. c. 20. Sed prius ſua ſponte decuriati equites, centuriati pedites, ſacramenta mutuò præſtabant. Paulo deinde Æmilio, & Terentio Varrone Conſulibus, tunc pri-

mùm quod antea nunquam factum, per tribunos militum, à voluntario ſacramento ad legitimum iuſiurandum milites adacti fuere. Quod quidem Imperator præſtare tenebatur primus, ſuo mox ordine ſubſequebantur Legati, deinde Tribuni, deinde Cẽturiones, poſtea Decuriones, mox Præfecti caſtrorum, demum milites: quod ſingulis annis Kalendas Ianuarias denuo præſtabatur. Iurabant enim per deos ſollemne iuſiurandum: poſtea in acta Principum, ſe iuſſu Conſulum conuenturos, neque è caſtris eorum iniuſſu, quæſitis occaſionibus abituros, non fugæ formidiniſue cauſſa extra ordinem receſſuros, niſi teli ſumendi, vel hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſſa. Neque in exercitu propéue decem paſſuum millia, pluris argentei nummi furtum facturos: extraque haſtam, ligna, pabulum, vtrem, follem, ſi quid quod pluris eſſet, nacti fuiſſent, id omne ad Conſules delaturos, aut dominis reddituros. IOVEM LAPIDEM IVRARE dicuntur, qui ſanctè & religiosè deierant. Dictum à ritu fœderis feriendi, in quo Pater patratus, vt antè dictum eſt ex Liuio, lapidem tenebat, quo porcum feriebat. Plura Parœmiographus. Ad L. literam acceſſimus, quam tibi cum tribus ſequentibus relinquam: nec te in curſu retardabo interpellatione aliqua. P. LEGIS FERENDÆ. *Velitis iubeatis. Quirites,* &c Lex P. R. *Coſ. Imp. Trib. miles, commilito armate, quiſquis es, manipulariſue Centurio turmáue, Legionarie hic ſiſtito, vexillum ſinito, arma depon to, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, ductum exercitum, commeatumq́; traducito. Si quis huiuſce iuſſionis ergò aduerſus præcepta ierit f. ceritue, adiudicatus eſto hoſtis P. R. ac ſi contra patriam arma tulerit, penateſq́; è ſacris penetralibus aſportauerit.* LITTERARVM INITIVM, quas incolumi exercitu Impp. ad ſenatum mittebant. *Si vos liberiq́; veſtri bene valetis, bene eſt: ego & exercitus valemus.* Cicer. ſæpe in epiſt. LVSTRANDI AGRI apud Catonem cap. 141. hanc inuenio formulam. *Mars pater te pre or, quæſoq́;, uti ſies volens propitius mihi domo, famiiaq́; noſtra: quoius rei ergò agrum, terram, fundúmque meum ſuouet aurilia circumagi iuſſi, ut t morbos viſos, inuiſóſque, viduertatem, vaſtitudinémque, calami ates, intemperiaſq́; prohibeſſis, defendas, auerrunceſq́;, vtiq́; tu fruges, frumenta, vineta, virgultaq́; grandire, beneq́; eue ire ſiris, paſtores pecuaq́; ſalua ſeruaſſis, duiſq́; bonam ſalutem, valetudinemq́; mihi, dom , familiæque noſtræ, & quæ ſequuntur.* MANVMISSIONIS. Manumitti ſeruus dicebatur, docente Feſto, cùm dominus aut caput eius ſerui, aut aliud membrum tenens dicebat. *Hunc hominem liberum eſſe volo,* & emittebat eum è manu. Manumiſſi autem mox manumiſſori dicebant: *ſalue patrone.* MISSIONIS IGNOMINIOSÆ. *C. Aniene, quòd in Italia milites popul. Rom. contra Rempub. inſtigaſti, rapinaſq́; per municipia feciſti, quodq́; mihi Reiq́; publicæ inutilis fuiſti, & pro militibus tuam famili m iumentaq́; in naues impoſuiſti, tuaque opera militibusq́; tempora neceſſario Reſpub. caret, ob eas res ignominiæ cauſa ab ex-*

ab exercitu meo te remoueo: hodieq́ ex Africa abeſſe, & quantum potes, proficiſci iubeo. Itemq́ te A. Fontei, quòd tribunus militum ſeditioſus, maluſq́ ciuis fuiſti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tiro, C. Cluſiane, cùm ordines in meo exercitu, beneficio non virtute conſecuti, ita vos gereſſetis, vt neque bello fortes, neque pace boni, aut vti eſ fueritis, & magis in ſeditione, concitandiſq́ militibus, aduerſariorum noſtrorum Imperatoris, quàm pudoris modeſtiæq́ fueritis ſtudioſiores, indignos vos eſſe arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, miſſoſq́ facio, & quantum poteſtis abeſſe ex Africa iubeo. MVLTÆ MINIMÆ. Quid ſuprema, quid minima multa ſit, atque adeò de hac ipſa voce legendus Gellius libro 11. cap. 1. In quo multæ minimæ verba hunc in modum concepta ſunt. *M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei vnam ouem multam dico.* NEXVS FACIENDI. Mancipatio eſt imaginaria quædam venditio, quæ ſic fiebat. Adhibitis non minus quinque teſtibus puberibus ciuibus Roman. & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur Libripens, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneaq́ libra.* Deinde ære percutit libram idque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Boët. in Cicer. ORACVLI DELPHICI. *Tum, ſi faxitis Romani, veſtra res meliores, felicioreſq́ erunt, magis ex ſententia Reſpub. veſtra vobis procedet: victoriaq́ duelli pop. Roman. erit, Pythio Apollini Repub. veſtra bene geſta ſeruataq́ lucris meritis donum mittitote: deq́ præda, manubiis ſpoliiſq́ honorem habetote.* Superaddam aliquas precationes, vt ita qui reliquus eſt, tibi laborem tuum minuam. F. Libens meritò id patiar: ac ſi vis, totam partem meam tibi permittam. P. Non decet me eſſe tam immodeſtum. PRECATIO P. SCIPIONIS. hanc tibi de Liuio recitabo, poſita eſt autem lib. 29. *Diui Diuæque, qui maria terráſque colitis, vos precor quæſoq́, quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo, plebiq́ Romanæ, ſociis, nominiq́ Latino, qui populi Romani, quiq́ meam ſectam, imperium, auſpiciumq́ terra, mari, amnibuſq́ ſequuntur, bene vertant: eaq́ vos omnia bene iuuetis: bonis auctoribus auxitis. ſaluos incolumeſq́, victis perduellibus victores ſpoliis decoratos, triumphanteſq́ mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum hoſtiumq́ vlciſcendorum copiam faxitis: quæq́ populus Carthaginenſis in ciuitatem noſtram facere molitus eſt, ea vt mihi populoq́ Romano in ciuitatem Carthaginenſem exempla edendi facultatem detis.* Herſilia vxor Romuli, cùm apud T. Tacitum verba faceret, referente Gellio libro 13. cap. 21. pacemque oraret, ita precata eſt. *Neria Martis, te obſecro pacem dare, vt liceat nuptiis propriis & proſperis vti, quod de tui coniugis conſilio contigit, vti nos itidem integras raperent, vnde liberos ſibi, & ſuis poſteris patriæ pararent.*

In re-

In renuntiando Conſule ſic precari mos erat, *Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumq́ ſit, mihi magiſtratuiq́ meo, populo, plebiq́ Romanæ, L. Licinium, Coſ. renuntio.* Cic. pro Muræna. Age Frontine, & recenſitis reliquis formularum generibus, huic colloquio finem impone. F. PRÆCONIS VERBA in ſacrificijs hæc fuiſſe reperio: *Hoc age. Fauete linguis.* POSTHVMI NEPOTES, ſic hæredes inſtituebantur. *Filius meus hæres eſtò. Si filius meus me viuo moriatur, tunc ſi quis mihi ex eo nepos, ſiue qua neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quib⁹ filius meus moreretur, natus nata erit, hæredes ſunto.* INTERREGIS DE REGE CREANDO. *Quod bonum, fauſtum, felixq́ ſit, Quirites, Regem create. Ita Patribus viſum eſt: Patres, deinde, ſi dignum, qui ſecundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* Liuius lib. I. REGIS INAVGURANDI, eod. lib. *Iupiter pater, ſi eſt fas, hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ eſſe, vt tua ſigna nobis certa ac clara ſint inter eos fines, quos feci.* RELEGANDI. *Illum prouincia illa, inſuliſq́ eis relego: recedereq́ debebit intra illum diem.* SENTENTIÆ IN DAMNATVM perduellionis. *I lictor colliga manus, caput obnubi o, infelici arbori ſuſpendito.* Liuius lib. I. Gell. lib. 12. cap. 3. SENTENTIÆ IN DAMNATOS. *I lictor, adde virgas, & in eum lege agito.* SENTENTIÆ PER TABELLAM FERENDÆ. In cauſis maioribus iudices in ciſtam tabellas conijciebant ſuas, haſce literas inſculptas habentes. A. abſolutionis, C. condemnationis: cùm de alicuius capite agebatur. N. L. non liquet, ampliationis. STIPVLANDI *Spondes? ſpondeo. Promittis? promitto. Fideiubes? fideiubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam.* TESTAMENTI NVNCVPATI. Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit. *Hæc vti in his tabulis ceriſue ſcripta ſunt, ita do, ita teſtor, itaq́ vos Quirites teſtimonium prabetote.* TESTIMONII DICENDI. Maiorum hæc fuit diligentia, Voluerunt, vt qui teſtimonium diceret, ARBITRARI ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet. Cicer. Academ. 2. Idem pro Fonteio. Primum illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis, ARBITROR, quo nos etiam tunc vtimur, cùm ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuſtulit TRANSFVGAM recipiebat Imperator his verbis: *Quiſquis es, noſter eris.* Quam formulam tetigit Virgilius 2. Æneid. qui teſte Seruio variam ſcientiam ſuo inſerit carmini. Quiſquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios, NOSTER ERIS. Verba ſunt Priami, Sinoni ſalutem & libertatem ſpondentis. VOTI CONCIPIENDI. *Tuo ductu Pythice Apollo, tuoq́ nomine inſtinctus pergo ad delendam vrbem Veios, tibiq́ hinc decimam partem prædæ voueo. Te ſimul Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in noſtram tuamque mox futuram vrbem ſequare: vbi te dignum amplitudine tua templum accipias.* Liuius lib. 5. Plura nolim, ne ſi incidant quidem: ſunt enim quas vterque omiſimus vel plurium verborum, vel obſcuriores, & potius principia formularum, quàm ipſæ formulæ. Nec idcirco aucto-

auctores, qui dimidiatas retulerunt, debemus reprehendere: de rebus enim notiſſimis loquebantur, quas etiam nos vno verbo indicare conſueuimus. P. Habet veritatem hæc oratio. Itaque ambo à ſermone quieſcamus.

ANNOTATIONES.

Ante omnia monitum volumus lectorem, nos complures formulas alibi, vt occaſiones inciderunt, allatas, hoc progymnaſmate præteriiſſe, vt coemptionis in matrimonio, exercitus euocandi, iubendæ vel antiquandæ legis, precationis triumphantium præfationis in rebus agendis, repudij, nonnullarum in ſenatuſconſultis, ſenatus dimittendi, Veſtalis à Pontifice legendæ, & alias quaſdam. Quod autem huic dialogo inſcriptionem dedimus eclogas, rationem audi. Si nominabant Græci diſputationes, aut ſermones, aut etiam quoſdam locos breues, inſignes, eximios, & electos. Quid verò his ſermonibus breuius, inſignius, magis eximium & electum? Horatij ſermones in quibuſdam manuſcriptis eclogas appellatos aiunt. Auſonius ſuas odas hoc nomine affecit. CICERONI CANTORES FORMVLARVM) *Verba Antonij ad Craſſum 1. de Orat. ſunt. Oratorem negas, niſi illam ſententiam aſſumpſerit (iuris ciuilis) eſſe poſſe. Ita & tibi iuriſconſultus ipſe per ſe nihil, niſi leguleius quidam, cautus & acutus, præco actionum cantor (ſiue, vt vetus quidam liber) cautor formularum, auceps ſyllabarum.* ABDICATIONIS) *Exhæredare pater filium dicitur, qui tantùm ſummouet ab hæreditate. Abdicare, qui priuat omni iure filij. Quare qui abdicatus eſt, idem eſt exhæredatus: non contrà. Abdicatio verò adoptioni opponitur. Dicitur autem ſe quis magiſtratu abdicare, honore, &c. Plinius lib. 5. cap. 17. Gens ſola, in toto orbe præter cæteras mira; ſine vlla fœmina, omni venere abdicata, id eſt, repudiata, contempta. Terent. And. Ex Glycerio natum vt vidit puerulum Chremes, recuſat nuptias, generum abdicat.* EMPTVM NISI QVIS MELIOREM) *Hinc vrbanitas illa apud Plaut. Capt. Cùm enim cuperet paraſitus eſuriens ſe à ſene Hegione ad cœnã vocari, interrogariq;, num ſe affuturum promitteret, vt reſpõderet, promitto, & ita ſtipulatio naſceretur, ſenex emptionem quaſi pro ſtipulatione, aliò ſermonem conuertens, induxit, & ſe emptorem, paraſitum venditorem fecit. Verſiculos apponimus,*

P. *Age ſis roga.* H. *emptum, niſi quis meliorem afferet.*
P. *Quæ mihi atq; amicis placeat conditio magis?*
Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.
H. *Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.*

Profundum, id eſt, voraginem quandam vocat ventrem paraſiti inexplebilem. ANNVLI AVREI) *Solis ingenuis ferre annulos licitum. Proinde liberti*

Digitized by Google

berti ius annulorum aureorum impetrabant à Principe, vt ingenuitatis munia conſequerentur. Tantus autẽ luxus veterum fuit, vt haberent annulos alios æſtiuos, qui erant leuiores: alios hybernos, qui ponderoſiores. I. Hinc Iuuenal. ſat. 1.

Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum:
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ.

Et ſat. 7.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Annuli enim æſtiui & hyberni ſemeſtres ſunt. Turneb. lib. 20. cap. 2. ibidem quid annulus ſamothracius & thynicus. VIDENDVM CAP. GELLI) Initium capitis hoc eſt. Cum in alienam familiam, inq́; liberorum locum extra ei ſumuntur, aut per Prætorem fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum arrogatio, &c. TALASSIO, TALASSIO) Quomodo hæc vox nuptialis, & boni ominis facta ſit, Liuius lib. 1. narrat. Agens enim de raptu Sabinarum, Vnam, inquit, longe ante alias ſpecie ac pulchritudine inſignem à globo Talaſſij cuiuſdam raptam ferunt: multisq́; ſciſcitantibus cuinam eam ferrent, identidem ne quis violaret, Talaſſio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. CESSIONIS IN IVRE) Cedere in iure dicebantur, qui dominium rei ſuæ in alium transferebant, à quo ipſi abibant. Fiebat autem in iure ceſſio, vt docuit Vlpianus, per tres perſonas, in iure cedentis, vindicantis, & addicentis. In iure recedit dominus, vindicat is cui ceditur, addicit Prætor. PORCO PIACVLO) id eſt piaculari. Alioqui piaculo Catoni etiam verbum eſt, ſignificans expiare: vt cùm dicit cap. 141. te hiſce ſuouetaurilibus piaculo. SI DEVS, SI DEA ES) In Romanorum precibus ſollemnia verba, cùm deos ſexu diſtinctos, perinde vt homines exiſtimarent, in quo ridentur ab Arnobio libro 3. his verbis. Nam conſueſtis in precibus, ſiue tu deus es ſiue tu dea dicere, &c. BONAS PRECES PRECOR) Quoniam & malæ preces ſunt, vt diræ & deteſtationes, & imprecationes. Sic ca. 141. in luſtratione agri dicit: duisq́; bonam ſalutem: quaſi etiam ſit quædam mala ſalus, cùm minus commoda eſt valetudo & ſanitas. Turneb. lib. 15. cap. 14. DEDITIONIS) Notandæ aliquot locutiones inſigniores ex hoc verbo natæ. Ad deditionem ſubigere. In deditionem, ſub deditionem redigere. In deditionem concedere. Deditionem facere, ſubire. In deditionem accipere, recipere: quas teſtimoniis confirmare quid attinet? DE SIGNIS DEDITIONIS) Lege Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7. DIVI NOVENSILES) Herculem, Veſtam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem horum nomine intelligit Varro: à Sabinis Romam deducti exiſtimantur, quibus Titus Tatius Rex templa ex voto conſtruxerit. Putant quidem appellatos, quod nouiſſimè in deorum numerum recepti ſint, quaſi nouiſſimè, id eſt, nuper ſalientes: hoc eſt, in deorum numerum aſcendentes. Plura Gyrald. Syntag. 1. hiſt. deoram. DII INDIGETES) Seruius ita vocatos arbitratur

Digitized by Google

tur in 12. Æneid. vel quod nullius rei egeant, vel quaſi in diis agentes, qui ex hominibus ad diuinitatem perueniſſent. Lege Gyrald. Syntag 1. VERBO ILICET) *De quo vide Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & lib. 4. capite 17.* EVOCATIO DEORVM) *Perſuadebant ſibi Romani, ciuitatibus ſingulis deos quoſdam certos tutelares præſidere, qui eas vel conſeruaſſe poſſent, vel perdere. Quocirca cùm vrbem aliquam obſidione premerent, eamque in poteſtatem iam venturam conſiderent, certo carmine per ſacerdotes deos illos euocabant, quod aut aliter vrbem capi non poſſe crederent: aut ſi poſſet, nefas putarent deos habere captiuos. Orabant itaque deum illum, ne imperio & felicitati Romanorum aduerſari vellet: longè etiam maiorem cultum, maioreſq; honores, quàm eo loco haberet, Romæ conſecuturum promittebant. Vel ſi ibi permanere mallet, longè celebriora templa & ſacra ibi ſe extructuros recipiebant. Qua de cauſſa Veientes, auctore Liuio, ignari ſe iam à ſuis vatibus, & externis oraculis proditos, iam deos ſuos votis ex vrbe ſua euocatos, hoſtium templa nouaſq; ſedes ſpectare, in muros pro ſe quiſq; fruſtrà diſcurrunt. Idcirco etiam, vt ſcribit Plin. lib. 28. cap. 2. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & lib. 6. cap. 4. nomen eius dei, qui imperatrici vrbi præſidebat, ſacro ſilentio occultabatur, ne hoſtes Romanorum eodem conſilio vſi illum ſimiliter fortè euocarent. Et hinc principio tam paucos Romæ deos fuiſſe tradit Prudentius 2. contra Symmachum.*

Innumeros poſt deinde deos, virtute ſubactis
Vrbibus, & claris peperit ſibi Roma trium; his.
Inter fumantes temp'orum armata ruinas
Dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
Et captiua domum venerans ceu numina vexit.

Ad hanc conſuetudinem Virgilij locum lib. 2. Æneid. Exceſſere omnes adytis ariſq; relictis, Dij quibus imperium hoc ſteterat, Seruius & Macrobius referendum cenſuerunt. Muretus lib. 5. c. 19. & Turneb. lib 14. cap. 15. etſi hanc opinionem non damnant, aliam tamen vt probabiliorem ſequuntur. REI VXORIÆ CVRAM) *Cic. in libro de Repub. Nec verò mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari ſolet, ſed ſit Cenſor qui viros doceat moderari vxoribus. Et de Legibus cùm officia Cenſorum deſcribit Populi æuitates, ſoboles, familias pecuniaſq; cenſento, cælibes eſſe prohibento.* QVOMODO INTERPVNGENDVS ATQVE INTELLIGENDVS) *Diſertiſſimam ſuper eo loco diſputationem Lipſij legat qui volet variar. lect. lib. 1. c. 1. vnde nos quoq; nonnihil decerpſimus.* MANVMITTI SERVVS) *Tribus modis ſerui manumittebantur, cenſu, vindicta, teſtamento. Cenſu, ſi quis, conſentiente vel iubente domino, nomen ſerui in cenſu detuliſſet. Vindicta, ſi virga in caput ſerui à Prætore eſſet impoſita, quæ vindicta dicebatur. Teſtamento, ſi dominus illum teſtamento facto liberum reliquiſſet. Vide plura apud Sigon. antiq. iure C. R. cap. 6. libro 1.* MISSIONIS IGNOMINIOSÆ) *Miſſionum tria fuerunt genera. Honeſta, quæ emeritis ſtipendiis dabatur, quo tempore ſcuta, gladios & arma di-*

Digitized by Google

ma dicabant Laribus. Teſtatur id præter cæteros Ouidius eleg. 7. libro. 4. Triſt.

Miles vt emeritis non eſt ſatis vtilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur tarda vires adimente ſenecta,
Me quoque donari iam rude tempus erat.

Cauſaria cùm ſenecta aut valetudine aduerſa, vitióue corporis domos vel lent, aut res inuiſere ſuas, vel viribus parum validi, minus idonei mune ribus eſſent. Ignominioſa, quæ & probroſa dicitur, quum ob delictum è graue crimen, miles ignominia notabatur, & exauctorabatur. Alexan ab Alex. ex Vlpiano lib. 6. cap. 22.

PROGYMNASMA SEXTVM ET SEPTVAGESIMVM.

Χρονικά, *ſiue explicationes temporum.*

PROCVLVS, FANNIVS, VIBVLLIVS.

PROCVLVS. De temporibus, quæ hoc anno circumacto, partim gymnaſium obeuntes ex ore doctorum Latinitatis, vt ſe res dabat, accepimus, partim domi ſuæ quiſque, vt reor, dum lectitamus, legimus, ecquid faciendum vobis videtur, vt vnum velut in locum conducamus, ordinatimque per quæſita & reſponſa celebremus: aliquantò tamen liberius ac feſtiuius, quàm receptum eſt more in ludo Grammatico, vbi magiſtri pueris cum ferula aut virga ſuperaſtantes, de generibus & inclinatione nominum in caſus, de verborum præteritis & ſupinis eos ſeuera fronte an examinant, an exanimant? F. Audita lectaque & apud ſemet recolere, & adhibitis eiuſdem ſtudii ſociis etiam voce iterare, nunquam mihi negotium infrugiferum videri poterit. Qui ſenſus, quin item à mente tua ſit, Vibulli, ſi bene te noui (& nouiſſe debeo, vt qui ſim ex ſinu tuo) non queo dubitare. V. Eſt verò à mente mea mens tua, Fani, Sed hoc primùm, Procule, in hac re prædico tibi: Quem dicis eſſe hunc, non eſt. P. Ego adoleſcentem bonæ frugi, & exempli non mali te eſſe credo. Si aliter eſt, aut ſi me iſtuc credere non pateris, do fidem, me tibi fidem de cætero non habiturum. F. Quid ait, Vibulli? ſentin' te tactum? V. aliud volebam. P. Et ego aliud tibi reſpondi? V. Nimium lepidè diſſimulas.

F. Cui

F. Cui partes ſciſcitandi dabimus? P. Cui? proximus ſum egomet mihi. V. Et ego mihi. F. Et ego mihi. P. Singuli aliâs interrogantium, aliâs reſpondentium fungamur muneribus: veruntamen ne permixtè, ſed diſertè, & electè agamus. F. Tu ordinem, quem cuſtodiamus, edicta. P. Tempus diſtribuo in momentum, horam, diem, noctem, hebdomadem, menſem, annum, luſtrum ſeu olympiadem, ſæculum ſiue ætatem. Prima duo ab hoc ſermone reiiciamus. Quem enim fugit, momentum, pro quo Lucretius momen, eſſe tempus anguſtiſſimum, ſeu interuallum temporis, moramque breuiſſimam? vnde proximè conficiuntur horæ: hora ſiquidem dici poteſt cõplexio multorum momẽtorum, vt dies multarum horarum, hebdomas plurium dierum, annus plurimarũ hebdomadum, luſtrum plurium annorum, ſæculum luſtrorum plurimorũ. Ergo à diebus proficiſcamur.

DIES.

Quænam eſt princeps diei diuiſio Fanni? F. Dierum alius eſt ciuilis, alius naturalis. Ille eſt tempus horarum quatuor & viginti, quibus ſcilicet ſemel cœlum circumuoluitur: cuius pars eſt nox. Diei nomen accipit à parte meliore, & ea appellatione ipſæ etiam noctes intelliguntur: vt cum dicimus aliquem ægrotaſſe diebus triginta: aut cum hoſte pactas inducias dierum quindecim. Ex quo ille reprehenditur, qui noctu agros hoſtium populabatur. Naturalis dies eſt, qui curſu ſolis ab ortu ad occaſum definitur, cuius contrarium tempus eſt nox, ab occaſu ſolis ad ortum. P. Catè reſponſum. Iam dic, qui, quando diem legitimum ſeu ciuilem inchoant. F. Aſtrologi quidem à meridie eius ſumunt initium. Babylonij ab exoriente ſole: Græci ſimiliter: Hebræi ab occubente, vti Athenienſes quoque: Romani à medio noctis. Ciuilis æqualibus horis conſtat, quarum vnaquæque eſt pars diei ſui quarta & viceſima. Naturalis inæqualibus, quarũ vnaquæque eſt duodecima portio temporis, quod inter emergentem & occumbẽtem ſolem intercedit. Sic autem dicuntur, quod diurnæ inæquales ſunt nocturnis, & brumales æſtiuis. P. Diei ciuilis quot ſunt partes Vibulli? V. 12. Prima eſt mediæ noctis inclinatio: altera gallicinium ſeu galli cantus: tertia conticinium, cùm & galli ſilent, & homines quieſcunt: quarta diluculum, cùm incipit dignoſci dies ſeu aurora, ab auri colore dicta, quod ab igne ſolis, velut ab auro aër aureſcit: ſeu crepuſculum matutinum, tempus inter tenebras & lucem, diei clareſcentis exordium: quinta manè, dum dies iam clarus eſt, inde clarum manè Perſio: ſexta meridies, id videlicet ſpatium, quod eſt à manè ad diem medium, quod & antemeridianũ tempus: ſeptima tempus occiduum, quod meridiem ſeu pomeridianum ſequitur: octaua ſuprema tempeſtas, id eſt, extremum, ſeu nouiſſimum diei tempus. Hinc in XII. tabulis, ſolis occaſus ſuprema tẽpeſtas eſto: nona veſpera, quod Græcorum more dicitur, illi enim ἑσπέραν ab Heſpero ſtella, item crepuſculum veſpertinum: decima, prima fax: vn-

nan decima,

decima, concubia nox: quod tunc omnes cubent, ſeu concubium: duodecima, intempeſta nox, noctis meridies Varroni, quæ non habet tempus gerendis rebus idoneum. P. Naturalis quas partes facis? V. Mane, meridiem, ſupremam tẽpeſtatem. P. Quid? altera diuiſio dierum quænam eſt? V. Hæc eſt, quidam ſunt feſti, quidam profeſti, quidam interciſi. Primi per ſacrificia religionesq; colendis numinibus dicati erant: ſecundi dabantur hominibus ad res ſuas ipſorum gerendas: poſtremi deorum & hominum communes erant, partim ſcilicet feſti, partim non feſti. Feſtorum exempli cauſſa Robigalia, Feralia, Paganalia, Pandiculares dies, &c. In feſtis numerantur feriæ; in profeſtis faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares, &c. Genera feriarum publicarum quatuor recenſet Macrobius, ſtatiuas, conceptiuas, imperatiuas, nundinas. Statiuæ quæ & ſtatæ & anniuerſariæ dici poſſunt, quæ quotannis conſtitutis diebus atque menſibus recurrunt, & in faſtis ſtatis obſeruationibus annotatæ fuerunt, vt eſt apud nos ſolemne natalitium Saluatoris, & apud Romanos Agonalia, Carmentalia, Palilia, &c. Conceptiuæ quæ à Pont. aut eo permittente à ſacerdotibus in dies certos, aut etiam incertos annis ſingulis concipiebantur, vt latinæ, ſementinæ, compitalia, nobis feſta mobilia. Imperatiuæ, quas pro arbitrio Conſules, aut prætores ob victoriæ nuntium, aut ſalutem Principis indicunt. Nundinæ Paganorum negotiis & inſtitorum mercibus dicatæ erant. P. Non ſunt aliæ feriæ præterea Fanni? F. Etiam, ſunt familiarum, vt Claudiæ, Iuliæ, &c. Sunt Præcidaneæ, quæ ſcilicet ferias legitimas præcedunt, vt apud nos peruigilia. Nefaſtos item feſtis annumerant, quibus nimirum Prætori nefas erat tria illa verba prætoriam iuriſdictionem comprehendentia profari, do, dico, addico. Faſti contra, quibus ius dicebatur, dies iudiciales. P. Quid de his Ouid. in Faſtis? F.

Non tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officium lucifer omnis idem.
Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.
Nec toto praſtare die ſua iura putaris:
Qui iam faſtus erit, manè nefaſtus erat.
Nam ſimul exta deo data ſunt, licet omnia fari,
Verbaq; honoratus libera Prætor habet.

A. Faſti ergo interciſi erant. F. Videtur ſanè. P. Dic Vibulli de profeſtis. V. Comitiales quibus cum populo agi poteſt, quibus comitia habentur, & ad ferenda ſuffragia conuenitur. Ouid. Eſt quoque, quo populum ius eſt includere ſeptis. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui iudicii cauſſa cum peregrino inſtituuntur. Præliares à iuſtis non ſeparantur. Sunt porrò iuſti continui triginta dies, quibus exercitui imperato, vexillum ruſi coloris in arce poſitum eſt. Præliares autẽ omnes, quibus fas eſt res repetere, vel hoſtem

ſtem laceſſere. Dies atri ſunt, qui proximè Calendas, Nonas, Idus ſequuntur, cuius appellationis cauſſam indicat Gell. lib. 5. cap. 17. & Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. Imperitè autem nefaſti nominantur hi atri dies, quorum & Ouid. meminit. in Faſtis, vt etiam religioſi dies perperam nefaſti. Cæterùm religioſi dicuntur, auctore Gellio lib. 4. cap. 9. triſti omine infames impeditique, in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri temperandum eſt. Cic. ad Att. epiſt. 4. lib. 9. Vt maiores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quàm vrbis captæ, quòd hoc malum ex illo: itaque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus, &c. Dies luſtricus, quo infans luſtrabatur, & nomen ei imponebatur. Dies emortuales, quibus homines vita decedũt. Dies Critici, ſeu decretorii quibus aut ſalutis, aut exitii apparẽt indicia. Dies intercalares & inſititij, qui quarto quoq; anno, biſſextili videlicet, inſeruntur menſe Februario. Dies iuſti, qui confeſſo æris conceduntur conquirendæ pecuniæ cauſſa, quibus nihil cum eo agi licebat. Dies compitalitii, qui diis compitorum præſidibus celebrabantur, ſimile quiddam encœniorum noſtrorum. P. Vnde hæc nomina diebus? Solis, Lunæ, Martis, &c. V. A diis, quorum nomina Romani quibuſdam ſideribus conſecrarunt. Primum à ſole dixerunt, quoniam vt ſol princeps ſiderũ, ſic ille dierum. Chriſtiani dominicam vocant, cuius mira reperiuntur apud quoſdam ſcriptores noſtros præconia. Alterum à Luna, quæ ſplendore Soli proxima eſt. Tertium à ſtella Martis, & ſic deinceps. Ideo autem hiſce ſtellis deorum indidere vocabula, quod ab iiſdem ſe adipiſci quædam arbitrarentur, de quibus Iſidorus. P. De Hebdomade quid affert Fannius? F. A numero ſeptem dierum eſſe nuncupatam. Eius iteratione metimur primùm menſes, deinde etiam annos. Nos, inquit Iſidorus, ſeptimanam vocamus, quaſi ſeptem luces: nam manè lux eſt. In Daniele magnum hac voce myſterium tegitur, vbi de ſeptuaginta hebdomadibus ſermo eſt. P. At at, noctis cur obliuiſcimur? De hac ego continenter dicam.

NOX.

Nihil aliud nox eſt, niſi terræ vmbra, quam ſol poſt occaſum in hemiſphærio inferiore currens, ſurſum cogit emitti. Ita Macrobius. Nox eſt ſol ſub terra: ſicut dies præſentia ſolis ſuper terram, ait Iſid. A nocendo dicitur, quod oculis noceat. Lunæ ſiderumque luce inſignitur, vt ne indecora ſit, & vt noctu laborãtes delectet. Item vt hac ratione quibuſdam animantibus ſeruiatur, quæ ſolis lucẽ non ferunt. Partes ſunt ſeptem, veſper, crepuſculum, conticinium, intempeſtum, gallicinium, matutinum, diluculum. Quoniam verò militibus moleſtiam dabat, tota nocte peruigilare, in quatuor eam vigilias diſtribuerunt. Prima à principio noctis ad initium horæ quartæ inæqualis porrigitur. Secunda à fine tertiæ horæ ad medium noctis extenditur. Tertia inde ad nonæ horæ terminum. Quarta ad auroram ſeu

ortum ſolis. Vnicuique igitur tres horæ dantur. Eſt porrò nox illunis obſcura nox, quando ſcilicet luna nubibus obtegitur: ſubluſtris, quæ ſideribus illuſtratur. De priore hunc in modum & venuſtè Virgil. in 2.

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Inuoluens vmbra magna terramq́ polumq́.

De poſteriore Horat. Sat. 5. lib. 1.

—— iam nox inducere terris
Vmbras, & cælo diffundere ſigna parabat.

Et Ouid. 15. Metamorph.

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat ſol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox.

Et 3. de Ponto.

Nox erat, & bifores intrabat luna feneſtras.

Quoniam de die dictum eſt ſatis, cuius pars eſt nox, ciuilis, inquam diei: ſimiliter aliquid de hebdomade, ſequitur vt de menſibus agendum videatur. Qua in parte tu, Fanni, perſonam magiſtri ſuſtineas licet, nos diſcipulorum geremus: tu percontare: nos reſpondebimus. F. Leuabo vos hoc labore, & te, Procule, imitatus, perpetua oratione, quæ recordabor, in medium adducam. P. Non refragor certè. V. Nec ego.

MENSES.

P. Menſibus, datum nomen, quod menia ſpatia conficiunt: vel à græca voce μήνη luna, vnde & græcis μῆνες: ſiquidem veteribus ad lunæ curſum computabantur, quæ inchoabat & finiebat menſem. Hebræis quoque à luna appellatur: quo factum eſt, vt naturali quodam vitio nationum lunæ vox pro die diceretur. Hinc toties illud audimus in rebus Hebræorum, eos quartadecima luna Paſcha egiſſe. Sic vtuntur hac voce Heſiodus & Virgilius. Menſium alii naturales ſunt, qui antiquiores omniumque gentium communes ſunt: iique partim ſolis, partim lunæ, quos miſſos facio: alii ciuiles, qui ſunt numeri quidam dierum, quem ſuo more & inſtituto vnaquæque ciuitas obſeruabat. Atque hi numero ipſo dierum inter ſe plurimum diſcrepabant. Exempli cauſſa, Albanis Martius habebat dies ſex & triginta, Romanis vnum & triginta. Fuerunt porrò apud omnes gentes duodecim: Etſi Romulus eos tantùm decem inſtituerit, ob rationes prolatas ab Ouidio. Numa deinde, qui Romulum excepit, duos addidit, Ianuarium & Februarium. De nominibus menſium Romanorum, atque adeò noſtrorum, & de aliis quibuſdam, per ſingulos menſes fieri ſolitis diſſeramus, ſi fert animus veſter, ſi, inquam, non eſt moleſtum. F. Moleſtum? iucundum etiam. V. Iucundiſſimum, ne tu quid ſecus ſentias. P.

MARTIVM, qui illi primus erat, Romulo inquam, & Aprilem à parentibus ſuis putatur nominaſſe: illum à Marte patre: creditus eſt

Digitized by Google

eſt enim Martis filius: hunc ab Aphrodite Venere, quam majores eius matrem habuerunt: ſiquidē ab Ænea filio Veneris oriundi. Hinc in ſacris vſurpatus eſt Mars pater, qui & Marſpiter, & Venus genitrix. Duos conſequentes è populo dixit, Maiū à maioribus, Iunium à iunioribus. Reliquos ab ordine, quo quiſque ſequebatur. Quintilem, Sextilē, Septembrem, &c. Ita docet Ouidius in Faſtis. Varroni placet Martium menſem à Marte quidem nominatum, non quòd is Romuli pater, ſed à bellica Latinæ gentis fortitudine: aliæ enim vrbes quoq; in Latio hoc nomine menſem habuerunt. Huius menſis Kalend. matronæ celebrabant, quod eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta eſt. Seruius in illum verſum Virgil. Æneid. 8. Tatioque ſeni, Curibuſque ſeueris. Iure, inquit, dixit ſeueris. Cùm enim filias perdidiſſent Ceninenſes, Antemnates, Cruſtumii, Sabini, cæteris quieſcentibus, ſoli bellum ſuſceperunt Sabini: qui interuenientibus triginta fœminis iam enixis, de illis quæ raptæ fuerant, pacem fecerunt: ex quarū nominibus curæ dictæ ſunt. Præterea in cōmunem mulierum honorem Kalend. Martiæ fœminis dicatæ ſunt. Iuuenal. Munera fœmineis tractat ſecreta Kalendis. Nec enim aliter congruit Kalend. Martias eſſe fœminarum, niſi quia fœminæ, vt diximus, bella ſedauerunt. Diem hunc ipſi mariti cum religione, & feriis exigebant, quo Iunones ſuas (ſic enim vxorculas ſuas per blandimentum appellabant) ſibi propitias, & pudicas haberent. Atque vt Iuuenalis Kalend. iſtas fœmineas: Sic Martialis eaſdem Saturnalia muliebria dixit. Hoc eodem die ignem nouum in ara Veſtæ accendebant: vt incipiente anno, cura denuo ſeruandi ignis nouati inciperet. Hoc menſe item publicè priuatimque ad Annam Perennam ſacrificatum ibatur, vt annare & perennare commodè liceret. Hæc de Martio. APRILEM dictum puto ab aperiendo: vt ſit potius quaſi Aperilis, quam Aphrilis ab ἀφρὸς ſpuma, vnde Aphrodite Venus: quoniam tunc ſeſe natura aperiat, & omnia gigni incipiant: quomodo Athenienſibus idem menſis ἀνθεστηριὼν, ab eo quod hoc tempore cuncta floreſcant. Cincius qui de faſtis ſcripſit, imperitiæ damnat eos, qui à Venere dictum hunc menſem arbitrarentur, cùm nullus dies feſtus, nullum ſacrificium inſigne ei per hunc menſem à maioribus inſtitutum ſit: & Varro affirmat, nomen Veneris ne ſub regibus quidem apud Romanos vel græcum, vel latinum fuiſſe: & ideo non potuiſſe menſem ab eo nominari. Fuit tamen poſtea aliquando conſtitutum, vt eo matronæ Veneri operarentur. MAIVM à maioribus nominatum ante docui, ex quorundam ſcilicet ſententia. Quod tamen non ita eſſe inde oſtenditur, quod ante vrbem conditam Maij menſis nomen, teſte Feſto, extitit. Ouidius etiam à Maieſtate appellatum ſcribit, Honoris & Reuerentiæ filia. Quidam à Maia Mercurij matre, cuius ſignum ſit, quòd hoc menſe mercatores omnes Maiæ pariter, & Mercurio ſacrificarent. Latius hæc Macrob. Nubere Maio religioni habebatur: cauſſam his

verbis retulit Porphyrio ad vltimam epiſt. Horatii. Lemures dicti quaſi Remures, à Remo, cuius cùm occiſi vmbras frater Romulus placare vellet, Lemuria inſtituit, id eſt, parentalia, quæ menſe Maio per triduum celebrari ſolebant, ante additum anno Februarium: ob quam rem nubere menſe Maio fuit religio. Iunius apud Latinos Iunonius appellabatur, quod illi nomẽ etiam apud priſcos Romanos diu manſit: poſtmodum detritis quibuſdam literis, ex Iunonio Iunius euaſit. Ædes quidem Iunoni Monetæ Kalend. Iuniis dedicata eſt. Agrætius vetuſtus Grammaticus ab Iuuenta dea appellatum cõtendit, vxore Herculis, quæ græcè Hebe dicitur. Idem affirmat Ouid. à quo etiam hæc narratur opinio; vocatum à coniunctis Sabinis & Romanis, Rege Romulo & Tatio.

Et lare communi generos ſoceroſq́ receptos,
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.

Scriptum eſt præterea, à Iunio Bruto primo Conſule nominatum, qui Kalend. Iuniis, rege Tarquinio expulſo, Carnæ deæ in monte Cælio voti conuictus ſacrum fecit. Hæc dea vitalibus humanis præeſſe credebatur, & ab ea petebatur, vt iecinora, & corda, quæque intrinſecus ſunt viſcera, ſalua conſeruaret. Huic pulte fabacia, & larido ſacrum fiebat, & Kalendæ ipſæ Iuniæ fabaciæ dicebantur. QVINTILIS à Caio Iulio Cæſare, M. Antonio legem ferente, mutato nomine dictus eſt Iulius: quod eo menſe natus eſſet Iulius, ad quartum Idus. Et quanquam poſt additos à Numa Ianuarium & Februarium non iam quintus, ſed ſeptimus eſſet, nihilominus nomen ſuum retinuit, donec Iulius, vt diximus, vocari cœptus eſt. SEXTILIS quoq; in honorem Auguſti aliter dictus, idque ex ſenatus conſulto: cuius hæc ſunt verba. *Cùm Imp. Cæſar Auguſtus menſe Sextili, & primũ conſulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit: & ex Ianiculo legiones deducta, ſecutaq́ ſint eius auſpicia ac fidem: & Aegyptus hoc menſe in poteſtatem pop. Romani redacta ſit: finisq́ hoc menſe bellis ciuilibus impoſitus ſit: atque ob has cauſſas hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit, ac fuerit, placere ſenatui, vt menſis Auguſtus appelletur.* Hoc exemplo poſtea principes menſibus auſi ſunt alia imponere nomina, vel ſua vel aliena, de quo Gyrald. & Alex. Neapolit. lib. 3. c. 24. SEPTEMBER, quem à ſe Tiberium dixit Tiberius, vt Octobrem Liuium, vt Domitianus illum Germanicum, hunc Domitianum, & Senatus in honorem Antonii Pii & Fauſtinæ alterum Antonium, alterum Fauſtinum, September, inquam, in tutela Vulcani fuit. Cuius die ſecundo commiſſum eſt nauale bellum inter Auguſtum & Antonium cum Cleopatra, indeq; eius monarchiæ anni numerati. OCTOBER, Marti erat ſacer, cui deo equus immolabatur, quem Octobrem vocabant, idibus Octob. in campo Martio. Illius caput panibus redimebatur. A multis autem gentibus equus hoſtiarum numero habitus eſt, ait Feſtus, vt à Lacedæmoniis, Sallentinis, Rhodiis. Et poëta, Placat equo Perſis

radiis

radiis Hyperiona cinctum. NOVEMBER in tutela Dianæ fuit, quo Ioui epulum celebrabatur, & videtur acta vacantia. Vacunæ ſcil. deæ vacantium & otioſorum, agricolæ ſoluti iam poſt fruges inuectas & conditas laboribus, per hyemen ſacris operabantur. DECEMBER Veſtæ dicatus, & Saturnó. Eo Saturnalia agitabantur, quibus bellum ſumere nefas: à nocente pœnas exigere piaculare. IANVARIVS à Iano, cui conſecratus. FEBRVARIVS dictus, quod tum, id eſt, extremo menſe anni populus februaretur, hoc eſt luſtraretur ac purgaretur: februo enim eſt luſtro, purgo. Quæcunque autẽ purgamẽti cauſſa in quibuſq; ſacrificiis adhibebantur, februa appellabantur: id verò quod purgatur, dicitur februatũ. Plinius: Vulgata priſcis temporibus opinio obtinuit, februa eſſe omnia, quibus delerentur peccata, aut, manes animabus defunctorum placidi redderentur. Ouidium legite, cuius de menſibus ſex prioribus totidem libri extant; ſcripſerat autem 12. ſed poſteriores perierunt. Teſtis eſt ipſe.

Sex ego Faſtorum ſcripſi, totidemq́; libellos,
Cumq́; ſuo finem menſe libellus habet.

Menſis quilibet in tres dierum formas diuiditur. Kalendas, nonas, idus. Kalendæ à καλεῖν, quod his diebus Pontifex calata; id eſt, vocata in Capitolium plebe, quæ dies à Kalendis ad nonas ſupereſſent, pronuntiabat. Nonæ, quod ab his ad Idus ſemper nouem ſint. Idus, quod nonas à calendis diuidant: iduare enim eſt diuidere, hetruſcum vocabulum. Copioſè iſta differit Macrob. in Saturnal. lib. 1. cap. 15. Quot autem dies quiſque menſis quot Nonas & Idus comprehendat, hi verſus docebunt.

Ter denos September habet, totidemq́; Nouember,
Iulius, Aprilis, reliquis ſuper additur vnus.
Sit niſi biſſextus, vicenas Februus octo.
Prima dies menſis cuiusq́; eſt dicta Kalendæ.
Sex Maius Nonas, October, Iulius, & Mars.
Quatuor at reliqui. Tenet Idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic eſſe Kalendas,
Quas retrò numerans dices à menſe ſequenti.

Sed quoniam non ita pridem in librum quendam incidi, in quo feſtiuè ſingulorum menſium opera, & labores elegio deſcribebantur, & ego id memoriæ mandaui, cur non recitem, nihil, opinor, cauſſæ eſt. V. Nihil, recita.

IANE biceps, anni finis, redeuntis origo,
Lætus ad igniuomum decoque parta focum.
Qui FEBRVO tibi nec pelles, nec ligna reſeruas,
Falleris: hac currum, qua ratis ibat, ages.
Vomere ſcindit agros, noctesq́; diebus adæquat
MARTIVS: & veris nuncia hirundo redit.
Cana viret tellus, ſe frondibus induit arbor,
APRILI gemmans eliciente decus.

 Salue

Salue ter fœlix ô MAIE ſmaragdine, ſalue.
Temperie certant tempora cuncta tua.
IVNIVS æſtiuo detonſa tempore lana
Defendas pecori ſolſtitiumq́; iubet.
Sub Brumam nè fortè pecus moriatur, IVLI,
Proſpicis, & curua gramina falce ſecas.
Iam matureſcunt AVGVSTI munere fruges:
Cumq́; amplo ſortem fœnore reddit ager.
AVGVSTI Ceres eſt, SEPTEMBRIS munus Iacchus,
Vnde homines viuunt, nos duo perficimus.
OCTOBER muſtum calcatu exprimit vuis:
Et ſerit hoc anno, quæ redeunte metat.
Autumnus quæcunque dedit, conſumo NOVEMBER:
Et pinguem hyberna glande trucido ſuem.
Haud auis, haud fera venanti deeſt vlla DECEMBRI:
Quamuis ningat atrox & gelet vſque vadum.

Breuiſſimè.

Pocula IANVS amat: FEBRVVS ſed frigeo clamat:
MARTIVS arua fodit: ſed APRILIS florida nutrit:
Ros & flos nemorum MAIO ſunt, vas & amorum:
IVNIVS hinc lanam dat: IVLIVS addit auenam:
AVGVSTVS ſegetes profert: SEPTEMBER & vuas:
Seminat OCTOBER: ſpoliat virgulta NOVEMBER:
Bos mihi mactatur præpinguis menſe DECEMBRI.

Atque hæc de menſe pro inſtituto multa ſatis. Tu nunc, Vibulli, aut nos imitare, & de anno ſcholam habe: aut nos interroga. V. Malo interrogare: ſunt enim nonnulla, quæ tenere deſii: ea vos tenetis, & ita me interrogantem erudietis. P. Vt iſte, Fanni, callidus diſſimulator eſt? V. Caue, Procule, ne te magnum irriſorem contra appellem. Incipio.

ANNVS.

Quid habes proferre de etymo anni Procule? P. Varronis verba eſ- recitabo. Annus, inquit, quòd vt paruuli circuli annuli: ſic magni dicebantur anni, vnde annus. Huius tẽporis pars prima hyems, quod tum multi himbres. Hinc hibernacula, hibernum: vel quòd tum anima quæ flatur, omnium apparet, ab hiatu hiemps. Tempus ſecundum Ver, quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere ſe tempus anni, niſi quod Iones dicunt βῆρ. Tertium ab æſtu æſtas, hinc æſtiuum. Niſi fortè à græco αἴθεσθαι. Quartum autumnus, ſed hic lacuna eſt in libro, vt neſciamus, quid dixerit deinceps. Ab annulo igitur annum dici Varronis eſt ſententia. Hinc Ægyptii nota hieroglyphica ita expreſſerunt annum, vt draconem pingerent, qui caudæ extremũ ore ſuo cõprehenderet. Nam vt Virgil. ait. Atq; in ſe ſua per veſtigia voluitur annus. Feſtus, annus ex græco venit, quẽ illi ἔνον: & quod

nos

nos triennium, illi τρίετιν. Eſt autem ἔνος circulus. Atteius Capito ſcripſit à circuitu temporis nominatum, quoniam veteres Am pro circum poſuerint. Quidam ab ἀνανεῶσθαι ab innouatione: ſuo ſiquidem naturali ordine omnia innouat. V. Rectè reſponſum ſentio. Age Fanni, paucis te volo. F. Vel etiam non paucis. V. Quot in formas plerique annum diuidunt? F. In tres. V. Cedò quas? F. In magnum, ſeu mundanum, ſeu perfectum, in ſolſtitialem ſeu vertentem, ſeu naturalem, in lunarem. V. Et lunaris quis Procule? P. Qui eſt vnius menſis. V. Vertens? P. Dierum trecentorum ſexaginta quinque. V. Magnus? P. De eo varii varia ſenſerunt, & diſputat Macrob. in Som. Scip. Item Gyrald. libello de anno & menſibus. Producam tantum verba M. Tullij ex lib. 6. de Repub. ſeu Som. Scipionis. Homines annum tantum ſolis, id eſt, vnius aſtri reditu metiuntur: re autem ipſa, cùm ad idem, vnde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eademque totius cœli deſcriptionem longis interuallis retulerint, tunc ille verè vertens annus appellari poteſt. V. Linquamus igitur hoc genus anni quoque, & de medio illo audiamus, qui Romulo dies non plus trecentos & quatuor habuit. Numa quinquaginta quatuor. Atque his à ſe additis, alios ſex adiecit, ablatos à ſex menſibus, qui triginta dies habebant. Poſtmodum Iulius Cæſar quinque adiunxit, vt eſſent tercentum ſexaginta quinque. Sed mittamus annum, ad luſtrum veniamus.

LVSTRVM.

Quid eſt luſtrum, Fanni? F. Tempus quinquennale, à luendo, hoc eſt, ſoluendo: quod quinto quoque anno vectigalia, & vltro tributa per Cenſores perſoluebantur. Et cum veteres ferè locare ſolerent prædia tum vrbana, tum ruſtica in quinquennium, vocarunt hoc tempus locationis luſtrum. Non autem quinquennium integrum intelligitur: ſed quadriennium exactum, & quintus annus incipiens: quod idem dictum volo de olympiadibus, quas nihilominus Græci πενταετηρίδας à ſpatio quinquennij, cum ſatis conſtet quinto quoque anno non exacto, ſed ineunte celebrari ſolitos. V. Nihil requiro nunc quidem de luſtro amplius. Dicam tamen de hac voce ex Feſto quippiam adhuc. Luſtrum ſignificat lacunas lutoſas (à luto vtique) quæ ſunt in ſyluis aprorum cubilia: à qua ſimilitudine, ij qui in locis abditis, & ſordidis ventri & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agitare. Plautus Caſ. Vbi in luſtra iacuiſti? id eſt ob luſtra, luſtrorum gratia, ſeu ſuper luſtra: & in luſtris, ad luſtrandum, id eſt, ſcortandum. Ibidem Vbi luſtratus? vbi bibiſti? Reſtat quærere de ſæculo.

SÆCVLVM.

Vndenam vox hæc? F. Varro in 5 de ling. lat. ſpatium eſſe ait centum annorum, dictum à ſene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id antiqui putarint: & ſæculares ludi, inquit Fe-

ſtus, apud Romanos poſt centum annos fiebant, quia ſæculum a
centum annos extendi exiſtimabant. Volunt quidam, ſeculum eſ
ſpatium annorum centum & decem. Sunt qui a ſequendo dictum a
tument, quod ſeipſa tempora ſequuntur, primamque ſyllabam pro
ducunt quidam, & cum diphthongo ſcribunt. Cenſorinus ait eſſe ſpa
tium humanæ vitæ longiſſimum, partu & morte definitum. Quo
circa qui annos triginta ſæculum putarunt, à veritate receſſerunt ho
die. V. Nihil occurrit amplius. Tu Procule, ſi vis interroga. P. Impo
namus finem: ne nimium ſimus Grammatici. F. Imponamus, & ali
de aliis modo ſimili, quod profit ſtudiis noſtris. V. Etiam.

ANNOTATIONES.

EXPLICATIONES TEMPORVM) *Tempus definit Ariſtot. lib. 4. Phyſic. numerum motionis ex eo quod eſt prius & poſterius, dicit a numerum eſſe, qui numerari poteſt, aut qui numeratur, non quo numera mus. Lucret. libr. 1. Statuit eſſe ens ſine ens, ratione tantum, non re, ac per non eſſe, ſed ex rebus olim geſtis ac præteritis, tempus præteritum nos cog ſcere atque percipere ex iis rebus, quæ hodie ſunt, ac fiunt, præſens: ex iis, q ſunt futura, quaſque futuras ſuſpicamur, aut diuinamus, aut cogitamus futurum. Ante mundum fabricatum nullum fuiſſe tempus certum e quia nec motus. Quidam ſenſerunt fuiſſe, at non ſub intelligentiam cade nec diſtinctum, ſed quaſi quoddam chaos confuſum, quod imaginari poſſ mus.* PROCVLVS) *Is dicitur Proculus, qui natus eſt patre peregrinante à patria procul. Proculos, ſunt, qui credunt ideo dictos, quia patribus ſenibus, quaſi procul progreſſis ætate, nati ſint. Feſtus.* EX SINV TVO) *Hoc genus loquendi, cum ſcilicet aliquem ex huius aut illius ſinu eſſe dicimus, inti mam familiaritatem ſignificamus. Cic. Verrina 3. Verres ſimul ac tetigi prouinciam ſtatim Meſſanam literas dedit, Dionem euocauit, calumnia tores ex ſinu ſuo appoſuit, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commiſſam eſſe dicerent. Et Catil. 2. Poſtremum autem genus eſt non ſolum numero, ve rum etiã genere ipſo atque vita, quod proprium eſt Catilinæ de eius delectu, immo verò de complexu eius ac ſinu.* BONÆ FRVGI) *Homo bonæ frugi eſt homo probus, & ſine adiuncto, frugi: vt ille Piſo, qui cognominatus eſt frugi. Plaut. Capt. Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bona. Et Curcul. Fac vt bonæ frugi ſies. Caſ. perbonæ frugi hominem iam pridem eſſe arbitror. Trinum. dixit ad frugem applicare animum. Ibid. ad frugem corrigere.*

Qui tuæ mandatus eſt fidei, & fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin frugem corrigis?

Et Pœnulo, facere frugem. Herus tuus ſi volet facere frugem, meum herum perdet, id eſt, rem vtilem. CVI PARTES SCISCITANDI) *Ab hiſtrio nibus ſumptum loquendi genus, per tranſlationem, quibus ſeniles, pue riles mandari partes dicit Horatius ad Piſon, ſic epiſtol. 18. libr. 1. tractat partes.*

Vt pue-

Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas.

Plautum dicit cuiuſcunque perſonæ partes tutari, id eſt, decorum perſonarum ſeruare, epiſt. 1. lib. 2.

aſpice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephœbi,
Vt patris attenti, lenonis vt inſidioſi.

Terent. Heaut. Ne cui ſit veſtrum mirum, cur partes ſeni poëta dederit, quæ ſunt adoleſcentium. Tranſlati vſus exempla ſunt etiam hæc. Partes ſibi depoſcere, partes imponere ſuſcipere, ſumere, obtinere, agere, tranſigere: nec aliud ſunt hîc partes, quàm munus & officium, quo quis fungitur. EX QVO ILLE) *Cleomenes Lacedæmonius, bellum gerens aduerſus Argiuos. Rem explanat Cic. 1. Off. in hunc modum. Exiſtunt etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida & malitioſa iuris interpretatione. Ex quo illud: ſummum ius, ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. Quo in genere etiam in Repub. multa peccantur: vt ille, qui cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierũ eſſent pactæ, non noctium induciæ. Sophiſma attulit: cum pro die ciuili, quod non debuit, quem vocant artificioſum, accepit, quem ſol ſupra horizonta noſtrum volutus efficit.* CIVILIS ÆQVALIB. HORIS) *pag.* 1121. 1122. 1126. *editionum 4. præcedentium per incogitantiam ſcriptum eſt naturalis pro ciuilis. Proinde corrige.* ASTROLOGI QVIDEM) *De iſta varietate Gell. lib. 3. cap. 2. Macrob. lib. 2. Saturnal. c. 3. Gyrald. de annis & menſib.* QVINTA MANE) *Manè inquit Varro lib. 5. quod tum manat dies ab oriente. Nonius: manum dicitur clarum: vnde etiam manè poſt tenebras noctis diei pars prima: inde Matuta, quæ græcis λευκοθέα. Feſtus. Mane à diis manibus dixerunt, nam mana bona dicuntur. Vide inſuper Iſid. lib. 5. c. 30.* VARRONI NOCTIS MERIDIES) *Nonius. Mediam diei partem omnes ſolummodo dicendum putant, cum & noctis eſſe eam partem doctorum auctoritas dixerit. Varro Marcipore.*

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aër feruidis latè ignibus
Cæli ora aſtrica oſtenderent.

MANE, MERIDIEM, SVPREMAM) *Sic Iſid. Sed de etymo vocis manè ſupra dictũ eſt. Meridies quaſi medidies, hoc eſt, medius dies: vel quia tũc purior dies eſt: merum enim purum dicitur. In toto enim die nihil clarius meridie: quando ſol è medio cælo rutilat: & omnem terram pari claritate illuſtrat. Suprema, eſt poſtrema pars diei, quando ſol curſum ſuum in occaſum vertit: dicta eo, quod ſupereſt ad partem vltimam diei. Serum vocatur à cauſſis ſeris, quando iam nox venit, vt vnuſquiſque ſomno tutior ſit. Hæc Iſidor.* QVIDAM SVNT FESTI) *Macrob. lib. 1. cap. 16.* FERALIA) *Ab inferis & ferendo, vt vult Varro libr. 5. quod ferunt tum epulas ad ſepulchrũ, quib. ius ibi parẽtare. Hinc & Ouid. Hanc, quia iuſta ferũt, dixere Feralia lucem. Inde inferiæ: & arferia aqua, quæ afferebatur ad ſepulchra,*

vt liba-

Digitized by Google

vt liberetur mortuus Arferre pro Adferre dicebant veteres vt Aruenire pro Aduenire: item Arcedere pro Accedere. PANDICVLARES DIES) *Iidem communicarii, quibus omnibus diis communiter ſacrificabant: qualis eſt apud nos is, quo omnium diuorum memoria ab Eccleſia Catholica auguſta cærimonia colitur.* NVNDINAS) *Dubitatum eſt tamen apud antiquos, ecquid nundinarum dies inter ferias eſſent referendi. Varias ſententias colligit Gyraldus.* STATI QVI IVDICII CAVSSA) *Indicant XII. Tabulæ.* AVT STATVS DIES CVM HOSTE. *Itemque Plaut. Curcul.*

Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera:
Si ſtatus, condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quò imperant, ingratiis.

QVORVM ET OVIDIVS) *Faſt. lib. I. ſunt hi verſus:*

Vendicat Auſonias Iunonis cura Kalendas:
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret: omnibus iſtis
(Ne fallare caue) proximus ater erit.
Omen ab euentu eſt: illis nam Roma diebus
Marte ſub aduerſo triſtia damna tulit.

DIES LVSTRICVS QVO INFANS) *Feſtus. Luſtrici dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorũ nonus: quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur. Tertulliano dictus Nominalia.* DIES INTERCALARES) *De intercalatione lege Macrob. lib. I. cap. 13.* CHRISTIANI DOMINICVM VOCANT) *Laudes huius diei ex Comment. Bened. Pererii in Geneſin. li. I. ſtrictim ponam. Hic fuit primus mundi dies, quo lux facta. Hoc ſicco pede Hebræi per mare tranſierunt. Hoc primum manna è cælo venit: ablutus eſt Ieſus in Iordane: primum ſignum edidit in nuptiis: quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia refecit: in vitam eſt reuerſus: octauo poſt die clauſis ianuis ad diſcipulos acceſſit, & Spiritu ſancto eos impertiuit, peccatis exſoluendi poteſtatem dedit: Euangelium totum per orbem nuntiare, homines aqua ſalutari inficere iuſſit. Hoc die acta eſt Pentecoſte, qua Spiritus ſanctus è cælo delapſus eſt ſupra diſcipulos. Hoc Ioanni admiranda illa apocalypſes oblata ſunt. Hoc noſtrorum corporum inſtauratio, ac totius mundi reuocatio futura creditur.*

PRO-

Digitized by Google

PROGYMNASMA SEPTIMVM ET SEPTVAGESIMVM.

Venatio, aucupium, piſcatus.

CÆSELLIVS, ARVNTIVS, NICOSTRATVS.

CÆSELLIVS. Infinitarum rerum notiones, & (quod inde conſequitur) notationes à nobis ignorari, M. Varronem potiſſimum lectitans intelligere, & manibus tangere ſoleo: quarum tamen notationum, inquam, ille multas fortaſſe aut perperam tradidit, aut prætermiſit. Non longè abiero, Venator ait lib. 4. à vento, quod ſequitur ceruum ad ventum, & in vento. Quo quidem loco memini eruditorum linguæ latinæ non neminem extrema ſic præoptaſſe legere: hinc venatus. Idem in præcedentibus pro, cerbum (quæ ſcriptura vetus librarios rudiores erroris compleuit, vt ita facerent *quod ſequitur verbum ad ventum*) ſine hæſitatione, ceruum, legit. Igitur Varroni à vento venatio, quoniam & venatus, & venator, & ipſum vtique verbum, venari, cæterorum origo atque caput. At enimuero mihi lubet opinari dictum venari à venis: vt ſit nimirum venari, ſcrutari venas: & qui animalia venatur, is quaſi venas indagare ſcrutarique videatur. Ecquid arridet vobis hoc acumen? A. Aliquantum mihi quidem. Tamen à Varrone non temerè in alia omnia eundum arbitror. N. Et rectè id quidem: vtpote cui latino, & è latinis prognato, & inter latinos educato, græcè inſuper doctiſſimo exploratius cognitæ eſſe potuerint verborum latinorum etymologiæ, quàm alienigenis & peregrinis nobis, qui ſermonem latinum vſque ad capulum diſcimus, nec perdiſcimus. Eſt autem miſerum πάντοτε μανθάνειν, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάσθαι. A. Vtinam iſtuc cum veritate affirmaretur, nos ſemper latinè diſcere: non omnia ſurſum ac deorſum agi ferrique viderentur in noſtra Rep. Sed hæc nihil ſanè ad hoc tempus. G. Ergô relinquāus rem in integro, nec Varroni pergamus dicam ſcribere. Græci venationem ab ipſiſmet feris apertius θήρευμα, & θηράγρεω appellarunt: vt ſit ferarum veſtigatio, conſectatio, captatio, ſiue captio: vtor enim pluribus de induſtria, quò duo illa græca magis exprimam. N. Sunt qui non tam græci aut latini vim nominis à Varrone allatam ſpectantes, quàm rem, negotiumq; ipſi nomini ſubiectum conſiderantes, tripartitam venationem inducant: quarum prima ab vſu canum κυνηγετικὴ Græcis: quanquam & retibus, & aliis inſidiis perpetratur, idque in terreſtribus animantib. quæ eadem commune venationis vocabulum facit ſuum. Huiuſmodi ani-

di animantium quædam vt maiora, ſic immaniora viſuntur, vt leones, apri, pardi, lynces, vrſi: quædam minora. & non æque ſæua ac terribilia, vt lepores, vulpes, cerui etiam. Altera eſt aëriorum ſeu volatilium, quam Græci ἰξευτικὴν & ὀρνιθευτικὴν, nos aucupium dicimus. Poſtrema aquaticorum, per mare, flumina, ſtagna & aquulas fieri ſolita: nobis piſcatus ſiue piſcatio, illis ἁλιευτική. Tot enim, tria nempe ſunt animalium genera, hominibus in alimentum idonea: quæ ſingula cũ quærere, captare, perſequi cogamur cum moleſtia & defatigationib. & ſæpe non ſine fruſtrationib. quid eſt, cur non in omnia communiter venationis nomen vſurpemus? præſertim ſi venari à venis, non à vento velimus ducere? A. Abs te ſto, Nicoſtrate, & hoc amplius cenſeo, primum genus iure concedi Principib. atq; heroib. illisq; maximè, qui ruri colunt arces, habentq; illic prædia & prætoria, & iis contigua ferè viuaria, ſyluas, nemora. Nam his omniũ ſententia animorũ maior quædam, & crebrior oblectatio permittitur, licetq; lautius ac delicatius viuere. Secundum autem, & tertiũ potius ignobilib. fricti ciceris & nucis emptorib. & qui ſunt è medio: ſiquidẽ non perinde, vt de quo dictum eſt, videntur liberalia. Communia porrò omnib. aio eſſe dolum, vim, veneficia. Etenim cui obſcurum eſt, retib. naſſis, tendiculis, pedicis, laqueis, viſcatis virgis ſtrui fallacias miſeris animalib. Arcus, ſagittæ, ſclopi, venabula, fuſcinæ, ad vim pertinent. Veneficüs feræ & aues decipiuntur rarius, piſces ſæpius: qualia numerantur aconitum, tithymallum, ranunculi: quæ pabulo commiſta necem pennigeris, quadrupedibus, & natantib. afferunt. Nonnulla quanquã deuorata non perimunt illa quidem, tamen ſtupida, & proinde ad capiendum facilia reddunt animalia. At at quid iſtuc rei eſt? dum de etymo venationis ſermunculum ſerimus, in ſermonẽ de venatione imprudentes effundimur. Addiderũt certè equi ſe in ſpatia. Vin' tu, Cæſelli, vti currus habenas audiat, & tanquam ad carceres oratio reuocetur? C. Egône? Quinimmo, quando ita nec opinatò euenit, teneamus, quam optare potuimus, occaſionem, nec eam amittamus, ac de re aditu ſpectatuque iucundiſſima producamus colloquiũ: de venatione primo loco, poſt de aucupio, ad extremum de piſcatu: fiamusq; vno die ſine feris venatores, ſine auib. aucupes, ſine piſcib. piſcatores. N. Fiamus, age, fiamus. Ite vos pręęgo ſubſequar. A. Quin tu ito prę. N. En facilitatẽ meã. Bipartita eſt venatio. C. Quomodo? N. quomodo? quia ſcilicet alia agreſtis ſiue cãpeſtris eſt, quæ p cãpos apertos, p montes, colles, ſyluas, agros, hominib. canibus, equis, feras acerrimè inſequitur. De hac rex carminum Virgilius in 4. Æneidos his ipſis verſibus.

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit:
It portis iubare exorto delecta iuuentus.
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.

Et paulo infrà:

Poſt-

Poſtquam alios ventum in montes, atque inuia luſtra
Ecce, feræ ſaxi deiectæ vertice capræ
Decurrere iugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.

Alia amphitheatralis, de qua non paruum eſt operæ pretium cognoſcere: ſed faciam breue. Vt in theatro ludi dabantur ſcenici, ſic in amphitheatro gladiatorij, & venatorij, quam Græci rerum ſcriptores σφαγὴν, & μάχην θηρίων cædem ferarum, & pugnam ad beſtias nominarunt. Qui contra eas dimicationem capeſſerent, θηριομάχοι, latinè beſtiarij, arenarij, Tertulliano damnati in ludum dicebantur. Quandoque inermes certare compellebantur, aut etiam ad palum deligati, atrocium belluarum in ſe emiſſarum morſus laniatuſque ſuſtinebant, quos item beſtiis obiectos vocabant. Cæterum, cum in tale diſcrimen non obiicerentur niſi ſerui pœnam commeriti, aut alioqui homines, qui capital feciſſent, quiue bello capti eſſent, contingebat interdum, vt huius farinæ deeſſent: quorum in locum emebantur, conducebanturque, qui populi oculos animoſque tam bello ſpectaculo ſatiarent. Ac proditum eſt eo leuitatis & inſaniæ, vt non plebei ſolum, verum & honorati, & ſi diis placet, etiam mulieres iſtiuſmodi pugnæ accingerentur. Mulierum quidem θηριομαχίαν à Domitiano editam teſtatur Martialis, & Suetonius. Præterea Papinianus 1. Syluarum.

Stat ſexus rudis, inſciuſq; ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumq; Phaſin
Thermodontiacas calere turmas.

Meminit eiuſdem rei Xiphilinus in Nerone ac Tito. Belluæ è cauea in ipſã amphitheatri caueã emittebantur aliàs vnà, aliàs plures ſimul. Depugnabãt vel è ſuperiore loco iaculis, in quo peritiã iaculandi ſuam oſtentabant: vel ex æquo venabulis, lanceis ſiue haſtis. Illis cominus figebant leones, apros, pardos, quæ ἀγχέμαχα θηρία dicuntur, Herodiano ζῶα γεννάια: his eminus ceruos, capreas, & ſimiles beſtias, quę vocata ſunt βοτὰ θηρία, herbacea ſeu paſcentia animalia. De amphitheatrali venatu verborum nihil addam. C. Ad campeſtrem ergo, quod proximum eſt, nos transferamus, contra quam quid veriſimiliter dici poſſit, exordior explicare. A. Tu bonã cauſſã ſtudes, credo, malã facere: aut in obſcuro & incredibili themate quantũ ingenio & eloquẽtia valeas, more veterum ſophiſtarum oſtendere. C. Erras, & me ignoras Arunti. A. Quid ergo eſt? C. Tibi venatoriæ laudãdæ cauſſã opportuniorẽ ſuppeditare volo. Eſt .n. laudatorib. plerunq; irritamentũ maius ipſa rerũ landandarum vituperatio. Sic igitur quis aduerſũ venatores inſurgat. Vita veſtra quietis & trãquillitatis expers, turbarũ ac tumultuum plena eſt. Quod vt nihil ei præterea inſit incommodorum, ſatis

ſatis valet ad deterrendum: Ineſſe autem plura, hinc mecum recognoſcite. Tēpus inſidiando, exſpectando, ad retia ſedendo, huc illuc curſitando, & per dumeta oberrando cum veſtris canibus totos dies, vnius lepuſculi gratia, in otioſo negotio conteritis: & qua nulla maior eſt iactura. temporis nimirum, quo nihil eſt pretioſius, eam vos nullius coactu, ſponte veſtra, libentes atque gaudentes facitis. Quid eſt aliud deſipere? Quare autem legitimis voluptatibus bellum indicitis? num è quercubus prodiiſtis? quare eas ita immaniter auerſamini, vt omnia contraria vobis ſint quodammodo in optatiſſimis? Veſtrum quippe eſt manere ſub Ioue frigido, tenerarum coniugum immemores. Veſtrum eſt, inquam, perpeti algorem, ambulare genuum tenus per niues, torreri caloribus, perferre ſitim, tolerare inediam, quieſcere humi, cœleſtes perferre iniurias, non ob virtutem, non ob Rempublicam, non ob ingentem aliquam vtilitatem: ſed ob vnicam beſtiolam, quam neque vtrum capturi ſitis poteſtis ſtatuere, & ſæpe numero non capitis. Huius amentiæ veſtræ teſtis eſt in 2. Tuſcul. Cic. Pernoctant, inquit, venatores in niue, in montibus vri ſe patiuntur. Et rurſus in eodem libro. Apud quos autem venandi, & equitandi laus viget, qui hanc peteſſunt, nullum fugiunt dolorem. En quam vitioſa, quam adulterina eſt voluptas veſtra, ſi modo dicenda eſt voluptas. Frigora, laſſitudinem, eſuriem, ſitim, ſudorem, pluuias, & alia compluſcula mala complectitur. Quid? Nonne vos calamitates magnas datis humano generi? Dum enim feras canibus, & equis inſectamini: conculcatis ſata, laceratis vineas, corrumpitis plantaria, conuellitis ſyluas, deuaſtatis agros. En quam præclara, & vtilia molimini opera. Fiunt efferatiores, & inhumaniores, qui exagitant, & ad mortem toties indagant beſtias, eamque immanitatem poſtea in homines conuertunt. Multa inſidiarum genera nouerunt venatores, quibus abſtinere aduerſus naturæ participes ægrè poſſunt: vt ea propter ruſticis non temerè venatus interdicatur: ne ob duriora alioqui, & ferociora ingenia venentur homines, exerceantque latrocinia, aut certè damis & leporibus agitandis intenti, agriculturam dimittant. Adeo porro in ſumptus ad alendos canes, ad equos, ad homines huius fucatæ voluptatis veſtræ miniſtros prodigi eſtis, vt nonnunquam fundo ſuſpiret nummus in imo, & ad paupertatem deuoluti, rebus ipſis intelligatis quam verum dixerit, qui dixit: Sera eſt in fūdo parſimonia. Hoc poëtæ ſapiēter in Actæonis fabula monere voluerunt, quē venationis nimio plus quam ſatis erat, ſtudioſum, & in canes profundētem opes ſuas, in ceruū abiiſſe, & ab illis ipſis canibus dilaniatū cecinerunt. Docebo etiam quā ſitis audaces, & φιλοκίνδυνοι. Quoties per abrupta, & præcipitia curſatis? quoties ꝓpter diuturnas, aut immodicas tēpeſtates in morbos periculoſiſſimos incidítis? quoties in arbores incurſādo corpus atteritis? quoties caballis excuſſi iacetis fracti aut luxati membrū aliquod? quoties dū

apros,

aliaſque importuniores beſtias vulnerare conamini, ipſi ab illis grauiter vulneramini? Meritò Martialis: *inter Cæſarea diſcrimina ſæua Diana.* Profectò ſæuis ſe diſcriminibus committunt, vitam habent viliſſimam, qui venantur. Et cùm hæc ita ſint, inueniuntur nihilominus etiam fœminæ venatrices: quibus (quoniam venationes progymnaſmata putantur militaria) idem quis facetè occinuerit, quod apud Homerum Veneri, dum Æneam ſuum morti ſubducere conatur, in prælio à Diomede ſauciatæ per reprehenſionem dicit Iupiter. Nunc meam hanc diſputationem ita claudam, vt ad eam verſiculos Lucretii perelegantes de libro 2. accommodem,

Deſine quapropter (Arunti) nouitate exterritus ipſa
Exſpuere ex animo rationem: ſed magis acri
Iudicio perpende: & ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.

A. Non accedam ad ſingula refutanda, quæ tu, Cæſelli, εἰρωνευόμενος, & per ludum contra ſtudium venatorum diſſeruiſti. Opponam autem tuis eiuſmodi propugnationem laudationemque venatoriæ, vt tu, & vnà Nicoſtratus vno velut impetu omnes machinationes, concidiſſe fateamini. Quidquid immoderatum ac intempeſtiuum eſt, vitio affine eſt, & eò iure damnatur. Erit igitur moderata venatio, vt ſit laudabilis. Et cur tandem non ſit laudabilis? Habet omnino cauſas probabiles atque iuſtas: quarum princeps videtur illa, vt à ferarum ſæuitia, & iniuriis ſecurè degere liceat. Annon lupi in viatores inuadunt? an illi imbelle pecus oues non diſcerpunt? an vrſi, cerui, cuniculi, vulpes ſegetibus, vineis parum incommodant? longus ero, ſi quantum detrimentorum ab agreſtibus animalibus capiamus, memorare inſtituero. Venamur etiam honeſtè idcircò, vt carnes in victum ne deſint. Mundo quidem recentiore non carnibus, ſed frugibus tantum, & glandibus homines famem depellere conſueſſe non negamus. At poſt eluuionem terrarum, permiſſam diuinitùs poteſtatem conſtat, non cicures tantùm, vt boues, capros, oues, ſed etiã ſyluaticas beſtias, & aeriuagas, & fluuicolas capiẽdi, occidẽdi, comedẽdi. Nec ſi id neceſſariũ nõ eſt, quia domeſticis cõtenti eſſe poſſimus (ſi modò ſemper poſſimus) ideo ſtatim vitioſum eſt. Nam ſi ita voles, ne carnibus quidem opus ſit: quoniam vt olim, ſic etiam nunc victum terra fundit. Satis tegebãt corpus villoſæ pelles animalium, & frigora ſatis defendebant: ſatis arcebant ventos, pluuias, grandines, & niues in tuguriola congeſtis ceſpitibus: nihilominus vtrobique adiuncta eſt ſenſim ad neceſſitatem commoditas & elegantia, quod nemo vnquam non probauit. Præterea cùm homines rerum cæterarum domini ſint à principio conſtituti, cur illis pro arbitrio non vtantur? Etiamſi tantummodo oblectamentum ex venatione quæratur, vt ſæpe quæritur, non debet id continuò cum crimine culpáue coniungi. Quid quod plurima è feris vel ad perſanandum, vel ad protegendum corpus, vel ad alios vſus accommodata & neceſſaria adipiſcimur? Otium fugiendum iis, quibus cordi eſſet pudicitiæ virginalis conſeruatio, per hanc potiſſimum exercitatio-

tationem, quaſi honeſtiſſimam & liberaliſſimam inſinuare poetæ ſtuduerunt, dum Dianam intactam, & venationibus aſſiduò deditam fabulati ſunt. Sic Hippolytus, Theſei filius apud Euripidem & Senecam caſtitatis ſeruandæ, atque ob eam rem otii vitandi (quod libidinis quaſi diverſorium, & inviolatis mentibus etiam atque etiam cogitationum impuritate generanda inimicum eſt) conſectandis per nemora feris ſeſe exercet. Quæ exercitatio corpus firmat, animum in rebus arduis audacem, locorum peritum, ad itinerum difficultates ſubeundas alacrem, ac tolerantem reddit. Aſſerit & M. Tullius 2. de nat. Deor. eam ad victum, & diſciplinam militarem conducere, his verbis. Iam verò immanes feras & belluas nanciſcimur venando, vt & veſcamur his, & vt exerceamur in venando ad ſimilitudinem diſciplinæ bellicæ. Xenophon, vbi docet, qua ratione inſtituerentur apud Perſas, qui ex ephœbis exceſſiſſent, narrat eos vnoquoque menſe venatum cum rege exire, idque ſæpius. Cauſſam quàm veram & prudentem adducat, mecum perpenditote. Quod hæc (quemadmodum paulò ante Ciceronem affirmare audiebatis) vtiliſſima ſit bellicæ diſciplinæ meditatio: ſiquidem aſſuefacit diluculo exſurgere, frigus caloremq; iuxta pati. Itineribus item, atque curſu exercet, & feras vbicunque occurrerint, ſagitta aut iaculo neceſſe eſt petere. Frequenter venantibus acuitur animus, cùm immanior aliqua bellua ſeſe obtulerit, quam propiùs accedendo ferire, contraque irruentem declinare oportet: quæ quidem ſimiliter ſolent in bello euenire. Idem in extremo primo, vbi Cambyſes pater Cyrum filium militaribus præceptis informat, dolos venatorios in homines belli tempore transferendos ſuadet. In commentario autem de venatione, quàm egregias cōmoditates pariat venatio, longiuſcula oratione commemorat, cuius ſummam accipitote. Valetudini venatores conſulunt, aſpiciendi, audiendique ſenſibus proficiunt, tardius ſeneſcunt, ad prælia vitamque caſtrenſem præparantur: in qua ſi vias incommodas ſub armorum onere ambulant, nihil illis nouum, qui id ſæpè, dum feras perſequi properant, citra defatigationem fecerint. Cubabunt humi, ad imperatoris vocem aduolabunt, in fronte locati non retrocedent, hoſtem viriliter aggredientur, fugientem & propter audaciam acriter, & propter locorum notitiam tuto inſequentur. Si aduerſo Marte conflixerint, cùm ſe, tum commilitones in locis ſylueſtribus, præruptis, & aliis ſibi exploratis facile ſeruabunt. Quin frequenter tales parua manu hoſtes inſequentes, & ob locorum difficultatem errantes repulerint. Hæc voluptas temperantes & iuſtos facit, honeſtarumque actionum exercitamentis, vt aliæ illaudatæ voluptates nequaquam aduerſatur. Hinc ergo ſtrenui milites, hinc boni imperatores euadunt. Quorum enim labores ab animis corporibuſque nefanda & infamia quæcunque prohibent, contra verò amorem virtutis inferunt, ii optimi cenſendi ſunt: quippe qui nec patriæ iniurias, nec regionis ſuæ calamitates negligent. Secundùm hæc idem hiſtoricus iis reſpondet: qui per venationem rem familiarem deſeri clamitant. Neſciunt iſti, inquit, qui de republica, & amicis bene merentur, eos omnes rei familiares dili-

Digitized by Google

diligentiores eſſe. Quod ſi ſtudioſi venationis ita ſe comparant, vt patriæ in rebus maximis commodent quàm maximè, hi certè nec priuata contemplerint, quorum ſalus & pernicies in communi ſalute perniciéque incluſa eſt. Optimi & laudatiſſimi Principes interdum animos ſuos à ſollicitudinibus & curarum molibus auocatos, iſtoc ludicro reficiebant, & quodammodo redintegrabant, quod de Marco Antonino philoſopho, Alexandro Seuero legimus. Enumerat Xenophon heroas multos, qui ſub magiſtro Chirone ab ineunte ætate venatibus operam dederint, itaq; in rebus gerendis animoſi ac ſtrenui euaſerint, & ſimul καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν didicerint. Veruntamen extra culpam non ſunt Principes, qui quod ſibi eſt voluptati, id committunt vt ſubiectis populis ſit fraudi: quando nempe ab adminiſtratione publica ſeſe remouentes, totos in venatione collocant. Vt Mithridates, quem ſeptem ipſos annos nec vrbis, nec ruris tectum ſubiiſſe propter venationem inuenio. Vt Antiochus, qui dum inter venandum per auia fertur, amiſſis comitibus ad caſulam ruſticani, oppreſſus nocte, diuertit. Eum percunctatus, quid de rege vulgaretur, audiuit: regem ipſum eſſe quidem virum bonum, ſed vti conſiliariis improbis, & nimis venationi addictum. Affirmauit poſtea rex, ad eum diem neminem ſibi de ſe vera dixiſſe, præter illum ruſticulum. Iucunditas huius laboris quanta ſit, cùm alia, tum illa Xenophontea declarant de Cyro etiamnum puero: quem cum auo materno Aſtyage Medorum Rege verſantem, venationis campeſtris cupidiſſimum introducit. Ceruam fugientem oblitus cuſtodum monita, & ſolùm quonam fugiat attendens, equum calcaribus fodiens, & altùm clamitans perſequitur. Aprum iaculo in frontem vibrato proſternit. Inter ſodales & coæuulos lætabuundus aſſerit, feras, quas ei antè auus in viuario agitandas conceſſerat, aliarum per plana camporum, montiúmque ardua volitantium comparatione videri ſibi in carcere incluſas, claudas, vinctas, ſcabioſas, mutilas. *Quas autem in montuoſis & campeſtribus locis inuenimus, inquit, hæ quàm pulchræ, quàm magnæ, quàm opimæ apparebant? Cerui inſtar alitum ſaltare ad aſtra videbantur. Apri, quemadmodum fortes viros, & ſtrenuos facere dicunt, contrà ferebantur: atque præ latitudine vix fieri poterat, vt aberrares ab eis. Denique pulchriores eſſe mihi hæ videntur vel mortuæ, quàm viuæ illæ ſeptæ & incluſæ.* Et quia de regio puero producti ſumus vt loqueremur, venit in mentem alterius item pueri, & regii ſanè, cui regnum Italiæ, & Romana tellus debebantur. Similem huius animum, vel maiorem etiam, ſimilem in venatu voluptatem expreſſit latinus vates.

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: iamq; hos curſu, iam præterit illos:
Spumantemq; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Effudi encomium venatoriæ, in quo fuiſſem diſertior, ſi tempus ad meditandum habuiſſem. N. Nobis hoc tuum extemporaneum ſatis placet. Ego iam viciſſim tibi venatorem, ſi potero, deſcribam. C. Quæſo, mi Ni-

coſtrate,& ita quidem, vt ſi nos diſcipulos eſſes nactus. A. Qualem ergò venatorem poſtulas? N. Qui primùm ſe ad feliciter venandum,& ad labores venatorios quibuſdam exercitationibus comparauerit, vt ſunt iacula torquere eminus, arcu ſagittas ad ſcopum mittere, iactare diſcum, pugnare ceſtibus, lucta contendere, equos in gyrum flectere, natare, currere. Alienum a grandi ætate hoc ſtudium: ſiquidem cum canibus & catulis feras ſectari venator ſæpe debet: malè currunt ſenes. Ergo iuueni hoc negotium mandemus potius, cui corpus agile, & quadratum, membra valida & toroſa, laboribus minimè cedentia, animus hilaris, nec faſtidioſus. Siue autem pedibus, ſiue equo inſidens ad venatum incumbat, cultus eius commodus & expeditus eſto. Omninò ſtrictæ, quàm fluentes,& laxæ veſtes, aptius quadrant venatoribus. Iã ſi de colore quæritis, fuerunt in ea opinione veteres, ad ceruos comprehendendos referre, ſi eſſet viridis, ad apros, ſi fuſcus: etſi leucophæum, ſeu cineritium, & nigrum non interdicerent. A puniceo abſtinendum ducebant, quoniam hunc tanquam conſpectiorem & celerius perciperent feræ, & velociùs fugerent. Pileum veſti concolorem volebant: & villoſum præterea. Calceos altos in mortem cothurnorum, quò tutiùs per loca vliginoſa ſe penetraret. De collo pendebat cornu ſeu buccina, qua pro indiciorum varietate ſigna mittebat, ſiue bellua ſe mouiſſet, ſiue inuenta, ſiue elapſa, ſiue intercepta eſſet, ſiue exhortaretur, ſiue requireret, ſiue receptum imperaret. Quos modos pro regionum conſuetudine etiam diuerſos exiſtere non neſcitis. Prædiſcenda illi loca, in quibus quænam belluæ ſtabulentur. Nam non quauis regione quamuis inuenias. Non ſunt apud nos elephanti, in Africa nulli cerui, Armenia abundat tygribus. Præterea natura & mores earum noſcendi ſunt prius, ob quæ non eſt eadem illarum capiendarum ratio. Aliter capiuntur lepores, aliter cerui, aliter lupi, aliter apri: leones autem vel inſidiis, vel apertè capere difficilimum eſt: qui latronum tela ore cruento frementes confringunt, canes proſternunt, equos & homines præ ſæuitia & iracundia perdunt. Longo vſu veſtigia ferarum ei nota ſint, vnde & qua regione vagentur,& ætatẽ earum coniiciat. Noſcendũ eſt præterea, quibus exclamationibus vtatur, iô canes, iô ſegnes, bene canes, probè canes. Euge euge ô canes, inſtate canes. Et cùm reuocat, retro retro heus canes. Ad cuſtodẽ retium, puer ha, puer, ô, ô puer. Erit adhæc præditus cultro venatorio (waidpraren) cum aliis de cauſſis, tum vt ramos extruendis ſcenis decutiat. Altera manu venabulum ſeu ſclopum portabit, altera ducet canes, circumuoluetque brachio, aut ad baltheum ſuſpendet funiculos, quos copulas vocant, quibus canes quoties vſus venit, vel colliget ac retineat, vel ſoluat, ac dimittat: quorum, canum inquam, voces atque mores neceſſe eſt eum intelligere, nunc hos, nunc illos propriis nominibus compellare, ſonumque nominis cujusque quàm licebit multipliciter variare, nunc ex graui in acutum, nunc viciſſim ex acuto in grauem, nunc in ſummiſſum: nunc in elatum. Quocirca ſcriptores θηρευτικοὶ nomina canina aut monoſyllaba, aut δισύλλαβα, certè breuia, & pronuntiatu vocatuque facillima eſſe
iu-

iubent. Talia ſunt apud Xenophontem ψυχὴ, θυμὸς, πόρπαξ, στύραξ, λόγχης, λόχος, φρουρὰ, φύλαξ, τάξις, ξίφων, φόναξ, φλέγων, ἀλκὴ, τεύχων, ὑλεὺς, μήδας, & alia, quæ, vt ſim breuis, prætereo. Germanis Lax/ Falck/ Wolff/ Beer. Quamobrem dubitauerit aliquis, num ſit accuſabilis Ouidius, qui in fabula Actæonis, eiuſdem canibus nomina, ex natura quidem & proprietatibus eorum ducta, ſed triſyllaba etiam & tetraſyllaba indidit, Ichnobates, Melampus, Pamphagus, Nebrophonus &c. cùm apud Xenophontem nullum duabus ſyllabis longius reperiatur, qui tamen plura quàm Ouidius recenſuit. A. De omni genere canum venaticorum, an de certo intelligis, quod ais de nominibus? Sunt enim quidam indagatores, ſeu veſtigatores magis: quidam pernicitatis, quidam roboris cauſſa educuntur: vt taceam de illis, qui ad aquaticam venaturam inſtituuntur. N. De omnibus. Albos ad indagandum minus valere tradunt. Qui ſunt tergo nigro, ventre & pedibus ſpadicis, laudantur præ aliis. Commendantur indagatores auribus pendulis, caudis longiuſculis, capitibus magnis, pectoribus latis, ceruicibus longis, oculis fulgentibus, roſtris nigris, iiſque breuibus ac validis, cruribus robuſtis, ac prioribus aliquanto breuioribus, clunibus latiuſculis, ventre inani, natura agiles & alacres. Tales enim imprimis ſagaces putantur. Emiſſarii autem erunt longi, agiles, expediti, cruribus prioribus longioribus, capite etiam lõgiuſculo, nec eo carnoſo, ſed leui, oculis micantibus, pectore toroſo, cauda longa, nec hirſuta. Canes Xenophon vult eſſe magnanimos, ſagaces, duripedes, & nitidos. Si non inueniantur feræ, prodeſt tamen eos agitare per aſpera: quòd pedes durantur, & corpora canina huiuſmodi locis exercentur. Agitandi æſtate ad meridiem, hyeme per ſolidum diem, autumno quauis diei parte præter meridiem, vere etiam toto die, præter veſperum. De forma, colore, generibus, educatione venaticorum plura different, qui ſe huic ſtudio impenſius dediderunt. C. Permirum, hoc animal tantum valere odoratu, vt è ſolis veſtigiis, in quibus tenuiſſimus odor hæret aut hominis, aut feræ, & dominum, & feram quamuis longo diſtantem ſpatio inueniat. At cornutorum omnium fiſſam eſſe vngulam aiunt: biſulcam nihilominus etiam apri & onagri. Frigus aiunt officere veſtigiorum odoribus, vt item rorem & pruinam. Et Borea ſpirante ſi ningat, diutius in niue remanere veſtigia: Auſtro flante citius perire. Matutina veſtigia certiora ſunt, ſi à medio noctis ningere deſinat. Noctes hybernæ quia longiores, veſtigia longinqua præbent. Verè ob anni temperamentum certior eſt per veſtigia veſtigatus: niſi quod terra vbi ſubmittit flores, odores confundit. Præterea feruor æſtatis terræ halitus conſumit, vt inde canum nares minus ad percipiendum inueniant. Hyeme & æſtate veſtigia plerunque recta ſunt. Vere confuſa, leporum præſertim, qui tum præcipuè laſciuiunt, hac illa vagantur, & implicant veſtigia in glabretis: proinde, vt in locis puluerulentis ac ſqualidis, odor exilis & fugax. In herbidis & vepretis odoratiora ſunt, ideo, quod non pedum duntaxat, ſed crurum quoque, & corporis affrictu veſtigiaria ſemita odorem retinet. In opacis locis odor minus vaneſcit. Olfaciendis

Digitized by Google

dis cubilibus quàm veſtigiis diutius immorantur canes. Sed quod de ſcenis extruendis dicebas vno verbo, Nicoſtrate, cùm de venatore ageres, id dicito paulò fuſius, ac ſimul de tempore venationibus inſtituendis. N. Cùm grandiorum ferarum ſuſcipitur venatio, de frondoſis arborum ramis, tum in ſyluis, tum in campis, quà tranſituræ ſint feræ, ante oppanſa retia ſcenæ, ſeu vmbracula componuntur, quibus ductores emiſſariorum ſe occultant, exſpectantes dum adueniant illæ, vt confeſtim eos cum clamoribus emittant, & miſellas in retia compellant. Quod minimè faciendum, antequam præter ſcenas concurrerint. Magno ibidem opus eſt ſilentio: ſunt enim auritæ feræ, facileque inſidias ſuſpicantur, & alio curſum ferunt. His vmbraculis etiam vtuntur heroinæ, quas ſpectacula illa delectant, & qui præſentes vagari per carecta propter moleſtiam nolunt. Æſtate optima eſt venatio à mane ad meridiem: tum quippe ſolis ſpicula veſtigiorum halitum diſſipant, quem etiam luna pleno orbe extenuat. Veſpera verni temporis idonea habetur irretiendis leporibus, & figendis ceruis libidinantibus. Tempeſtas, pluuiæ, imbres odorem veſtigiorum præpediunt, & aures canum frutera ſtirpeſque concurſantium aqua opplentur. Flante Auſtro, quia humidus eſt, quemadmodum pluuiis, olere veſtigia deſinunt. Aquilonibus, ſereno cælo, odor manet. Capta & confoſſa fera, additur comœdiæ venatoriæ ſua cataſtrophe, quæ exenteratio ſeu viſceratio dicitur. Canes ſparſi ad militiæ ſuæ præmia accipienda cornuum cantu, vniuerſis acclamantibus conuocantur. Certi ritus in exenterando adhibentur: inteſtina geſtientibus, & idipſum velut iure ſuo flagitantibus canibus pro epulis partitè obiiciuntur: panis etiam offæ ex ferarum ſanguine præbentur, præcipuorumque canum maior ratio ducitur: & iis ſingularia pro labore cum laudibus redduntur. De venabulo, quo maiores & cominus, more ſcilicet generoſorum militum congredientes conficiuntur, bene monent, vt eius haſtile ligni ſit duriſſimi, quò difficilius frangantur. Ferrum præfixum ſit anceps, & acutum probè, & acuminatum ſatis, quò celerrimè & maximè in corpus deſcendat. Quà haſtili committitur, aures vtrinque extantes habeat: aut certè tranſuerſim ad commiſſuram peſſulus corneus alligetur, ne percuſſa beſtia ſe in venabulum prætenta vſque induat, vt quaſi veru affixa ad venatorem ipſum perueniat. Separatim iam de huius aut illius feræ capiendæ modo diſputare, oſtendereque quomodo taxi, cuniculi, capreoli, vulpes, lepores, damæ, cerui, ſimiæ, lupi, vrſi, leones, pardi, elephanti, alces, tygrides, vri, crocodili capiantur, operoſius foret, & admodum vacui temporis. Sanè ceruorum venatio periucunda & regalis eſt, heroumque voluptati accommodatiſſima. Ac ſenum quidem alia ſunt veſtigia, quam iuuenum, qui ex attritu arborum cognoſcuntur, vt magnitudo ex loco, in quo antequam è paſtu recederent, decubuerunt. Quod ſi priorum pedum veſtigia longius diſtabunt à poſteriorum veſtigiis, indicium eſt ingentium eſſe corporum, & adipatos. Vrſi retibus, ſagittis, foueis, ſicut & lupi capiuntur. Facetum genus inſidiarum. In Polonia ad arbores, in quibus apes melli-

Digitized by Google

mellificant, malleos ingentes, & ponderoſos ſuſpendunt. Viſus qui mellis dulcedine nimiopere delectatur, ad apiarium accedit, ſeſe erigens ad arborem applicat, impendentem malleum à foramine ſeu oſtio capite in altum protrudit. Sed quo id ſæpius, & vehementius facit, hoc magis & crudelius contunditur. Conſueuerunt item ad os aluearis cultros infigere, quibus aſcendens ſe ipſum lacerat. Quandoque venator armis contectus & communitus, ſica præcinctus vrſum aggreditur. Ille erectus pedibus prioribus hominem velut ſuffocaturus complectitur quàm arctiſſimè. Venator eductam ſicam in eius corde defigit. De arboribus humilioribus, in quas pomorum cauſſa aſcendit, deſilire ſolet. Quare circum eas palos ſurſum verſus acutos defodiunt, in quos ſe cum pernicie induit. Aprorum venatus hybernis menſibus ſuſcipitur: quippe tum glandibus & fructibus eximiè ſaginati, & ganeæ percommodi habentur. Obſeruantur eorum volutabra: conſcendit arborem propinquam venator, venturum præſtolatur: venit plerunque ſub veſperam. Tum ſe volutantem ſclopo aut ſagitta traiicit. Modus alius non æquè iucundus, & periculoſus eſt, cùm quæſitus & inuentus canibus agitatur, & venabulo petitur. Ruit in vulnus, perque ipſum venabulum inferientem contendit. Eius tantam eſſe vim narrat Xenophon, vt etiam dentes occiſi ferueant, & pili admoti contrahantur. Nam viuentis feræ, ſi quando irritatur igneſcunt. Canum villos, cùm corpora non aſſequitur, adurit. Cùm autem variæ ſint artes capiendarum ferarum, in illis etiam hæc. E quercu ſuſpendunt inteſtina animalis alicuius, & intus abſcondunt vncum ferreum, quem aſſiliens fera cùm deuorauerit: pendens in aere latentem venatorem delectat. A. Tamen aliquid ferarum nos capere docuiſti. Vellem lepores docuiſſes, quorum ego carnibus non poſſum ſatiari. C. Ego in delitiis pono aprugnam recentem non ſalitam. De auibus autem quibus tua gula gaudet amplius? A. Optimis. N. Credo equidem. Mirum ni etiam piſcibus optimis, denique in qualibet re eo quod eſt optimum. Conſideremus quod ſecundo loco propoſitum initio fuit, aucupium. Et quoniam ego venator fui, aproſque & vrſos cepi, tu Cæſelli age aucupem, & nobis aues capito. C. Nondum paratus ſum ab inſtrumentis. A. Quæ defuerint, à nobis mutua ſumas licebit. C. Proficiſcamur ergo aucupatum.

DE AVCVPIO.

Ingenuum, honeſtum, iucundum, corpori ſalubre ſtudium eſt, auibus moliri inſidias, moderatam habet exercitationem, mediocri aut paruo labore, & citra periculum. N. Rectè, citra periculum, & mediocri aut paruo cum labore: quorum neutrum in venationem cadit. Nam profectò per inuia properare, per arbuſta, ſpineta, per ſaxoſa & aſpera locorum, per ſyluas modò huc, modò illuc, modò ſurſum, modò deorſum per montes currere, quantas conciliat laſſitudines? Incidere autem vel in

horribilem vrſum, vel in ſpumantem aprum, vel in furibundum ceruum, vel in iracundum leonem, quam dirum? Et adhuc quæruntur iſta pericula, & itur obuiam morti quodammodò. C. Tolerabilior ſumptus, minor apparatus capiendis volucribus. Cùm contra illic canum centuriæ, magnarum impenſarum, & formarum complurium retia, venatorum, famulorumque, turba ſit neceſſaria. Solo propemodum reti, viſco, accipitre auceps ſuum munus, ſine comitibus, ſine canibus facilè exſequatur. At enim cùm diuerſa ſit natura ferarum, volucrum etiam, qua locorum, quibus nidificant, & victitant, & pabulorum, quibus aluntur, non quæuis ratio aucupandi in quoduis genus conuenit. Sunt campeſtres, & veſcuntur ſeminibus, & maturis frugibus, & fructibus, & vuis, ficubus, oliuis. Sunt lacuſtres & paluſtres, & marinæ, & amantes flumina, quæ herbarum fibras, & vermiculos, & oua gurgulionum locuſtarumque pro nutrimentis habent. Aliis retia aptiora, aliis pedicæ, aliis viſcum quo impliceutur. Aucupium accipitrum viris principibus hodie ſolemne, antiquis pæne ignotum; & Ariſtoteles naturam tot animalium cuiuſque generis cùm literis traderet, huius naturæ in iſthac aue non meminit. Scriptum à Plinio, Thraciæ populos, & accipitres velut coniurare ſolitos ad aucupandum. Nam illos è ſyluis & arundinetis exciuiſſe aues: hos ſuperuolitantes depreſſiſſe. Accipitrum plura ſunt genera, & alii prædam inuolant, alii deprimunt. Videre eſt nonnullos humi dilitentem prædam, in orbem ſupra locum volitando, eamque velut circumſcribendo prodere. Cùm autem latratu canum & vociferatione venatorum latibulo expulſa fuerit, ſurſum & deorſum celerrimo volatu ferri, ipſamque aut vellicare, aut terræ alliſam enecare. Sunt qui prædam niſi volantem non inuadunt. Quidam cum præda capta ad terram deuolant. Nonnulli delectati apricatione interdum longius per ætherem tranant. Quocirca tintinnabula cum cælatis dominorum inſignibus appenduntur, per quæ cuius ſint cognoſcantur, ſuiſque dominis reſtituantur. Debet accipitrarius accipitrem dextræ chiroteca munitæ inſidentem circumferre crebrius, eumque è manu paſcere, quò magiſtrum, eiuſque vocem tanto perfectius agnoſcat. Fulicæ ſpuma, quam auidè appetunt, inſperſa capiuntur. Struthiocameli celeriter currunt, non volant. Defecti viribus, per curſum ab equitibus comprehenduntur. Valet in eoſdem etiam arcus. Perdices, & coturnices nec valde ſublimè, nec admodum longè volant. Quò ab aucupibus tutæ ſint, in ſegetibus & vepretis oua deponunt, & excubant. Pullos ad exemplum gallinarũ fouent, atq; ductitant. Perdix, cùm acceſſerit ad nidum auceps, ante eius pedes tãquam vulſis alis ſe volutat, ſpem ſui capiendi faciens, & hoc aſtu eum remorans, dum pulli auolant. Fit perdicum venatio aut accipitre, aut naſſa. Docenda eſt autẽ vna, quæ cæteras illiciat. Item canis excitat, accipiter capit. Verùm ad perdicis, & coturnicis aucupium canis inſtituendus eſt, qui ante aucupem currat, & huc illuc diſcurrat, inuentaq; præda conſiſtat immotus, ſæpius reſpectans, & caudã agitans. Tum retia pandenda, & cani auibusq; iniicienda erũt,

Cotur-

Digitized by Google

Coturnix fiſtula, vocem muliebrem imitante, inuitatur. In via media plaga extenditur, in quam ſe accurrendo induit. Quidam tradunt allium ita coctum, vt germinare nequeat, obiectum & deuoratum ſtuporem auibus vertiginemque tantam inducere, vt manu comprehendantur. Eodem valent eſcis immiſta ſemina lappæ, hyoſciami. Nonnulli idipſum conſequuntur vino, aut fœce vinaria fontes inficiendo: qua ratione inebriantur. Funiculis viſco illitis, eorumque capitibus ad ripam religatis, reliquo in aquam immiſſo volucres per gurgitem ſummum nantes impediuntur & retinentur. Hic de optimo genere viſci plura dicenda eſſent. De monedulis, ſturnis & omnibus pennigeris gregatim volantibus, quomodo capiantur, hanc doctrinam legi in poëta noſtri ſæculi ſanè non ſpernendo, cuius extat liber ἰξευτικῶν.

Iam verò ruri vacuam ſi fortè per umbram
Vſurpare oculis ſpectacula dulcia tendes,
Cùm volat, inque globum teretem ſe plurima verſat
Nigra pedes nigris velata monedula pennis:
Aëra ſeu ſturni denſâ impleuere caterua:
Ilicet è manibus raptim volet vnus & alter.
Aſperſo filum viſco qui pone trahentes
Aëream repetant turbam, & ſe pluribus addant.
Namq; illos medio redeuntes agmine lati,
Dum fortè excipiunt alii circumq; ſupraq;
Et nunc ſubter eunt filo retinentur, & alas
Impliciti cælum magnis ſtridoribus implent.
Nec mora: ceu ſummo demiſſus ab æthere turbo,
Infima præcipiti labuntur in arua ruina.

Diſpoſitis item per ramos arborum virgis viſco perlitis, adhibitaque noctua fœmina, aut bubone, non difficile aues capientur. Sunt enim hæ volucres duæ cæteris neſcio quomodo natura inuiſæ, ad quas perſequendas & vellicandas congregantur. Itaque vbi illæ ſunt, magnam cernes reliquarum copiam. De gruibus, anaticulis, turdis, oloribus, cornicibus capiendis legi etiam: ſed nihil, opinor, neceſſe eſt ſigillatim omnia proferre. De ſylua, ad aucupium auicularum commoda: quibus ſcilicet arboribus ſerenda ſit, ex eodem poëta verſus non illepidos, & paulò plures reddam ex memoria.

Sed tibi præcipuè rectiùs ſtet conſita ſylua
Tramitibus, mollem longè quæ iactet odorem,
Quaque adeò duram bacca turgente volucres
Inuitet ſedare famem. Sit plurima laurus
Scilicet, & dulces hederæ viridante corymbi:
Sit quæ fæcundos fundat labruſca racemos:
Nec non & Cereri, pariterq; accepta Dianæ
Myrtus: & haud vnquam cariem paſſura ſenectæ
Iuniperus: nimioq; breui quæ flore iuuenta eſt

Sambucus conſueta frui: ſit grata voraci
Ante omnes turdo planta ſylueſtris oliua:
Et ſalices, ſemperq; graues, ſemperq; virentes
Lentiſci, triplici ſolita grandeſcere fœtu:
Tum quæ purpureo fiunt matura colore
Arbuta tum fuſcis corna immiſcenda liguſtris,
Quiq; ſuum frutices duxere à ſanguine nomen:
Quæque ferunt planas viburna nigrantia fruges:
Et circum ſuaues pergant inoleſcere ficus.
Hæc nullam prouiſa tibi ſine diuite præda
Autumniq; hyemiſq; ſinent diſcedere partem:
Seu tu viſcatis fraudes componere ramis,
Seu denſas inter frutices, ſyluamq; virentem
Curraces laqueos pedicaſue intendere malis.

De aucupio ferè omnia, quæ tenebam, ediſſerui. Quæ pars de tribus extrema ſupereſt, eam ſi per Nicoſtratum licet, tractandam ſumat Aruntius. N. licet verò. A. Ego vt ſquamigerum pecus non quidem paſcam, ſed capiam? opus magnum iniungitis, vt per aquas ambulem frigidas, à quo inde vſque à puero ſemper abhorrui. C. Lingua non pedibus ambulabis, ne time: & capies quod voles. A. Si hæc conditio feratur conchitis iſtis, hamiotis & furibus maritimis, vt Plautus eos facetè nominat, faxo ſe piſcatores, quàm vel aucupes, vel venatores, vel ſcrofipaſcos, aut cuiuſcunque ordinis opifices eſſe malint. Nimium dulce eſt, capere poſſe quod velis. C. O te ſimulatorem callidum. Mitte ludum, & ad rem progredere.

DE PISCATIONE.

A. Piſcatio paucorum eſt illuſtrata literis, cùm de piſcium natura, & educatione (quæ pars quædam villaticæ paſtionis dici poteſt) complures conſcripſerint Græci & Latini: Oppiani vnius quod ſciam, poëma fertur ἁλιευτικῶν. Veruntamen in eo de marinis tantum piſcibus capiendis agitur. Quorum plerique cum aſpectu, vt corpore, vaſti ſint, *velati* inter animalia terreſtria boues, cameli, elephanti, & ita viſu terrifici, mirum eſt nihilominus eos ab vno piſcatore non valido, idque non multis machinis, nec magno molimine capi & interfici. Sed hic eſt ille ab æternæ mentis numine iam olim homini omnium ſub cælo naturarum principi in omnes animantes cum ſumma gloria conceſſus dominatus. Et præbentur non minus variæ atque illecebroſæ è piſcibus, quàm ex auibus, aut quadrupedibus deliciæ: quas res Apiciorum gulæ plus ſatis nouerunt. N. Et ille ſimiliter, cui lucius non amplius erat piſcis: de quo, niſi erro, in tertio de re ruſtica. M. Varro ſcriptum reliquit. Sunt tamen iidem piſces aliis locis meliores. A. Piſcatorem ipſum non dubitatis, credo, hominem eſſe oportere laboris patientem, vigilantem ac ſagacem, qui piſcium fraudibus poſſit occurrere. Eius inſtrumenta ſunt retia, & horum plures formæ, tridentes, fuſcinæ, & nauicula. Verriculum oblongum,

gum,

Digitized by Google

gum, non ita latum, à verrendo. Alligantur eius extrema funibus, quibus hinc globi plumbei, hinc ſuberis fruſtilla annectuntur: vt ex vna videlicet parte deſcendat propter grauitatẽ plumbi deorſum trahentis, ex altera in ſuperficie aquarum maneat propter leuitatem ligni. Sed de generibus retis Iſid. & alii. Capiuntur piſces omni tempore anni: quidam tamen magis æſtate, quidam hyeme. Et quidem hyeme alii in vadis morantur, alii limo aut arenæ ſe credunt, alii ſub ſcopulis habitare gaudent: & alioqui non iiſdem locis omne genus delectatur, cùm ſit quoſdam inuenire inter ſaxa, quoſdam in locis arenoſis, quoſdam in herbidis, & in multa vlua. Cenſent auctores, ſub orientem, & poſt occaſum ſolem (quia tum viſus eorum maximè fallitur) vtiliter piſcatum inſtitui. Addunt alii, ſub noctem eos dormire. Quis autem neſcit, dormientes etiam homines perfacile opprimi? Venti tamen ratio ducenda eſt ad piſcandum. Tranquillitas & *εὐπνία* plurimum prodeſt. Aliâs, flante Auſtro, retia aduerſus Boream: hoc ſpirante, aduerſus Auſtrum trahenda ſunt. Eodem modo Euro & Zephyro ſpirantibus faciendum. Retium piſcatio eſt ditior, & ea piſcatoribus quàm venatoribus facilius conſeruantur. C. Niſi videlicet ipſa copia & magnitudine captiuorum rumpantur. Rumpebatur autem eorum rete, ſcribitur in ſacra hiſtoria: quia nimirum inerant centum quinquaginta tres magni piſces. A. Piſcantur alii naſſa, alii hamo, quidam conto. Item corbibus & fiſcellis nonnulli vtuntur. Hybernis menſibus, cùm flumina glacie conſtiterunt, ſolent eam in orbem frangere: eo cum piſces lucis cupiditate adnatent, ſine negotio capiuntur. Si verriculo piſcatio fiat, intereſt iterare gurgitem: plures enim ſecundo tractu venient in poteſtatem. Nec vero non odorantur etiam piſces: inde fit, vt ad quoſdam odores ſibi gratos confluant, & ita facillimè in naſſas cogantur. Polypum aiunt petris, niſi admota cunila, auelli non poſſe. Delphinum, vtpote hominum amantem, & piſcatoribus auxilium ferentem capere parcunt. Cui niſi partem prædæ permiſerint, deinceps cateruas piſcium in retia ducere nõ conſueuit. Sargus capras mire amat. Itaque ad earum vmbras ſiue pelles capitur commodiſſimè. Obſeruantur quædam ſingularia in multis, dum captantur, quæ, te Caſelli, imitatus non referam. Nec ſi velim, ſatis memoriæ ſuppeditaret ad ſingula. Fateor interim mirum in modum delectari me, cum poſt vniuerſam piſcandi rationem, ſeparatim de hoc aut illo piſcis genere capiendo aliquid lego, & quinam reti, qui naſſis, qui vtroque modo capiantur, qui fuſcinis figantur. De balæna ſeu orca, canibus, lamnis, phocis, teſtudinibus, purpuris, ſcaris, cephalis, ſalmonibus, mugilibus, apuis, thynnis, halecibus, ſpongiis, ſepiis, hippuris, trutis, alburnis, gobiis, anguillis, &c. Quare quod vobiſmetipſis indulſiſtis, nempe vt ceſſaretis quando liberet, idem mihi nunc ne denegetis, vos oratos velim. C. Gratis iſtuc largimur voluntati, & explicationi tuæ, quam tu noſtris, æque libentem atque alacrem operam dedimus. A. Deus vos amet: exſurgamus aliquando.

ANNO-

ANNOTATIONES.

VENATIO) *Plauto etiam venatura, qua voce, vt aucupio translatè vſus eſt in Milite. Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus? Sic venari, aucupari, piſcari* μεταφορικῶς *non rarò dicuntur. Venari in aliqua re laudem modeſtiæ. Aſſentatiuncula quadam alicuius gratiam aucupari, rumuſculos, delectationem, opiniones hominum, ex omni genere orationem aucupari. Piſcari in aëre, id eſt , inanem ſumere operam. Sic verbum iunctum, expiſcari. Ab aliquo quippiam expiſcari.* PISCATVS) *In dialogis ruſticis nonnihil verborum fecimus de piſcibus tractandis, & educandis, quæ poteſt ad paſtionem villaticam pertinere diſputatio: hoc progymnaſmate de capiendis loquimur, piſcinarum, ac piſcinariorum nullam, ac piſcatorum crebram mentionem habemus.* NON LONGE ABIERO) *Iſtuc verbum, abeo, venuſtè ſignificat interdum, quod ceſſo deſino, deſiſto. Sed vſus obſeruandus eſt ex Cicerone. Nauſea iam planè abiit. De loco nunc quidem abiit peſtilentia. Nos iam non eſt amplius peſtis Auguſtæ. Illa mea, quæ ſolebas antea laudare abierunt. Adhibetur item à Latinis pro accedere, demittere, in huiuſmodi locutionibus. Quid ad iſtas ineptias abis? abire ad vulgi opinionem. Longe autem abire, eſt altè repetere, petere aut ſumere aliquid à longinquo, vt barbarorum eſt elegantia, exempla remotiora petere. Non longè abieris, num ius ciuile veſtrum ex iis libris cognoſci poteſt? &c. Multos nominatim proferre poſſum, ne longius abeam. Illa etiam notanda cupidis incorruptæ & priſcæ latinitatis. Non poterit ſic abire. Mirabar hoc ſi ſic abiret. Ab hoc parumper abeamus, abire magiſtratu, à iure non abire, abire in malum cruciatum, malam peſtem peſtem, malam crucem.* IN ALIA OMNIA EVNDVM) *Ire, tranſire, diſcedere in alia omnia, eodem ſenſu dicuntur, pro diſſentire. Vide* Manut. Schol. *in epiſtolam ſecundam lib.* I. AGI FERRIQVE) *Græci* ἄγειν καὶ φέρειν, *quod Virgilius expreſſit in 2. Æneid. alii rapiunt incenſa feruntq; Pergama.* DICAM SCRIBERE) δίκη *iudiciorum præſes Dea. Nonnunquam idem quod iudicium, aut actio in iudicio. Hinc ſcribere dicam, vocare in iudicium, actionem intendere. Terent. Phorm. En vnquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam? Idem. Si tu iſtam attigeris ſecus, quam dignum eſt liberam, dicam impingam tibi grandem. Adhuc ſexcentas proinde potius ſcribito iam mihi dicas.* Plaut. *Aulul Iam quidem hercle ad* Prætorem *te rapiam, & tibi ſcribam dicam* Cicer. Verr. 3. *ſcribitur Heraclio dica. Verbum iuris eſt ſcribere, ex* Græco γράφειν. *Etiam formulam ſcribere dicebatur, qui in iudicio alterum prouocabat.* TRIPARTITAM VENATIONEM) *Perſpicuè Oppianus lib.* I. κυνηγετικῶν, *& aſſerit, plus laboris ineſſe in primo genere. Sunt autem hi verſus.*

Τριχθαδίην θήρην θεὸς ὤπασεν ἀνθρώποισιν,
Ἠερίην, χθονίην τε, καὶ εἰναλίην ἐρατεινήν.
Ἀλλ' οὐκ ἶσος ἄεθλος. ἐπεὶ πόθεν ἶσον τέτυκται,

Ἰχθύ

Ἰχθὺν ἀσπαίροντα βυθῶν ἀπομηρεύσασθαι.
Καὶ πτηνοὺς ὄρνιθας ἀπ᾽ ἠέρος εἰρύσασθαι.
Η θηρσὶν φονίοισιν ἐν οὔρεσι δηλάσασθαι.

Complexus eſt eadem hæc tria 1. *Georg. his carminibus noſter Maro.*

Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inuentum: & magnos canibus circumdare ſaltus.
Atque alius latum funda iam verberat amnem
Alta petens: pelagoq; altus trahit humida lina.

FRICTI CICERIS, ET NVCIS EMPTORIBVS) *Horum nomine Horat. ad Piſones plebeios, egentes, vulgares, obſcuros homines exprimit. Quales erant, qui dum fabula agebantur, & aliâs item fricto cicere, & nucibus famem pellebant.* QVI CAPITAL FECISSENT) *Præter ea quæ à Varrone & Feſto adducuntur de texta faſciola, qua capillum in capite colligarent etiam ſacerdotula, aut de linteo, quo in ſacrificiis vterentur, capital eſt crimen, facinus, capitis ſupplicio vindicandum, ſeu quod capitis pœna luitur, ex quo capitis periculum impendet. Iureconſultus Arrius Menander Si quis commilitonem vulnerauerit, ſi quidem lapide, militia reiicitur: ſi gladio capital admittit. Cicer.* 2. *de lege. Quique non paruerit, capital eſto. Plaut. Menæch.* N*unquam edepol fugiet, tametſi capital fecerit. Mercat. Eutyche capital facis.* TESTATVR MARTIALIS) *Epigramma profertur de lib.* 1.

Belliger inuictis quod Mars tibi ſæuit in armis,
Non ſatis eſt Cæſar, ſæuit & ipſa Venus.
Proſtratum N*emees, & vaſta in valle leonem,*
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Priſca fides taceat: nam poſt tua munera Cæſar
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

ET SVETONIVS) *In Domitiano cap.* 4. *Spectacula magnifice, aſſidue, & ſumptuoſa edidit, non in amphitheatro modò, verùm & in Circo: vbi præter ſollemnes bigarum, quadrigarumque curſus, prælium duplex etiam equeſtre ac pedeſtre commiſit: atque in amphitheatro nauale quoque. Nam venationes, gladiatoreſque & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modò pugnas: ſed & fœminarum.* ERRAS ET ME IGNORAS) *Non me nouiſti, qualis ſim. Cicer. Academ. lib.* 4. *Maiore ſtudio Lucullus philoſophiæ ſtudio deditus fuit, quàm, qui illum ignorabant, arbitrabantur. Terent. Heaut. Erras, ſi id credis, & me ignoras, Clinia. Horatius ſat.* 3. *lib.* 1. *Heus tu, quidam ait, ignoras te?* SVB IOVE FRIGIDO) *Iupiter pro cælo græcis latiniſq; poëtis tritum eſt. Horatii ſunt, exempli cauſſa, Manet ſub Ioue frigido. Quod latus mundi nebula maluſque Iupiter vrget.* N*iueſque deducunt* I*ouem. Virgilius. Et iã maturũ metuẽdus Iupiter vuis. Aliorũ locis ſuperſedebo. Catullus eo vocabulo ventum expreſſit: ſiue vtrumq; Iupiter ſimul ſecundus incidiſſet in pedẽ. Iam, Iupiter frigidus ideo rectè dicitur, quia latini dicunt cœlũ graue, tenue, æſtuoſum, frigidum, caliginoſum, craſſum, humidũ: non, bonus, malus, grauis, calidus aër.* M*ulto minus bona, mala, trãquilla aura.* IN ACTÆONIS FABVLA) *Cauſa mutationis ſeu μεταμορφώσεως, in valle Gargaphia (quamquam*

quam non dedita opera) viſa corpus de venatu feſſum liquido rore perfundens Diana. Laniatus his verſibus abſoluitur.

> *Vndique circumſtant (canes) merſiſque in corpore roſtris*
> *Dilacerant falſi dominum ſub imagine cerui.*
> *Nec niſi finita per plurima vulnera vita*
> *Ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.*

QVOD APVD HOMERVM VENERI) *Iliad. 5.*

> Οὔτοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα
> Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο,
> Ταῦτα δ' Ἄρηϊ θοῷ, καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει

DIANAM SEMPER VIRG. ET VENAT.) *Tuendæ virginitati inprimis neceſſarium eſt, hominum vitare conſortia: deinde otium fugere: quorum vtrumq́; faciunt, qui ſyluas aſſiduis venatibus pererrant. Quærit Venus à Cupidine apud Lucianum, cur ſaltem Dianam ſuis iaculis ſiue telis non figat, ſiquidem Muſas & Mineruam non poſſit. Cui ille ſic reſpondet.* Τὸ μὲν φόλον, οὐδὲ καταλαβεῖν αὐτὴν οἷόν τε, φεύγουσαν ἀεὶ διὰ τῶν ὀρῶν, εἶτα καὶ ἴδιόν τινα ἔρωτα ἤδη ἐρᾷ. ΑΦΡ. τίνος ὦ τέκνον. ΕΡ. θήρας, καὶ ἐλάφων, καὶ νεβρῶν αἱρεῖν τε, διώκουσα, καὶ κατατοξεύειν, καὶ ὅλως πρὸς τοιούτῳ ἐστίν. *Vt paucis dicam. Hanc ne deprehendere quidem vnquam queo: quippe perpetuo per montes fugitantem. Adhuc alterius cuiuſdam cupidinis illa tenetur cupidine: nempe venatu ceruorum, & hinnulorum, quos inſectatur vt capiat, vt iaculo figat. At prorſum tota rerum huiuſmodi ſtudio tenetur.* HIPPOLYTVS THESEI FILIVS) *Quum Phædra nouerca pellicere, quò volebat, non potuiſſet, nec blanditiis expugnare inuictum caſtiſſimi adoleſcentis animum, ſuſpendio vitam corpore ſecluſit, relictis tabellis, quibus innoxium apud patrem falſi criminis accuſaret. Mire exprimit Euripides huius & in Dianam, vt virginem & venatricem, ac proinde duplici nomine patronam ſuam, ingentem amorem, & acerbum in mulieres odium. Quodam loco ait eas creari non debuiſſe. Si quis obiiciat, vnde ergo ſoboles ad propagandum genus? vide commentum obſecro. Tuis templis Iupiter, inquit, aut æs, aut ferrum, aut aurum donaria ferre debuerunt filiorum cupidi, & inde ſemen aliquod liberorum mercari, vnuſquiſq́; pro pretio oblati muneris, & vitam tranſigere, expertẽ prorſus mulierum.* EX NATVRA QVIDEM, ET PROPRIETATIBVS) *Hoc mihi ſtatim vt legerint græcè docti credent. Melampus à nigris pedibus. Ichnobates veſtigia ſectans. Oribaſus montes percurſans. Sticte à punctis variorũ colorum, &c. à regione & patria canum ſunt ibidem Gnoſius, Sicyonius Lacon. Auctor Batrachomyomachiæ cum muribus & ranis nomina imponeret, etiam admodum propria & ridicula tamen impoſuit.* ET QVADRATVM) *In Indice elegantiarum Celſi, quæ eſt appendix ad dialogos medicos, quid eſſet corpus quadratum, expoſuimus.* VEL SCROFIPASCIS) *Scrofa eſt ſus fœmina, ſcrofipaſcus qui alit ſcrofas, quod piſtores ſolent De quibus perlepidè paraſitus in Capt. dum monet, ne quis ſibi curſuro in platea obſiſtat obuiam.*

> *Tum piſtores ſcrofipaſci qui alunt furfuri ſues,*
> *Quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt.*
> *Eorum ſi cuiuſquam ſcrofam in publico conſpexero.*
> *Ex ipſis dominis meis pugnis exculcabo furfures.*

Digitized by Google

ISIDORVS ET ALII) *Iſidor.lib.19.cap.3. Retia vocata ſunt, à retinendis piſcibus, ſiue à reſtibus, quibus tenduntur. Plagas propriè dicimus, funes iſtos, quibus retia tenduntur circa imam & ſummam partem. Funda. genus eſt retis piſcatorii. dicta ab eo, quod in fundũ mittatur. Eadem etiam à iactando, iaculum dicitur. Tragum, genus retis, ab eo, quod trahatur, nuncupatum ipſum & verriculum. Verrere enim, trahere eſt. Naſſa, ex viminibus, tanquam rete contextum, &c.* SARGVS CAPHRAS) *Mirum in modum hic piſcis capras amare fertur: earum in littore paſcentium ſi vmbram conſpiciat, geſtit lætitia, &, quàm maximè poteſt, adnatat, & ſalire fruſtra cupit. Earum odorem in fluctibus etiam percipit. Piſcator itaque caprinam indutus pellem cum cornibus ſtruit inſidias, ſole à tergo relicto: atque farinam, iure caprino madefactam in eam maris partem deiicit, in qua ſargi ſunt: quo illico odore capti, occurrunt, farinam deguſtant, & maximè pellis caprina aſpectu detinentur. Hæc Ælian. de animalibus lib. 1. cap. 23.*

PRO-

CVpreſſo res digna 33.m.
Continere ſe intra pelliculam ſuam 52.p.
Auis puſilla nidulum paruum conſtruit 39.f.
Supra pedem non patitur, aut requirit calceum ibid.
Promittere vadimonium 40 p.
Ex nigris coruis non efficiuntur albi 65.p.
Stetit talo recto tua fabula 68.m.
Tam facillimè hoc tranſigã, quã facillimè vulpes pyrũ comeſt 87.f.92.p.
Quaſi dato ſigno ſingula tibi prodeunt 96.f.
A fabis abſtinere 101.f.109.m.
Mus non vni fidit antro 119.p.
Vitulâ dignus 196.p.
Dulce bellum inexpertis 227.m.
Sutores claudi ægrè domo exeunt 268.p.
A cauda vulpina impetrandũ, quod vis leonis præſtare nequiuerit 270.p.
Romanus ſedendo vincit 276.f.
Homo perpaucorum hominum 283.f.
Periuria Laomedontis 295.f.
Mare malorum 318.p.
Ferrum natare doces 314.f.
Per extentum funem ambulare 315.p.
Maria & montes polliceri 318.m.
Suſque deque ferre 318.f.
Sacra anchora 327.p.
Remus veliſque 332.m. Omnem rudentem mouere ibid.
A remo ad tribunal ibid f.
Oportet remum ducere, qui didicit ibid.
Nauibus & quadrigis 334.p.
Intendere digitum ad fontem ibid.m.
Vela contrahere ibid.m.
Tribus anticyris caput inſanabile 335.p.
Cancer capit leporem 336.m.
Equum ſeneſcentem ſoluere 343.p.
Tithoni ſenectus 347.f.
Rara auis 355.p.
Gygis annulum reperire 358.m.
Cum ſale & aceto prandere 369.m.
Amyſtide bibere 371.f.
Roſas loqui 386.m.
Amphora cœpta eſt inſtitui, currente rotâ exiuit vrceus 430.m.
Apio eſt opus 438 f.
Velut canis è Nilo bibens 543.
Effugi malum, inueni melius 551.
Fricti ciceris & nucis emptores 522.589.

RERVM ET VERBORVM INDEX COPIOSISSIMVS,

p. principium, m. medium, f. finem columnæ denotante.

A

A Creatione mundi. 508.m
Abbas. 507.f
Abbatiſſa. ibid.
Abdicationis formula, 547.p. Abdicare ſe magiſtratu, honore, &c. 557.f
Abeo. idem aliquando quod ceſſo, deſino, deſiſto. 588.m. non longè abire, ad ineptias abire, 588.m
Abitio, pro morte, 428.m. Interitio ibidem. 424.m
Ablatiuus pro Dandi caſu poſitus, 180.p. & viciſſim, ibid.
Ablutio expiationis genus ante ſacrificia, 440.p
Abrogare quid. 205.f
Abſoluere ab excommunicatione. 507.f. hæreſi ibid.
Academia laudatur, & in quali loco exædificanda, 71.p. Platonis apud Athenas, ibid.m. in varia Gymnaſia partienda, ibid.f
Academici, à loco ſic dicti. 477.m. antiqui, 477.f. incerta non affirmarunt, 485.m. noui, qui dicebant, nihil percipi poſſe, 478.f
Acatus, Acatium: nauis traiiciendis fluminibus, 321.m. item, velum maximum in nauibus, 327.f
Acca, Romuli nutrix, quæ prima frugibus ſacrificauit, 135.m
Accenſi, in officio Prætoris, 165.m. qui & quibus dati, 189.p. 252.f. milites. 251.p
Achilles fortiſſimus fortiſſimum Hectorem interfecit, 324.f
Accidentia. 69.p
Accipitres à Principibus capiuntur, 584.m
Acclamationes, factæ honoratioribus, & Imperatoribus in ſpectaculis, 543.m
Aclides, teli genus, 219.f
Acies, inſtructa & quas habeat partes, 253.p. vide Bellum.
Actæon, à canibus laceratus. 576.f. 589.f.
Actionis furti formula, 547.m. in rem, ſeu vindicationis, ibid.
Actores ſcenici laurum in manu, vel baculum præferebant, 542.f
Actuaria, nauis velis & remis acta, 321.m
Addictionis in diem, 547.f
Adoleſcentes quinam ad artificia olim applicati, 539.m. vide Liberi, Iuuentus, Exercitatio.
Adulteria, à Turcis puniuntur, 494.m. à Sinis, 499.m
Aduocati Fiſci, 185.f. 187.f
Ἀδωνάϊ. 106.f
Ædificandi ratio rudis apud primos mortales, 11.p. ad voluptatem & ornatum ibid.m
Ædificatio tota in ſex partes tribuitur, 16.p. properata laudatur, 31.f. 32.p. Mitylenenſiũ reprehenditur, 49.p. hominum hodie viuẽtium, 54.m.f
Ædificia priuata varia, 78.f. quas partes requirant, ibid. & 96.m. Ruſticorũ, 94.m. contignata opportuniora, quàm teſtudinata, &

Digitized by Google

quæ illi, 66.f. Magiſtratus qualia, ib. Athenienſium laudantur 49.f
Ædificiorum duo genera, & vtriuſque partes 12.m.14.f.96.m. vtilitas, neceſſitas, iucunditas, 12.f. copiæ ſeu apparatus neceſſarii, 31.m. publicorum dignitas. 56.m laus à græcis & latinis literis illuſtrata, 40.p
Ædiles plebis, 167. f. quid officii geſſerint, ibid. Agoranomi 180. p. curules à ſella curuli. 168. p. quæ omnia curauerint, ibid. Ceteales ibid.m
Ægritudo, etiam de corpore dicitur, 55.p. Ægrotare, animi vitio 408.m
Ægrotus, in duplici genere 81. m deſcriptus, 400.p. & ſeq. moroſus, 402.m. translate 408.p
Ægyptiorum mores deſcripti, 489.f. ſeq.
Æneatores, iidem qui buccinatores, 250 p
Æneas, patriam defendit, 190.f. patrem ſuum humeris per incendia effert, ib.f. in naufragio cur timuerit mortem, 339.m
Æneis laudatur, 459.m
Aer, plurimum ad temperationem vel corruptionem corporum valet, 44.p. vide Cælum, Iupiter
Ærarium, 67 f. Rom. in æde Saturni, ibid. 173.p. differt à Fiſco, 69. m ab Auguſto quomodo inſtitutum, 184.p
Æſculapius, propter medicinam in Deos relatus, 379.m
Ætatem, pro diutiſſimè, 30.p
Æuitas, pro ſenio, 238.f
Affectus, ad quæuis plurimum valent, 486.p. Affici. 409.p
Affectum, hoc eſt prope perfectum 351.m
Agentes in rebus, quinam 138.f
Ager ſanguinis, incolarum cadauera ſepulta remouit, 21.m
Agger. 222.f
Agere, cum populo 138.f. lege 51.f. 138.f
Agnus Dei, hoc eſt, cerà conſecrata 509.m
Aiax Telamonius, ſuperbi homo ſpiritus, 280.m. impie parenti reſpondit ibid.f
Alæ velorum 324.m. ἀλαζωνεία, militum, 277.p.282.m
Albitudo capitis 345.m
Ἀλειπτήριον. 85.m
Alexander Magnus cupidiſſimus regnorum 481.f. lacrymabatur audiens vrbes à patre ſuo capi 523.m
Allium, coctum aues dat in ſtuporem, 585.p
Alueus, nauigiolum; item carina in naui 321.m
Am, pro, Circum 569.p
Amalthæum. Bibliotheca Attici 486.f
Amaranthus, in ſepulchro Achillis 418.f
Amazones peltiferæ 216.f
Ambulatio. ad valetudinem facit. 382.p. ſeq.
Amentum, vinculum 119.f
Amor ſororis erga fratrẽ Oreſtem ægrotum 402.p. Diſcipuli erga magiſtrum 436.f. Artemiſiæ reginæ aduerſus Mauſolum coniugem, 446.p. 448.m. Germani cuiuſdam in verberandâ vxore Moſcâ, 496.m. Contrarius in fœminâ Peruanâ, 01.m. Phædræ turpis ſuſpendium attulit 590.m
Amphitheatrum quid, 73.f. cui dedicatum, 74.p. ligneum, ibid.m. Lapideũ, ibid. Titianum, hodie Coliſſæum, ibi. quàm excelſum, ibid.f. quot ſpectatores ceperit, ibid.

ibid. aream liberam habuit ad depugnandum & committendũ feras, 7·.p. tubos occultos habuit e quibus ſparſiones odoratæ fiebant, 77.m. tegmina precioſa inducebantur ad temperãdum inſolationes & æſtus, ibid.f
Amyſtis, genus poculi 371.m. 373.p
Anagoge, 508.m. Anatomia 403.p. 409.p
Anaxagoras, in ſua & filiorum mortibus fortis, 432.p
Anchora in nauibus 327.p
Ancile, de cælo delapſum, 131.p Numa Ancilia plura fieri curauit, ib. p. mouebatur imminente bello, 132.p. vnde dictum, & qua forma fuerit, 216.f
Andreas Veſalius excellentiſſimus medicus, 405.p
Angeli, 508.m. Angiportus, in vrbibus, 49 m. quid ſit, 55.f
Anima, quid in corpore operetur, 105.f. templũ Spirit⁹ ſancti. 442.p
Animam putei interbibere, 362.p
Animaduerſiones, in milites duplices, 253.m.f
Animi perfectio duplex, 484.m. magnitudo vbiq;, 498.f. omnibus rebus ſuperior, 395 m
Animus, benè valet cũ corpus malè. 394 p. 395.m. deficit 409. m. interit ſecundum Epicurũ, 476.p
Annare perennare, 565.m
Anni per Coſſ. numerati, 178.f decem menſibus circũſcripti à Romulo, 432.p. ab annulis, 568 m partes anni, ibid. formę eiuſdem tres, 569.p
Annona, multiplex, 365.m pro copia & inopia, ibid. annonam flagellare, 369.m
Annuli aurei in concione donãndi formula, 547.f. à ſolis ingenuis ferebantur, 558.p
Antæ. antepagmenta 97.p
Antennæ, in nauibus, 317.p
Anteſtandi formula, 547 f. Anteſtatus quis dicatur, 548.p.
Antidotum, quid 389 p
Antiochia, ludis & voluptatibus dedita, 347 m
Antiochus, venationi nimium deditus, 579 m
Antiquare & abrogare legem differunt, 205 m
Antiquarius, varia ſignificat, 150.p
Antiquitates, non niſi in libris ſuperſtites, 78. f. in ſermonem afferre dulce eſt, 303.m
Antlia. hauſtum in nauibus, 327.m
Antoninus Caracalla, parricida, 125.m
Apertiones, in ædificiis. 16.m. quos habeant vſus, 27. m quales debeant eſſe. ib. & 98 f
Ἀφή quid, 85.m. Aphtæ. vlcera oris 409.m
Apluſtre, ornamẽtum nauis, 327.m
Ἀποδυτήριον. 85.f
Apologiſmus, pro Medicis 405.f
Apophlegmatiſmi 390 m
Apophthegmata, vſum & artem habent, 269 f. 272.m. in bello præcipuè, 275. p. quid ſint, 471. m. Philoſophorum illuſtriora, 467 f Socratis, ibid. m Platonis, 468.m Ariſtotelis, ibid. Theophraſti, ibid. f. Ariſtippi. ibid. Xenocratis, 499 m Arceſilai, ibid. Demetrei Phalerei, ibid. Diogenis Cynici, ibid f. Zenonis. 470.m. Antiſthenis, ibid. Anacharſis, ibid p Pittaci, ibid. f. Thaletis, ibid f. Chilonis, 471.p
Apoſtemata. 409.m
Apothecæ, hoc eſt, cellæ vinariæ, 95.p
Apparitores, ſerui Magiſtratus, 189. p. 191. m

Apri, quando & quomodo capiantur, 583.m
Aprilis, ab Aphrodite, 565.p. vel, aperiendo ib.m
Ara, ſacra in templis excitanda, 63.p. laudatur ab Euchariſtia, ibid. ſtatuis & tabulis condecoranda, ibid. In Amphitheatro 74.p
Aqua, quę probitiſſima. 17.f. vini pernicies, 372.p. calida in deliciis veteribus 540.f ſeq.
Aquila præcipuum ſignum Rom. exercitus, 249.f. in quauis legione vna, & cur in hoſtes ſæpius proiecta; ibid. in ſacello collocata, vnde adorari poſſet, ibid. f. regina auium, inſigne imperatoris, 354.f
Aratrum, ad vrbes ædificandas & deſtruendas adhibitum, 51.p
Archelai proplaſmata, 6 m
Architecti, rerum plurimarum inuentores, 2. m. 4. p. tormentorum bellicorum, 2. f. acri iudicio, 3. m. nomen immortalitati conſecrarunt, ib. f. vtiles reb. publicis, ibid.
Architectus, deſcribitur, 7. p. m. 9. p 93. p. operas varias habere deber. 8. f. 30. f. translatè quid, 14.p
Architecturæ laus, 1. f. progreſſus, ibid. commoditates, 2. m. partes vniuerſim ſex, & quæ illæ, 4. m. 91. p. vide Ædificia.
Arbitror, verbum, quo teſtimonium dabatur, 55.p
Arbores, quando cædendæ, vt diutius durent, 32. m. 38. p. cęſæ quomodo putore & carie ſeruandæ, 32. f. quæ nam ædificiis aptiſſimę ibid quæ firmiſſimæ & diuturniores, 33. f. ſerendæ quænam, ad aues capiendas 585.m
Arcus, vnde dictus, 219.f
Area, pro ædificatione deligenda, 16. p. quæ optima & aptiſſima, 20. m. ex regione dignitatem capit. 21. p. ex ingeniis, ibid. ex induſtria, ibid. m. ex nominibus impoſitis, ibid.
Arena, ex variis locis colligitur, 37. p. quæ probior cæteris, ibid. In Amphitheatro 74. p. infecta variis coloribus. 75. m. in arenam damnati, 74. p. Arenarii, ibid.
Arferia aqua Arferre, pro adferre, 571. f. Argo, nauis quæ & vnde dicta 320. m. 325.m
Aries, machina bellica, 220. f. inuenta à Carthaginenſibus ibid. eludi quomodo poſſit, 221. m muris incuſſa non accipiebatur pax 268.p
Arietare in portas, 221.m
Ariſtippus Philoſophus eruditus, 337. p. paſſus naufragium, 335. f. 338. f. irriſit Diogenem lauantem olera, 339.m
Ariſtocratia, præ aliis laudatur, 116. p. &c.
Ariſtoteles. Peripateticorum conditor 480. f. veritatis Philoſophus, 482. m. obſcurus ad intelligendum, 483. p. imprudenter à quibuſdam carpitur, 486.m
Arma, vnde dicta, 213. p. varia, ibid. m. grauiora in proluſionibus domi, quàm militiæ adhibita, ibid. hoſtibus non vendenda, 214.p inuerſa ferebantur in funeribus militum, ibid. p. in tria genera diuiſa, ibid. m. ex auro & argento Alexandri, Cæſaris & aliorum, 226. p. multa hoſtem terrent, 230. m. præſertim ſi fulgida, 252.m
Armamenta pro inſtrumentis nauium, 2 2.m

Arma-

Digitized by Google

Armamentarium, ibid.f. etiam in caſtris habebatur, 213.p
Armarium, 212. f. locus, in quo nummi reconditi, 225.f
Armatura, genus exercitii militaris, 212.f. leuis quæ dicta 225. m. 255.m.
Armiluſtrium. Feſtum Romanòrum, 217.p
Arrogationis formula 548.p
Ars, Architectonica, 6.f. tres generales habet partes, 8.p. ſeq. vide Architectura bellica, 256.f. maxima, 259.m. princeps, 8.m. coniecturalis medicina, 406.f. in varias particulares ſecreta, 405.p
Artemon, minus velum in nauibus 327.f
Arteria quid, 399.m
Artifex, quiuis de rebus ſuis & tractet, & loquatur, 473.m
Artopta, vas in quo panis torretur. 359.f. Arula, ſeu puluinar in columna 24.m
Ars, vnde dicta 57.p. montana, campeſtris, & vtra tutior, ib.f. quibus muris cingenda, 58.p. turrim habeat, ex qua defendatur, ib. m. excubitores, & quomodo diſtributos, ibid. Troiana à Græcis oppugnata & expugnata, 290.p
Aſoti, Decoctores, 535.p
Aſſer. genus machinæ bellicæ in nauibus, 222.m
Aſſerendi in libertatem formula, 548.m
Aſſeres, 97.f
Aſſumere cibum, 409.m
Aſtrologia, neceſſaria Architecto 8.m
Aſtyanax crudeliter occiſus, 289.m 291.p. 298.f
Athenæ, laudantur ab ædificiis & moderatione ciuium, 49.f. quãdo conditæ, 53.p. hodie viles caſæ ibid. m. Gymnaſia extra mœnia habebant, 71.m.f. Theatra qualia, & quæ in illis iurgia exorta, 73.p
Atomi, mundi materia ſecundum Epicureos, 475 m. qualia corpuſcula ibid.f
Atrium. 97.m
Auaritia. Imperatores & exercitus deleuit, 261.p. Mercatorum, 311. m. Darii in ſepulchrum Nicocris reginę, 454.p. Tantali litis, 317.p
Auctorare, auctoramentum, exauctorare, 254.p
Auctoritas, quid ſignificet, 153.m
Auctores, qui de architectura ſcripſerunt, 11.f. vide ſcriptores, libri, litteræ.
Aucupium, 583.m. & ſeq. vide aues.
Audire rem diuinam 509.m
Auditus grauis 409.f
Aues in triplici genere vnde capta auguria, 123.m. 138.f. varia fercula præbent in conuiuiis, 352.m quæ quibus Diis ſacræ, 354.f. in deliciis gulæ, 365.p. cum voluptate capiuntur, 583.f. ſeq. variæ, 584. p. Bubone & viſco capiuntur, 585.m
Augures, quando creati, 122.m. qui adſciti, ibid. f. ex auibus augurati, 123.p.m. liquido cœlo augurabantur, ibid. f. 176.f. vnde dicti, 138.m
Auguſtus. Cæſar, qui & Octauius, 182 f. 187.m. popularis, 184.f. ſine cruciatu optabat mori, 424.p
Auguſt⁹, mẽſis idẽ qui ſextilis, 566.m
Aura, quid, 30.p. ſalubris, 45.m. 72.f. 81.m. vide, aer, cœlum. Aures, ſonant, 409.f. quibus morbis tententur, 374 m
Aurora, ab auri colore 561 f
Aurum, venire contra aurum, quid 91.f. vide pecunia, Auaritia.

Digitized by Google

Auſpicia, duplicia, 202.m. ineundæ pugnæ, 253.p. Auſpicato domi & foris omnia facta, 252.p

Authepſa vas culinarium 359.m

Auxilia, corporum 409.f. vnde dicta, miſſaque Romanis tempore belli 246.f. pro leui armaturâ. 255.m

B

BAcchanalia, Peruanorum, 502.m. variis vocib. expreſſa, 509.f

Bacchus, repertor Triumphi, 300.m

Baiæ portus à baiulandis mercibus, 92.f. Baiuli, βαστάζοντες. 240.p

Balneæ, veterum quotidianæ, 78.p & cur ibid m. 84.p. plenæ luxu & profuſis ſumptibus, ibid. ad quam cœli plagam ædificandæ, 78.f. qualem ſtructuræ diuiſionem requirant, ib. & 79.p. quinque modis lauabatur, ib.m. mutatio inter has ipſas lauationes pro tempore, ibid. Frigidarium, ibid. Caldarium, 80.p. 86.p. qua forma fuerint, 80. p. à quibus maximè frequentarentur, ibid. f. præparandi & vocandi modus ad balneas 76.f 86.f. vnde dictæ, 84.p. penſiles, ibid.m. vtrum iuuent ad coctionem ventriculi, 78.m. 84.f. muliebres ſeparatæ à virorum, 85.f

Baliſta, machina bellica, 224.p

Baltheo, ſeu cingulo donari, vel priuari 238.f. & ſeq.

Baptiſterium, in Balneis 79.m

Baptiſmus, 509.p. Baptizandi ritus apud Moſcos, 495.f

Barba, decus Philoſophorum 339.f. Iuliani apoſtatæ, 347.m. coci. 346 p. in luctu detonſa græcis, 431. m.

Barca, nauicula ſubſeruiens onerariæ, 321.m

Baſilica, qualis locus apud veteres, 68.f

Bellum, à belluis dictum 207.p. alii à duello 211. m. hodie vbique 2.. p. dulce inexpertis, 227.f. 236.f. omnia deſtruit perditque 40. m. 42.p. 206.p. 207 f. 208.p. Sabinum 151.p. contra naturam videtur eſſe, 207.m. quomodo licitum, & quæ bona coniuncta habeat, ibid. f. 209.m. quando neceſſariò indicendum, ibidem 244.f. quales duces extulerit ad opes & imperium, ibid. m. pericula quæ habeat adiuncta, 227.f. armis & viris conſtat, 240.f. propter pacem ſuſcipitur, 244. m. quomodo à Romanis fuerit indictum, ibid. f formula indicendi, 548 f. gladiatorum è 40. millibus, 302 p. tormenta ad belli vſum neceſſaria, 2.f. vide pugna, Tormenta, &c.

Beſtiarii, Arenarii 575.p

Beſtiæ in multis videntur homines ſuperare, 42.f. in Amphitheatris vnde emiſſæ, 75 p in circo ex nauibus ſolutis effuſæ, ibid. armatæ naſcuntur, 207.m. læſæ vlciſcuntur, 272.f. ciuitates deleuerunt, ibid. f. aliæ quadrupedes, aliæ volucres, 349.f. ad medicinam vtiles, 387.m varias medendi rationes homines docuerunt, 391.m. In venationibus campeſtribus, 579 f. ſeq. variis modis capiuntur, 582.f. 583.m. ſigna etiam ſunt militaria, 250. p. cum beſtiis in Amphitheatro variis modis pugnabatur, 575.m

Bibliotheca, ad orientem conſtruenda, 94.p. Attici, 486.f

Bipennis deſcribitur, 222.m. Blaſphemiæ 509.f

Boeria, vnde ſic dicta. 52.f

Bolis,

Digitized by Google

Bolis, plumbum ad explorandum aquæ altitudinem 327.m
Bos, ſolidus toſtus in comitiis, & direptioni pauperum datus 312.p
Brachmanes, Philoſophi apud Indos, 483.f
Branchia, in piſcibus, 307.f. Breuiarium 510.p

C

CAchexia. 409.f
Cædes, vide pugna, Troia, vrbes, arx, bellum.
Cœlum, pro varia aëris affectione 16.f. 589.f. ſigna ſalubris cæli ſeu aeris, 17.p cœleſtes ſedes, 510.p. gaudia cæleſtia quanta, 519.p
Cælicolæ. 545.m
Cæmenta, 99.m
Cœna, adipalis, 125.f. ædificialis, 140.f. ambulans, 368.f. multiplex ibid. Cynica, ibid 370.p. dubia, ibid. f. aduentitia, 370. m. caput cœnæ. ibid.
Cœnaculum, Cœnaculariam facere, 98.p
Cæſares, qui. 183.p
C. Iul. Cæſar tyrannide oppreſſit Rempub. 105.f. 146.p. 162.p. inter Diuos relatus 138.f. caput Monarchiæ Romanæ 182. f. ſummo honore à Senatu victor affectus, ibid. m. de filiis Pompei ingemiſcente popul. Rom. triumphauit 302. f. à 40 Elephantis in triumpho inuectus, 306. p. laudatus, 309. p. militibus ſuis cur arma aurea & argentea dederit, 213. f. natando ſæpe hoſtes effugit aut periculum, 233. m. quot coronas habuerit, 305.p
Calamitas, calamorum, 218.m
Calculus, vnde oriatur, 392.p. indicia Calculi, 415.f
Calendæ Martiæ, cur fœminis ſacræ, 565.m. vnde dictæ, 567.m
Caligula, Imperator reges omnes perdere cogitauit, 198.p
Calones. 251.f
Caluaria deſcribitur, 463.f
Caluinus, hęreſiarcha phthiriaſi interiit, 375 m
Calx ex quibus lapidibus coquatur 36. m. quæ non proba, ibid. f. aquam recipiens ſtructuram firmat, 39.p
Cambyſes, fratricida quomodo perierit, 111.f
Camelus, funis craſſus anchorarius 328.p. 329 f
Campiductores, 225.m. magiſtri armorum, 231.m
Campus Martius progymnaſmatis tyronum dicatus, 239.m
Canaliculæ, in Amphitheatro, 76.f
Cancer deſcribitur, 367.f
Candidati, qui magiſtratum apud Rom. petebant, 157.f. 158.p. Salutatores, deductores, aut Sectatores circum ſe frequentes cur habuerint, ibid. quatuor modis ſibi populum conciliabant ibid. m. oſculis etiam, 542 f. Principis aut Cæſaris, 177.f
Canes, honorati ſepulchris, 445.f. ipſi facti ſepulchra aliorum 646.f. 450. p. Heroas domo egreſſos proſequebantur, 540.m. venatici quomodo inſtruendi, 582.m. nomina, diſſyllaba iis imponenda, 580.f. 581.m. refecti & laudati ſecundum venationem, 582.m
Cantores formularũ, 546.f 557.m
Capilli fluunt, 410.p. in luctu grecis fœminis detondentur, 431.m. amicorum cum defuncti cineribus iungebantur, 448.f
Capital facere, 589.m
Captio bonorum, 154.m
Caput cœnæ, 370. m. quot patiatur dolores, 374.m. varie vſurpatum 55.m.

55.m, tribus modis diminui dicitur, ib. ætate nudatur, 410.p
Carcer, vnde dictus, & quid in vtroque numero ſignificet, 81,f. in triplici genere apud veteres, 82. p. effractus vigile non vigilante, ib.f. Carceres, 89.f
Cardinales, 510.f
Cares, primò criſtas inuenerunt & galeis impoſuerunt, 227.p. cum Care carizare, 535.p. Carina, in naui, 326.m
Carna, Dea 566.m
Carminis ſeu cantionis nuptialis formula, 549.p
Carnifices in vrbe qui olim, 191.p. infames, ib.f
Caro pro eduliis varia, 367.p. morticina, ib. porcina, ibid. m. putida. 344.p. hebes nec firma, 410.p
Carthago, laudatur à rebus ſeptem, 52.f, quando & à quo euerſa, 53.p 259.p
Caſa, 5.f. Caſeus, varius & qui optimus, 371.p. premitur, 372.f
Caſſandra, vaticinans contempta à ſuis, 286.f.296.m
Caſſeria, remorum receptaculum, 326.f
Caſtitas, amata à veteribus, 59.f, 160.p. Religioſis hominibus etiam atque etiam ſeruanda, 65.m ſtricta Veſtalium virginum, 128. p. mulierum Troianarum, 288. p. Zenobiæ Reginæ, 310.m. videndo periclitatur, 425.p. perfecta cum flore comparatur, 440.f. Moſcarum mulierum, 496.m. Sinenſium, 499.p. per venationes & exercitationes ſeruatur, 578.p.590.p
Caſtra, in triplici genere, 88.f. poſitionem qualem requirant, ib. naturaliter munita, 89.p. quomodo à variis populis obuallentur, ib.p. quam laxa poſſint eſſe, ib.m. vnde dicta, 231.p.258m
Cataplaſma, 391.p Cataplus, nauis & nauigatio, 321 m,
Catapotium, pilula, medicamẽtũ, 390.m. Cataſcopium, exploratoria nauis, 321.f
Catarrhus, 409.f. Catecheſis chriſtiana, 510.p. Catholicum fieri, 510.m
Cato, cùm diem in ſenatu dicendo eximeret, in carcerem iuſſus duci à Cæſare, 153.f.154.p
Catullus, elegans poeta, 323.p.
Cauea, in Amphitheatro, 73.f
Cauædium, 97.m. Caudicæ, naues ex craſſioribus tabulis, 321 f
Cauſſæ, rerum cæleſtium nobis obſcuræ, 260.p.267.f
Cauterium, 410.m. Cautionis de dolo malo formula, 549.m
Celeres cuſtodes regum Rom. 156. p. Flexumines, Troſſuli, equites iidem, ib.p. vnde dicti Celeres, ib. Germanis apte Hetſchierer,
Celeuſma, Celeuſtes, 330.m.331.m
Celox nauis à celeritate, 321.m
Cenotaphium, quid 444.f
Cenſere ſenatus, Iubere populi eſt, 146.p
Cenſores, vnde dicti, 163.p. ex Cõſularibus lecti ibid. Cenſus rationem quomodo habuerint per omnes vrbis familias. ibid. m. quæ officia habuerint, ibid.f. quibus formulis hanc dignitatem acceperint, 164.p. habebant poteſtatem legendi ſacerdotes, 144.f.
Centumuiri haſtæ præerant, 173.p vnde ſic dicti, ib.
Centuriæ, pars legionis pedeſtris, 249.p
Centurio, quis fuerit, 252.m. quam debeat eſſe ſtrenuus, ibid. vitem pro inſigni ferebat, ibid.

Cera,

Digitized by Google

Cera, pro tabulis teſtamentariis, 316.p. Ceratum, pro Catapla ſmate 391.p
Cercurus, nauis magna 321.f.
Cernere eſt verba Cretionis dicere, 550.m
Cerui quomodo & quando capiantur 582.f
Ceſſionis in iure formula. 549.m.
Cedere in iure qui dicantur 558.m.
Cetra, Peltæ ſpecies 216.m
Chamulcus, machina trahens naues in littus 328.m
Chariſtia 368.f
Chelonophagi teſtudinum teſtis ædificant, hauriunt, nauigāt 26.m
Chirurgi, quod munus gerant circa ægrotos. 404 m. inſtrumenta eorum ib.f
Chriſtiani, quo cultu Deum Diuoſque proſequi debeant, 61. f. in multis videntur. Gentiles imitari, nec tamen imitantur 437. m. ſeq. Sacris chriſtianorum imbuti, 511.p. vexantur à Turcis, 494.m. à Tyrannis olim. 517.p. 519.p. 524.f.
Chryſocolla, ſæpius pro arena in Amphitheatro inſpergebatur, 74.p
Cibus, multus corrumpit ſanitatem 376.p. qui maximè valetudini obſit, proſitque 380.f. 384.m. qui noxios humores creet. ibid. triplex. ibid. f. qui calculum pariat, 392.m. celer deſcendit. 410.f. medicus. ib. Cibarius, pro ſordido & vili 369.f
Cicero, non omnia examuſſim tradit, 15.m. Eloquentiæ pater, 91.m 229.p gloriæ cupidiſſimus, 491.p periculosè contra Ciceronem fertur ſententia 366.m
Circumluuio, quomodo fiat 29.f.
Circus, quos ludos præbuerit. 75.p. arboribus conſitus ad venationes ib.m
Ciuitas, ab vrbe, mœnibus differt, 50.f. translatè 51.m. habeant rerū omnium copiam 55. p. ex plurib. vicinis eſt compoſita. 101.f. tres habet partes ſeu ordines, 209.p
Clades, quid propriè, 218.m
Clam tertio, quarto & ſexto caſu iunctum 236.m
Clauus, in naui, 327.p. pro adminiſtratione Reipub. 332.f
Cleopatra, veneni hauſtu perempta, 310.p. quale Conuiuium præbuerit, 350.f. Clima 10.p
Cloacæ, quam vtilitatem in vrbibus habeant. 82.f. diffuſoriæ, ſubdiuæ. 83.p. Vrinariæ procul à muris abſint ib.p
Clunabulum, gladii genus, 219.p
Clypeus vnde dictus, 215.p. ex ære. ib.m. Epaminonda, 226.f
Clypeare togâ brachium ib.
Clyſtes, clyſterium 391.m. 441.p
Coactores ærarii. 67.f
Cœmiterium formicæ habent. 442.m. Chriſtianorum, ib.f
Cognitio, quibus verbis iungatur, 176.f
Cohors pars legionis pedeſtris. 249.p. decem in vna legione ib.m
Collyria, oculorum medicamentum. 390.m
Coloniæ, deductæ à Rom. 175.f
Coloſſus, quid & vnde dictus. 14. p. 92.f
Collocatio, verbum funereum. 427.p.
Columbaria in nauibus, 326.f
Columna, quid. 22. m. plures ex vario ſitu & coniunctione varia nomina loco relinquunt, ib.f. ornamētum vrbium & ædificiorum. 23.p. Columnis quando trabes, & quando arcus ſuperponēdi 28.m

Digitized by Google

Comeatus,formula 549.m.365.p
Comitia triplicis generis, 200.m. 201.f. auſpiciis impediebantur, 202.p
Comitia dies 562.f
Comparare res aliquas inter ſe ſortirique 178.f.& ſeq.
Comperendinare 119.f
Concionari, vbi & quibus licuerit, 201.m. Concionator 511.p. Ad concionem quomodo Athenienſes pertracti 540.p.Concordia ciues inuictos pſtat, 46.m.243.f
Concubium,concubia nox 562.p
Conductor ſeu redemptor,idē 10.p
Confeſſarius, 511.m. confiteri de peccatis,ib.de tota vita ib.f
Coniſterium 85.m
Conlucandi luci formula 549.f
Conquiſitores,qui diuerſis locis cogebant exercitum 245.p
Conſcientia ſcelere impedita.516.f libera religione,520.f. eam examinare 514.f. de ea tractare in ſcholis 510.p
Conſilia,matura.234.m. Conſiliū, iram & feſtinationem peſtes habet 120.p. ſit occultum in rebus bellicis,255.f.270.m.ire,mittere in conſilium 119.m
Conſtantinopolis, noua Roma dicta 60.f
Conſulares anni qui 159. m. 160.p.
Conſulere populum 225.p
Conſules, Prætores, Iudices iidem. 159.p cur duo apud Rom. creati, ibid annui tantum ib. annos nati 43.creabantur, & quæ inſignia habuerint, ib.m.f. omnem Magiſtratum ſub ſe habebant, præter Tribunos pleb.ibid f.per eos anni numerabantur 178.f
Conteſtandæ litis formula 550. p.
Contignationes 97.f
Contus,haſtæ genus 219. m. in naui pro remo 327.f
Conuentus,qualia loca 180.m
Conuerti,ab improbitate, 51.2.p.à Paganiſmo ib.
Conuiuium vnde dictum,366 p.celebratum poſt triumphos 307.p. perdit valetudinem. 381. p.quib. ſermonibus condiri debeat 472. p.ſplendidum 348.m. 356.f. Antonii Cleopatræ 350 f.Ruſticum 353.f.Pontificium 358.p. apud ſepulchra 459.f.ſeq.Conuiuiorum ritus expoſiti 350.m
Coquus, ſordidus, capillatus 345.f 346.p. probus in ſua arte deſcribitur.346.f. Domini ſui gulam habere debet.345.m. Vide Obſonator ,artem coquendi omnis generis cibos habere debet 341 m.ex vnâ ferâ,ſeu aue quā multa fercula efficere poſſit.352.p.ſeq. in arte iactabundus 355.m. valde occupatus.356.p.ſordidus & miſer 357.p.ebrius 360.p.ſeq.cauſſa morborum 381.m
Corbitæ,magnæ&tardæ naues 321.f
Coria, in ſtructuris quid 38.f.Coriceum 85.m
Corinthus, quando & cur exciſa à Rom. 54.p
Corium,ſcutale 220.p
Corona militaris varia 254.p.triumphalis 305.p.diis conſecrata ib.f. in cōuiuiis multiplex 350.f.ſignū quoque captiuorum 253.m.in muro quid 99.p. defunctis impoſita 439.p.ſeq.martyri ib. Diuis danda 439. m. 438. f. victoribus Rom.multiplex data 439.f
Corpus humanum per omnes partes morbis vexatur 374. m. ſeq. quomodo exercēdum 381.f. ſeq. mutationi & morbis obnoxium 383. p.ſeq. aduerſus animum pugnat 394, p. medicamentis ſuſtentatur 398.f.ſeq.ex quinq; rebus

Digitized by Google

bus læditur 413.f. vas & receptaculum animæ 415.m. multas eaſque incognitas partes habet 407 m. variè affectum, ſtrictum, fluens, &c. 411.p. quadratum habiliſſimum ib.m. antequam efferretur olim, quomodo curatum 415.f.ſeq. à Deo rurſum reparabitur 512.p. Coruus, Imperatorem ſalutat 524.p.527.p
Corytus theca pro arcu 220 p
Coturnices canib. capiuntur 585.p
Cretionis in hæreditatibus formula 550.m
Crudelitas Peruanorum in captiuos 503.p. Romanorum in Amphitheatris 74.p
Cruditas morborum parens 381.p. 397.m. diſcuſſa 411 p. Cruor, cruentum 211.p
Cruſtatio ornat parietem 23. f. inducta, adacta ib. quo tempore inducenda 24.p
Crux Chriſti in medio tẽpli ſit defixa 64.p ſalutis lignum ſignumq; 512.f. in fronte pingenda 515, p. In ſepulchris Chriſtianorum 457 f. culta à Moſcis 495, f. 497.p
Cryptæ 95.p
Cubicula 30.f. Cubilia, ferarum latibula 119.p
Cucurbitulæ 411.p
Culina, veterum in atriis 97.p. mũda ſit oportet 356, f. culinaria inſtrumenta varia 358.f.362.m ſeq.
Cuneus in Amphitheatro 77.p
Cupediarius 365.p
Cupreſſus Diti ſacra, in funeribus adhibita & cur 427.m.428.m
Cura, cor exurit 381.m.401.m. Oeconomi 341.m. à Paraſitis leuatur 278.p
Curatio, procedit, difficilis, &c 411p
Curatores tribuum 176. m regionum vrbis 18[illegible].p
Curia veterum 66.p. Romana à quibus laudabilis, ibid. quibus rebus inſtruenda & ornanda ib.m. Currus, triumphalis 305. m 309.m. pro naui 325.p. falcatus, 224.f
Curiones, quinam, quot, & quid fecerint apud Romanos 133.m
Curſura, quomodo à Peruanis exerceatur 504.p Vide Exercitatio
Curſus, pro nauigatione 317.p
Cutis reſoluitur, labat 411.m
Cybæa, ingens nauis 322.p
Cybele, Dea Berecynthia quales ſacerdotes habuerit 135.p
Cymba, nauicula 321.f
Cynegyrus fortiſſimus miles 237.f
Cynici, Antiſthenem parentem habuerunt 72.p
Cyrus clariſſimus dux, 264.m. venationis ſtudioſus 579.m

D.

DÆmon malus, colitur à Peruanis, 502, m, 504, p, ſancto Chriſti nomine fugatur 503, m. hoſtis humani generis 513, f. Diabolus vnde dictus 110.p
Damnati ad inferorum ſupplicia 512.f
December, Veſtæ & Saturno ſacer 567.p
Decemuiri, quando creati 172, p poſt tertium annum ſublati ib.p litibus iudicandis ib.f. cogebant centumuiralia 173.m
Decii deuotio pro exercitu Rom. 551.f. ſeq. formula deuotionis ib.
Decimare legiones 253.f
Decor in Architecturâ 4.f
Decuriones in turmis 249.m.252.f
Dedicationis formula 550.f. Deditionis à patre Patrato 550. f. apud Hiſpanos & Gallos, 551. p. ad deditionẽ ſubigere, in deditionem

tionem accipere,&c.558,f.Dedu-
ctores Candidatorum, 158.m
Deferendi nominis formula, 551.f
Deſit,hoc eſt,deeſt 534.m
Demenſum,quid & vnde 140.m
Dendrophori, 221.p. Deiphobus, crudeliter occiſus 290.p.298m
Dentes labant,bene hærent,411.m
Dentificium 390.m
Deſperati ac depoſiti homines 407.f
Deſperatio, ſæpe militib.animos acuit,276.p.Deſultores,235.p.239.f
Deus varia nomina myſtica habet, 62. m. meritò ſibi præſtantior depoſcit,ib.m.regnorum auctor & conſeruator 120.f 460.p.305.f legum & bonorum auctor 204.f. impios & blaſphemos vlciſcitur, 280.f. cuiuis animanti ſuam ſedem locumque attribuit, 314. f. ægrotis ſub animum reuocandus ob multa,418.p.ſeq. mundũ adminiſtrat, 476.f. ſalutis noſtræ vindex, 511. p.519.f. in crucem ſublatus,512.f. reuixit à mortuis, 520,m.creator, 512.m
Dialectica Stoicorum inutilis, 485. f.vide Philoſophia.
Diaphragma,411.m. Δίκη Dea præſes iudiciorum.588.f. Dicam ſcribere ib.
Dicrotæ,&Diocrata,biremes 322.p
Dictator vnde dictus.161.m. Magiſtratus extra ordinem & cur creatus,ib.clauum tempore peſtilentiæ cur fixerit, ib.f. ſupra omnes poteſtates præter Tribunitiam eminebat,162.p.24. lictores præ ſe habebat,ibi. p. quomodo Magiſtratu abierit, ib.m
Difficillimum,470.f. occulta tenere 471.p.
Digeſtio,digerere 411.f
Digitis concrepare, pro imperio erat 544 p
Dignitas,quid 108.f
Dies naturalis. 298. p. quas habeat partes,561.f.ſupremus,514.f ſummus,374.m. ad occaſũ tẽdit.108. m. dolore vacu' nullus exigitur, 429.p.431.m. natalis cum lætitiâ,agitur à Perſis,488.p.à Sinenſibus,499.m. Virginis matris in cælum aſſumptæ,513.f.D.Catharinæ,ib.f.Cinerum, ib p.S. Crucis inſtitutus , 515 m. naſcentis Chriſti 517.f.D.Ioan.Baptiſtæ,518 p. Palmarum, 518.f. Paraſceues ibid.Pentecoſtes. ib reſurgentis Chriſti à mortuis,520.m. Rogationum,520.m.Ciuilis,naturalis. 561. m. artificialis. 562. p. feſtus, ibid. Profeſtus , ibid. intercìſus,ibid.nefaſtus,562.m.faſti dies ib.comitiales.ibid.f.comperendini ib.ſtati.ibid.præliares, ibid.p.atri,563.p. religioſi, ibid. luſtrici,ib.emortuales,ib.critici, ib.intercalcares,ib.iuſti ib.compitalitii,ibi. Solis,lunæ,&c.ibid. pandiculares,572.p. dies Dominicus laudatur, 572.m
Dii,quniam intra amœnia olim nõ recepti.60.p.ſublimes aras & humiles habebant.61. m. humanâ formâ effícti 108.p.cur id,109.m. ſuos ſacerdotes habebant apud Rom.125 m. etiam à barbariſſimis hominibus culti 137.m.in lectiſterniis cum Deabus ſedentes. 139.f.à Rom.culti admodũ,242. m.303.f. in oppugnatione vrbiũ euocati 253.m.5 2.f.559.p.violati vltionem capiunt, 281. p. 318. m. deſerti in vrbium euerſione, 292. p. in diſcrimine inuocati , 298.f. tutelares in nauibus picti poſitique , 330. f. 331.f.

Digitized by Google

331. f. adorabantur oſculatione manuum, 437. m. oſculis tribus modis honorati, 542. m. ab Epicuro contẽpti, 476. m. capitis illiſu & humi reptatione illis ſupplicatum, 544. p. Nouenſiles, 558. f. indigetes, ib.
Diluculum, 561. f
Dimiſſionis formula à cõcione 552. m
Dimocratia, reliquis ſtatibus regnorum præfertur, 114. f
Dinocrates Architectus inani labore Athon montem in virilẽ ſtatuã conformare voluit 45. p. 55. p
Diogenes Cynicus, quid in adoleſcentem turpia dicentem dixerit 485. p. Vide Apopthegmata.
Diogenes Laertius ſcriptor, reprehenditur 466. f
Diribere, 202. m. Diribitores, hoc eſt, pecuniarum diuiſores 205. f. Diribitorium ib.
Diſcedere, in ſortitione adhibitum, 202. m. Diſcere & nunquam perdiſcere 573. f
Diſcinctus, pro infami homine 256 p
Diſcipuli ſcientiam, hoc eſt, animi ſanitatem quærere debent, 71. m amare magiſtros ſuos debẽt 436. f
Diſputatur in vtramq; partem, Vtrum melius retinere magiſtratum, an deponere, 103. p. Dimocratia reliquis imperii generibus præſtet, 114. f. perpetuò in magiſtratu verſandũ ſit 193. p. m. legibus an ſine legibus Reſpub. felicius gubernetur, 197. p. Pax an bellum plus Reipub. commodet. 206. f. Imperator nobilis pauperi in bello ſit præferendus, 265. m. Podagra plus homini obſit an proſit, 393. m. f. Venatio plus cõmodi vel incommodi afferat Venatori, 575. m. 577. p
Diſpoſitio, in Architecturâ, 4. m. tres habet ſpecies ib. Diſtributio in Architectura ib. f
Diuitiæ, multos per multa pericula trahunt, 312. p
Diuortii formula 552. f
Dixerunt, formula iudicii 552. f
Docti, quomodo imitandi 469. p
Doctor, prius faciat, quam doceat, 336. m
Dolones, vaginæ ligneæ. 219. p. minima vela ad proram 327. f
Dolor, neruorum, oculorum, &c. 412. p. Vide Morbi.
Domus, Hamanienſis populi 24. f. Pygmæorum ex quâ materia ib. Vide Ædificia.
Draco, anni Hieroglyphicũ 568. f
Duellum, idem quod bellum 211. p
Duumuiri ſacrorũ 130. p. quale munus obierint, ib. & m. nauales 176. p. perduellionis ib. m

E.

Ebrietas, quantum malum 361. m 373. p. 381. m
Ebrius coquus deſcribitur 360. p
Eccleſia, variè accipitur 59. m. Chriſti naſcens, Romana, 514. p. Vide Catholicum fieri
Ecligmata, ſeu eligmata 389. f
Eclogæ formularum veterum, 546. f. cur ita inſcriptæ 557. m
Edicere, iubere, indicare pro eodem 315. f. Edictare idem 316. p
Editores ludorum in magno honore apud veteres Rom. 76. p. 83. f
Elæotheſium 85. m
Eleemoſyna 513. p. 514. m
Eloquentia difficilis 14. f. nulla viros fortes ſatis laudauerit 228. f. eruditione grandeſcere 83. m. Vide orator.
Emplaſtra 390. f. 412. m à paſtillis differunt 413. m
Emptionis formula 547. f. 557. f
Enema 391. m. 412. m

Enyo

Enyo caſtrenſis furiæ, 206, p. eadem cum Bellonâ, & quales habuerit Sacerdotes 211, p

Epaminondas apud Mantineam glorioſus victor occumbit 213, f 226, m. religione confirmauit fiduciam militum 273, f

Ephebæum 85, m

Epicurei, quid de imaginum in mentē incurſatione ſenſerint 31, p

Epicurus, à diſcipulis in ſummo honore habitus. 474. m. arrogantiſſimus ibi. indoctus Dialecticam repudiauit 475, p. qualis Phyſicus fuerit 476. f. animam hominis interire dixit 476. p. mundum ex atomis factum 475, m. impie de Diis ſenſit 476, m. ratio huius 477, p. ſeq. 485, m

Epidromus, velum ad puppim 327, f

Epiſcopi Moſcorum 495. m

Epiſtolæ, quorundam vt eſt Chimæra, 329, p. Epiſtomium 372, m.

Epitaphia puerorum & puellarum ornanda roſis, non oneranda 440 m M. Antonii Mureti 455, f. aliorum 455, f. ſeq. fœda 456, f. decorata artificum inſtrumentis 457, p. animalibus ib. m. ſtatuis, obeliſcis, &c. ibid. Poëtarum 458. p. Senecæ ib.

Epithemata 391. p

Epulum 365, f. funebre cur inſtituatur, ib. Vide Conuiuium, Cœna.

Equeſtria, locus in Amphitheatro vbi Equites ſpectabant 77, m

Equi deſultorii 239. f. in Circo adhibiti ib. ſepulturis honorati 445 f. Diomedis hominib. paſti 446. f

Equites, quantâ cura ſuos equos curare debuerint 179, f. pingues inepti ad bellū 231, f. Tyrones Rom. exercitati, 234. f. alares, 246, f. legionarii ibid. f. duobus equis in bello vtebantur 235, p. per abrupta loca foſſaſque exercebant equos ib.

Equus ligneus, pro naui 317, f. Troianus 286 f. ab Epeo fabricatus 287, p. 291. f. ab Heleno ſuaſus, 297, p. October dictus, quod in Octobri Marti immolaretur, 566. f.

Errhina, medicamentum 390. m

Ethnici 514, f. 515. p

Euangelium, ſacræ Scripturæ in quantâ reuerentiâ apud Moſcos 495, f

Euchariſtiam ſumere 511, f. in ſanctuario collocare 513, f. in ſacrificio extollere 514, m

Euerriator 427, m

Euocatio Deorum ex vrbibus in obſidione 552, f. 559, p. ſeq. Vid. D.

Eurythmia 4, f. 96, m

Euthygrammos 9, p

Exantlare, an exanclare dicendum 343, m. Excipulus vas 372, m

Excommunicare, hoc eſt, ab Eccleſiæ cōmunione repellere 514, f

Execrari aliquem 297. m. qui primus ferrum procuderit 208, f

Exedræ 85, m. 96, f

Exercitatio Militum ante bellum 231, m. 247, p. militaris quia requirit 232, f. ſaltus 233, p. natandi ib. palaria ibid. m. ſagittariorum 234, p. funditorum ibid. rudium ibid. plumbatarum ib. f. Equitū ibid. Iuuenum bina, veteranorum vna in die 235, f. hyeme & æſtate ibid. in omni arte plurimū poteſt 236, p 259, m. Romanorum orbem ſubegit 241. f. Gallorum ne fierent obeſi 231 f. in otio 243. m. Scipionis Africani 259. p. 267 p. Militum Alexandri & Iphicratis. 263. m. aliorum Imperatorum 267. p. valetudinem ſeruat 376. m. 381. f, ſeq. rerum

Digitized by Google

rum diuinarum 514.f. Vide plura, Iuuentus, Miles, Imperator.
Exercitio ab exerceo 233.m
Exercitus, vnde dictus 240.p.m, à quibus ducendus 251.f
Ex melle, vino: &c. dare ægrotis, medica locutio 412.f
Exodia, vrbica in Tragœdiis 315.f
Expeditio, dies perfectionis ad bellum 246.f
Expiationes ante sacrificia 440.m
Ex quæstor, ex consul, &c. 343.p
Ex sinu tuo est 570.m

F.

FAbaciæ 566,m
Fabii trecenti contra Veientes, 209.f.211.f.228,p. Fabius maximus cunctator. 211.f Hannibalem vicit 272,p.276,f
Facere litteram longam 431.m. porco piaculo 550,p 558.m
Facetiarum duo genera 532. f. à facio dictæ 533.m
Falx muralis, naualis 222.m.
Farcimina varia descripta 367. p. vnde dicta 369.f. Fartores, carnis 284.p
Fartum facere ex hostibus ib.p
Fasces submittere 178.m. 190. f. quid fuerint. ib.f. Vide lictores.
Fascinus, Deus Imperatorum in curru triumphali 305 f
Fata, Troianorum 294.f. & seq.
Fauna, seu Fatua, bona Dea 132,f & seq.
Faunus, rex Italiæ 134.f
Febres plurimæ, 375. m. 376. p. circuitum habent 412.p.
Februarius a purgando dictus 567.p
Feciales, quinam & quali munere functi 126.f.seq. 244.m
Fenestræ, quales in ædificiis esse debeant. 27. f. non inserantur in angulis. ibid. veterum quales 28.p
Ferculum à ferendo. 350 p. Feretrum, lectus, sandapila &c. 433.p
Feriæ latinæ 177. f. quadruplices. 562. p. statiuæ ibid. conceptiuæ. ibid. imperatiuæ. ib. præcidaniæ ib. familiarum ib.
Fide iubendi formula 553.p. Fiduciæ formula ib.
Figura varia 9.p. rerum imago 515.f
Fiscus differt ab Ærario. 69. m. vnde dictus, 185 f. à quo primum institutus 185. f. confiscare bona 187.f. Flamines, vnde dicti 124. f, quales habuerint galeros. 125. p. à Numa tres instituti, ibid.m. quinquagenarii tantum adlecti ib.f. quale officiũ habuerint, ib. f. priuati flaminio, si malè rem sacram fecissent. 126. p. quales leges habuerint ib.p. & seq.
Flaminia, vxor Flaminis, quas leges debuerit obseruare. ibid. m. quæ fuerit 139.p
Flocci pendere 209.p.211.m
Flores ad medicinam adhibentur. 386,m. ad funera cohonestanda 437.p.seq. 438.p.seq.
Focus, & quæ circa focum 27.f 28 f
Fœdera à Scythis quomodo fiant. 491. f. peragendi fœderis formula 553 p
Fomenta 391.p. Fomes peccati 515 f
Fores, 97.p. Fori in nauibus 326.m
Formicæ, mortuas seorsim sepeliunt 442.m
Formularii, 546 f. Formulæ antiquæ ib. 557.m
Fornacator, seruus in balneis. 80.m
Fornax calcaria 86.m

Fortitudo, quales alumnos habuerit, 228. p. ſeq. 237. f. Legionis X. Cæſaris contra Ariouiſtum 272. f
Fortuna cum alis picta 238. p. in bello. 264. m. quanti ab antiquis facta 377. p
Forum duplex liberum, & mercatorium 50. p. apud Romanos, 68. p. rerum venalium. 69. f. boariũ, piſcarium 70. p
Foro cedere, diſcedere 69. f
Framea gladius vtrinq; acutus. 218. f. Germanis in vſu 227. p
Franciſcus Bencius doctus & eloquens 427. f. 455. m
Fratres aruales 135. m
Frigus quomodo Peruani arceant, 501. m. 503. m
Fructus, varii variè à coquis coquũtur. 354. m. ad medicinam vtiles, 386. f
Frugem facere, 570. f. frugi homo ibid.
Frumentum liberaliter & gratis diſtributum ab Auguſto, 184. f
Fuga, ſalus in bello, 239. m. ſæpe animos facit, 270. f. Troianorum in ſuæ vrbis excidio ib.
Funda, 220. p. deſcripta, 227. p à Balearibus inuenta, 234. m. doctè in bello adhibita, 239. f. in reti quid 591. p
Fundamentum, 98. m. ſit altum oportet ib. f
Funius colatorius & chalatorius, 227. m
Funus, quomodo à Peruanis curetur. 502. p. ſeq. cum tubis elatum 435. f. etiam fœminæ virgineſq; Athenis proſequebantur, 425. p. indicendi ritus, 427. m. 428. m. funerea pompa & apparatus. 432. f apud veteres 434. m
Fur, rei ſacræ parricida eſt, 69. f. balnearius, 79. f. 86. p. obſonator, 343 f. & ſeq. viſcoſas habens manus, 345. f
Furia Aiacis Oilei, 298. p. Furiatus, 87. p. Furioſus, ib.
Furtum Promethei 374. p
Fuſtibalus, fuſtis, 239. m. Fuſtuarii, 356. f

G.

GAlea vnde dicta, 217. p. è felina pelle. ib. ex aliis ad terrorẽ vel hodie familiarum nobilium inſignia, ib. m. ſortes excipiebat ibid. f. à Lacedæmoniis inuenta 227. p. Heroum tribus conis inſignis, 538. f
Gallicinium, 561. f. Gaulus, rotunda nauis, 322. p
Gangrænum, omnis morbus ſerpens 41[illegible]
Gentiles, 29 f. ſuperſtitioni dediti 437. m. Vide Ethnici.
Geometria ſtudioſè ab adoleſcentibus olim culta 339. p
Geraria, nauis à gerendo, 32[illegible]
Germani ſcutum ſi amiſiſſent in flagitio erant, 213. f. cordatior gens, 431. m
Geryon, tricorpor, 5[illegible]
Geſum telum Gallorum 22[illegible]. p
Gigas Philiſtæus à Dauide proſtratus 281. m
Gladiatores ad palum exercitati, 233. f. & ſeq.
Gladius, vnde dictus 218. m. quas habeat partes, ib. à dextro latere Romanis appenſus. ibi. f. eius varia genera deſcripta ib. f
Glans, medicamentum, 390. m. cibus veterum, 546. m
Gloria, multos ad bella trahit, 22[illegible] f. 299. m. à virtute & rectè factis paratur, 486. f. à fortibus & magnis occidi, 255. p. amatur à lapidibus 498. m
Gradus in Amphitheatro 76. m
Græci cõſpirant aduers' Iliũ. 294. m dele[illegible]

Digitized by Google

delēt vrbem 287. m. quot naues admouerint ad littus Troianū. 294. f.
Græci leporibus & gratia ſermonis abundant. 328. f. ventri dediti 366. m. 369. m. mendaces 490 f.
Grammatici, quomodo aliqui iuuentutem exerceant in ſcholis 560. m γραμμικὴ 9. p. γραφικὴ. ib. γραφὶς ib.
Gratias agere, quibus verbis ſoliti Romani Diis exacto Triumpho 306. f. & ſeq.
Gratiæ ἀπὸ τῆς χειρὸς 534. p.
Gratum item aliquando, quod nos in gratiā apud aliū ponit 283. m
Gubernaculum, pro adminiſtratione Reipub. 332. f. 334. f
Gubernator nauiculari⁹ &c. 330. p.
Gygis annulus 358. m.
Gymnaſia litteraria laudantur, & in quibus locis aptiſſime ædificētur 71. p. tria nobiliora Academia, Lycæum, & Stoa apud Athenienſes ibid. f.
Gypſum calcis genus 36. f.

H.

HÆmorrhoides 412 f.
Hæres Sextulæ aut ex aſſe 316. m.
Hæreſin deſerere 512. m.
Hæretici ſuos vt ſues efferunt 450. m. impii in DD cineres & ſepulchra. ibid. f. ſeq. Epicurei 469. m. illuſi cùm illuderent. 529. m. à Turcis ieiunium doceri deberent. 493. p. 516. p. ſpōdent cœlum, in quod nunquam ſunt ingreſſuri 532. p.
Hannibal, profugus quid Antiocho de exercitu magnificè inſtructo reſponderit. 226. p. victus à Fabio maximo. 272. p. 276. f.
Harpagones manus ferreę in nauibus 327. m. Harpe falcatus enſis 219. p.
Haſta, vnde & quod eius genera, ib. m. haſtæ ſubiici. 173. p. haſtati, Vide Milites
Hebdomas, vnde dicta 63. m.
Hectæ, vel Hettæ in pane 366. f.
Hector Æneæ apparet. 290. f. belli fulmen. 291. p. ab Achille occiſus 324 f.
Hecuba lugens ob patriæ euerſionem. 285. p. 292 p. Paridem ferens, flammam ferre arbitrata 293. f. 296 f.
Helcyarii aduerſis fluminibus trahunt naues 330. m. (466. p.
Helena cauſa belli Troiani 464. p.
Helepolis machina bellica 221. f.
Heliogabalus in aquis croco & vnguento infectis lauit 86. p.
Hemiſphærium ib. m.
Hermata ligna nauibus ſubductis ſubſtrata 327. m.
Herodotus fabularū pater 490. f.
Hibernia, niſi homines exportentur, non ſinit mortē obire 20. p.
Hieroſolyma exciſa 53. f.
Hippago, nauis ad tranſportandos equos 322. p.
Hippopotamus, quomodo ſāguinē emittat ſanitatis cauſa 391. m.
Hiſtoria primam legē habet veritatem 244. p. 490 f. Salluſtii per compendium recenſita 257. m. Militi & vtilis & neceſſaria. 269. f. de Bello à quibus ſcripta. 275. f. litteralis. 521 p. Sacrarum originum, hoc eſt, Geneſeos 515. p.
Hiſtriones, quinam in Theatris exſibilarentur 73. m.
Homerus poeſeos pater. 91. m. ingeniorum lumen 270 p.
Homicida 245. f.
Homines, quibus rebus primùm Societate deuincti. 2. m. 11. p. primi inhumani & plurimarum rerum inſcientes. 10. f. 13. p. Socie-

tatis natura ſua amantes, 42.m. mutua auxilia ib.f.209.p.Philoſophia diſperſos in vnũ congregauit excoluitq;,43.p vt hodie viuant pleriq;& ædificent, 50. p. crebro lauabāt olim & cauſa 78. p m primi ſub regibus vixerunt, tanquam ſub legibus ſuis,102.p. Dii dicuntur 103.m. parui principes aliiq; irriſi, 107 m. Muli quidā 119 f.in Deos relati, nomina mutata acceperunt 137.p. variis opinionibus agitantur, 198. f. quod ad pacem nati ſint ex cōpoſitione membrorum colligitur, 207. m modeſti & temperantes in quibus locis naſcātur, 250.f.variis ſtudiis & artibus deditι,311.f. alii alios in periculo præ ſe felices putant,312.m.313. p.in vrbibus degentes, plurimũ ſunt ſceleribus dediti 315.p. vbi tantũ aut boni, aut tantum mali 316.f. vrbani,marini, ruſticani, ib.m. iuuare ſe mutuò debent, 420.f.336 p.f.pro animabus ſolliciti 338.m.improbi in periculis Deo aut Diuis multa & magna vouent, nec tamen erepti perſoluunt,340.f. aliquando etiam peccant 347.p.antiqui paucis cibis contenti, 349.p.infelices ex breuitate viuendi & morti, 373. f.cum conuiuis comparati,424. p. Dei ſimulacra, 437. f. amore hominum ſe in rogos coniiciũt, 454.m. venuſtiſſimi, maximi, fortiſſimi ſunt mortui, 464.m. res præſtantiſſima rerum omnium,468.p.ib.m. impatiētiſſimi, 524.m. inſani quandoq; vidētur in re parui momēti, 532.p. fricti ciceris & nucis emptores 589.p.
Hora, quid 561.p.
Horatius Cocles pro ponte ſtans 228.m.237.f.
Horatius poeta, poculis quam gladiis aptior. 216.m.351 p.
Hordeum, militibus pro frumento datum, ſi ſignũ amiſiſſent 256.m
Horia, piſcatoria nauis 322.p.
Hoſtis, non vniuerſus ſemper delendus,277.p. quomodo deſpiceretur in obſidione,544.m. in fœdere decluſus, 571. m. Vide Bellum, Pugna (520 p.
Humilitas, Chriſtiana virtus 515.f.
Humor putredinis & pater & fomes eſt, 81.m. humores varii in medicamenta fuſi 387. p. ſeq.
Hydrops 412.f.
Hymenæus, Deus nubentiũ 549.p.
Hypocauſtum, in balneis 80.m.

I.

Ianua, à Iano 97.f.
Ianus, quale templum haberet eiuſq; claudendi & aperiendi ratio 136.m.
Iaſon, in Colchidem profectus ad aureum vellus capiendum 153. m.319.f.325 p.
Ibis, auis clyſterium homines docuit 391.m.
Iduare, hoc eſt, diuiduare 567.m.
Idus ib.
Ieiunium, Turcarum per menſem & diutius, 493.f. Moſcorum 7. hebdomadis tenet, 496. p. trimeſtre in exortu filiorum apud Peruanos 503. f.inedia ſe macerare 516.p.
Ignis; quomodo repertus, cum vſu ſecundum Vitruuium 10.f.à Prometheo ad mortales delatus, 13. p.corio crudo lignoq; arcetur, 223.p.in pugnis vel oppugnationib. quomodo ſparſus 224 m.f.
Ignitabulũ 356 p. Ignorātia 145.p.
Ilicet formula peractis ſacris vſurpata 552.m. 559.p.
Imagines, quem vſum venerantibus

Digitized by Google

bus afferant, 63.m. Diuorum multæ in ædibus Moſcorũ, 497.p Deorum humana forma cur fiant, 459.f. in funeribus prælatæ, 433.f 455.m. Romanorum diligenter ſeruatæ, 542.p. pro nobilitate ſumptæ, ib. Vide Signa, Statuæ

Imbrices tegulæ cauæ 30.f. 98.p.

Imitatio boni, fugáue mali magno pere proſunt 343.m.

Imperator, quis 105.f duplicem habet ſignificationem, 187.p. belli quomodo crearetur, 244.f quid fecerit ante egreſſum ex vrbe 246.m. quos comites in officio habuerit, 252.p. quæ præmia peracta pugna acceperit, 254 m. quibus artibus & virtutibus inſtructus eſſe debeat, 256.p 258.p. 259.f. induſtria, 260.m. exhortandi facultate, ib f. 274.f. iuſtitia, 260.f. ſcientia 261.f. 268.m. prudentia 262.m. 264.p 270.m. 276.f. quomodo ſibi militem conciliet, 262.p. de militum valetudine curet, 263.p. commeatum proſpiciat, 262.f. auctoritate, 264.m. felicitate, ib. vtrum nobilis tenui ſit præferendus, 265.m. celet ſua conſilia, 255.f. 270.m. Scipio Africanus dicebat hoſti viam muniendam eſſe ad fugam, 270.f. Quintius Conſul vno impetu capit vrbem, 271.p. Arcadum ſtratagema ſub habitu conſiliarium ibi. m. Epaminondas viros fœminæ habitu induit ibi. Tarquinius decutiens capita papauerum quid ſignificauerit, 271.f. 270.f. P. Claudius in mari ludificatur Pœnos, 271.f. Spartanorum mulieres crines in funes conferunt, 272.p. Fab. Maximus cunctando Hannibalẽ fregit ib. 276.f. Maximinus cũ filio canibus obiicitur, 450.p. Caracalla in Tiberim abiectus 450.p.

Imperatores Romani Romanos perdiderunt, 182.p. variis honoribus & titulis ornati, ib. m. Impii & iniurioſi in omnes, 264.f. Triumphantes vario habitu in vrbem inuecti 305.f. ſeq. ſtatuis, arcubus, &c. decorati 307.m. varios famulos variis officiis deſtinatos in aulis habebant, 541.p. vide Rex, Romani, Regnũ, &c.

Imperium neceſſarium ad humani generis conſeruationem 103.f. ad ſolum Magiſtratum pertinet 105.p. quodnam optimum, conſultatur, 105.f ſeq. Oeconomi leue, manſuetum. 342.m. culinarium 355.f & ſeq.

Impluuium 97.m.

Inceſtus, quàm grauiter vindicatus à Romanis 128.m.

Induere, amicire, præcingere differunt 177.m.

Indulgentiæ 516.m.

Infantes, nati ad flumen portabantur 544 m.

Inferi, fluuii, loci. eorumq; explicatio, 453.m ſeq. æternos cruciatus alunt 516.m.

Inferiæ, vnde dictæ 461.p.

Inflammatio, leuata 412.m. Initiator 521.m.

Iniuria, ſumma 571.m. impoſita diu hæret 501.m. 424.m.

Inſeſſiones, ſeu inſeſſa, pro medicamentis 391.p.

Inſidiæ in bello proſunt 264.p. Maharbalis, 274.m. Cyri ib. vide Imperator, Strategema

Inſulæ, quid in ciuitatib. ꝓprie 55.f

Interceſſionis formulæ 553.m.

Interdicti formula ibid.

Interitio, pro morte 424.m.

Digitized by Google

Interlucare 550. p.
Interpretes, qui 189. m.
Interregnum 156. f.
Interrex ibi. f. Interregis de rege creando formula 556 p.
Interrogationis formula Cenſorum de vxore 553. m.
Interſ almium, in nauibus 326. f.
Inteſtina, euoluuntur 412. f.
Ioan. Alexādrinus Epiſcopus, quomodo abeuntes è templo in pudorem dederit 540. p.
Ioan. Chryſoſtomus, ludos & turbā præter templum Sophiæ clamātem pro cōcione inſectatur 60. f. 61. p.
Iphicrates quomodo militem ſuū exercuerit. 263. m. fugientes quomodo & quouſq; ſit perſecutus. 270. f. timidos ex acie dimiſit. 273. m. exercitum corpori humano cōparauit ib.
Ira, Priami regis in Pyrrhū 290. m.
Ire in aliquid 588. m.
Iſicium, farciminis genus 369 f.
Iſis Dea Ægyptiorum 489. f.
Iudicare omnes poſſumus, non æquè emendare 6. p.
Iudicium, non ſit præceps 155. m. de rē, in qua quis non eſt eruditus. 470. f. 507. m. Supremū omnib. ſubeundū. 453. m. f. quiuis pro ſe cauſam dicet ſuam 454. m. 514. f. 521. f.
Iugum, deſcriptum. 253. m. ſub iugum mittere. ib. iugumentare, iugumentum 13. m.
Iugurtha nobilis iuuenis. 257. m. laudatus à Scipione. ib. f. 266. f.
Iulianus Apoſtata de ſua forma barbaq; ſcripſit 347. m.
Iulius ſeu Quintilis menſis 566. m.
Iunius, à Iunone. ib. p. vel iungendo ibid.
Iupiter, vox admirationis. 546. p. pro aere. 389. f Iouem lapidem iurare 554. m.
Iuriſiurandi cōcepti formula 553. f.
Ius conſiſtens. 355. m. coactum idē 368 m.
Iuuentus Romana à locis impuris arcebatur. 59. f. Palæſtram edocetur 85. p. Spartiana exercitata, 226 p. vide exercitatio
Ixion torquet & torquetur 22. m.

L.

Labor, dulcem habet fructum 260. m. etiam in extrema ſenecta 470. p.
Labyrinthus. 82. p. in vrbibus vtilis. 88. m. domiciliū Minotauri 255. f
Lac, vinum eſt ſenibus 371 f. flos lactis 372. p.
Lacedæmonii apud Thermopylas occubuerūt, 209. f. 228. p. 237. p. egregiè ad bellandum exerciti. 213. m. fugientes non perimebant. 239. p. pro piaculo habebāt amittere clypeum. 213. f. filios ſuos ab ebrietate per ebrios deterrebant 362. m.
Lacrymæ Ciceronis in morte Socratis. 285. m. Imperatorū in euerſione vrbiū 295. m. cōiugis, filiorum, propinquorum in obitu mariti. 419 m. in funeribus, 435. f. in obitu Valentini Imp. 435. p. ſint moderatæ 421. p. indices amoris 435. p.
Lacunar, opere coronario 8. m.
Lætitia pectus habet. 87. m. 102. m. cuſtos ſanitatis 382. f. in phlebotomia. 398. m. Troianorum ſuprema nocte, 287. p. Babylonis captæ à Cyró, 297. p. lucernis & lauro ſignificata 540. f.
Lancea, haſtæ genus 219. m.
Laomedon, periurus 293. m.
Lapides, quando excidendi & qui probiores, 34. m. ſeq cum militibus comparantur ib. m. qui facilius

Digitized by Google

ciſius labore & arte tractentur ib. f & ſeq. vnde oriantur quoſue habeant colores, 38. p. quadrati. ibid m. in aquam proiecti orbes deſcribunt multiplices 83. f.
Lataſtra, genus tegularum 26. f.
Lateres laudantur 35. m. duplicis generis ibid. quo tempore effingendi, ib. f. cur in ſolſtitio non ſiccandi ib. triplicis generis apud antiquos 36. p.
Latina lingua corrupta à Barbaris 170. f.
Latini vocum inopes, 275. f. num græca ſuæ ſcriptioni inſerere poſſint 328. m.
Latomia, 34 m. pro carcere 81. f.
Latrones, etiam regum cuſtodes & ſatellites dicti 284. f.
Laureatæ litteræ, victorias ſignificabant 301. m.
Laurus triumphis dicata, 137 f. ante limina regũ ac Pontificum ib.
Laus, qualem materiam requirat, 237. m. dicta militibus glorioſè in pugna mortuis, 229. p. 238. p. ſuiipſius turpis 277. m. mortuorum tuta & vtilis 434. p. apud Romanos, 436. p. ex Plauto ſupellex ad laudandum 297. f.
Lectio, quæ ſit vtilis, 15. f. vtrum vnus tantùm legendus ib. 468. f. obſeruatione digna, vel vitio quibus litteris à græcis notaretur, 268 f. rerum eruditarum eruditionem parit, 449. m. cum obſeruatione, 505. f. ſeq. 536. f 537. p 546. f. ſeq. helluari in lectionibus, 56. f.
Lectiſternia, 139 f. Lectus pro feretro 433. p.
Leges præſunt Magiſtratui, 104 p. ab improbis facilè contemnuntur, ibi. m. voluntas regis. 155 f. neceſſitate conditæ, ibi. f. Romam ex Græcia perlatæ. 172. p. 180. f quàm neceſſariæ ad Rempub. bene gerendam 198. p. plurium gentium variæ, 199. f. multiplices, 200. p. apud Romanos per quem & quando ferri potuerint, ib. m. vbi fuerint latæ 201. p.
Latæ rurſum tolli aut mutari poterant, 202. p. inciſæ tabulis æneis, columnis, &c. 203. m. ſacræ nunquam abrogatæ, ib. f. 205. f. longæ & cum prologo ſunt ineptæ, 204. p. à tribus laudantur ab Ariſtotele, ibi. m. in commune rogantur ibi. f. à Deo ſunt, ibi. f. annales 238. f.
Leges promulgare 200. f. formulæ ferendi, 554. m. formulæ probandi & reiiciendi. 202. f. quo tempore licitum ferre 203. m. derogare, abrogare. ibid. f lege agere 204. p.
Lex definitur 199. p. m.
Legati vnde dicti, & ad quæ adhibiti 166. m. conſulum 167. p.
Legationes auditæ per Februarium Romæ 147. m.
Legio vnde dicta, 247. m. Martia. 237. p. pedeſtres & equeſtres copias habebat, 249. p. ex numero impari, 247. f. ex ſolis ciuibus Rom. 248. m. quales partes habuerit, 249. p. nomina varia ab armis teliſq; 248. f. ab ordine, euẽtu, habitu, &c. 248. f. plures inſtitutæ ob plures hoſtes ib. m.
Legiſlatores varii recenſiti 205. p.
λειποθυμία 397. p. Lembus, lenũculus, nauicula breuis 322. p Lemuria 566. p. Leo Baptiſta Albertus laudatur 6. m Letharg⁹ 413. p.
Liberi, Perſarum in tribus inſtituti, 488. m. Peruanorum ad omnem crudelitatem 503. f. Libido cauſa ma-

ſa maximorum bellorum & cladium,54.f.375.m.P.Clodii inter ſacra Bonæ Deæ,133. p.141. p. à caſtris prohibenda, 231.m.Aiacis Oilei 289.m. morbos pleroſque creat,375.f.indomita animi cupiditas,511.p. Libitina : Dea funerum, Libitinam effugere, 426.p.Libitinarii, 426 p.427.f.

Libratio,9.m. Libri.de medicina 403,f.ſacri in ſumma auctoritate 430,p.Plinii,536, p.compendiarii ad quid vtiles 539,f. Muſæa organa 544,f.Liburnicæ citę naues 322,m.Liberna idē ib.f.

Lictores XII.quod Regum Rom. faſces præferebant 155,m. ante Magiſtratum 190, p. ante Conſules 159,m.in vrbe tantū Dictatori faſces præferebant 160, p.apud Prætorem vrbanum 165, m.vnde dicti & à quo primū inſtituti 189,f.tria officia habebāt ibi. f. ſubmouebant turbā 190, p. animi tumultus non poſſunt ſubmouere 192,m.verbis & clamore animaduertebant 190, f. virgam præter faſces ferebant 191,p.Legatorum 167,m. Quæſtorū in Prouinciis 171,p. Triūuirorum 174,m. Lignum varios vſus habet 37,f.coculum 363,f.

Limen 97,p. religioſum habitum 694,m.Linamenta,413,p.Linea, multiplex 9,p. varia habet nomina 30,p. Lingua multiplex apud Iaponas 497,f. vide latina

Lingula, gladii genus in formam linguæ 219,f.Linimenta. medicamentum 390,f. Lintres,fluuiatiles naues,322.m. Literæ Sinarum 499,f. diuinæ 520, f. litera lōga,grandis, minutula 431, m. literarum initia apud Romanos 554,m.literæ laureatæ 301,m.

λιτότης,figura 196.p.

Lituus, augurum baculus 123. f. 138. p.

Lixa,hoc eſt,aqua veteribus,251 f.

Lixæ in exercitu, ibid.

Locarii,ſeu deſignatores, 77. m.

Locator 10.p

Logica pars Philoſophiæ & manus, 481 m.vide Philoſophia

Loquendi formæ de rebus nauticis 332 p.

Lorica, ex qua materia 218. p Loricare parietes 99.m.

Loricula,quid ibid.

Lucerna in nauibus prætoris accenſa 316.p.

Luci ſacri veteribus 510 p.

L.Siccius Dentatus, *miles* fortiſſimus 228.m. 237 f.

Luctus in obitu alicuius apud veteres immodicus 42..p. m. Peruſinarum fæminarum, 504.*m.* in veſtitu etiam 428. f. quamdiu tenuerit apud Rom.in *obitu alicuius*,429.m publicus & priuatus quomodo minueretur, 41. m. Athenienſium 540.m.

Ludi, quibus diis ſacri apud veteres,60. p. in Theatris quem finem habuerint,72. m. in Amphitheatris,73.f. 89.m.575.p.funebres 460.p.461. m.apud Sinas initio anni 499.m. Ludorum editioribus magnus honos exhibitus,76.p.83.f.Seculares,569.f

Lumen, apud Iureconſultos quid, 9.m. luminibus obſtruere *ibid.*

Lupercal ab Euandro inſtitutum. 134.f.vnde dictum, 141.p.

Luſoriæ,naues in Danubio contra Barbaros expoſitæ, 322.m.

Luſtrandi agri formula.554.f. Luſtrum,vnde dictum,163 m.quid fit,169.m. pro lacuna lutoſa,ib. in luſtris vitam agere, ib.

Lycur-

Lycurgus prudens legiſlator 205. p. quomodo tyrones ad militiã erudierit, 213.m.

M.

MAcellum 70.p.

Machaon, princeps medicorum 405 f.

Machina quid & quàm varia 5. f. 220 m.

Mænades, Bacchi ſacerdotes 424.m

Mœnia à Spartiatis non extructa, 46.p. pericula & clades incolis creant, ib.m. vtilia, ib.m. ſeq firmiſſima, ſi ſcelera ab iis exulẽt 47. f. quàm craſſa excelſaq; eſſe debeant 88 m.f. Mœnianum 96.f. 99 m.

Magiſter vnde hæc vox, 100. f. Equitum 162.f. morum ſeu cenſor 163.p. armorum 232. m. nauis 330 p.

Magiſtratus, vnde dictus, 100.f. duo ſignificat. 101.p. quale onus ibid.m.f. primus & antiquiſſimus eſt regius, 153.p. ſacri, ciuiles ibidem m. varie ſubdiuiditur. ib 110.m. quàm neceſſarius communitati hominum, 104. m. definitur & explicatur, ibi.f. quibus fuerit delatus olim. 105. p. elegante ſimilitudine à Socrate explicatur 106.p. initus, depoſitus 109.m. duobus modis petebatur, 178.m. varius ab Auguſto inſtitutus, 105.f. Miniſtros quos habuerit, 188.p. publicus 191.m. perpetuus ex vſu eſt Reipub. 194. m. non perpetuus an ex vſu Reipub. ibi. f. ſine legibus defenſus, 197. m. pro legibus defenſus, ibi. f. quomodo legem ferre ſit ſolitus, 200. m. cunctanter creabatur 205. m.

Maius mẽſis à maiorib dictus 565.f

Malagma, medicamentum ex floribus & ſurculis 413.m.

Maleficis carminib. deuincti 516.m.

Malleoli, manipuli ſparſi, ſuccenſi in bello, miſſiq; in hoſtem 224.f

Malus in naui 317. p. quas habeat partes ibid.

Mamurius Veturius faber inſignis 131.m.

Mancipatio 555.m.

Manè à manãdo. 571.m. mana bona, manum clarum ibid.

Manipulus, pars legionis pedeſtris 249.m.

Manna 388.m.

Manum ex iure conſertum vocare aliquem, 547. m. Manumiſſionis formula, 554.f. manu aliquis in libertatem vindicabatur, 548. m. manibus velatis deditio fiebãt, 551.p.m. manumiſſio ignominioſa, 554.f. 559. f. manumittebantur ſerui tribus modis, ibi. manu quomodo ſe veteres ſalutarint. Vide Salutandi ritus, & Candidati

M. Antonius Muretus, eloquentium princeps 455.p.

M. Cæſii Scænæ Centurionis inuicta fortitudo, 228.m 237 f.

M. Varro, eruditus ſcriptor 573.m.

Mare periculis plenum, 313.f. 336. p. monſtrum 316. f. malorum, bonorum, 318.m. ab Ægyptiis deuotum. ib. fluctus decumanos voluit, 340.f. vide Tẽpeſtas, venti, nauigare, Naufragium

Maria virgo & mater Dei in imagine, 63.f. ad cælos adſumpta 513. f. precibus inuocanda 516.m. ſub mortis pugnam 418.m.

Marmor, quomodo vitietur 99.p.

Mars, non progenuit Romulum 241.p. 254.f.

Martius, mẽſis à Marte dictus 564 f

Martiobarbuli, qui plumbeis glandibus

Digitized by Google

dibus exercebantur 234.f
Martyres, digni magnificentiſſimis ſepulchris 447. f. ſuppliciis affecti, 517. p. 524. m. vnde dicti, 523. m. 526, f. vide Sancti.
Maſaniſſa anno 88. ætatis ſuæ filiũ ſuſcepit 266.f
Materia ædificationi parandæ. 32, p materiarius, materio, materiari, 37 f
Matrimonia multa abhorrent Moſei 496, f. quomodo Peruani ineant, 502 p ſeq. Romani ſedulo curabant, 553, m 559, f
Medicamenta ſimplicia, 385. p. ex variis rebus confecta 385, f. ſeq. compoſita 388, f. reſpondent, nõ reſpondent 413, p
Medicina, neceſſaria ars Architecto 8, p. morbis à Deo prouiſa 376, m. laudatur ibid. in ſuas partes diſtributa 380, m. ad chirurgos, Pharmacopolas & coquos etiam pertinet 402, f. ſeq. Sapiẽtiæ pars olim habita 405, m. ars coniecturalis 406, f. mutacur dicatur 408, p.
Medicus, vtilis & multorum inſtar 376, f. in Ægypto pro quouis morbo proprius erat 378, m. præcepta ſanitatis præſcribit, 380, m. crux ægrotantium eſt 400, f. Dominus eſt, reliqua chirurgis, coquis, &c. mandat. 403, p. ſeq. conſulendus 406, m. cur non ſanet ſemper. ibidem m. loquax morbido morbus nouus, 408, p. Meditari ſuper rebus diuinis 517, m.
Medulla hominis, amoris eſt pabulum, 387, f
Mendacium nullum apud Perſas, 488, p. m. quis maximũ dixerit, concertatur 531, p.
Memoria, doctrinarum poſſeſſio, 536, p. ſenum infidelior 267, p. 321, p. malorum ſuperatorum iucunda 337. m. 340, p.
Menſa, 370, m. ſecunda 370, f
Menſis, vnde dictus, 564, m. tres habet dierum formas 567, m. cuiuſque officium deſcribitur ib. ſequen. numero ſunt XII. 564, f
Menſores, in caſtris Rom. 251, m.
Mercator, maria terraſque pererrat. 311, p. mores, leges, &c. gentium diſcit 313, p. moleſtias quantas ſubeat ibid. m.
Mercatura vtilis 312, m.
Mercatus, cum litteris comparatur 204, p.
Meretrices à turpitudine abductæ, 517, m. Meridiari 324, p.
Meridies, 561, f. noctis, 571, m. Meroe, inſula, in qua homines non moriuntur, 19, f. Meſonautæ 330, m. Metalla 388, m.
Metaphora illuſtris in ſermone 70, f. 83, m. 408, p.
Metus, timor, formido quid. 211, f. in bello periculoſus, 272, m
Milites, ſemper in periculo & prope mortem 208, f. perniciosiſſimi mortaliũ 209, m. Tyrones Rom. quomodo exerciti ante bellum, 213, m. itemque Lacones ibid. Romani niſi gladiati eſſent, capite luebant, ibid. amiſſis armis plexi capite, ibid. m. Leuis armaturæ, 225, m. fortes ſatis armati 226, p. quinã probatiſſimi, 227, m. fortiſſimi laudantur & recenſentur, 225, p. ſequen. laudati à Cicerone 229, p. ab Imperatore ſuo poſt victoriam 254, m. deligendi quomodo & prætentandi, 250, p. 231, p. 232, m. modeſti 238, m. victu modico alti, ibid. 240, m. quinque modis mittebantur, 238, f. cincti, diſcincti, ibid.

ibid.f.256.p.ſcientes ſint oportet rei militaris,250,p. quas virtutes habere debeant probati, ibid. m. adoleſcentes deligendi, 231, m. quamdiu apud Rom. ſcripti, & quando rude donati ibid.m.quæ pondera tulerint 235, p. 240,m. vnde Milites dicti ita 225, m. quomodo in acies varias diſtributi 235,p.240,m.in ocio exercebantur 243, m. quouis menſe ter per ambulandum educti 235, m. laudati Rom. à virtute, 241, f. ſeq. quam obedientes dictis Ducum 243, f. in legitima militia quomodo ſcripti 245. p. in tumultu quomodo ibid. euocati ibid.m. 255.m. in delectu non reſpondentes proditores habiti 245, f. ſtygmatis in manibus etiam lecti 246,p.legionarii graues labores ſubibant 247, m. ex ingenuis tantum & ciuibus 248, p. tardius ſoluebantur 247, m. commeatales 545, m. Turcarum 493,f. ſequen. quomodo capti iam adhuc pugnent 496, f. Lacones cur purpurei 539.p. Charontas nolentes pro patria bellare fœminæ habitu indutos in foro conſtituit 240, m.haſtati 250,m.pilani, triarii, ibid.velites ib.f.251,p.adſcriptitii,ibid.m.accenſi, ibid. Rorarii, Ferentarii, Duplicates ſeu duplarii,volones ibid. ſigniferi varii ibid. Teſſerarii ibid. 256, p. metatores 251, m. ſub iugum miſſi 253,m.diruti ære.ibid.f.fuſtuarii 254,f.claſſiarii,ſeu epibatæ 330, m. quo ordine in acie collocati 250, m. animaduerſiones duplices ſubibant 253,m.256,m.Scipionis quanam diſciplina habiti 258,m.259, m. dictis appoſite excitandi accendendique 272,p. timidi in periculo ibid.m.311, f. deſperati timentur 276,p. glorioſi & iactabundi 276,f.279,m.281,m. vide Bellum,Imperator, Strategemata,&c.

Militia triplex, legitima, coniuratio,euocatio 245.p

Minerua,ex cerebro Iouis nata 210, f.

Minotaurus ſignum militare Romanis 255,m

Minutal,edulium 368,m.

Miracula ſeptem orbis 52,m.perpetrare 517, f.

Mitella,faſcia.398,p.Mixta 416,f.

Mithridates, venationi nimium deditus 379,p.

Modeſtia ſui 57,p.in ſcientia 68,m.

Modicus, locus mali in nauibus 326,m.

Modulus ſeu Modellus in Architectura 4.f.vtilitas 5. p.m.non fabri manus, ſed inuentoris ingenium in eo commendatur ibid. Archilai,6, m.

Momen & momentum 561,p.Monachi 517,p.65,p.

Monarchia reprehenditur 114, p. ſeq. laudatur 108, f. Romana à Iulio Cæſare inchoata 182, m.

Monaſteria duplicis generis 65.p. diligenter munienda ibid. m. an melius intra vrbem, an extra condantur ibid. opportune omnibus vſibus accommodanda ibid.f.loco ſalubri & quieto ædificanda ibid.

Monialem fieri 517, p. Monſtrum, 467

Montes, quomodo vrbibus obſint 45,m.vmbones 215,f.

Monumentum 445,f.

Mora,paruula plurimum ſæpe prodeſt,

Digitized by Google

deſt 177.m.
Morbi, omnis generis deſcripti, 374.p.406.m. capitis 374.m. oculorum,aurium, narium, ibid. m guſtatus,faciei,pectoris, manuum,pedum ibid. f naturæ ib. ventris, 375. p. mentis ibid. m. à luxu propagantur, ibid. f.381. m. comitiales vnde dicti, & quæ habeant indicia 178. f. eſca & potu omnes fugantur, 386. f. animum conſeruant ſanum,394 p.395. f.ſontici, ibid. m effi. iunt homines moroſos, 400.p. ſeq. quidam à parentibus trahuntur 406.p.breues, acuti,conſiſtunt &c.413.p.debilitant 436.m.
Mordere dictis,278.m.300.m.359. m.humũ in occiſione 296.m.
Mores, gentium diuerſarum deſcripti,486.f.ſeq. Perſarum 488. p.Ægyptiorum 489.m.ſeq Scytharum,491.m. Turcarum 492. f.Moſcorum, 495. m.Iaponum, 497, m.Sinenſium, 499. p. Peruanorum 500.f.
Mori,abire apud veteres, 54. p. in naufragio,336. p.319.p. f.etiam ſapientes metuunt,338.m. 477. p.æquo animo munitum omnibus Sacramentis,417.m. omnibus neceſſum, 421.p. 422. m. 424.m etiam potentiſſimis regibus 423.p. ſeq. naturæ debitũ reddere 428.p.
Morientis hominis deſcriptio 463. p. morituris halitus ſupremus ore excipiebatur, & oculi claudebantur, 425. m. nummus in os,& placenta in manu data 452. m.453.m.
Mors quibus formidabilis,465.m. acerba infantibus, 466. m. mortis commonefacti Imperatores Conſtantinopolitani, 465. f. Peruani poſt nuptias funebrem tunicam texunt, 502. f.mortem ſibi inferre putabant quidam veteres eſſe licitum 451.m. Mortui poſiti, collocati, 434. f. cremati extra patriam 540.m.ſummi, infimi, 464 m. effigies in conuiuiis Ægyptiorum circumlata, 490. m. Mortuis ſerta impoſita, 439. m. μακαρῖται dicti, ibid. Mortuos ſæpius acclamarunt 427. p. apud monumenta epulis paſcebant 459. f. valere iubere 460 p. 461. m. mortuis leuem terram precari 460. f mortuos ſuos Scythæ 40. dies circumuehunt 491. f. mortuorum oſſa ſalubriter conſiderare 461. p.
Moſci, quales habeant mores 495. m. verberationes amant 496.m.
Mulier vterum ferens pallet, 38.p. Ægyptia viri munia obit 489. m. cauſſa plurimorum malorum 54.f.590.p. vt Helena. 294. m. ambitioſa.61.p. apud Romanos dedita lanificio.541. f. Mulieres Rom. vnde fœcunditatem concipere putabant, 135. f. cum pediſequis in publicum prodibant, 424.f. in arena pugnabant, 575. m. æque podagricæ ac vinolentæ ac viri, 396. p. pauperes vniones pro lictoribus habebant, 190. m. Troianæ vrbis ſuæ excidium lamentantur 188. p. 290. m. captiuæ, 291. m. 292. p. venatrices, 577. p. corpora mortuorum lauabant, 426. m Syracuſanæ non audebant ſe auro or-

nare

Digitized by Google

nare 540.m.
Multæ minimæ formula 555.p.
Mundus, ex atomis ſecundum Epicureos, 475. m. res fugaces amat. 5 7 f. mundi innumerabiles ex Democrito, 484.m.
Munera viſcata, ſeu hamata 345 f.
Muria, ſalſugo, qua carnes à putredine ſeruantur 367.p.
Mus, multas habet ædes, oſtiaque, 119.p muſcipula intercipiendus, 3 9.p.
Muſculus, machina bellica, 223.m. piſciculus, qui Balænas in mari ducit ib.m.
Muſæ cur Helconem & montes habeant, 71.p. pro literis 544.f.
Muſica architecto neceſſaria 7.f.
Myoparo nauis 322.m.
Myrtus in ouatione adhibita pro coronis 308.p.

N.

NAſci, denuo ſibi viſus, qui patriæ reddebatur 108.f.
Natare diſcebant Rom. Tyrones propter bellum 233.p.
Nauale, locus vbi naues conſtituuntur, aut reparantur, 89. m. 330.m. Textrinum olim 333. m.
Naufragia 314.m. 335.m. 336.f.
Nauigare, ſublatis armamentis, 212.m. inſania eſt per mare 311. m. ſalubre ad morbos depellendos 312. f. à ſceleribus immunem præſtat, 313. p. cum ſummis periculis, ibid. m. Anticyras, 333. f. 335p. Nauigatio prima, ibid. m. ſecunda ibid.
Nauis ab auium volatu inuenta, 319.m. aliiſque, ibid. argo nauis opera Mineruæ ab Iaſone fabricata ibid. f. ad varios vſus adhibita, 320.m. ex qua materia optime ſtruatur, ibid. in varia genera diſtribuitur, ibid. f. à variis varia nomina accepit, 323.f. 331.p. quas habeat partes, & explicantur 326. p. quæ inſtrumenta. 327.p. loquendi formæ de rebus nauticis, & prouerbia, 333. m. naues ſubducere. 334. f. nauim ingredienti bene precari ſolebant, 544. p.
Naumachia in Amphitheatris 75. f. Naupegus 330.m.
Nautæ, qualia in mari incommoda & pericula ſubeant. 313.f. ſeq. 314.m. in patriã videntur impii, 314.f. 318.m. improbi, 315.p. Deo aduerſari videntur, 318. m. tres digitos à morte abſunt, 316.m. quinam propriè 329.f. magiſteria & varia miniſteria habent, 330. p. ſeq. Deos tutelares habent ibid. f. Nautea, quid 329. m.
Nebulæ, montem obſidẽtes 45.m.
Neceſſitas, acuit ignauiam. 259.m. ſummum habet imperiũ, 288.p.
Necopinato, vna vox, vt ante malorum, ſubterlabentia, 118.f.
νεκροθάπτης 427.f.
Neptunus Troiæ excidium deplangit 291.m. cum ſuis Numinibus velut familia 315.m.
Nero purpurea vela in Amphitheatro induxit, 77.f. quales aquas in ſua balnea induxerit, 80. m. inſana eiuſdem ædificatio 6.m.
Nexus faciendi formula 555.m.
Nobiles ſoli apud Moſcos feriantur, 495. f. in ferendis teſtimoniis multum valent 497.p.
Nomenclator apud Rom. cur inſtitutus 158.m.
Nominalia, 572. m. Nonæ 567. m.
Nongenti tabularum cuſtodes, 202.f. Noſocomium Diis loco ſalubri ſtructum 81.m.
Nota-

Digitized by Google

Notare, notum ſcribere 192.p.
Nouember, Dianæ ſacer 567.p
Nox. 563.f ſeptem habet partes. ibid. in 4. vigilias diſtributa ibid. illunis. 564.p. ſubluſtris ibid.
Numa Pompilius pop. Rom. religionem & cærimonias docuit. 136.p.
Numantia exciſa à Scipione Africano 258.m. 259.p. vexauit deleuitq́; multos Romanos 267.m
Nundinæ 562.m. an ſint feriatæ 572.p.
Nuptiæ, menſe Maio cur Romæ non celebratæ 566 p. Athenienſium quales. 537.f 538 f. bilis debet abeſſe à nuptiis. 539.p. lectus genialis poſitus in nuptiis. 541. m. puer coronatus præceſſit cũ cunis & panibus. 546.m. nuptialis carminis formula 549.p.

O.

Obedientia, militaris Romanorum 243.f. 262. m. violata grauiter punita 254.p. 255. p. Summo Pontifici deferenda 518.m.
Obſeruantia, Moſcorum erga ſuum Principem 495.m.
Obſonator, deſcribitur. 343. f. ſeq. vnde dictus. 345.p. 365.p. Domini ſui gulam cognitam habeat 345.m.
Ocium, malarum artium lues. 155. f. Romam perdidit. 209.f. valetudini obeſt. 175. p. venatione fugatur. 577 f. oſcitatio punita à Romanis 164.m
Ocreæ, quid & vnde dictæ 218 m.
October Marti ſacer 566. f.
Oculi in amore duces 65.f. morbis quibus obnoxii 374.m. ex vario aſpectu varias rerum imagines hauriunt. 93.m. 94.f. ſeq. Augusti, Alex. Seueri 107.p.
Oculus in naui 327.m.
Odium pluſquam ciuile 118.f.
Odoramentum 391.m. Odoratu canes præſtant 581.m.
Oeconomia in ædificatione 96.m. Oeconomus deſcribitur. 341.m. ſeq.
Offa, ſeu iuſculũ optimum 349.m.
Officinatores, qui extruunt ædificia 30.f.
Olympias quid 569. m
Oneraria nauis 322 f.
Opifices muliebres. 232.p. quàm ſint homines importuni ibid. & ſeq.
Opinio homini de aliqua re multum valet ad omnẽ rem. 402.m.
Oppidò vnde tractum. 51. m. Oppidum vnde dictum ibid.
ὀπτήριον precium per loci occupationẽ in Amphitheatro 77.m.
ὀπτική 9 f.
Optio, idem quod accenſus, ſeu adiutor Centurionis 252 f.
Opus, inteſtinum & albarium 69.p
Ora pro fune nautico. 318.f. Oracula, ab oraculis redeuntes flexis genibus excepti. 357.f. Oraculi Delphici formula 555. m. Oraria nauis 322.p f.
Oratio ſeu precatio, cur à Chriſtianis geminetur. 62 p. oratoria quæ nec caput nec pedes habet 471.m.
Oratores, quàm multa ſcire debeant. 15.p. in vtramq; partem diſputant. 46.p. vide Diſputator. multa ſibi ſumunt in diſſertationibus. 56.f. & ſeq. humilia & abiecta laudauerunt quidam 395.p melius de alienis dicunt, quàm illi ipſi, quorum ſunt propria 39. m. 51.f.
Orbis, pro terra continente 316.p.

Orche-

Orcheſtra 73.m.77.p
Ordinatio ſeu τάξις in Architectura 4.m
Ordines ſacros ſuſcipere 518.f
Oſcitatio, oritur ex languore. 406. m. punita à Romanis 164.m
Oſculari, limina, poſtes, colūnas, &c. ſolebant veteres. 298.m. Deos tribus modis ſolebant. 542.m. varias partes corporis ob varias cauſas ibid.f
Oſſa, in oſſuaria conſeruantur. 462 p. vnde dicta. 465.f. in corpore mota, & repoſita ſedibus ſuis. 413.f. in ædificiis. 98.f. Oſſorium ſeu Oſſuaria 462.p
Oſtia. 99.f. in ædificiis. 28.p. in Circis & Amphitheatris. 75.p. Oſyris, Ioui templa ex auro cōſtruxit 23.m.
Oua, optimus cibus. 349.m. varia. 368.m. maxima ſtruthiocamelorum. 501.p. in piſcibus. 367.f. Ouatio, vnde dicta 307.f. quibus primò, & ex qua cauſſa conceſſa. ibid. 308.p

P.

Pædia, nutrix. 87.f. Pagani, vicani, 240.m.
Pœnæ, octuplices apud Roman. 179.p. apud Inferos quorundam 392.p
Palæſtra. 84.f. varia ſignificat. ibid. quas exercitationes habeat ibid.
Palma, parmula in remis. 329.m. Palladium Mineruæ ſignum 109.p. Palmus 76.m
Palpationes 277.f. 281.f
Palpebra, concidit, excidenda, laxanda, &c. 413.f
Paludamentum veſtis imperatoria 137.f
Panicula tectoria 284.m
Panis vtilis, variis modis coquitur. 306.m. cibarius. 369.m
Papiliones, animalia, item tentoria. 238.m. aliter tabernacula, pelles ibid.
Paradiſus, vbi ſit, hodie ignoratur. 386.m. Paralyſis 414.p
Paraſiti quid officii gerant. 277.m ridiculi. 282.m. 372.f. guloſi & edaces. 277.f. duplices olim erant. 372.f
Parazonium pugio de zonâ dependens 219.p
Parietes in ſtructuris. 16.p. quomodo excitandi iuxta columnas. 23.m. ex quâ re dignitatem accipiant. ib. m.f. vnde facilè interſcindantur. 2.p. à variâ materiâ varia nomina trahunt. ib.m. quas partes habeant. 98.f. cæci. 25.p.
Paris Priami filius expoſitus & à paſtoribus educatus. 293.f. ſeq. Helenam rapit 294.m.
Parma, vnde dicta. 216.p. in arenâ adhibita. 226.f. in remis 329.m
Parochus cum ſubditis. 518.p. Paroxyſmi, acceſſiones 414.p
Patricida, quis. 171.m. Patricidium fœdum apud Perſas 488.m
Partes ſibi ſumere, agere, depoſcere 571.p
Partitio, in ædificatione. 16.p. 21.f Vide Œconomia
Paſſio Chriſt. 518.m. Paſtilli, medicamentum. 390.m. differunt ab emplaſtro 413.f
Παςοφόριον, Sanctuarium auguſtiſſimi Sacramenti 513.f
Pater patratus, princeps Fecialium 127.p.
Patres, vnde dicti. 143.f. Conſcripti 144.m. 152.f
Patria, dulcis audienti. 227.f. Patricii. 143.f. Patrinum fieri. 518.m.
Pauicula. 27.m. Pauimentum, quid
&

& vnde dictum ibid.
Pauperes verecundi. 516.p. Paupertas graue onus 311.m
Pauſam facere. 323.f. Pauſarius in naui 330.m
Pax culta à Numâ Pompilio. 120. m. per templum Iani ſignificata. 136. m. cum militiâ collata. 206.p.ſeq. inimica diſcordiæ. ibi.f. dulcis grataq́; 208.p. quæ commoda ferat. 210. m. belli finis 244.m
Peccatum, originale. 518.f. veniale. ibid. ſuſcipere. ibid. Vide Scelera
Pecunia Diis cuſtodienda tradebatur. 69.f. multos perdidit. 342.p. quanta à P. Æmilio è Macedonia in ærarium illata. 309.m.
Pelta, quid & quibus in vſu 216.f
Penu, penus 364.p.369.p.
Perdix quomodo ſuos pullos ab Aucupe ſeruet 584.f
Perduellem damnandi formulæ 556.m
Peregrinati religionis cauſſâ. 518. f.ſeq. Pergula, à pergendo 96.f
Pericles, laudatur ab Eloquentia, & quàm religioſus in verbis fuerit 238.p
Peripatetici Philoſophi. 478.p. ab inambulando dicti. 480.f. ab Ariſtotele propagati. ibid. ex omnib. Philoſophis optimi 481.p
περιρραντήριον, vas aquæ piacularis 503.f.
Periſtylia, loca columnis incluſa 23.m
Perpendiculum 31.p
Perſæ, quomodo legis reos punierint. 487.f. idololatræ 489.p quales mores habeant 488.p
Pes in nauibus. 328. p. Peſſimũ publicum, id eſt, publica calamitas 204.m.
Peſtilentia, contagioſa lues. 375.m pecudum hominumq́ue. 378.p 406.p
Petere, idem quod aggredi, ferire 239.m.
Phalanx, Macedonum. 248.p. vectis ad impellendas vel ſubtrahendas naues 327.m
Phalarica machina bellica 214.m
Pharetra theca ſagittarum 220.p
Pharmaca, varia ſignificatu 408.f
φάρμακοι tẽpore peſtis oblati 518.f
Phaſelus 322.f
Philoſophi omne abſurdum aſſerunt. 441.m. 481.f. Magiſtri errorum. 442.p. arrogantes, auari. 467.m. diſcordant opinionibus. 484.p. Brachmanes tolerantiſſimi. 483.f. Vide Stoici, Acad. Perip. Epic.
Philoſophia vtilis Architecto. 7.f laudatur. 43.p. 467.m. 472.m. 473.f. ſtudium Sapientiæ. 483. m. animali, ouo, agro, ciuitati comparata. 485.f. cum vitâ debet concordare. 336.m. opes etiam ſecuras habet in naufragiis. 338.f. in 4. familias diuiſa. 473. m. duas partes habet. 474.f. ſub fabulis tradita antiquis 481.p
Phlebotomia deſcribitur 396.m. ſeq.
Phœnix cur non coquatur, vt aliæ aues. 352.f. nobiliſſima, eaque vna auis 354.f
Piaculo, as. 558.m. Pignus capere. 154.f. Pilani. Vide Milites.
Pileus Theſſalicus quibus permiſſus in Amphitheatro 76.f
Pilulæ medicamentum varium vſum habentes 385.m
πιναχοθήκη 97.f.94.p.f
Pinna in piſcibus. 367.f. Piraticæ naues 323.p
Piſca-

Piſcatio.586.m. fit variis inſtrumentis.587.m.cap. à etiam ibi.f
Piſcator deſcriptus 586.f
Piſces viſco capti. 585.p. quando capiantur.586.f.587.p.varii ibid. 367.m. ſquamoſum pecus. 344. f.ars coquendi.349.p. Rhodiis in deliciis. 351. p. varia fercula varii præbeat.353 p. parare.356. m. alii alios deuorant ibid.
Pituita medicamentis ſuſpenditur 414.m
Plateæ, quales in vrbibus condendis conſtituendæ 49.p. 55.f
Plato apex Philoſophorum 468. m Cygnus 471.f
Plautus iocorum promus.25.f. 221 m.277.m. Plotus etiam dictus, quando floruit. 545.m
Plebs pars populi 200.m
Plinius laborioſiſſimus ſcriptor. 535.f. laudatus.545.p. hiſtoriam naturalem ſcripſit 536.p
Plumarium. 94.p. Plumbum,pro ſtupore,hebetudine.&c. 484.f
Plutei machinæ bellicæ 222.f
Poeænium 368.f
Podagra, carnificina crudelis.391.f laudata.393.m.394.p.reprehenſa 392.f
Podalirius princeps medicorum 405.m
Podium quid.75.f. in Amphitheatro.76.p.ſeq. munitum aduerſus ferarum aſſultus. ibid. penſile.96.f.ſupra fundamentũ 98.f
Pœnitentiam imponere.513.p.verberationem voluntariam.513.m ſuſcipere.535.p.517.f.519.p. Politici,proſunt Reipub. 41.f
Poetica initium à Saliis Romæ accepit.132.p. Pollinctores.426.p. 427.f
Polyphemus quàm grandem oculum habuerit 215.m
Polyxena ſuper tumulum Achillis mactata. 291.m.292.m.299.p
Põpa triũphalis deſcripta 303.f.ſeq oualis.308.m.funeriũ.432.f ſeq. Chriſtiana ſupplicatio 519.m
Pompeius triumphat. 306 p. laudatur.309.p. Pomum decumanum, nanum 371.p
Pontes vbi ſtruendi.90.m. vbi facilius à tempeſtatibus diruantur.ib.f.in nauibus 327.m
Pontifex maximus primus à Numâ lectus. 121.p. eius poteſtas ibi. Pontificum Collegium, aucto numero.ibi.m. ad alios magiſtratus gerendos adſcitus. ibi. f. vnde ſic dictus 137. m. Summus hodie Chriſtianorũ 519.m.
Ponto nauis in fluminibus pro ponte 323.m
Porci infames apud Ægyptios. 489.f. in fœderibus percuſſi ſilice.553.m. Porcina caro in deliciis Sinarum populo. 499. m.
Porculus Troianus 367.m
Porta in vrbibus.51.p. obliquos ingreſſus habeat.48.m. Porticus 97.m
Portitor,portorium 330.m. 331.m
Portus quid. 89. p. naturales alii, & alii artificiales ib.&90 p.92.m
Proſcenium.73.m. Poſtes 97.p
Poſthumi nepotes, quà formulâ hæredes inſtituerentur 556.p
Potitii & Pinarii Sacerdotes Herculis. 133.f. puniti ab Hercule. 134.p. quem ritum in ſacrificiis tenuerint. ib.p. vnde orti 141.p
Præceptorē M. Aurelius aurea ſtatua decorauit.438.f. Vide Amor.
Præcinctiones in Amphitheatro 76.f.
Præciæ, opifices ab operibus prohibebant 138.f
Præcones varii ob varia officia 189.m. Præconis verba in ſacrificiis 556.p

Præ

Præconium facere 189,f
Præda militaris 285,f.291,p.292,p.
Prædeſtinatio, vox Theologica, 519,m.
Prædicantes 519, m. Vide Hæretici
Præfectus vrbi abſente magiſtratu 157,m.177,m. in triplici genere apud Rom. ibid. vrbis quod officium habuerit 183,m. ærarii ibid.f.
Prætorio 184,p.frumento, ibid.f. vigilibus ibid. Ægypti 185,p.
Præfecturarum ibid.m. conſulares quatuor ibid.m. à Conſtantino Imp. quatuor creati 184,m.
Præficæ, in funeribus adhibitæ 284, f.
Prærogatiua 203,p.205, f. Prenſare 178,m.
Prætor cur & quando in vrbe creatus 164.f. vrbanus, ibid. Peregrinus ib.f. formula in iure dicundo 165,p. vrbanus duos vel ſex lictores habebat ib.m. Prouincialis ib.f. vnde dictus 180,p
Prætorium, hoc eſt tabernaculum Prætoris 171,m.184.p
Precationis formula 555,f
Preces in obitu 419, p. 420, p. pro defunctis 443,m.460, m. 432, p. honorariæ 515,f. Deo adhibitæ 518,m. bonæ & malæ 558,f
Prandium ſtatarium 368, f. abſtemium, paſſerinum ibid. caninum 370,p
Priamus ſenex arma contra Græcos induitur 290,m. Ilium ab Hercule euerſum amplificauit, 293,f
Principes iuuentutis 183.p. 187,m. nobiliſſimi f.
Piſtis ſeu Piſtris nauis 323,p
Probandi rem formulæ 114.m.118, m.
Procinctu. 98,f. Progreſſus, aggeres obiecti fluctibus 90,p. χώματα græcis ibid.
Proconſules quando creati & cur. 160, p. quamdiu in Prouinciis hæſerint ibid.m, in tribus accuſabantur 161,p. imperium magnum habuerunt ibid.
Proculi qui dicti 570,m
Πρόληψις quid Epicuro 476.m. Ciceroni. ibid. Philoſophis 485,p.
Promulſis cœnæ aut prandii initiũ, 368,m.
Pronomen expreſſum ſuppreſſo proprio magnam vim tribuit orationi 298,m.
Prophetæ 519,f. Propomata 368,m.
Propingenum os fornacis 80,m.
Propter, pro prope, iuxta, apud 466,p
Proprætores 165, f. Proquæſtores 171,f
Prora 326,p. Proreta 330,m. Proſcenium 73,m
Proſumia ſpeculatoria nauis 323,m
Protoni, funes à prorâ & puppi ex malo ſuſpenſi 328,m
Prouincia, in formam Prouinciæ redigere 187,f
Prouinciales ibid. Prudentia præſtantiſſima virtutum 472.p
Prymneſium funis alligans naues ad oras littoris 328,m
Prymnetes 330,m
Pſalmi 519,f. Pſeudothyrum 97,p. 99,f
Pueri è palliatis ſumpti expoſiti in fabulis 544,p
Pugio, à pungendo 219,p
Pugna à ſigno edicta 253,p. non facile ineunda licet alacris ſit miles 268,m. quod maximè idoneũ tempus requirit 273,f. ſeq. locum altum tutumque poſtulat 274,p. intra Ilium 283,m

Digitized by Google

Pulchritudo mouet oculos 106,f. 108,m. Demetrii Poliorcetæ mira aliorumque 106,f. Pulchrè ter repetatur 152,p
Pulpa, pulpamentum 367,p
Pululli, ſerius Senatoribus inſtrati in Orcheſtra 76,m
Puluini machinæ nauium 327,m
Puluis excitatus ſignum eſt profectionis 255,f. eruditus, pro mathematicis diſciplinis 339,p. puluerem mortuis iniicere 434,f
Puppis 326,p. puppis & prora Prouerb. 333,p. mouere puppim ibid.
Pus, maturat, exedit 414,f
Putei vbi fodiendi, & qui ſalubriores 28,f
Pyramis 13,f. Pyrum varium deſcribitur 371,m
Pyxis nautica 327,m. 329,m.

Q.

Quadrageſima variis formulis expreſſa 519,p
Quadrans, ſeu res quadrantaria, precium lauationi perſoluendæ 80,f. 86,f
Quæſitores hæreticarum cauſarum 516,m
Quæſtores ærarii Præfecti 67,f. 170,p. vnde dicti 169,f. Prouinciales 170,f. Prætores ſuos amabant vt parentes 171,p. Parricidii ibid.m
Quæſtorium, tabernaculum Quæſtoris ib.p
Quatuoruiri curandarum viarum 174,p
Querimoniæ chirurgorum 402,f. ſeq. Vide Luctus
Quinqueuiri, menſarii, contra rem fœnebrem instituti 173,m. turribus murisque reficiendis 174,p

R.

Radices in medicamenta adhibitę 387,p
Ranæ in deliciis quibus 358,p
Rates 323,m. Ratiarii, ratium moderatores 330,m
Recitare è ſcripto 154,p quale impedimentum è ſcripto ib.m
Recte atque ordine formulæ Senatoriæ 55,f
Reduuia 378,m
Regere fines, pro, diſcernere, ſtatuere 505,m
Reges poteſtatem à Deo accipiunt 102,m. Deo ſubſunt ibid. venerandi ibid. f. poteſtatem habent & antiquiſſimam & ampliſſimã 103,p. quale munus debeant obire ibid.m. quinam deligebantur 105,p. Dii dicuntur ib. m. Sunt anima ciuitatis ib. f. fulminare dicuntur 106,p. 111,p. ſacris præfecti olim ibid. 124,p. iidem immunes à bello ibid fugere debebant peracto ſacrificio ibid. m. à veſtalibus inuiſi quotannis ib.f. quo honore affecti varii à variis 106,m. pulchrine an deformes potiores habendi ibid. f. pulchri olim deligebantur 108, p. quas virtutes habere debeant ib.m
Reges melius quam populus aut optimates regunt 17,m. Septem primi Romanorum 135,f. 154,f. lictores in officio habebant 155, p. ad cuſtodiam 156,p. ſuperbi 195,m. magnifica opera poſteritati reliquerunt 19,f. Regis inaugurandi formula 556,p
Regifugium, dies quo exactus vrbe eſt Tarquinius 180,f
Regio pro ædificatione ſeligenda 16,p. apta quæ ad ædificandum, ibid.f.

Digitized by Google

ibi. f. ſalubris à temperie cæli ac ventorum,17,m.18,m. à probis aquis, 17,f. ab incolis optimè conſtitutis,18,p.f.à variis acceſſibus,ibid.m. à fructibus ſerius, aut citius putiſcentibus.ib. ab animalibus eximiis & nitidioribus.ib.f. ab arboribus rectis aut proclinatis ibi.ſi ſingularia quædam efferant 20,p
Regionum quarundam ſingularis natura,19.p. ornamenta & miracula,ibi.f. Diuis olim & nunc conſecratæ ib.f.
Relegandi formula 556,m
Religio neglecta cladem regnis parit 120.f Chriſtiana.510.f. reſtituta 519.f. Religionum conditores.515.f. Religionem inire. 516.m. 520. p. religionis Tyro, ſeu Nouitius 518.p
Remi, conti in nauibus, 327,m. tonſæ etiam,ibid. loquendi formæ 332,m
Remigatio,330,p. Vide nauigare.
Remulcus, quo maior nauis minori alligata in littus trahitur, 328,m
Rei cum tintinnabulo ad ſupplicium educti 305,f
Repotia, 369,p. Res ædificationum,id eſt,ipſa ædificatio,29,f. 30,p
Reſpub. commendatur & qualem rectorem deſideret 100.m Summa eleganter dictum, 108, m. tres habet ſpecies, 119,m. Romana à ſuis Imperatoribus oppreſſa,181,f.182.p.in deſcriptione & cognitione magiſtratus verſatur 103,f.
Rete,piſcatorium,586,f. vnde dictum 590,p
Reticulatum opus 30,m
Rhamnuſia,ſeu Nemeſis, in ſolentes hominum faſtus punit, 52,p
Rhodus quouis die alicubi à ſole luſtratur 337,p.340,p
Riſum debere & ludibrium 55,m
Ritus priſci,535,m. vtiliter cognoſcuntur,543,m. à quibus deſcripti 544,f
Robur locus dirus in carcere 82,m
Roma, 197,m. omnis recta habuit è ſcandalis, 26,m. nihil de vetere formâ habet, quàm ruinas & rudera,41,p. vrbs κατ' ἐξοχὴν, vt Athenæ ἄστυ, Alexandria πόλις, 53,f.cur æterna dicta ibi.f. quando condita,54,p. tria præcipua fora habebat, 68,p. Theatra qualia,73,p. Templum mundi, 120,m.ſub religione & ſacris infantiam duxit,ibi.p. ocio perdita,209,f. in libris & tabulis imperfectiſſima 307,m
Romani, extis probabant vitiatas aquas, aut loca futuris ædificiis in deſignanda,aut caſtris, 17,f. quamdiu & cur ſtatuas in ſuis templis non poſuerint, 61,f. aſpectu imaginum ad virtutis, virorumq; imitationem accendebãtur, 63,m. crudeles in Amphitheatris,74,p. effuſi & cupidi ad ſpectandum, 77,m. antequam cœnam inirent,lauabant, 84,m. murænis piſcibus delectati, ibid.m. dies ludo,noctes ebrietatibus ducebant,86,p. victores gentium perfectiq; in omni diſciplina,103,f.241, f. ſeq. decurrebant in lupercalibus,135, p. erga Deos religioſiſſimi, 137, m.282,m.559,m,laudantur,150, m 243.p.ſeq. virtute & exẽplis clariſſimi, 141,f. ex tribus cognoſcitur,quanti fuerint, 151,p. quantum armis inſtructi, ibi. m quantas pecunias in numerato

habu-

habuerint, ib.f. in tres claſſes diuiſi,152,p.153,p. agros colebant, 191,m. bello quot regna domuerint, 209,f.241,f. in bello omnis generis artifices habebant, 213,p. cur finxerint ſe à Marte prognatos, 241,p. gloria aucti per bella, ib.m. ſeq. humani ergà deuictos, 244,m. quo more bella indixerint, 470,p. ſoluti Sacramento militari neminem occidebant, 245,f. in caſtris etiam ſtudebant, 257,p. duces innumerabiles, 256,f Troianorum nepotes.287,p. aliqui filios ſuos mortuos non luxerunt, 452,p. viribus cædebantur,540,m. patricii alii, & alii plebei,541,p. honoratiores in theatris plauſu excepti, 543.p

Romphæa gladius vtrinq; acutus 219.p

Rorarii milites,225,m.251,m. Vide Milites.

Roſa regina florum, 386,p.388,m. cum infantia confertur, 440.f Muſę roſis coronantur 441,p

Roſtratæ naues, 323,m. Roſtrum in nauibus 326,m

Rudentes, à rudendo, funes nautici 328,p

Ruſtici aptiſſimi ad bellum 231,p. candidum reſponſum ad regem Antiochum 579,m

S.

SAccharum è variis componitur 389.f

Sacer 205,f

Sacerdos exauctoratus, 513,p,521,m. primas Deo hoſtias offerens 515,m

Sacerdotes Rom. primus inſtituit Numa 120m.

Sacerdotium 534,f

Sacra, varia apud Rom, 125,m. Lybiſſa & Argea,126,f. Saliorum, 131,p. Bonæ Deæ, 132,f.ſeq. Herculis,133,m.134,p. Lupercalia, ibi.f. Cybeles.135,p. Veſtæ, 139,p. Suouetaurilia, 179,m. Bacchica 424.m

Saturnalia, 567 p. Vacunalia, ibid. m. Februa, ibid. Feralia, 571.f funebria,459,m. Chriſtianorum,421,f.434,p.520, p. facturus dicebat. ἀφημεῖτε 540,f

Sacra ſupellex 520,p

Sacramentum, æs erat in rebus diuinis abſumptum,174,f. militare in ſumma religione, 245,m Sacramento contendere, 52,p. Sacramenta Eccleſiæ frequentare 520,f

Sacrificium diuinum, aliter, Miſſa 510,m

Sacroſanctum quid dicatur 186,f

Sæculum quid & vnde dictum 369,f Sagina 365,p

Sagittæ, vndæ dictæ 219.f

Sal quantam habeat vtilitatem 365,m.f.369,m. purus, grumus, flos 368,m

Sales,528,m.ſeq. in triumphantes ſparſi,306,m. Salgama obſonia 345,p

Salii ex qua cauſſa conſtituti,131,p. ſeq. à quibus, 140,f. Collini, Quirinales, Pauorii, Pallorii, &c. 132,m

Salluſtius hiſtoricus neruos & grauitatem habet, 241,m. eius hiſtoria belli Iugurthini per compendium recenſita 257,m.

Saltus, vtilitatem habet in bello 233,p

Salutandi ritus apud Perſas, 488,p Ægyptios,490,f. Turcas 492,f. Moſcos,497,p. Iaponas,498,m. Sinas 49

Digitized by Google

Salutatores quinam,158,m. ſalutare limina domus, &c. 290,m 292,m. 298,m. ſalutigerulus puer 232,p

Sanari.414,p. Vide valetudo,corpus,morbi

Sancti ſeu Cælites ſuam in homines opem declarant in templis, 58,f.in imaginibus colendi 63,p varii à variis laudantur,ibi.f. ex precioſa quaque materia efformandi,64.p. tutelares nauigantibus.336,m.331,f.ſingulari cultu affecti, 513,m. parui à nobis fiunt,524,p.ſepulchra aliaq; illis extruenda ob virtutem & miracula,447,m. in Sanctorum numerum referri 510,m

Sanguis bonus bonam valetudinem parit,382.f. Miſſus ignauis militibus, 256,m. vt detraheretur è venis animalia docuerunt, 391,f. Miſſio ſanguinis deſcripta 396,m.ſeq. ſi crebro mittatur, obeſt,397,m. periculum miſſionis, 398,f. ex naribus fluit 414,f

Sanies exit è vulnere, 414,p.

Sapientes leges,mores,religiones, &c.conſtituerunt 43,m

Sapores varii obſunt valetudini, 384,f.multiplices 350,p

Sardanapalus ſe,ſuos,ſuaq; in pyrâ exuſſit,453,p. quale Epitaphium habuerit 456,f.458,m

Sargus piſcis, amat valdè capras, & earum odore capitur facilè, 587,m.591,p.

Sariſſa Macedonum telum 227,p.

Scala qualis in ædificiis,28,m.97,f. longior areola intexenda, eſt, 28,f. ad oppugnādum inuenta à Capaneo 224,p

[illegible]alaria in Amphitheatro 76,f

Scalmus in naui, 326,f. Scandula, 26,m

Scapha,8,m.28,m.pro naui,323,m

Scarificatio 406,m

Scelera inſignia robore digna, 82,m. homines ad miſeriam dederunt,374,p.primi parentes cauſſa morborum, 376,f. 386,m. cumulantur, 378,m. capitalia, 517,m. ſuſcipere,518,f. quæque dira audent homines,488,f. Vide homines,Peccatum

σκελετοφυλάκιον oſſorium, ſiue oſſuaria 462,p

Scena in Architectura 4,f,in Theatris,73,p. verſatilis,triplex,ibi. in Venatione contra feras 580,f 582,p

Schedia nauis temporaria, adſcriptiones quæque ſubitas transfertur 323,m

Scholæ in balneis,79,m. litterariæ quales habebant exercitationes, 95,m,f

Scientia propria vnumquemque ſatis diſertum facit, 4,p. 39,m. militaris.230,p.261,f.Vide Philoſophia

Scipiones duo,256,f. quas res geſſerint.ibid.Africanus apud Numantiam multa bona in rem militarem præſtitit, 258,m. Legatus Lucullo,262,f. Imperator natus,275.m. Vide Imperatores

Scorpio ſagitta venenata, 220,p. machina bellica 224,m

Scribæ,Romani varii olim,188,p. qualia officia obierint,ibid. viles homines & inglorii ib.m.f

Scribere dicam,588,m,formulā,ib.

Scriptores non ſtatim damnandi, vbi caligant 487.f

Scriptum facere, hoc eſt, ſcribam eſſe [illegible]p

Scre-

Digitized by Google

Scrofipaſcus 590,f. Scrupulus pro religione 520,f
Scutum 214,f. qua forma fuerit 215, p. delicatius ornatum 273,m
Scytharum mores 491,m
Sectio calculorũ quanta crux 393, p. Vide Anatomia
Seditio in caſtris quomodo compreſſa à L. Sulla 273,f
Sellæ familiaricæ 99.f
Semiramis parietem vnum ex ſolido lapide extruxit 23, m
Senaculum locus, in quo Senatus conſidet 147,p
Senatores, veteres ingreſſi templũ, priuſquam conſultarent 66,p. quot Romæ fuerint, maiores gentium 144, m. 153, p. conſcripti 144,m. lecti quomodo ib. f. Podarii 145, m. qualia munera ſub principibus exercuerint 146, m. ante conuentum hoſtiam debebant offerre 147, p. quomodo coacti venire ad Senatum, & abſentes quomodo puniti 148, f. Orcini ſeu abortiui 152,f. numerati quo tempore 154,m. quantũ habuerint cenſum 153, p. de ſcripto etiam ſententiam dicebant 154,p
Senatus olim in templis habitus 147,p. inde extra vrbes, poſtremo in mediis vrbibus 66, p. vnde dictus 143, m. quam habuerit dignitatem & poteſtatem 145, f. à variis laudatus 153,m. imminuta poteſtas & per quem 146, m. per quos haberetur ibid.f. legitimus & indictus 147,p. auctus 152,f. ex Regibus 153, m. ex mulieribus 154,m. referendi modus ad ſenatum, & de quibus rebus 147,m. 153, f. rogandi ſententias ibid. cedo f. per diſceſſionem 152,f
Senatuſconſultum quot Senatores conſtituerint 148,m. vnum vno die tantum fiebat ib. f. qua formula factum 149, m. Senatuſconſulto intercedere, id eſt, ſe opponere ib.f.
Seneca Tragicus laudatur 286,p
Senex multa paſſus 341, m. laboribus impar 349, m. loquax 347,f
Sententiæ per tabulã ferendæ formula 556,m
Sentina in nauibus 326,f
September menſis, varia habuit nomina 566, f. Vulcano ſacer ibid.f
Septemuiri Epulonum apud Rom. 130.f
Sepulchra in honore habenda 90, f.ſeq. non ſumptuoſa ſint 91, m. non contemnenda à Chriſtianis ſepultura 316, f. 442, p. ſeq. & pauperi conceditur 427, f 428,m magnifica impio nihil prodeſt, 434, m. Philoſophis contempta 441,f. ſeq. communis & priuata veterum 444, m. quibus negata olim 449, m. quibus hodie ab Eccleſia Rom. 450.p
Sepulchrorum varia genera 446,m ſeq. materia 447, p. forma 448,p
Sepulchra DD. Martyrum 447, m. ſeq. 448,f Ægyptiorum cur magnifica 457,f. 458, f. reprehenſa 459,p. Mauſoli 446,p. 448, m. veterum cur extra ciuitates 443, p 445,f. Turcarum 493,f. violata 452,p. ſepultæ magnæ opes cum ſepultis ibid.m.
Serapium hodie ſyrupus 390,p.
Seruus diligẽs ac fidelis 341, f. Serui publici Rom. 191,m
Sextula ſexta pars vnciæ 316,m
Sibyllæ vnde dictæ, & quot fuerint 139, f. earum libros magno emit Tarquinius 130,m. 140,p

Sica à ſecando 219,p
Si fortè, elegantiam habet 85,f
Signa ærea in faſtigiis ædium, Pyramidum, &c. poſita 26,f. quę omnia prælata Romæ Victoribus in triumphis 303,f.ſeq. in galeis pro inſignibus 217, m. f. militaria aquila 249,f. porcus 250,p. aliaque animalia ibid. 255, m. in caſtris quædam vocalia, ſemiuocalia, muta. 250,p. m. cõmittendæ pugnæ tunica coccinea 253,p. corona captiuorum ib.m
Silices varii coloris 36 m
Simeon propheta ardẽtiſſime mori cupit 418, m. ſeq. Simonia 521,p
Sinon Troianos prodidit 287,m. accenſa lampade è muro 298,p
Siphon, Siphunculus 372,m
Societas vetuſtiſſima triplex 101,f
Socrates, quid de corpore & anima ſenſerit 445, m. ſapientiſſimus, 467,f
Sol omnia videre dicitur, quod ei diuinitatem tribuerint veteres 29, m. vim ſuam in omnia corpora diffundit 231,p. Rhodi ſemper alicubi viſitur 337,p
Somnus meridianus quibus obſit, proſitque 379,m.ſeq. 384, p. ſecundum phlebotomiam prohibendus 398,p. accedit, breuiſſimi ſomni eſſe, &c. 414, m. ſomno dediti nullius ſunt precii 468,m.
Sonticus, ſons, ſontire 395,m
Sortes, in vrnam coniectæ 201,f. quomodo factæ 202, m. galeam iactæ à Græcis pugnaturis contra Hectorem 217,f
Spartiatæ fœminas quoque in Palæſtris exercebãt 226,p. treceenti, quingentiue contra decies centena millia Perſarum inerunt 229,f
Spaſmus 414,p
Spata, genus gladii 218,f
Spectio, auſpicii genus 202,p
Speculi vis varia repræſentandi receptas imagines 9,f
Spiculum haſtæ genus 219,f
Spira, funis in orbem conuolutus 328,m
Spolia opima quæ 310, f poſtibus affigebãtur ib. m. Sponſio 345,p
Squama lorica ferrea ex lamellis ferreis 218,p
Stabula 97,m. Stamina, ſtatumina coſtæ in nauibus 26,m
Statuæ Porticus Perſarum ſuſtinebãt 10,p. multiplicis generis 92, f quibus dicatæ. & quæ nomina habeãt ib.f. Vide imagines, ſigna
Stega proſceniũ in nauibus 326,m
Stereobatæ, ſeu ſtylobatæ parietum genus 25,p
Sternutatio ex humore cerebri 406 m. Sternutatoria 414,m
Stipendium vnde dictum & quid ſignificet 139, m. quale ſolutum olim militi Romano 247,m. Stipulandi formulæ 556,m
Stoici Zenonis auditores 72,p. vnde dicti 479,p. triplicẽ philoſophiam ſtatuerunt ibid. m. ſtulta quædam placita aſſerebant ibid. f.ſeq. rigidi & immanes 480,f
Stomachus imbecillis 415,p
Strages ſtratarum arborum 218,m
στραγγουρία 415,f
Strategema quid 269, m. vtile in ſubitis caſibus ib.m. in tria genera ſectum 270, p. aliquot narrãtur obſidentium 271,p.m. poſt præliũ ib.m. vnde dictum 275,m
Structuræ multiplices 30,m. Vide ædificia
Studia apud Sinas 500. m. vide Literæ. Sublueare 550,p
Subſidium vnde dictum 250,f

Suburra

Digitized by Google

Suburra arena in nauibus 326,m
Succus medicatus 390, p. craſſus humores generat 392,m
Sudor,euocatur,ingens effunditur 415,p
Suetonius laudatur à Lipſio,reprehenditur à Mureto 186,m
Sueuia Sorices non patitur 20. p.
Suffitus varii 390,m
Suffragatores 158,f. Suffragia quomodo collecta à Rom. 201, f. & ſeq. in ciſtis ſeruata 202,f. quomodo & quo ordine lata ibid. & ſeq dirimere 203,m
Suggeſtus in Amphitheatro 76,p.
Suouetaurilia 179,m
Superbia,retundenda 275,p. militũ de ſe prædicantium 277,p. plura pollicetur,q̃ poſſit præſtare 282, m. imperatorũ triũphãtiũ quomodo coërcita 306,m,307,p. coquorum in cibis parandis 355,m
Superſtitiones in funeribus Peruanorum 502,m. in bello 504,p
Supparum,ſeu ſiparium, velum in nauibus 318,p
Supplicationes inſtitutæ in vrbe pro gratiarum actione 308,f
Supplices Athenienſes quomodo ſe geſſerint 537, f. Diis quomodo facti 544,p. milites Cæſari 551, p. Græci quomodo ib. in campo Martio 201,m
Sutura,iungit,eximitur,&c. 415, m
Symbola,æ, quid 366,m. Symmetriæ 4,f. 96.m.

T.

Tabellariæ,naues 323, m. Taberna medicamentaria deſcribitur 385, m.ſeq.
Tabulæ XII. vnde ortum habeant ſuum 172,m.
Talaſſio,cantus nuptialis 549. p. origo eiuſdem 558.m
Talẽtum Ægyptium 151. f. Tantalus in aquis apud inferos cruciatur 317, f. Tamyris regina quæ ſtrategemate Cyrum cum ducẽtis millib' Perſarũ deleuerit 274, m. Tectoria 69. m. 96,p. 99, m.
Tectum quid 16, m. vtiliſſimum in ædificio 25, m. ex varia materia 26,m. 27,m. pectinatum, teſtudinatũ 98, p. quas partes & partium quæ nomina habeat 98.p
Telum omne genus armorũ, quod in longum mittitur 219,f. Templa magna opera,ſumptu, ornatu extruẽda 58,f. vbi olim exſtructa 59, f. vbi hodie 60,m. Pudicitiæ & bonarũ artiũ præſidibus intra mœnia: Veneri, Vulcano, Marti extra ponebant 59,f. aliorũq; ib. & 68, f. Deorum omnium vno in loco ædificari voluit Ariſtoteles 60,m. ad orientem cur ſpectari voluerint 61, m. ad quẽ ſitum aras habuerint ibid. m. ſumptuoſiſſima veterũ 64,m. etiam Chriſtianorum 68,f. aſſidue frequentanda 62,f. veſtibula 64,m. duas habeant partes ibid. f. alia ornamẽta ibid. B. Virginis 516,p dedicata 513,p. Turcarum 492,f
Templum varie accipitur 59. m. tripli ſtructura veteribus ædificatum 64, m. decus vrbis 12,f. iuxta Curiam conſtruatur 50,p. Helenæ Imperatricis, vbi S. Crucem reperit 21, p. Cereris 59,f. Dianæ in Creta non licet ingredi niſi nudis pedibus 21,m. Bonæ deæ maribus ingredi nefas ibid. Iouis ex auro 23,m
Tempeſtas ſuprema, hoc eſt, nouiſſimum diei tempus 561,f
Tempeſtates in mari 314. p. m. 335, m. 336,f. 337, m. ſeq. 340. m.
Tempus in partes ſuas diſtributum 561,p. quid ſit 570, p. Terentius lepore cedit Plauto 279,p.

Terra multiplex, 48, p. ſeq. multiplices cutes habet, 98, m. non quæuis omnia profert, 312, m 317, p
Terrores panici 268, f
Teſſeræ, nummariæ, 184, f. militares variæ 256, p
Teſtamentum quid, 29, f. in cera ſcriptum, 316, p. legitimum condere & qua olim formula, 422, f Teſtamenti nuncupati formula, 556, m. vetus, ſeu ſacra hiſtoria, 506, p. 521, m. Teſtimonii dicendi formula 556, m
Teſtudo, quid 86, m. eius varia genera, 99, p. machina bellica 222 p. ſcutorum connexio ibid. f
Thalamegæ, ſumptuoſæ naues 323, m
Thales Mileſius ſolis magnitudinem inuenit 492, p
Theatrum ſalubri loco extruendum, 49, m. 72, f. quando extruendum, 55, f. vnde dictum, 72, m ligneum primum Athenis, inde ſaxeum. ibi. f itidem Romæ, 84, p. qualem formam & partes habuerit, 73, p. triplex genus ſpectatorum habuit, 77, p. verſatile, 84, p. de Theatro qui ſcribant, 83, f. Tenſæ vehicula ſacra 140, f
Theodoſius ante principium belli DD. opem implorat, 448, f
Theriaca 389, m. Therſites Homeric⁹, turpiſſim⁹ homo 484, m
Thorax 218, p
Thucydides rerum explicator prudens, 10, p. conciſis ſententiis vſus 9, m
Tithonus ab aurora immortalitatem impetrauit, 347, f. conuerſus in Cicadam. ibid.
Titulus multa ſignificat 309, m
Tityus auē paſcit è pectore, 318, p
Tollenon machina bellica 222, p
Tonſæ à tondendo remi in nauibus, 327, f. Tonſillæ morbi genus, 378, m. Tonſilia. 327, m.
Tormenta bellica 2, f. 3, p. ad diſturbationes vrbium reperta, 47 m. 48, m. 58, p. ænea, quorum hodie vſus, 225, p. varia deſcribuntur, 220. f. vide Machina.
Tragum, genus retis 591, p
Traiani nobile dictum in creatione præfecti 184, m
Trāsfuga qua formula ab Imperatore receptus 556, f
Tranſtra in nauibus 326, m
Tribulus propugnaculum contra currus falcatos 224, f
Tribuni, vnde dicti, 252, p. ſummæ poteſtatis 169, p. 201. m. triumphis Imperatorum interceſſerunt, 303, m. Senatuſconſulto, 149, f. legibus formula Veto 202, p. Celerū à regibus primi, 156, p. plebis ſoli nō ſubiecti Coſſ. 159, f. dictatores erāt 162, p. turbulēti homines, 169, m nocturni ſeu vigiliarū, 174, f. valetudinis, 175, p. monetales ibid.
Trinundinum, 201, p. 205, m. Tripudium ibid.
Triſtitia valetudinis peſtis 382, m
Tritones indices ventorum in ſummis ædificiis 26, f
Trituræ medicamenta 390, p
Triumphus L. Siccii Dentati, 228, m. quanti habitus à Roman. 299 m. contemptus à Cn. Fuluio, ibi, f. vnde dictus, 300, p. cur inſtitutus ibidem m. quas leges habuerit, 301, p. non à quouis peti poterat, 301, m. in æde Bellonæ extra vrbem decretus, 303, p. à quibus rebus impediretur, ibid. deſcriptus cum pompa ibid. f ſeq. vario habitu ornatuq; exhibitus, 305, f. ſeq. ſæpe actus, 310, f

Trium-

Digitized by Google

Triumphi diem præferre 307,m
Iô triumphe 310,p
Triumuiri capitales 174,m. nocturni ibid. f. quomodo nocturnos ambulones exceperint 179, p. valetudinis 175,p. monetales ib. poſt Cæſarem interfectum ib. m
Troia exitio data & deſcripta 285, p. ſeq. 287,m. ſeq. luctum mouet 286, m. vrbis claræ, direptæque ſpecies 292,m. quam habuerit originem 293, p. bis expugnata ib. m. à Diis extructa 295.f. Troiana fata 294,f. quot in tota obſidione vtrinque occiſi 286,m
Trudes haſtæ genus 219,m. in nauibus 327,f
Tugurium 5,f. Tumultus ex coniuratione 245,p
Turcæ adiuti armis & ope transfugarum Imperium ſuum proferunt 214,m. 494,f. quibus moribus viuant 492,f. literas ſui Alcorani quantopere colant 493, m. quomodo Chriſtianos vexēt 494, f. Turma pars legionis equeſtris 249,m. à Decurionibus ducta 252,f. Turres in mœnibus conſtituendæ 48, p. quales intuſque & extra eſſe debeant ib. f machinæ bellicæ 223. f. ambulatoriæ ibid.
Tutari partes ſuas, de actionibus ſcenicis dictum 571,p
Typographia, antiquiſſima apud Sinas 499,f
Tyranni ſacras ædes propugnacula ſcelerum fecerunt 57,m vtrum Deo nolente imperitent 102, f. inſtrumenta Dei, itaque ib. Attila Hunnus 109, f. Magus Perſarū Tyrannus ſublatus 112, f. quomodo ſe erga ſubditos gerant 115. p delendi ex mortalium numero 116, p. confirmantur ex mutatione Magiſtratus 194, m. 195,f

V.

VAcunalia ſacra Deæ Vacunæ ocioſorum 567,p
Vale & ſalue, ab exequiis dictum 552,f. Valetudinarium, locus ægrotorum 412,f
Valetudo, in locis frigidis facilius conſeruatur 18,m. curanda 56,p. in literis diſcendis 71, m. in militia 263, p. à nimio cibo & vario corrumpitur 376, p. quibus remediis conſeruetur 380, m. 383, m. veteribus magnæ curæ fuit, 383,m. in melius inclinata 415,m conſaneſcere 316,m
Valles inimicæ & incommodæ ædificationib. 19,p. Valuæ, 97,p
Vaſa ex varia materia 80,f. Vaſarium, in balneis vaſorum locus ibid.
Vectigalia Romanorum trium erant generum 68,p
Vela in nauibus 327,f 332,p. contrahere 334,m
Vellus aureum, quid olim & hodie 325,p
Venabulum deſcriptum 582,f
Venæ, patefactæ, ſubeunt, quieſcūt, &c. 415,f. quomodo & quando tangendæ à medicis ibid. p ab arteriis differunt 399, p. quid officii in homine gerant ibid. f
Venari, à venis dictum 573,m. oculis & auribus 588,p. laudem, ibid.
Venationes quando oportunè inſtituantur 582, p. à feris indagandis 573, f. in triplici genere 573,f. ſeq. 588,f. quæ cuique licitæ, aut accommodatæ, 574, m. campeſtres 574, f. multa habet incommoda 575, f. ſeq. multa com-

Digitized by Google

commoda 577.p. delectat Turcas. 494.m. in Amphitheatris frequentes & quando. 74.m. in Circo prius frequentatæ. 75.p
Venatores apti ad bellum. 239.p. reprehenſi 575.f. 583.m. ſeq. defenſi 577.p. principes olim. 579 p. deſcripti 580.p. ſeq. ab arte, veſtitu, &c.
Veneficiis aues & feras capere. 574 m. implicatus 516.m
Venter importunus exactor. 379.p chaos plenum, vexat homines. 381.p. obeſus, aut prominentior apud Rom. punitus 231 f
Venti, vtiles. 17.p. vnde oriantur. ibid. m. Aquilo cuſtos valetudinis, Auſter corruptor ibid. & 49 p. lapides arenarum inſtar in Galatia miſcent. 19.p. in vallibus ſemper, detrimentoſi. ibid. m. à Tritonibus indicantur. 27 p. ſalubres quinam. 43.f. 44.p. qui noxii, 43.p. phrenetici. 45 m. 55.p. 337.m. obſeruandi in ædificiis moliendis. 49.m. quatuor principes. 340.p. maria omnia euertunt. 337.m. Venti campus, ventis loqui, ventos colere, &c. 333.m
Venus, multa ſignificat 534.p
Verba eleganter poſita pro aduerbiis 324.m
Verbera incutere alicui 360.f. 361. p.
Veritas ex omnibus jucundiſſima. 468.m. vitia noſtra aperit 472. p. ſimplex eſt 484.p
Vertit hæc res in miſerias 196.p
Verutum genus haſtæ 219.m
Veſpillones. 426. m. vnde dicti. 427.f. Veſta præſes virginum 139.p
Veſtales vnde traductæ 127. m cur ignem cuſtodiant. ibid. 30 annis virginitatem ſeruare cogebantur. 128.p. quomodo punitæ ob negligentiam. ibid. p. quem ritum ſacrificandi habuerint. ibid. m. viuæ defoſſæ ob violatam virginitatem. ibi. m. legendi eas, ſeu capiendi modus. ibid. f. primæ quæ fuerint ibid. f. in quanto honore fuerint. ibid. f. quomodo iurabant. 129. m priuilegia maxima habuerunt. ibid. f
Veſtes in luctu pullatæ. 428.f. 429. p. ſeq. albæ apud quaſdam gentes in luctu 430.f
Veſtibulum græcè προπυλαῖον 97. p.
Vetuſtas omnia conſumit. 40.m diuturnitas futuri temporis 266.f
Vexilla militaria, roſea peditum. 245.p. cærulea equitum ibid. in ſingulis centuriis 250.m
Via militaris & non militaris 87.f. præſcripta à legibus XII. 88.p multa ſignificat. 92. p.m. Viatores, quinam fuerint. 191.m
Vicinia. 101.f. Vicomagiſtri. 186. p. Victoria docendo obtinetur. 255.f
Vicus ſceleratus. 139.f. quid. 101. f. Villæ Plinii laudatæ. 85.f. 86.p
Vindicare, vindiciarum lex. 51.f. V. Vlciſci
Vinea machina bellica 222.f
Vinum mentem vincit ſoluitque. 361.m. 371.f. lac ſenum ibid. varium deſcribitur. ibid. ſeq. lacrymæ Chriſti à quodam dictum 386.m. nullarum, ingentium virium 415.m. Theologicũ 545.m
Vir virum legit, quid 246.p. Viri in Ægypto opera mulierũ exercẽt. 489.m. apud Peruanos pro puerpera in lecto decũbũt 502.p. 538.f

Digitized by Google

Virgines ſacræ diligenter cuſtodiendæ in ſuis clauſtris. 65. m. f
raptæ ex gremio matris. 152. m
vide Caſtitas, Veſtales
Virtus vbi commodè ſedem habeat 60. m. 264. f. æri inciſæ 229 m Romæ in ſummis opibus conſeruata. 164. m. triumphis honorata. 299. m. laudatur 229 p. 281. f. in corporis figura elucet 231. m. exercita 509. f. clariſſima 524. p. militaris Romanorum. 241. p. ſeq. omnia domat ib. f. pietas in bello 260. p
Viſco piſcari 585. p
Vita humana mercatui & ſpectaculis comparatur. 209. p. auſtorum infelix. 236. f. nautarum 311. p. ſeq. genialis & voluptaria 366 p. 369. m. cum conuiuio comparata. 424. p. conſideratur apud Oſſuariam. 462. f. Vitæ miſeria ac ſcelera 2. p. 208. f cum morbis ſexcentis. 373. f 418. p. breuitas & infirmitas 41 m. 54. m. 417. m. 420. m. 421. p ſeq. lugetur 377. f. 378. m. breuitatis imperatores moniti 305. m longiſſimæ vitæ ſunt in inſula Meroe 19. f
Vitiles naues ex corio 323. f
Vitruuius obſcurus, difficilis, vtilis tamen ſcriptor 12. p
Vituperare quod neſcias vitioſiſſimum eſt 143. p
Vlciſci ſe etiam parua animalia ſolent 272. f
Vlcus ad ſanitatem producit 415. f
Vltimus, idem quod Extremus 545. m
Vmbo pars media clypei eminentior, 215. f. venter ampullarum, ſummus mons. ibid. pro toto clypeo 226. f
Vncia duodecima pars aſſis 316. m
Vnguenta & precioſi odores cadaueribus adhibiti. 426. m
cauſſa huius 428. p
Vnus vnicè, coniuncta 290. m
Volare, de nauibus dictum 324. m
Voluptas, indigna homine. 467. p ab Epicuro & ſectatoribus illius aſſerta. 477. m. 485. m
Vomicatoria in Amphitheatris 76. f
Vomitus quibus medicamentis eliciatur. 389. p. 391. m. eiectio 415. f
Vota facta ante militiam. 246. m Caſtitatis 521. m. voti concipiendi formula 556. f
Vox per Amphitheatrum fit libera. 83. f. vtrum in loco teſtudinato, an conſignato melius percipiatur 66. f
Vrbes nobiliſſimæ vbi ſunt? 40. m. 52 f. 53. p. m. f. à ſapientibus conditæ. 48. f. vnde deletæ. 42. p. quare conſtructæ. ibid. m. quibus initiis. 43. p. quali loco, plagâue excitandæ. ibid. m. 44. f. in montibus ſalubriter locantur. 45. p. littorales vtiles, ſed prædatoribus expoſitæ. ibid. m. Heliopolis, Memphis, Niniuæ quantæ per ambitum, ibid. f. habeant plateas, hortos, ambulationes, &c. ibid. f. 49. p. an à muris, an moribus magis muniantur. 46 p. quales portas requirant. 48 m. vbi ædificia publica, priuata, ſacrâue. 49. m. in orbem factæ. 51. p. aratro deſignatæ ibid. à claſſibus inſtructis laudatæ. 312. f
Numantia exciſa deſcribitur, 259. p. m. Troia à Græcis 287 m. f

Digitized by Google

Vrbicus, vrbanus. 315.m. actor ib.
Vrbs, à ciuitate differt. 50.f. vnde dicta 51.p
Vrina prorumpit. 415.f. vrinator 330.m
Vrna, in quam Tribuum nomina coniiciebantur in legibus ferendis 241.f
Vrſi quomodo capiantur 582.f
Vſucapio. 29.m. Vſura, familiaris Moſcis 497.m
Vſus, pro exercitatione 351.m
Vulgus, leuiſſimum 116.m
Vulnera, punctim citius & grauius inferuntur, quàm cæſim 234.m
inſanabilia peſſima 416.m
Vxor tribus modis accipiebatur. 138.p. in obitu mariti lacrymatur 419.m

X.

XEnophon familiaris Scipioni Africano. 260.p. è morte generoſa filii voluptatem cepit 432.m
Xerxes quantum exercitum habuerit; item, quàm fuerit formoſus 107.p
Xyſta ſubdiales ambulationes 85.p.
Xyſtus porticus tecta ibid.

Z.

ZEno Stoicorum conditor. 72.p. magno in nomine apud Athenienſes 479.p
Zenobia Palmyreorum regina in triumpho ducta cultu ſplendidiſſimò 310.m
Zodiacus, Zona, baltheus 76.f.

Laus Deo Opt. Max. B. virgini & Diuis cæleſtibus.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google